CASPARIS ZIEGLERI JCTI SAXONICI JUS CANONICUM NOTIS & ANIMADVERSIONIBUS ACADEMICIS AD JOH...

Kaspar Ziegler

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
18 C
25

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

26.3.20.
12 6
E
40

13-14. A. 22

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CASPARIS ZIEGLERI

JUS CANONICUM

AD

LANCELOTTI INSTITUTIONES

EXPLICATUM.

CASPARIS ZIEGLERI
JCti Saxonici

JUS CANONICUM

Notis & animadverſionibus
Academicis
Ad

JOH. PAULI LANCELOTTI
JCti Perusini
INSTITUTIONES
enucleatum,
& , qvale ſit, remoto velamento
publicæ luci expoſitum.

Præmittitur
DISSERTATIO
De

Juris Canonici origine & incrementis.

WITTEBERGÆ,
Sumptibus Hæred. D. TOBIÆ MEVII, & ELERDI SCHUMACHERI,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXIX.

Digitized by Google

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DNO JOHANNI GEORGIO II.

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM, SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-MARSCHALLO ET ELECTORI, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, UT ET SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGICO, COMITI DE MARCA ET RAVENSBERG, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN

&c. &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME & POTENTISSIME

ARCHIPRINCEPS ELECTOR,

DOMINE CLEMENTISSIME,

CUm apud exteros hæc jamdiu agitetur fama, nutriri in Saxonia TUA Viros eruditissimos & in bonis literis versatissimos, non potuit non ea res ingenia excitare quampluria, & ut famam istam conservarent,

rent, & ut patriæ benè consulere addisce-
rent. Est qvidem hoc generale omnium
Rerumpublicarum axioma, & longissimo
usu comprobata regula, qvod sine eorum,
qvi τὸ κύριον tenent, autoritate atqve præsidio
nihil qvicqvam, aut si qvid fuerit, oppi-
dò leve id, effici in re literariâ possit, qvod-
qve illis vel hæc studiâ non excitantibus,
adolescentum sive innata sive affectata eti-
am alacritas unà concidere, vel disciplinarum dignitatem non ornantibus, studia multorum langvere atq; torpore qvodam corripi, prorsusq; intermitti plerumqve soleant. Qvin id etiam observatum est, enixissimæ Principum in istis rebus voluntati atqve ardentissimis conatibus aliunde sæpè ex insperatis casibus contigisse impedimenta. Fuit verò hæc singularis & perpetua provinciarum TUARUM felicitas, qvod inter ipsas belli calamitates, easqve diuturnas nimis & contumacissimas,

qvi-

qvibus fatalem aliqvam ſive Reipublicæ ruinam, ſive bonarum artium diſſipationem imminere aliqvando putavimus, nunqvam defuerint, qvi ſcholas TUAS egregiè ornarent, multumq́; ad ſtudia doctrinarum complenda excolendaq́; indefeſſo labore, conferrent. Neqve ejus rei cauſam arceſſere poſſumus aliunde, qvàm ex inſigni & planè ſingulari POTENTISSIMORUM SAXONIÆ ELECTORUM Parentum TUORUM felicisſimorum, ſummâ nunc beatitate fruentium curâ, qvos liberalium literarum liberalisſimos aſſertores atqve defenſores fuiſſe, tot præclara ejus rei etiamnum loqvuntur monumenta. Perſiſtis & TU in laudatisſimâ illâ & Principe dignâ voluntate, eaq́ve tàm conſtanti, ut ne eorum qvidem, qvi TUAM ſpem expectationemq́ve aliqvando fefellerunt, offenſio infringere illam potuerit. Agnoſcunt omnes, qvi Academias TUAS inviſunt,

sunt, singulari eas ex benignitate & clementiâ TUA qvotidiè augeri incremento, & mandatis TUIS atqve Legum sanctionibus, qvas identidem promulgas, suscitari magis atq; attolli. Habet unusqvisqve, ex præscripto TUO qvod agat; id qvod insigne boni ordinis & benè constitutæ Reipublicæ est argumentum. Nobis, qvi ingeniis formandis TUA voluntate occupamur, generalis hæc lex posita est, ut rationes reddamus præstiti officii, & ut munere suo qvisq; defunctus fuerit. Ea curæ diligentiæq; in bonorum adolescentum disciplinas perpetuum hortamentum est, nec violari sine suspicione ignaviæ aut malè gesti negocii potest. De mea, qvam hucusq; studiosis adolescentibus navavi, operâ nolo ineptè glorioſus esse, nec prolixè adeò de argumento isto verba facere.

Ne tamen rationes omninò nullas reddam, qvia ita juſſus ſum, en TIBI, PRINCEPS ELECTOR POTENTISSIME, reddo hîc eas in publico, adſcitis & convocatis qvaſi hanc in rem Viris ex univerſo Terrarum orbe eruditiſſimis, ut & IPSE eas ſupputes, & aliorum ſimul de iis judicia audias. Nec profectò ullas TE præſente metuo cenſuras, tùm qvod ipſe dignoſcere eas, qvidq; illis tribuendum ſit, optimè noveris, tùm qvòd plerasq; eas longè puriores & omni livore atqve malignitate vacuas fore perſvaſum habeam. Suſcipe igitur, DOMINE, levidenſe hoc, TUIS tamen ſub auſpiciis & natum & conſummatum ſpecimen, qvod vel ideò PRINCIPALI TUO nomini debeo, qvia ſtipendia jam apud TE feci haud ita pauca. DEUS TE ſervet,

vet, & faciat, ut illa TUA erga Rempublicam Legesqve & literas benevolentia, etsi multi ingrati sint, perpetua existat.

SERENITATI TUÆ

devotissimus & obsequentissimus subditus

CASPAR ZIEGLERUS, D.

LECTOR,

MUltum intereſt, qvo animo, qvâve intentione ad librum hunc legendum venias. Ex illis enim tuum qvale futurum ſit judicium, non tàm divinare promptum erit, qvàm certò prædicere. Ab illis, qvi Pontificiæ ſectæ addicti ſunt, nihil eſt, qvod metuam, qvippe qvorum ſententia, qvia ad præſcriptum Romani Præſulis componi debet, libera non eſt. Major mihi eſt ſollicitudo de illis, qvi libertati ſuæ relicti chreſimo nonnulla, haud pauca obelo notare ſolent. Qvorum qvidem ſi animus integer fuerit & bonus, cenſuræ hoc qvicqvid eſt, lubens ſubmitto, nec pigebit audire monitiones, qvas illi ſincerâ mente & ſine malignitate ſuperaddent. Reliqvorum autem, qvibus atræ loliginis ſuccus præcordia corrupit, bilem in me deprecor, & jubeo, ut alium ſibi librum ſeligant, in qvem genuinum frangant. Cum præſertim nec ego ſolitus ſim inſubidis & intempeſtivis cenſuris aliorum operas perſtrin-

ſtringere aut eorum exiſtimationi detrahere. Depellenda eſt fatua perſvaſio, qvæ multis veluti oculos effodit, & judicium eripit, ne qvid discernant neqve laudent aliud, niſi qvod ex ſuo cerebro profectum fuerit. Et hi ſunt, qvi ut ſe ſolos efferant, alios non ſolùm tanqvam cubito depellere, ſed etiam peſſundare volunt. Faciant tamen qvod lubet, & me nullâ tali eorum reprehenſione, dum modò ea ſine convitiis & maledicentiâ fiat, irritari ſentient. Imbecillis animi eſt, non perferre poſſe judicia qvaliacunqve, & ea tamen provocare. Dic, in multis erratum à me fuiſſe, alicubi multò plura ſperata tibi & expectata, in qvamplurimis omiſſa ea, qvæ dici debuiſſent plenius, aliqvando etiam feſtinatum nimis. Nihil hinc moveor. Dic, intra non magnum dierum numerum poſſe tales notas procudi. Neqve hoc mihi bilem excitabit. Imò dic, planè jejunas, & aridas atqve exſuccas eſſe has notas. Nihil hoc me angit, nec digitum proinde verto. Qvin & injuriam patiar, ſi eſt vacua à contumeliâ. Age, qvod placet, curre, ut lubet, cave maledica & malitioſa effutias verba. Non omnibus placere poſſum, neqve hoc intendo, ut omnibus placeam.

ceam. Facilè inter eruditos reperientur, qvibus commentaria hæc ſordent ; ſed erunt tamen alii, & fortaſſe haud paulò plures , qvi ea æſtimabunt. Et his placuiſſe ſufficit. Qvanqvam & pauciores ſi fuerint , non pœniteat in publicum prodiiſſe. Ipſe Cicero varias ſæpè de ſcriptis ſuis veretur ſententias, & eas adhuc patitur Vir tanti per tot hominum ætates nominis. Non alia ſunt aliorum fata ; & inter tot eruditos credo ego haud paucos ſibi Perſium vel Lælium judices deprecaturos. Nec tamen nulli ex ejusmodi , qvalescunqve fuerint, ſententiis proveniunt fructûs. *Ut nusqvam ferè non nocet laudator*, inqvit alicubi Eraſmus, *ita ſemper prodeſt reprehenſor. Etenim ſi verè reprehendit, discedo doctior : ſin falsò , tamen acuor, extimulor, expergefio , reddor attentior, cautiorq;, animor ad defenſionem veri.* Ultimum hoc, de defenſione, non aliter mihi tribuo, qvàm ubi fors ita tulerit. Ut enim contradictori deſtinatâ operâ reſpondeam, nemo à me impetrabit. Cæterùm animi propoſitum hoc fuit, ut adoleſcentum ſtudiis utcunqve caverem atqve conſulerem, non ut doctis & eruditis, qvi & nos & alios rectiùs ipſi docerent, ſcriberem. Illis ſi qvid contuli , vel con-

conferre adhuc possum, nulla me remorabitur aut deterrebit censura. Et necessarium omninò putavi, in tam amplissimo Juris Canonici apparatu ostendere ea, qvæ Ecclesiam & Rempublicam pessimè turbârunt, qvæqve Pontificiam tyrannidem adhuc sustentant. Dabis veniam, Lector, si benevolus fueris, atqve excusabis, qvod à me dici debuisset rectiùs. Properandum sæpè est nobis, qvi qvotidianis premimur & tantum non opprimimur qvandoqve negociis.

Vale.

THE-

THEMIS EUSEBIÆ RECONCILIATA.

Visa diu Eusebie ZIEGLERUM plangere raptum,
Atq; ausus Themidis non sine bile queri.
Et mihi qui fructus, quanta, inquit, adempta voluptas,
Dum cathedræ ingenium commodat ille tuæ?
Cum Themis, Hunc, inquit, germana tuere laborem,
Verbaq; in immeritam desine dura loqui.
Par neutra huic oneri: junctæ poteramus in illo
Efficere, excultus quod stupet Orbis, opus.
Et librum ostendit, qualem haut ostenderat antè,
Nec poterat, sartæ pignus amicitiæ.
Inspicit illa librum, seseq; agnoscit, & æqua
Jam Themidi, Ergò, inquit, placat utramque Liber.

D. FRID. RAPPOLT. Prof. Publ.
in Acad. Lipsiensi.

CASPA-

CASPARIS ZIEGLERI
DISSERTATIO
De
Origine, & incrementis Juris Canonici.

CAnonis vocabulum Architectis eſt familiare, & denotat regulam ſive inſtrumentum, qvo fabri utuntur ad rectitudines expendendas, & â qvo lineamenta artis & ſtructuræ petunt, velut â lege qvádam, ut certo ordine & debitâ ratione conficiatur & abſolvatur. Regulæ enim uſus eſt ad diſcernendum rectum ab obliqvo & inflexo ſicut docet Ariſtoteles *l. 1. de anim. cult.* τῷ εὐθεῖ καὶ αὐτὸ, καὶ τὸ κάμπυλον γινώσκουθρ, κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν ὁ κανών. Qvibus verbis, qvod priore loco rectum dixit, poſteriore κανόνα appellat.

II. Vocabuli iſtius uſus in aliis etiam negociis invaluit, ita ut omne rectum, qvatenus rectum, κανὼν diceretur, ad recta ab incurvis dignoſcenda. Specialiter verò Eccleſia ſibi nomen iſtud vindicavit, & munita autoritate Scripturæ *Gal. VI. 16. 2. Cor. X. 13. Philipp. III. 16.* canonem dixit fidei & morum, qvam obſervare juſſa eſt, cynoſuram. In duobus enim his omnis Chriſtianorum vita conſiſtit, & ut rectè credatur, & ut piè vivatur, cui utriq; Scriptura ſacra veluti regula & norma præfixa eſt, ut deflectere inde nemini liceat unqvam. Elegans eſt B. Chemnitius *in exam. Concil. Trid. pag. 45.* in explicatione metaphoræ & ſimilitudinis, qvæ inter Canonem & Scripturam ſacram intercedit: *Eſt enim Eccleſia*, inqvit, *domus DEI viventis, cujus ædificatio eſt ex DEO, & architecti ſunt miniſtri verbi. Ut autem ſtructura illa miniſterio verbi ſeu prædicatione doctrinæ rectè inchoetur, juſto ordine, & debitâ ratione conficiatur & abſolvatur, opus eſt certo canone ſeu regula, ad qvam Architecti opus ſuum exigant, ne ædificatio á juſto ordine & debitâ ratione exorbitet. Et regula illa eſt doctrina Apoſtolo-*

qvod exemplaria Bibliorum, qvibus Eccleſiæ tunc temporis utebantur, Latinè facta eſſent ex Græcâ interpretatione LXX. in qvibus habebantur hi libri ſine aliqvâ evidenti notâ diſcriminis. Etſi verò tùm canonici tùm apocryphi iſti libri in Eccleſiâ legerentur, nunqvam tamen horum tanta, qvàm illorum, in confirmandis fidei articulis fuit autoritas. Diſertè Hieronymus *præfat. in lib. Salom. Nonnulla volumina legit Eccleſia ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Et Ruffinus presbyter Aqvilejenſis *in explic. Symb. apoſt. c. 36. ſciendum eſt*, inqvit, *qvod & alii libri ſunt, qvi non canonici, ſed Eccleſiaſtici â majoribus appellati ſunt, qvos legi qvidem in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam.*

V. Patet verò hinc, Canonis vocabulum pluribus libris Scripturæ adaptatum fuiſſe, qvi tantùm κανὼν canonici dici poterant, qvatenus ſcil. normam vitæ & morum præſcriptam continerent, cùm canonici propriè dicti etiam fidei regulam exhiberent. Extenſus verò eſt iſtius vocabuli uſus deinceps in latiore ſignificatione etiam ad alia ſcripta & monumenta, qvæ in Scripturæ Sacræ nomenclaturam non veniebant, ſed ab Eccleſiâ in conciliis conficiebantur, &, ut regula eſſent, conſtituebantur. Cum enim vel in fide, vel in moribus & diſciplinâ Eccleſiaſticâ talia ſæpè occurrerent, qvæ â regulâ deflectere videbantur, & ſæpè tamen iſta acerrimos defenſores reperirent, factum eſt, ut coadunatis ſententiis, & rogatis ſuffragiis in conciliis decreta conficerentur, qvæ deinceps regulam præſtarent ab omnibus obſervandam & cuſtodiendam. Decreta illa canones dicebantur, qvod & ipſa regulam aliqvam & normam exhiberent, ſed multo inferiorem, qvàm eſt Scriptura ſacra, imò nec normam qvidem, ſi utriusq; comparatio inſtituatur. Concilii enim etiam ſanctiſſimi definitio neqvaqvam eſt prætoria, ſed tantùm declaratio & indicium ejus qvod DEUS judicat & jubet credere ac facere. Multo minus eſt abſoluta. Hæc enim ſoli DEO competit, cujus eſt præſcribere fidei & vitæ normam, ita ut nulli alii fas ſit credere aliud aut agere. Optimè igitur ſe habet deciſio Eccleſiæ, ſicubi ea Scripturæ conformis eſt, peſſimè, ſicubi ei non convenit. Nec enim ulla in conciliis revelatur deciſio divina ante non extans in ſacro Codice, ſed fertur tantùm ſententia de ſenſu & intellectu revelationis jam ante de tali qvæſtione factæ & in codice ſacro conſignatæ. Qvicqvid igitur ita in concilio â Patribus decretum fuerit, non tàm norma eſt & regula, qvàm normatum. Etſi enim de ſenſu definiat concilium, eundemq; talem vel talem in Eccleſiâ poſthac ſeqvendum præcipiat,

Digitized by Google

non tamen eo ipso aliud statuitur principium, præter Scripturam sacram, qvod veluti regula Laicorum esse deberet, & veluti concausa roborandi fidem divinam. In adiaphoris verò & ritibus Ecclesiasticis definiendis, tum & aliis, qvæ libertati humanæ reliqvit Majestas divina, major est Ecclesiæ autoritas & potestas, ita ut qvicqvid ab eâ definitum fuerit, pro ratione loci & temporis, regulam præstet & normam propriè ita dictam.

VI. Ex his canonibus natum est & nomen & materia Juris, uti hodiè vocatur, Canonici, qvod ab initio canonibus in concilio confectis, & eorum collectione constaret. Cumq; ab initio codex tantùm aut collectio Canonum diceretur, successu temporis JURIS vocabulum substitutum est, ad æmulationem scil. juris civilis, præsertim postqvam ad imitationem Imperatorum Pontifices novas qvotidiè conderent constitutiones; atq; hinc JUS CANONICUM augustiore vocabulo sed ambitioso dici cœpit. Præivit circa Hadriani I. & Karoli Magni tempora Isidorus Mercator, qvi, postqvam & ipse privatâ operâ collectionem canonum jam ex multis conciliis auctorum confecisset, uti infra dicemus, & jam in justum librum collectio excrevisset, non codicem amplius aut collectionem, sed CORPUS CANONUM dicere maluit. Ex qvo facilè deinceps CORPUS JURIS CANONICI ad imitationem corporis juris civilis appellari potuit. Ut verò juris hujus fontes atq; origines, tùm & progressum accuratius exqviramus, paulo altius & ex primis Ecclesiæ Christianæ seculis repetere rem oportet.

VII. *Ecclesia Christiana*, Inqvit Christophorus Justellus *in præfat. ad Cod. can. Eccles. univ. duplici jure olim regebatur, divino & Canonico. Ac divinum qvidem jus Codice sacræ Scripturæ; canonicum verò codice Canonum continetur. Itaq; in conciliis illi duo Codices in medio consessus poni solebant, ut ex eorum jure Episcopi inter se dogmata pietatis explorarent, obortas hæreses refutarent, & controversias ad disciplinam Ecclesiasticam sacramq; πολιτείαν pertinentes dirimerent.* Hic verò breviter observari volo, qvod enucleatè notat Petrus de Marcâ *de concord. sacerdot. & Imp. lib. 3. cap. 2.* aliam fuisse rationem Ecclesiæ occidentalis, aliam verò orientalis. Occidentalis Ecclesia ante Concilium Nicænum nullos canones noverat, sed autoritate Scripturæ Sacræ, moribus, & jure non scripto sive consvetudine regebatur. Deinde solos Synodi illius Oecumenicæ canones amplexa est, usq; ad tempora Innocentii I. qvi in epistolâ ad Clerum Constantinopolitanum ejus rei testis est omni exceptione major apud Sozom. *lib. 8. c. 26.* Orientalis verò Ecclesia non Nicænos tantùm, sed alios etiam vetustiores & plurium Synodorum canones receperat. Qvin & particulares Ecclesiæ

Digitized by Google

cleſiæ in Oriente non jure tantùm communi tenebantur, ſed ſua ſibi decreta duæ tresve diœceſes conjunctis ſuffragiis conſtituerant, qvibus in diſceptandis negociis ſuis uterentur, uti id exemplis conciliorum Ancyrani, Neocæſarienſis, Gangrenſis, Antiocheni & Laodiceni plenius oſtendit Petrus de Marca *d. l. 3. c. 3.* Poſtqvam verò utriq; Eccleſiæ, Orientali & Occidentali ſæpenumerò adverſus eundem hoſtem communem ſtandum erat, & ipſæ qvoq; inter ſe controverſias haud rarò movebant, cœpit etiam Occidentalis Eccleſia ad vetuſtiores canones attendere, eosq; ad uſum ſuum recipere.

VIII. Vetuſtiſſimi omnium qvi extant ſunt CANONES qvi dicuntur APOSTOLICI. De qvorum & autore & autoritate & numero multa ſemper lis fuit inter eruditos, & ipſos etiam Pontificios. In decreto Gratiani diverſiſſimæ & planè contrariæ ſub eodem titulo referuntur Iſidori ſententiæ, *c. canones 2. & c. placuit 5. diſt. 16.* Atq; iſtas cum conciliare non poſſet Antonius Contius, in editione, qvæ Pariſiis anno M. D. LXX. prodiit, ad marginem textûs prioris hæc annotavit verba: *Non invenitur in principio conciliorum Iſidori in his libris ſcriptis & impreſſis, qvos legere potui, qvin & infra eád. diſt. c. 5. contrarium ſcribit.* Atq; hinc Cardinalis Baronius *ad ann. CII. ſect. 11. & 12.* poſtqvam priorem illum textum falſi poſtulaſſet, expungendum eum, & ſolùm illum, qvi in *can. placuit.* continetur, retinendum autumat. Sed enim qvi autoritate Gregorii XIII. Pontificis Decretum Gratiani â mendis purgarunt & ſuæ integritati reſtituerunt, hæc annotarunt ad *d. can. 2. verba: Caput hoc eſt in præfatione Iſidori ad collectionem Conciliorum, qvæ in Bibliothecâ Eccleſiæ Toletanæ deſcripta Romam miſſa eſt. Nam in illa, qvæ vulgatæ Iſidori collectioni, de qva initio dictum eſt, præponitur, contrarium potius videtur dici, & refertur infra c. placuit, hâc eadem diſt. ſi modo eſt idem Iſidorus.* Suboluit Emendatoribus & reviſoribus, non eſſe eundem Iſidorum utriusq; Canonis autorem, qvanqvam eundem ſtatuant tum Baronius *d. l.* tum Antonius Poſſevinus *in apparatu*, ille qvidem Iſidorum Mercatorem, hic verò Iſidorum Hiſpalenſem. Neutri nos adſtipulamur, ſed potius Chriſtophoro Juſtello qvi in *præfat. ad Cod. Can. Eccleſ. univerſ.* prioris canonis autorem facit Iſidorum Hiſpalenſem, poſterioris verò Iſidorum Mercatorem. Eum ſeqvitur Andreas Rivetus *in Critic. ſacr. lib. 1. cap 1.* præſertim ex eo, qvod Iſidorus poſterior mentionem fecerit concilii Toletani XI. anno DCLXXV. celebrati, qvo tempore prior ille Hiſpalenſis jam defunctus fuerat.

IX. Canonum iſtorum autorem nonnulli dicunt eſſe Clementem

Romanum, de cujus in Ecclesiam meritis insignia testimonia collegit Patricius Junius *in Clement. Epist. ad Corinth.* qvam Oxonii anno MDCXXXIII. edidit. *Canones hos*, inqvit Franciscus Longus a Coriolano *in Summ. Concil. autoritate Apostolorum conditos eorumq; traditione nobis traditos, Clemens Romanus sancti Petri discipulus græcè conscripsit.* Idem statuit Sixtus Senensis *lib. 2. biblioth. sub nomine Clementis.* Sed negat Apostolorum autoritate eos conditos esse, & disertè contrarium defendit Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis *lib. 1. Observ. 13.* ubi, cùm de celebritate & jejuniis Sabbathorum tùm apud Græcos tùm apud Latinos aliqva notasset, occasione datâ de canonibus Apostolorum hæc facit verba: *Certè si qvis esset, qvi Canones Apostolorum & D. Clementis constitutiones Apostolorum autoritate sancitas, publicatasq; certo affirmaret, imperitus censeretur, nam qvi antiqvarum consvetudinum gnari, qvo qvidq; tempore aut loco observari desitum sit, aut mutari cœptum, norunt, de iis ne dubitare qvidem possunt. Et verò, qvæ mox dicam, ita clara sunt, ea ut revinci â nullo possint. Multa sunt in iis adeò clarè dilucideq; explicata & constituta, ut de eorum sensu dubitari non possit, qvæ tamen tertio qvartoq; seculo summâ contentione disputata sunt. Hujusmodi sunt Sabbathorum jejunia, pœnitentium, h. e. adulterorum, sicariorum & idololatrarum, receptio. De baptismo hæreticorum. Si canones isti constitutionesq; ab Apostolis probatæ, sancitæq; fuissent, qvis existimet ea in dubium fuisse revocanda, qvæ ab Apostolis decreta sancitaq; fuissent. An adeò ignorantes erant illius ætatis patres, ut, si extitissent illi Apostolorum Canones, eos continuo non produxissent.* Idem argumentum eruditè urget circa materiam de baptismo hæreticorum Petrus de Marca *de concord. sacerdot. & imp. lib. 3. cap. 2. n. 5. Nihil*, inqvit, *opportunius accidere poterat hâc disputatione* (qvæ Cyprianum in Africâ & Firmilianum in Cappadociâ cum Stephano summo Pontifice de baptismo hæreticorum commisit) *ad citandos in testimonium canones apostolicos, si eâ tempestate* (circa annum Christi CCLVII.) *compacta fuisset collectio, qvâ hodiè utimur &c.*

X. Liqvidum ergò hinc fit, non pertingere istos Canones ad ætatem Clementis, qvippe qvi circa finem seculi primi Romanum Episcopatum adiisse, & ineunte seculo secundo diem suum obiisse dicitur. Sed esse tamen eos pervetustos, nemo est, qvi negat, & vel ex eo patet, qvod antiqvissimi scriptores eorum mentionem faciant & ad eos provocent, uti id ad oculum ostendit Petrus de Marca *d. l. n. 2 & 3.* A qvo tamen & qvando illi conscripti fuerint, planè incertum adhuc est, nisi qvod circa tempus conjecturis indulgere plurimi solent. Putat Marca *d. l. n. 5.* controversiam de baptismo hæreticorum inter Stephanum & Cyprianum atq; Firmilianum agitatam collectionis hujus occasionem

Digitized by Google

nem præbuisse, &, ut Romanæ Ecclesiæ traditio & autoritas à Stephano prolata, objecto veluti clypeo repelleretur, collectioni isti canat num Apostolicorum nomen inscriptum fuisse. Idq; factum autum r, à Christianis Orientalibus. Sed alii adhuc recentiores eos faciunisqvibus post Concilium demum Antiochenum natos & conscriptos futisse persvasum est, ex eo argumento, qvod multa inter canones Anaochenos legantur similia; non autem verosimile sit, Antiochenos pis tres inde aliqva sumpsisse, atq; id dissimulasse, qvod majorem inde sulsanctionibus ac decretis autoritatem conciliare potuissent. Ita Gvi-Whitakerus *cont. 1. q. 6. c. 12.* Joh. Rainold. *in cens. apocryph. tom. 1. prælect. 44.* Seqvitur eos Robertus Parkerus *de polit. Eccles. lib. 2. c. 13.* Dorscheus *ad concil. Nicen. diatypos de can. sect. 3. §. 5. pag. 99.* Qvibus unicum istud obstare videtur, qvod Antiocheni patres *can. 9.* ad antiqvam à patribus anterioribus regulam constitutam, & *can. 23.* ad regulam Ecclesiasticam provocent, qvibus verbis canones apostolicos 34. & 76. denotari existimat Marca *d. l. n. 3* Non insubidum est, qvod putat Gabriel Albaspinæus *lib. 1. obs. 13.* canones istos ab initio numero paucos, temporis successu auctos fuisse, addidisseq; identidem Græcos alios novos & uno volumine complexos fuisse cùm antiqvos canones, tum recentes, nullâ concilii, temporis, autorumq; mentione factâ. Et hinc collectionem istam esse velut farraginem plurium canonum diversis temporibus editorum.

XI. Natales igitur horum canonum dum incerti planè sunt, non major de eorum autoritate haberi poterit certitudo, præsertim postqvam depravati illi & corrupti fuerunt. Observat enim Jacobus Usserius ArchiEpiscopus Armachanus *in annotat. ad Ignatii Epist. cap. 6.* interpolatorem qvendam, ut canones isti verè crederentur esse apostolici, in canone XXX. unicum tantùm verbum addidisse. ita ut, cum antea legeretur: *A communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus à Petro*, post interpolationem deinceps verba ultima cum additamento hoc expressa fuerint: *sicut Simon Magus à me Petro*, uti etiamnum in editionibus qvibusdam corporis juris civilis (qvibus canones isti inserti sunt) legi solet. Conf. Sixt. Senens. *in biblioth. sub nom. Clementis.* Similem depravationem ex collatione exemplarium etiam in canone qvinqvagesimo idem observat Usserius *ibidem.* Retinuerunt tamen isti canones nomen Apostolorum in fronte, sed & hoc depravatè, uti notat Gabriel Albaspinæus *d. l. 1. obs. 13. Existimo*, inqvit, *eos ita appellatos esse ab antiqvitate, nam cùm eorum aliqvot ab Apostolorum successoribus, qvi teste Tertulliano de præscriptionibus Apostolici viri nominabantur, facti essent, Apostolicorum primùm canones, deinde nonnullorum Latinorum ignorantiâ, aliqvot*

qvot literarum detractione Apostolorum dicti sunt. Et apud Græcos qvoq; res ita processisse videtur.

XII. De autoritate horum Canonum cùm in utramq; partem disputasset Cardinalis Bellarminus *lib. de Scriptor. Eccles. sub nomine Clementis*, sic tandem rem conciliat, canones legitimos esse solùm qvinqvaginta priores, reliqvos non esse legitimos, qvamvis â Græcis recipiantur. Sed Jacobus Usserius ArchiEpiscopus Armachanus *d. l.* & ipsa illa, qvæ â Bellarmino pro autoritate canonum stabiliendâ adducuntur argumenta, singulatim exagitat, & rationem conciliandi minimè accuratam esse docet. Sanè Gelasius Papa *in c. sancta 4. dist. 15.* cum libros & ab Ecclesiâ receptos, & apocryphos recensere constituisset, de canonibus his ita censet: *Liber canonum Apostolorum apocryphus.* De toto libro id asserit Gelasius, non tantùm de certo canonum asutorum numero. Et probandum erat, librum istum eo tempore plures qvàm qvinqvaginta canones continuisse. præsertim cùm Dionysius Exiguus, qvi non ita multo post canones istos in Latinum sermonem transtulit, non plures in codice suo, qvàm qvinqvaginta invenerit, addito hoc in præfatione, qvam ad Stephanum Salonitanum Episcopum scripsit, elogio: *In principio Canones, qvi dicuntur Apostolorum, de græco transtulimus: qvibus qvia plurimi consensum non præbuere facilem, hoc ipsum vestrum noluimus ignorare sanctitatem: qvamvis postea qvædam constituta Pontificum ex ipsis canonibus adsumpta esse videantur.* Sed nec ipsos illos qvinqvaginta priores Ecclesia Romana semper recipit, certè non Baronius, qvi de sexto eorum agens, *apocryphorum*, inqvit, *non est tanta autoritas, ut, qvæ sunt tàm certa, rata atq; confirmata, convellant, ad ann. LVIII. n. 23.* Et paucissimos, imò vix sex aut octo in Ecclesiâ Latinâ observari, testes sunt Michael Medina, & Martinus Peresius apud Robert. Coc. *in censur. pag. 7.* Add. Casaubon. *exercitat. XVI. n. III.*

XIII. Tam exigua cùm sit canonum horum inter ipsos Pontificios autoritas, necesse non est, ut de numero eorum multum simus solliciti. Numerantur in vulgatis hodiè editionibus plerumq; LXXXV. Sed jam anteverti dicere, circa initium seculi sexti Dionysium Exiguum, qvi primus eos Latinis videtur communicasse, in exemplaribus Græcis non nisi qvinqvaginta invenisse. Ex qvo conficit Jacobus Usserius *d. l.* post ipsum illud tempus â falsario qvodam triginta qvinq; alios additos fuisse, secus atq; putat Petrus de Marca, qvi loco sæpè citato *num. 7.* consulto Dionysium pauciores canones & qvinqvaginta tantùm communicasse scribit, ut aliqvam rationem haberet Concilii Romani, cujus interdictio in triginta qvinq; omissis locum haberet. Cujus tamen interdictionis, nemo est, qvi hactenus ostendere potuerit

aliqvod

Digitized by Google

aliqvod vestigium. Id enim, qvod ex Gelasii verbis adducunt, violentum est, & nullum meretur assensum. Circa exitum verò seculi septimi omnes LXXX. Canones recepti & confirmati fuerunt in Synodo Trullanâ sive in Trullo habita, qvæ aliàs πενθέκτη sive qvinisexta dicitur, ideò, qvia bis & diversis temporibus congregata fuerat, sed pro eâdem tamen Synodo habebatur. Verba ejus concilii refert Gratianus *c. 5. dist. 16. Placuit huic sanctæ Synodo, ut à modo confirmata & rata sint canonum Apostolicorum LXXXV. capitula.* Synodi istius autoritatem planè deprimunt Pontificii; sed id eum ob finem fit, ut canones de æqvalitate Episcopi Romani & Constantinopolitani, de ministrorum Ecclesiæ cœlibatu, & similes suspectos reddant. Nos ut ejus hic Autoritatem stabilianus, nulla urget necessitas, cum ex eâ nihil qvicqvam Canonum Apostolicorum autoritati accedat, & incerta adhuc maneat eorum origo, certa verò corruptela. Putat verò etiam Franscicus Longus â Coriolano *in summ. concil.* duos tantùm canones, sexagesimum qvintum scil. & ultimum excipi & rejici debere, reliqvos omnes vel Romanorum Pontificum autoritate, vel aliorum Conciliorum decretis vel qvorundam Patrum sententiis confirmatos & approbatos esse, ut hinc jure merito omnes, præter prædictos duos, inter authenticos haberi possent ac deberent. Fruatur enimverò ille suâ hâc authentiâ. Nos ut scriptis suppositiciis eam induamus, persvaderi nondum possumus.

XIV. Non melioris notæ sunt CONSTITUTIONES, qvæ dicuntur APOSTOLICÆ eidem Clementi Romano tributæ & olim cum canonibus in uno volumine comprehensæ, ita ut constitutionum liber canones integros capite ultimo recensitos contineret. Eas jam diu rejecit Athanasius in Synopsi, nec recipere voluit Synodus Trullana *can. 2.* Ipse Bellarminus *lib. de Scriptor. Eccles. pag. 39.* nullum ferè in Ecclesiâ Latinâ eas nomen habere dicit. Easdem ut adulterinas impugnant Petrus Halloixius *in not. ad vit. Polycarpi c. 6. & ad vitam Ignatii c. 2.* Dionysius Petavius *lib. 2. de doctr. temp. c. 57.* nec diffitetur Baronius *ad ann. XXXII. n. 18. & ad ann. XLVI. n. 13.* eas apocryphas esse. Et qvanqvam pro earum fide & authentiâ multa congesserit Franscisscus Turrianus Jesuita, *non tamen*, inqvit Antonius Possevinus *in apparat. verb. Clemens*, apud omnes effecit, aut evicit, constitutiones istas esse Apostolicas & legitimas â Clemente ipso perscriptas. Plurima πρόθεσις argumenta erudite mundo exposuit Jacobus Usserius *in annotat. ad Ignat. ep ſt. cap. 7. seqq.* Antiqvas eas esse nolumus negare, nec tamen de ætate aut primâ origine certum qvid asserere licet. Hugo Grotius *lib. 1. de jur. bell. & pac. cap. 2. in not. ad §. 9.* videri sibi ait scriptum istum

librum finiente seculo secundo. Ad annum verò â Christo nato CCLXXX. natales ejus refert David blondellus *in apol. de Epist. & presbyt. sect. 3. pag. 251.* ad seculum qvintum Dn. Herm. Conring. *in animadv. de purgator. n. 32.* ad sextum Jacobus Usserius *de [illegible]* Sed nec certum fortè tempus definiri potest, qvia credibile est, ut ait Petrus Halloixius *notat. ad vit. Polycarp. c. 6.* illas non ab uno homine nec uno tempore, sed â diversis hominibus & variis temporibus fuisse confiatas, qvæ eadem etiam Gabrielis Albaspinæi *l. 1. Observ. 13.* est sententia.

XV. Post dubia verò hæc & subtestæ fidei initia haud paulo solidiora fundamenta accepit jus Canonicum. Postqvam enim non particularia tantùm in Oriente Concilia qvam plurima, sed illustre etiam & generale CCCXVIII. Patrum in Niceâ urbe habitum, & in unoqvoq; canones summâ cum dexteritate & prudentiâ conditi fuissent, ne illi aliqvando perirent, aut hominum memoriâ exciderent, novæ collectiones conscribi cœperunt. Ad particularia singula & codices speciales ut longâ tractatione nunc excurramus, præter institutum est. Sufficit hîc notare illos, qvi maximè illustres extiterunt, qvibusq; tota tum Orientalis tùm Occidentalis Ecclesia usa fuit. In concilio Chalcedonensi habito anno CCCCLI. recitati sunt qvatuor canones concilii Antiocheni ultra centum annos antiqvioris habiti scil. anno CCCXLI. suppresso tamen nomine concilii, & sub longè alio numero, qvàm illi in ordine istius concilii tenent, ita ut canones Antiocheni qvartus & qvintus sub numero octogesimæ tertiæ & octogesimæ qvartæ regulæ recitentur, decimus sextus verò & decimus septimus numerum nonagesimum qvintum & nonagesimum sextum conficiant. Ex qvo colligunt Cardinalis Baronius, Antonius Augustinus, Jacobus Leschasserius, Christophorus Justellus & alii plures, extitisse jam ante Concilium Chalcedonense certam canonum collectionem, seu corpus regularum ac definitionum, ex certis conciliis, certo etiam & continuato numerorum ordine collectum, illudq; pone Scripturam sacram in medio confessûs & congregationis patrum concilii positum fuisse. Sed hîc tamen notandum, Codicem illum in Orientali primum Ecclesiâ invaluisse & lingvâ Græcâ conscriptum fuisse, & qvidem, ut videtur, post tempora demum concilii Constantinopolitani primi, hoc est post annum Christi CCCLXXXI. Qvi enim á Synodis antecedentibus Ancyranâ, Neocæsariensi, Gangrensi, Antiochena & Laodicenâ confecti fuerunt canones, non obligabant omnes Ecclesias Orientales, sed illas tantùm, qvarum suffragiis erant decreti, qvippe qvod vix ex duabus aut tribus Orientis diœcesibus oppidò pauci & vix XVI. aut XVIII. Episcopi convenissent

nisſent. At in Conſtantinopolitano Concilio qvia ex omnibus Orientalibus Eccleſiis Epiſcopi congregati fuerunt, canones etiam, qvi ibi conditi fuerunt, ad omnes pertinuerunt. Nec tamen de retrò congregatis conciliis particularibus, & receptione canonum in illis decretorum qvicqvam definitum tùm fuit. Ipſa etiam Conſtantinopolitani Concilii Decreta Eccleſias occidentales neqvaqvam tùm adſtringebant, neq; ab illis recepta erant. Vid. Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imper. lib. 3. c. 3.*

XVI. Poſt iſtud tempus Epiſcopus qvidam, qvem Stephanum Epheſinum fuiſſe, Juſtelli fide memorat Marca *d. l. n. 4.* Reip. Eccleſiaſticæ maximè ſtudioſus, privatâ induſtriâ omnes illos canones, qvi ex diverſis conciliis nunc extabant, Nicenos ſcil. Ancyranos, NeoCæſarienſes, Gangrenſes, Antiochenos, Laodicenos & Conſtantinopolitanos numero centum ſexaginta qvinqve continuatâ ſerie in ùnum corpus collegit. Qvod utrum ex decreto concilii alicujus orientalis factum fuerit, non auſim aſſerere. Id tamen certum eſt, eam collectionem ita ſe illicò commendaſſe, ut etiam in concilio Chalcedonenſi ad eam provocaretur, & ex eâ canones legerentur. Tùm vero primum & ab orientali Eccleſiâ ſynodorum particularium ſupra recenſitarum canones, & ab occidentali non illi tantùm, ſed etiam Conſtantinopolitani, recepti & probati fuerunt, atq; ſic ab univerſâ Eccleſiâ in collectionem hanc canonum conſenſum fuit, ut deinceps CODEX CANONUM ECCLESIÆ UNIVERSÆ meritò diceretur. Sic enim ſe habet canon primus concilii Chalcedonenſis: *A ſanctis Patribus in unaqvaq; ſynodo usq; nunc prolatas regulas tenere ſtatuimus.*

XVII. Poſtqvam ita conſenſum in concilio Chalcedonenſi fuiſſet, canones Græci occidentalibus communicati latinitate donati ſunt, atq; id non ſemel. Additi fuerunt ipſius Concilii Chalcedonenſis canones; ſucceſſu temporis etiam alia, qvæ ex uſu cujusq; Eccleſiæ videri poterant. Ex qvo factum, ut in ipſis etiam CLXV. canonibus modò confirmatis per verſiones numeri mutarentur alicubi, uti id exemplis demonſtrat Jacobus Leſchaſſerius Jctus *in conſultat. de controv. inter Paul. V. & Remp. Venetam*, & ex collatione canonum Græcorum, & verſionis Dionyſii Exigui, tùm & Codicis Romani veteris Moguntiæ editi ad oculum patet. Meminit etiam novæ canonum collectionis autoritate Leonis I. Papæ compoſitæ Stephanus Baluzius *in addit. ad Petr. de Marca d. l. poſt num. 6.* Cum verò verſiones illæ confuſæ eſſent & parum accuratæ, operam hanc ſuſcepit Dionyſius Abbas Romanus, cognomento Exiguus, natione Scytha, ſed moribus Romanus, doctrinâ &

ſanctitate maximus, uti eum laudat Bellarminus *de ſcript. Eccleſ.* & ad cohortationem Laurentii Eccleſiæ Romanæ Presbyteri novam planè adornavit verſionem, qvam poſt initium hujus ſeculi edidit Chriſtophorus Juſtellus. Addidit Dionyſius, imò præmiſit canones Apoſtolorum, & ſubjunxit canones Concilii Sardicenſis & qvorundam conciliorum Africanorum; Edidit etiam Pontificum Romanorum, Siricii ſcil. Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Cœleſtini, Leonis I., Gelaſii & Anaſtaſii ſpacio centum annorum facta decreta, ſive Decretales Epiſtolas, qvarum tamen titulos tantùm exhibet editio Juſtelli. Videtur verò mihi ita Dionyſius duas juris Canonici partes conſtituiſſe, unam, qvâ decreta conciliorum, alteram, qvâ decretales Epiſtolæ Romanorum Pontificum continerentur, & hinc exemplum præbuiſſe Gregorio IX. Pontifici, ut ipſe qvoq; de collectione decretalium decreto Gratiani addendâ cogitaret. Seculo nono, tempore ſcil. Leonis IV. Pontificis aliæ adhuc acceſſerunt Pontificum Romanorum decretales, illæq. jam cum canonibus ſupra recenſitis unum volumen conſtituebant. Discere id licet ex ipſis Leonis verbis, qvæ refert Gratianus *c. de libellis 2. diſt. 20. De libellis*, inqvit, *& commentariis aliorum non convenit aliqvos judicare, & ſanctorum conciliorum canones relinqvere, vel decretalium regulas, qvæ habentur apud nos ſimul cum canonibus, qvibus in omnibus Eccleſiaſticis utimur judiciis, id eſt, Apoſtolorum, Nicenorum, Ancyritanorum, NeoCæſarienſium, Gangrenſium, Sardicenſium, Aphricanenſium, Carthaginenſium: & cum illis regulæ præſulum Romanorum, Silveſtri* (hujus nomen vitio exſcriptoris in textum irrepſiſſe, & propterea expungendum eſſe, qvod eâ tempeſtate Silveſtri canones recepti non fuerint, docet Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imper. l. 3. c. 4. n. 5.*) *Cyrici, Innocentii, Zozimi, Cœleſtini, Leonis, Hilarii, Gelaſii, Ormisdæ, & Gregorii junioris. Iſti omninò ſunt, & per qvos judicant Epiſcopi, & per qvos Epiſcopi ſimul & clerici judicantur &c.* Et paulo poſt *illa* qvæ prædixit, *ſanctorum patrum ſtatuta* appellat, *qvæ apud nos canonum nomine præſtituuntur.* Bonifacii primi & Anaſtaſii ſecundi, qvorum Dionyſius mentionem facit, nomina vel auctori, vel librariis exciderunt

XVIII. Dionyſii Exigui verſio, de qvâ diximus, poſtqvam prodiit, qvod factum circa annum DXXVII. in occidentalibus Eccleſiis maximo cum applauſu recepta eſt. De Romanâ Eccleſiâ M. Aurelii Caſſiodori, qvi Dionyſii σύγχρονος fuit, hæc ſunt verba, *cap. 23. di-*

vin.

vin. lect. Ex Græcis exemplaribus (Dionysius) *canones Ecclesiasticos moribus suis, ut erat planus atq; disertus, magnâ eloquentiæ luce composuit, quod hodiè usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Usus autem est Dionysius exemplari Græco, qvod in Constantinopolitani concilii canonibus hniebatur, cuiq; deinceps seorsim non continuato numero canones Chalcedonenses additi fuerant. Ita enim ipse in *præfat. ad Stephan. Episc. Salonitan. Deinde regulas Nicenæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, sive qvæ ante eam, sive qvæ postmodum facta sunt, usq; ad synodum centum qvinqvaginta Patrum, qvi apud Constantinopolim convenerunt, sub ordine numerorum, id est, à primo capite usq; ad centesimum sexagesimum qvintum, sicut habetur, in græcâ autoritate digessimus. Tum sancti Chalcedonensis concilii decreta subdentes, in his græcorum canonum finem esse declarâmus.* Ephesini concilii, qvod anno cccccxxxi. habitum fuit, & canonum ibi conditorum nullam planè facit mentionem, & nec de suo qvidem addidit, uti addidit canones Sardicenses & Africanos, cum tamen concilium istud & antecesserit Chalcedonense, & unum ex qvatuor principalibus fuerit. Inserti verò inveniuntur canones Ephesini codici græco, qvem anno MDCX. edidit & Latinâ versione atq; notis illustravit sæpè nobis laudatus Christophorus Justellus. Atq; hunc potius, qvam illum confirmasse videtur Justinianus Imperator *in Novell. 131.* qvæ edita est anno DXLI. si modò de certo codice verba accipienda fuerint. *Sancimus*, inqvit, *vicem legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, qvæ à sanctis qvatuor conciliis expositæ sunt aut firmatæ* (hâc voce comprehendi vult Justellus cætera concilia, qvæ unà cum ipsis qvatuor œcumenicis eodem Codice Ecclesiæ universæ comprehenduntur, & qvorum canones ab eâdem Ecclesiâ, eâdem numerorum serie cum canonibus qvatuor conciliorum devinciuntur, ut unum & idem corpus juris constituerent.) *hoc est, in Nicena trecentorum decem & octo, & in Constantinopolitanâ sanctorum centum qvinqvaginta Patrum, & in Ephesinâ primâ, in qvâ Nestorius est damnatus, & in Chalcedoniâ, in qvâ Eutyches cum Nestorio anathematizatus est. Prædictarum enim qvatuor synodorum dogmata sicut sanctas Scripturas accipimus & regulas sicut leges observamus.* Ephesinæ igitur Synodi canones cum tantæ autoritatis apud Justinianum fuerint, cur decennio ante tanti non fuerint æstimati à Dionysio, ut ab eo codici suo adderentur, causam ego nullam invenio.

XIX. Post editos Istiusmodi codices nova qvotidiè juri Canonico accesserunt incrementa. Et jam diximus, tempore Leonis IV. Pontificis circa annum Christi DCCCL. corpus canonum plurimis Decretalibus auctum, easq; canonibus conciliorum pari jure exæqvatas fuisse, uti loqvitur Gratianus *c. 1. dist. 20.* De aliis enim, qvæ interea temporis breviarii, epitomes, synagogæ aut compendii nomine privato studio ab Alexio Aristeno, Theodoreto, Cresconio, Ferrando Diacono, Johanne Scholastico, & aliis conscripta fuerunt, cùm tantam autoritatem in Ecclesiâ nunqvam habuerint, ut probationes solidæ inde peterentur, necesse non est, ut multa hic addamus. Fecit & horum & aliorum mentionem Antonius Augustinus *in præfat. ad antiq. decretal. collect.* tùm & Christophorus Justell. *in præfat. ad Cod. canon. Eccles. univers.* De Johanne tamen Scholastico, Patriarchâ Constantinopolitano, qvo vivente Justinianus Imp. diem suum obiit, notare operæ erit precium, primum eum & antiqvissimum esse, qvi collationem Legum, præsertim Novellarum Justiniani Constitutionum, atq; Ecclesiæ canonum instituit. Id genus librorum Nomocanones appellarunt posteriores Scriptores, uti in seqventibus audiemus. Et qvanqvam ista Johannis collectio, qvæ in qvinqvaginta titulos digesta fuerat, ab initio usum aliqvem præbuerit, suâ tamen ætate nullo ferè loco habitam fuisse testatur Theodorus Balsamo *in supplem.* qvod per Photii Nomocanonem & uberiorem & utiliorem planè obfuscaretur.

XX. Omnibus verò illis scriptis, qvantâcunq; cum diligentiâ fuissent elaborata, qvia autoritatem in publico Concilio non acceperant, semper antepositus fuit, de qvo dixi, codex Canonum Ecclesiæ universæ, & qvidem in Ecclesiis occidentalibus ex versione Dionysii Exigui, qvem propterea commendat Cardinalis Baronius *ad ann. CCCXXV. num. 123.* In Hispaniâ tamen circa annum DLXX. nova prodiit collectio, qvæ non exiguam in isto Regno habuit autoritatem. Martinus enim Dumiensis monasterii Abbas ac deinde Ecclesiæ Bracarensis Episcopus, qvi è Græciâ in Hispaniam migraverat, contractis in pauca canonum verbis unum capitulum ex variis locis interpolavit, totamq; suam istam collectionem in duas partes divisit, ita ut qvi ad clericos pertinerent canones, in primâ parte, qvi ad Laicos, in secundâ comprehenderet, addiditq; identidem ex Toletanis conciliis nonnulla, qvæ ad utilitatem Ecclesiarum Hispanicarum constituta fuerant. Collectionem ita congestam & digestam misit ad concilium

Lucense,

Lucense, qvod tùm congregatum fuit, in Gallæciâ, ibiq; ut videtur assensum impetravit. Sed ea extra Hispaniam fortè nullum præbuit usum, nisi qvod illustramenti loco qvandoq; adhibita fuerit.

XXI. Hic verò etiam illud observatione dignum est, qvod istis temporibus, de qvibus hactenus diximus, Objectum juris canonici tàm diffusum non fuerit, qvàm est hodiè post usurpatam illam Pontificum immensam potentiam. Legantur tituli decretalium, qvos concinnavit Dionysius Exiguus, & ad oculum patebit, de causis tantùm aut personis Ecclesiasticis plerasq; omnes esse compositas, nullam ibi fieri mentionem solennitatis aut ordinis judiciarii, litis contestatæ, & aliarum subtilitatum forensium, de qvibus tùm neqvicqvam solliciti erant Episcopi. Et qvanqvam ex concessione Imperatorum etiam Laicorum causæ ab illis haud rarò decide rentur, non aliarum tamen, qvàm legum civilium tum erat usus. Præcipuè verò secundum Novellas Justiniani Imp. judicia formabantur Ecclesiastica. Ita enim Gregorius Magnus *l. XI. Epist.* 54 apud Gratianum *c. d. persona* 11. *q.* 1. *De persona presbyteri hoc attendendum est, si qvam causam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopum ipsius adire debuit, sicut Novellarum constitutio manifestat*, &c. Idem testatur Ivo Carnutensis *epist.* 280. *Dicunt institutа Legum Novellarum, qvas commendat & servat Romana Ecclesia* &c. Idem etiam Hincmarus Episcopus Remensis *Opusc. c* 17. *Sed & leges Romanæ ab Imperatore Justiniano promulgatæ, qvas probat Ecclesia, decernunt* &c. Cont Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 28. Petr. de Marca *de concord. sacerd. & imp. l.* 4. *cap.* 20. *n.* 6. 7. Qvin utplurimum ex æqvo & bono absq; solennitate processus lites ab Episcopis terminabantur. Et qvia ex compromisso partes judicium istud elegerant, & propter ejus integritatem atq; sinceritatem nulla suspicio oboriri poterat, facilè in decisione factâ acqviescebant Videtur igitur eo tempore tota ista juris canonici pars, qvæ de processu judiciario agit, abfuisse. Imò primis temporibus usq; ad ætatem Constantini Magni etsi ad Episcopos cundi mos usurparetur, ea tamen vis non fuit judiciorum & decisionum Episcopalium, ut â judicibus executioni tradi oporteret. Sequioribus temporibus, etsi ab Imperatoribus haud paullo major decisionibus Episcopalibus tribueretur autoritas, nemo tamen Pontificum audientiam Episcopalem mutare & in tribunal convertere, atq; speciali jure vallare hactenus audebat.

XXII. Jacta qvidem post obitum Gregorii Magni ineunte seculo septimo fuerunt semina immensæ illius & infinitæ potestatis, qvæ deinceps Romæ invaluit, & successit. Contendebant inter se de primatu

matu Episcopus Constantinopolitanus & Romanus, atq; eum ex benignitate Phocæ Imperatoris cum obtinuisset Romanus, non continere se amplius poterat, sed ex inordinato planè appetitu universam Ecclesiam Christianam sibi uni subjicere, se solum caput nominare, reliqvos Episcopos & Patriarchas omnes infra se deprimere, summam & illimitatam in Ecclesiasticis potestatem sibi vindicare, tùm & dominia terrarum, urbium & provinciarum sibi acqvirere enixè studebat. Favebat ei rei promovendæ occasio maximè opportuna ex absentiâ Imperatorum nata, qvippe qvi Constantinopoli dum degerent, ea, qvæ Romæ & in Italiâ agebantur, parum attendebant, nec attendere satis promptè poterant. Audacior inde factus Pontifex Romanus, populum Romanum, qvò vellet atq; visum esset, flectebat. Cumq; non apud Longobardos tantùm, qvi Italiam invaserant, sed apud Exarchos etiam, qvi Ravennæ Imperatoris partes tuebantur, & ipsos deniq; Imperatores maximam honoris reverentiam haberet, adaucta hinc ei qvotidiè est & dignitas & auctoritas, sed & audacia aggrediendi nefandissima qvæq; & exercendi. Qvia tamen Roma Imperatores adhuc usq; ad seculi octavi finem dominos agnoscebat, nec proinde obsequium denegare poterat, leges eorum intervertere & novo juri condendo animum applicare verebantur Pontifices. Qvale igitur tùm fuerit jus canonicum, & qvibus constiterit partibus, usq; ad medietatem seculi IX. hactenus deduximus.

XXIII. Seculo hoc nono vixit celeberrimus ille Photius Patriarcha Constantinopolitanus, homo Bellarmini judicio magnæ erudicionis. Sed idem ille Bellarminus, tùm & Baronius & pleriq; omnes Pontificii acerbissimis haud rarò ei insultant verbis, qvem tamen identidem defendit Richardus Montacutius Episcopus Norvicensis in Angliâ. Scripsit ille exemplo Johannis Scholastici, de qvo supra diximus, Nomocanonem, sive collationem canonum & Legum civilium. Dum enim leges Imperatorum, qvi Ecclesiæ saluti studebant, secundum canones jam ante conditos scribebantur, aliaq; insuper addebantur, qvæ pro ratione temporis ad regimen Ecclesiasticum necessaria erant, & hinc canones majorem vim à legislatoriâ potestate accipiebant, non insubidum hoc visum fuit, si, qvantum ex canonibus, qvantumq; ex legibus Ecclesiæ consultum fuerit, per harmoniam qvandam exponeretur. *Ad gloriam magni DEI*, inqvit Johannes Scholasticus *in præfatione suâ* apud Petrum de Marca *de concord. sacerd. & imp. lib. 2. cap. 11. n. 4. & Servatoris nostri Jesu Christi, qvæ nunc collata sunt*

cum

cum sacris Canonibus sanctorum & beatorum Apostolorum, & qui eorum vestigia secuti sunt per unam, quamq; synodum sanctorum Patrum, transcripsi è novellis Constitutionibus à Justiniano felicis memoriæ post Codicem sparsim editis. Quæ quidem non solùm sequuntur Orthodoxorum nostrorum Patrum Canones, sed etiam ex principis imperio auctoritatem illis largiuntur (in græco textu dicitur: ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκ βασιλικῆς ἰσχύος αὐθεντίαν χαρίζονται, qualia verba hodierni Canonistæ nunqvam facient sua, qvod impium ipsis videatur asserere, canones aliqvam ex legibus civilibus accipere αὐθεντίαν) *una cum adjectionibus quibusdam legitimis & DEO gratis, quæ commodis hominum ad exemplum DEI consulunt &c.*

XXIV. Romanam sedem eo tempore tenuit Nicolaus I. Pontifex, qvi, ut aie Rhegino Abbas Prumiensis, doctissimus simul & nobilissimus Germaniæ Chronographus, *Regibus ac Tyrannis imperavit, eisq; ac si dominus orbis terrarum autoritate præfuit.* Ille cum vidisset, se apud omnes tantam nominis famam comparasse, qvantam vix ullus Paparum anteriorum, Romanæ sedis potentiam adaugere impensè studuit. *Hujus temporibus*, inqvit Anastasius Bibliothecarius, *tot tantæq; diversarum provinciarum cognitâ luce clarius doctrinâ præclari dogmatis ejus, ad sedem Apostolicam consultationes directæ sunt, qvantas nunqvam penitus qvis reminiscitur à priscis temporibus pervenisse.* Consilia ista deinceps in decreta mutata sunt, & Gratiano amplissimam præbuerunt materiam concionandi voluminis. Idem verò Nicolaus, ut Romanam sedem firmaret magis, ejusq; potentiam auctiorem redderet, per occasionem oborti inter Ignatium & Photium schismatis, Ecclesiam Constantinopolitanam & Græcos imperio suo subdere conatus est: Ignatium ipsum & Photium Romam evocavit, ut causa cognosceretur, & sedis Romanæ autoritate decideretur. Ad Episcopos Græcos de epistolâ sibi à Michaele Imperatore missâ sibiq; parum gratâ protervè & impudenter scripsit: *Ipsam epistolam in stirpe videntibus cunctis suspensam, vasto supposito foco, ad vituperium Imperialis apicis coram omnibus nationibus, qvæ penes memoriam S. Petri multiplices inveniuntur, extremæ perditioni donabimus: qvatenus his ritè patratis discat pius, qvod amet, & crudelis, qvod timeat.* De ejus tyrannide qvæ ab Italiæ Episcopis ad Ecclesias Orientales missæ fuerint literæ, legi potest ipsius Photii epistola secunda, qvæ est En-

cyclica ad Archi-Episcopales thronos per Orientem *pag. 59.* cui addi potest Gantharii Colonien sis ac Theutgandi Trevirensis Archi-Episcoporum ad ipsum Nicolaum invectiva apud Pithœum *in annal. Franc. ad ann. DCCC.LVII.* Talis cum fuerit Nicolaus, mirum non est, Photium inultis ejus irritatum alieniore fuisse in Ecclesiam Romanam animo. Et forte ipsa hæc, quæ tùm mota fuit, controversia Photio ansam dedit accuratius inquirendi in antiquos Ecclesiæ canones, & hinc conscribendi istum, de quo dixi, Nomocanonem.

XXV. Prodierant isto secu o primorum Pontificum Anacleti, Evaristi, Alexandri, Sixti, Telesphori, Hygini, Pii, Aniceti, Soteris, Eleutheri & aliorum Epistolæ Decretales, quas simul cum Isidoro Constantini donatione atq; aliis decretis Ecclesiasticis in unum volumen compingens Isidori mentito nomine fatragine illam vendiderit planus post natos homines neqvis, nisi a improvidis, ut ait Jacobus Usserius *de Christian. Eccles. succ. & statu c. 2.* Quæ vero illæ exuviæ Christiani nominis antiquitate maxima ad stabiliendæ potentiæ pontificiæ videbantur afferre momentum. Pontificiæ tantùm fuerunt & probatæ à Nicolao, sed aliis etiam, & Gallis inprimis, ut idem facerent, obtrusæ. Cumq; exciperent Galli, idcirco eas dubiæ esse fidei, qvod in codicem Canonum numqvam antehac fuerint relatæ, nec proinde recipiendas esse, prolixè respondet Pontifex apud Gratianum *cap. 2. dist. 19. Si ideò inqvit, decretales epistolas earum Pontificum Romanorum non esse admittendas dicunt, qvia in codice canonum non habentur adscriptæ: ergo nec sancti Gregorii, nec alius alterius, qvi ante ipsum fuit, vel post ipsum est ad aliqvod institutum vel rescriptum recipiendum est, eo qvod in codice canonum non habeatur adscriptum. Ergo Primum eorum & sanctiones, qvæ ab omni liturgiæ veneratur, qvæ [illegible] canonum non habentur adscriptæ, de codicibus suis abradant. Ut qvid vitem membranas occupant, potiqvam non habentur acceptæ. Sed qvare multum immoremur, cum nec ipsas divinas scripturas veteris & Novi testamenti jam recipiemus, si istos dixerimus esse audiendos? etenim neutrum horum in codice canonum Ecclesiasticorum habetur insertum. Sed respondere sunt isti, qvi ad rebitendum potius, qvàm ad obtemperandum paratiores, dicemus: qvod inter canones reperiantur epistolæ sanctæ Innocentii Papæ, eosdem decretales decretas à veteribus utrum [illegible] esse recipiendum, qvam [illegible] in ipsis patribus [illegible] nullum eorum [illegible] eiusdem auctoris inscriptum. Quibus ad hæc respondendum est, qvoniam, si veterum, ita novum testamentum sunt recipienda, non qvod [illegible] canonum ex toto [illegible] sunt annexa, sed qvod de his recipiendis sanctæ Papæ Innocentii præfata videatur esse sententia, restat nimirum, qvod decretales epistolæ Romanorum Pontificum*

sunt

sunt recipienda, et si non sunt codici canonum compaginata, quoniam inter ipsos Canones unum beati Leonis papæ capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta sedis apostolicæ custodiri mandantur &c. Non poterat tamen id pervaderi Hincmaro Archi-Episcopo Rhemensi, viro in jure canonico ejus seculi versatissimo & emunctæ naris. Movebatur controversia inter Hincmarum hunc Rhemensem & nepotem ejus Hincmarum Laudunensem, quem ille educaverat, in Episcopum ordinaverat, & dehinc, quod in officio deliquisset, justâ animadversione corripuerat. Provocat hic ad Hadrianum II. Papam, qui Nicolao successerat, & scripto causam suam agit adversus avunculum, suosq; excessus autoritate Epistolarum istarum decretalium, quæ per Gallias jam disseminatæ fuerant, defendit. Sed respondet Rhemensis *in opusc. cap. 24. Si idcò talia, quæ tibi visa sunt de prafatis sententiis & sæpè memoratis epistolis, collegisti, quia forte putásti, neminem alium easdem sententias vel ipsas epistolas præter te habere, & idcirco talia liberè te existimasti posse colligere, res mira est; cum de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut & de libro collectionum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus Episcopus in hujusmodi, sicut & in capitulis regiis, studiosius obtinuit, & istas regiones ex illo repleri fecit. De cujus Isidori dicto, sed & de epistolâ Damasi, quam suæ prafationi supposuit, & collectioni præposuit, quædam possem prolixius ostendere.* &c.

XXVI. Ex his Hincmari verbis & tempus innotescit, quo primùm claruêre istæ epistolæ, & earum compilator. Dicit, collectas eas esse ab Isidoro. Sed ne Isidoro Hispalensi eas tribuas, facit præfatio decretalibus istis præmissa, in qvâ mentionem facit autor Synodi sextæ Constantinopolitanæ & Agathonis papæ. At Constantinopolitanum hoc Concilium habitum fuit anno Christi DCLXXX. & Isidorus Hispalensis diem suum obiit anno DCXXXVI. atq; ita Isidorus supra annos qvadraginta ante istud concilium inter vivos esse desiit. Qvomodo igitur Isidorus Hispalensis potuit mentionem facere Concilii, qvod longè post obitum ipsius habitum fuit? Alius igitur, necesse est, ut hîc intelligatur Isidorus. Scribit Cardinalis Baronius *in not. ad Martyrolog. ad d. 4. April.* legisse in qvodam manuscripto Exemplari, hunc Isidorum dictum esse Mercatorem, etsi in impressis exemplaribus non Mercator, sed peccator inscriptus reperiatur, secundum morem nonnullorum antiqvorum patrum, qvi ex humilitate peccatoris appellationem nomini suo adjunxerint, se verò putare, vitio amanuensium irrepsisse Mercatoris dictionem. *Sed si peccatorem se vocaverit*, inqvit Joh. Rainoldus *de libr. apocr. prælect. 179. potuit sanè meritissimè, atq; utinam*

nam peccator non fuisset; Mercatorem si se vocaverit, fuit ex illo genere qui nihil se punnt profitere posse, nisi splendidè mentiantur. In benè constitutâ Rep. Magistratus curare debet, ne in iis rebus qvæ in commercio sunt, fraus aliqva à venditoribus committatur, neve corruptæ merces pro incorruptis vendantur. Et JCtorum definitio est, eos, qvi piperi pulverem, farinæ arenam, vino calcem, butyro sevum miscent, qvi summâ parte sacci vel calathi poma decumana collocant, in imâ putria & acerba, stellionatus crimen committere & gravi animadversione dignos esse, *l. 3. §. 1. ff. de Stellionat.* Jac. Menoch *de Arb. jud. qvæst. cas. 382. n. 5.* Tabor *in racemat. tit. de crim. stell. num. 9.* Anton. Matthæ. *de crimin. tit de falsi. n. 15.* Nemo unqvam universo humano generi tàm callidè & subdolè imposuit, qvàm Mercator hic Isidorus. Rancidas & putidas suas merces, qvas ipse confecit, aliis adscribit, & sub eorum nominibus pessimus mango exponit, non animadvertens, crebras à se committi ἀνισορροπίας, innumeros παραχρονισμούς, & ex æqvabili, sed ubiq; sordidâ dictione, qvam in omnibus istis epistolis adhibuit, manifestam fieri fraudem, dum saltem inveniant Lectorem aliqvid auris habentem. Inæstimabilem eâ in re præstitit diligentiam David Blondellus *in Pseudo Isidoro*, ubi & Turrianum Jesuitam, acerrimum Isidori Hyperaspisten eleganti examine confutat, & unde Isidori merces desumptæ sint, accuratè ostendit.

XXVII. De tempore, qvo primùm luci expositæ fuerunt istæ Decretales, dicit Hincmarus, eas à Riculpho Episcopo Moguntino ex Hispaniâ primùm allatas esse. Riculphus iste vivere desiit anno post Christum natum DCCCXIV. Sed observat David Blondellus *in prolegom. ad Pseudoisidor. cap. 5.* inveniri in isto Codice epistolas qvasdam, qvæ sententias Concilii Parisiensis anno DCCCXXIX. habiti contineant, atq; hinc putat Riculpho vel integram pseudoli mercatoris collectionem vel saltem epistolas aliqvot, qvales nunc habemus, incognitas fuisse, neq; Hispanos ei aliqvid contulisse, Hincmarum verò, ulteriore veritatis inqvisitione insuper habitâ, ita credidisse. Non audet tamen Blondellus Riculphum omninò absolvere, ut maximè Benedictum Ecclesiæ Moguntinæ Levitam præcipuum fuisse dicat, qvi aut confinxerit Epistolas, aut sub incudem revocaverit, & tandem in unum corpus redegerit. Ipse Benedictus in præfatione farragini suæ præmissâ profitetur, inserta à se fuisse plurima, qvæ in Moguntiacensis Metropolis Ecclesiæ scrinio à Riculpho ejusdem sedis Metropolitano recondita & demum ab Autcario secundo ejus successore atq; consanguineo inventa fuerint. Qvicqvid verò hujus sit, in confesso est apud omnes, ex Mo-

guntinâ

guntinâ Ecclesiâ primùm prodiisse istas epistolas, & qvidem ante annum DCCCXXX. nullam earum â qvoqvam mentionem factam fuisse.

XXVIII. Simulatq; verò partus ille adulterinus in lucem editus fuit, aderant illicò, qvi eum suscipiebant, qviq; ut pro legitimo agnoscerentur, conqvisitis rationibus urgebant. Venerat jam seculum istud, qvo caput extollebat, & non Ecclesiasticam tantùm, sed civilem etiam & secularem potestatem, eamq; immensam planè nullisq; finibus limitatam & absolutissimam affectabat Pontifex Romanus. Et qvia amplificando huic dominatui maximè faciebant Decretales istæ suppositiciæ, non fovebat modò eas curia Romana, & Ecclesiæ obtrudebat, sed & pleriq; omnes, qvod oppidò pauci essent, qvi fraudem animadverterent, atq; hi nec hiscere qvidem auderent, facilè sibi imponi patiebantur. Incesebat pedetentim animos hominum barbaries qvædam & veluti stupor, qvi omnem accuratiorem latinæ dictionis & antiqvitatis tùm Ecclesiasticæ tùm politicæ cognitionem excludebat. Et ne qvidem credebant tùm illi, qvi eruditi dicebantur, cum severiori doctrina delicato sermoni convenire posse. Si qva occurrebant vel ex antiqvis moribus, vel ex prisci ævi memoria, rebusq; gestis, ea nunc omittebant fœdissimâ ignoratione, nunc ad sui seculi rationem detorta fictitiis sensibus corrumpebant. *Mirum est*, inqvit Sabellicus *Enncad. IX. lib. 1. qvanta omnium bonarum artium oblivio per id tempus mortalium animis obrepserit, ut ne in Pontificibus qvidem cæteriq; principibus qvicqvam eluceret, qvod vitam juvare posset; non salubria instituta, non templorum refectiones, non ulla pietatis exempla, non liberalium artium asseftationes, sed stupor & amentia qvædam oblivioq; morum invasesset hominum animos.* Pontifices verò id tantùm agebant, ut summos se in universo terrarum orbe, & ἀνυπεύθυνους esse omnes intelligerent, etsi delicta commisissent omnium atrocissima. *Vix ullum peccatum cogitari potest*, ait Thomas Stapletonus *relect. controv. 1. q. 5. art. 3. qvo Romana sedes turpiter maculata non fuerit, maximè ab anno octingentesimo.* Et Cardinalis Baronius, postqvam dixisset, seculo hoc nono in cathedram Petri intrusos esse homines monstruosos, vitâ turpissimos, moribus perditissimos, usqveqvaq; fœdissimos, sic tandem concludit *ad ann. DCCCCIIII. n. 4. Cæterùm cum hujusmodi invasores Sedis Apostolicæ invaluere, qvid adeò mirandum sit, si inconcessa sacris legibus ab illis tentata fuerint & usurpata? qvid minus habet alienorum invasor âgrasatore? At ab istis qvi justa legitimaq; requirat? nam tales sedis Apostolicæ invasores non Apostolicos sed apostaticos esse dicendos, ecclesiastica benè disposita censuit disciplina.* In isto corrupto & depravato rerum statu mirum non est, decretales illas Isidori epistolas maximam probandi vim accepisse, & ho-

mines arcâ caligine suffusos ac veluti infatuatos nullam de earum autoritate curam habuisse, sed cæcâ obedientia omnia & singula Romani præsulis postulata accepisse.

XXIX. Duravit iste caligantis Ecclesiæ torpor per annos quam plurimos, & fortassis ante seculum decimum quintum nemo fuit, qui veritatis radios admitteret. Interea verò in augendo jure Canonico strenuè fuit laboratum. Seculo enim undecimo circa annum MX. Burchardus Wormaciensis Episcopus novam conscripsit Canonum collectionem, quam ex seculi sui sensu μεταλλάξας variis primorum pontificum epistolis auxit, additis etiam ex Augustino, Hieronymo, Gregorio & Isidoro nonnullis sententiis. Jam enim apud omnes, & ipsos etiam Gallos, quibus ab initio suspectas fuisse dixi, antiquæ istæ receptæ fuerant Decretales. Quin & ex pœnitentialibus libellis aliqua adjecit Burchardus, quæ libro ejus decimo nono inveniuntur, sequioris scil. Ecclesiæ placita, & doctrinæ Apostolorum minus conformia. Ipsi verò purioris & antiquioris Ecclesiæ Canones quàm parum observati tùm fuerint, ex præfatione Burchardi ad Brunichonem Wormaciensis Ecclesiæ præpositum conscriptâ patet, in quâ hæc leguntur verba: *Et id quidem vel eâ ratione maximè flagitare videbaris, quod canonum jura atq; pœnitentiarum forma in nostra quidem diœcesi adeò confusa sint, atq; inter se discrepantia, ut aut ex toto neglecta, aut omni pènè auctoritate destituta, vel modicè in Ecclesiâ tuâ disciplina institutis apparere possint.*

XXX. Sumpserat sibi hactenus Episcopus Romanus ope istarum Epistolarum duo potissimum, quibus ad summitatem in rebus Ecclesiasticis sibi viam paraverat. Primò quod nullam amplius synodum, nec provincialem quidem, sine autoritate suâ cogere licebat; & deinde quod nulla synodus provincialis inconsultâ Romanâ sede causas Episcoporum criminales definire poterat. Et hâc ratione Episcopi nulli amplius Synodo provinciali aut nationali, sed ipsi Romanæ sedi immediatè subjiciebantur. Id quod materiam jurisdictionis in jure Canonico pessimè turbavit. Duo tamen adhuc obstare videbantur, quæ summitatem istam labefactabant, quibusq; abolendis & removendis omnis posthac vertebatur Pontificum cura. Primum erat, quod Episcopi noviter constituti Regibus suis, non in Germaniâ tantùm & Galliâ, sed in ipsâ etiam Italiâ sacramentum dicerent; Alterum, quod ab illis etiam investirentur. Consuetudo hæc, quæ inveterata erat, ut tolleretur, omnem movebant lapidem Pontifices. Quid enim poterat sedes Romana, si postulatis ejus objurationum Imperatori præstitum vel non patere Episcopis, vel intervenire liceret Imperatoribus? Nec

ergo

ergò summa adhuc aut absoluta dici poterat potestas, qvæ tamen ut Romanæ sedi competeret, ex re videbatur Pontificum. Duo igitur adhuc necessaria erant, ut ad *ἀκμὴν* perduci posset dominatus Papæ universalis. Primum investituræ illæ prohibendæ, & si impetrari id non posset, extorqvendæ erant Principibus. Deinde ipsi etiam principes ita subjugandi erant, ut agnoscerent, omne suum imperium & potestatem ab arbitrio dependere pontificis, & ipsius solius esse sceptra dare & adimere.

XXXI. Utrumq; hoc postulatum strenuè executus est ipso hoc seculo undecimo Gregorius VII. Papa, Hildebrandus ante hac dictus, homo vaferrimus, audacissimus, & turbando orbi Christiano natus, pestis & pernicies & Ecclesiæ & Reip. Primus ille sine consensu Imperatoris, secus ac fieri antea consveverat, Papam se constituit; primus publico decreto omnes investituras laicales proscripsit & prohibuit: primus Imperatorem excommunicavit, & imperio exuit. Qvanta verò hinc nata fuerint incendia, qvibus totum ferè occidentale Imperium conflagravit, ex historiâ ejus temporis abundè constat. De his tamen ausibus maximè gloriantur Pontificiæ sedis assentatores, & Gregorium immensis extollunt laudibus. Aggressum eum dicit Baronius *ad annum MLXXVII.* constanti animo, invictoq; planè ac sacerdotali robore controversiam, cujus causâ sciret omnes se pasturum Christianos principes adversarios. Baptista Platina *in ejus vitâ* eum dicit fuisse Deo gratum, prudentem, justum atq; unicum Ecclesiæ Romanæ fortissimum & acerrimum defensorem. Prudentiores verò qvi fuerunt, qviq; Ecclesiæ Christianæ gubernacula, qvousq; se extendant, accuratiùs examinarunt, ita de Gregorio verba fecerunt, ut facta hæc ejus minus excusari posse non obscurè innuerent. Sic enim *libro qvinto annalium* scribit Johannes Aventinus: *Hildebrandus, qui & Gregorius VII. primus imperium Pontificium condidit, quod successores per qvadringentos qvinqvaginta continentes annos, invito mundo, invitis imperatoribus adeò duxere, ut inferos superos in servitutem redegerint atq; sub jugum miserint, atq; cuncta fulmine perterritent Ubicunq; libet, de cœlo ad inferos præcipitant, rursus ex inferno ad astra tollunt. Jam Imperator Romanus nihil amplius appellatio modo est, sine corpore, sine specie.* Et Johannes Trithemius Abbas Spanhemensis *in Chronico Hirsaug. ann MCVI.* hæc habet verba: *Ipse primus est inter omnes Imperatores per Papam depositus. Scholastici certant & adhuc sub judice lis est, utrum Papa Imperatorem possit deponere. Quam qvæstionem, cum ad nos non pertineat, inde curiosam relinqvamus.* At putabam ego, sufficienter jam eam controversiam ipso

hoc

hoc Gregorii facto decisam esse, ut adeò videatur mihi Trithemius de Gregorii infallibilitate & hujus facti justitiâ dubitasse. Pari modo Sigebertus Monachus Gemblacensis, Hildebrandi coætaneus, vir iis temporibus eruditus & judicio pollens, doctrinam istam novitatem & hæresin appellat. Et Leodiensis Ecclesia *novellam traditionem*, & porrò, *Hildebrandus*, inqvit, *primus se & exemplo suo alios Pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli, primus levavit lanceam sacerdotalem adversus diadema regni.* Cumq; non haberet Episcopus tùm temporis Metensis, qvo excusare & probare illam Papæ sublimitatem posset, *postulavit* ab ipso Hildebrando *scriptis juvari & præmuniri contra illorum*, ut loqvitur, *insaniam, qvi garriunt, auctoritatem sanctæ Apostolicæ sedis non potuisse Regem Henricum excommunicare, nec qvenqvam a Sacramento fidelitatis ejus absolvere.*

XXXII. Ut verò clarius constet, qvanta per hunc Gregorium tàm in Ecclesiâ, qvàm Republicâ contigerit mutatio, adscribam verba Onuphrii Panvinii, qvæ leguntur *in descript. vit. Greg. VII. Hucusq;*, inqvit ille, *cum omnes Latinæ Ecclesiæ, tùm præcipuè Romana acceptum referre debet, qvod liberata sit & ab Imperatorum manu eruta, qvod tot divitiis, opibus & prophanâ ditione locupletata; qvod Regibus, Imperatoribus, Christianis Principibus sit præfecta: à qvo postremo, ut omnia verbo uno complectar, maximus iste eximiusq; status, in qvo Ecclesia Romana est omnium Christianorum domina; cum antea tanqvam vilis ancilla non ab Imperatoribus modo, sed à qvovis principe Romani Imperatoris præsidiis fulto, premeretur: ab hoc maximè illius & omni seculo tremendæ venerandæq; Romani Pontificis & infinitæ penè potestatis jus manavit. Nam etsi antè Romani Pontifices, tanqvam Religionis Christianæ capita, Christiq; Vicarii & Petri successores colerentur; non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur, qvàm in fidei dogmatibus vel asserendis vel tuendis. Cæterùm Imperatoribus suberant; ad eorum nutum omnia fiebant: abeis creabantur: de eis judicare vel qvicqvam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Normannorum fretus, opibus Comitissæ Mathildis mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiaq; Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem contemptâ Imperatoris auctoritate & potestate, cum summum Pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum (à qvo si non electus, saltem confirmatus fuerat) non modò excommunicare, sed etiam regno imperioq; privare ausus est. Res ante ea secula inaudita. Nam fabulas qvæ de Arcadio, Anastasio & Leone Isaurico circumferuntur, nihil moror. Unde Otto Frisingensis horum temporum Scriptor: Lego, inqvit, & relego Romanorum*

Regum

Regum & Pontificum gesta, & nunquam invenio aliquem eorum ante hunc Henricum à Romano Pontifice excommunicatum vel regno privatum &c.

XXXIII. Mutato rerum statu, novæ conscribendæ erant Leges, statui novo accommodatæ. Propter Ecclesiam enim qvia canones constituti sunt, facile intelligere licet pro diversâ rerum & temporum conditione ipsos qvoqi mutari oportere. Nec igitur ex Gregorii sententia servari poterant aut debebant ulterius de investituris, de principum in Clericos jurisdictione, de ipsius Pontificis Romani constitutione qvæ hactenus prodierant constitutiones aut pacta conventa. Sed illa omnia nunc abolenda, & ab Ecclesiâ rerum omnium tàm spiritualium & Ecclesiasticarum, qvàm temporalium nunc dominâ leges audiendæ erant non humilitatem amplius sed sublimitatem spirantes. Ipse igitur Gregorius *in media quadragesimâ*, sunt verba ejusdem Onuphrii Panvinii *à I. Romæ in Basilicâ Lateranensi, qvæ Constantiniana appellatur, primo synodum generalem multorum Episcoporum, Abbatum & aliorum Prælatorum congregavit; in qvâ circa XXX. edidit capitula seu canones, qvos DICTATUS appellavit: qvorum major pars antea parum in usu fuerat, & à nemine prædecessorum suorum unqvam attentata: verùm ad firmissimum Ecclesiæ statum faciendum & ad omnia tentanda, qvæ animo agitabat, idonea.* Dictatûs istos recenset Baronius *ad annum MLXXVI. num. 31.* qvo anno eos putat esse editos; sed Onuphrius conjicit in annum MLXXIV. Et qvia ex illis primo intuitu patet, qvantum tunc juri Canonico vel additum vel detractum fuerit, ordine hic eos adscribam. Sunt autem numero XXVII.

Qvod Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata.

Qvod solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis.

Qvod ille solus possit deponere Episcopos vel reconciliare.

Qvod Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in concilio, etiam inferioris gradus & adversus eos sententiam depositionis possit dare.

Qvod absentes Papa possit deponere.

Qvod cum excommunicatis ab illo, inter cætera, nec in eâdem domo debemus permanere.

Qvod illi soli licet pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare, de canonicâ Abbatiam facere, & è contra, divitem Episcopatum dividere, & inopes unire.

Qvod solus possit uti Imperialibus insignibus.

Qvod solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur.

Qvod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur.

Qvod unicum est nomen in mundo, Papa videlicet.

Qvod illi liceat Imperatores deponere.

Qvod illi liceat de sede ad sedem necessitate cogente Episcopos transmutare

Qvod de omni Ecclesiâ, qvocunq; voluerit, Clericum valeat ordinare.

Qvod ab illo ordinatus alii Ecclesiæ præesse potest, sed non militare; & qvod ab aliqvo Episcopo non debet superiorem gradum accipere.

Qvod nulla synodus absq; præcepto ejus debet Generalis vocari.

Qvod nullum capitulum, nullius liber Canonicus habeatur absq; illius autoritate.

Qvod sententia illius â nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit.

Qvod â nemine ipse judicari debeat.

Qvod nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellantem.

Qvod majores causæ cujuscunq; Ecclesiæ ad eum referri debeant.

Qvod Romana Ecclesia nunqvam erravit, nec in perpetuum, Scripturâ teste, errabit.

Qvod Romanus Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus, testante sancto Ennodio Papiensi Episcopo & multis sanctis Patribus faventibus, sicut in decretis beati Symmachi Papæ continetur.

Qvod illius præcepto & licentiâ subjectis liceat accusare.

Qvod absq; synodali conventu possit Episcopos deponere & reconciliare.

Qvod catholicus non habeatur, qvi non concordat Romanæ Ecclesiæ.

Qvod a fidelitate iniqvorum subjectos potest absolvere.

Hi sunt illi novi Dictatoris verè tyrannici DICTATUS, universo orbi formidabiles. Fastigium jam tùm tenebant Pontifices summæ in rebus spiritualibus potentiæ, sed parum hoc ipsis videbatur & fortunam suam deplorare poterant, nisi de capitibus Imperatorum, Regum ac principum omnium tàm liberè possent statuere, qvam poterant de statu & fortunis suorum Clericorum pro lubitu disponere. Etsi igitur dictatuum illorum materia ab anterioribus etiam Pontificibus mente agitata fortè fuerit, ante Hildebrandum tamen nemo tam audax fuit, ut apertè eam profiteri & publicè proponere intenderet. Vid. Isaac. Casaubon *exercitat.* 15. *n.* 15.

XXXV. His verò sententiis atq; decretis jus Canonicum in occidentali tantum Ecclesiâ auctum fuit, qvippe qvæ sola magnum illud Pontificis Romani subiit. Et hinc meritò jus Canonicum JURIS PONTIFICII nomen, qvod illi vulgare hodiè est, sustinet. Græca enim & Orientales Ecclesiæ adigi huc nunqvam potuerunt, ut eundem cum occi-

occidentalibus statuerent Episcopi Romani primatum. Etqvanqvam tùm Leo Allatius, tùm ante eum Petrus Arcudius multa de Ecclesiæ occidentalis atq; orientalis perpetuâ consensione magnificè prædicent; negare tamen neqvit ipse Allatius, Græcos semper fuisse detestatos hanc de primatu Papæ doctrinam. Imò verò acutiorum qvorundam sententia est, Allatium per integrum opus nihil aliud egisse, qvam ut utriusq; Ecclesiæ perpetua dissidia illustrius ob oculos poneret, magisq; ea conspicua redderet. Talis ergò cum esset status Ecclesiæ Latinæ, non immeritò Græci suos retinebant codices canonum, & videtur inprimis apud eos in usu tùm fuisse Photii Patriarchæ Nomocanon supra, à nobis laudatus qvem proinde seculo duodecimo circa annum Christi MCXVIII. Johannes Zonaras Monachus Græcus, & circa annum MCXC. Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus commentariis illustrarunt.

XXXV. Hujus Nomocanonis usus in Oriente excitavit Ivonem Carnotensem in Gallis Episcopum, ut & ipse simile scribendi genus aggrederetur, & cum canonibus leges civiles Romanas, qvæ tùm qvidem parum in usu erant, jungeret. Ei aliàs duo adscribuntur volumina, alterum qvod Decretum dicitur, idq; uberius est & prolixius, alterum qvod vocat Panormiam, rectius παντομίαν, qvod alterius qvasi Epitome qvædam est. Ultimum hoc negat esse Ivonis Bellarminus *de scriptor. Eccles. sub vocab. Ivonis & sub vocab. Gratiani*, & Ivonem facit Sigeberto anteriorem, ne utriusq; consensus sibi objici qveat, qvod scil. uterq; canones istos, qvi apud Gratianum inveniuntur *c. 22. & 23. dist. 63.* eodem modo recenseat, ideoq; dicit, canones istos à Sigeberto esse confictos, Panomiam autem non esse Ivonis, sed autorem ejus recentiorem esse, Ivoni autem ideò adscribi, qvia maximam partem ex decreto Ivonis sit composita: Referri autem in eâ multa etiam Innocentii secundi decreta, qvi tamen Ivone fuerit posterior. De canonibus illis à Gratiano adductis nolo jam litem movere, qvod jam satis eos vindicaverit Dn. Conring *de German. Imp. Rom. cap. 6. & in exercitat. de constitut. Episcopor. Germ. n. 27.* Id tantùm nunc urgeo, nondum probasse Bellarminum, Innocentium II. & Sigebertum Ivone esse posteriores atq; recentiores. Dicit Ivonem vixisse ad annum usq; millesimum centesimum decimum qvartum. Sed neq; hoc qvidem probat. Certè Antonius Contius JCtus celeberrimus, dum verba facit de iis, qvi ante Gratianum canones Ecclesiasticos collegerunt, dicit, Ivonem utrumq; volumen scripsisse circa annum Christi MCXXXVI. At Innocentius II. Papa factus est anno MCXXX. & Sigebertus Gemblacensis

censis ex ipsius Bellarmini sententiâ obiit tempore Paschalis secundi circa annum Domini MCXII. Potuerunt ergò ab Ivone & Innocentii II. decreta & Sigeberti historiæ adduci. De utroq; hoc Ivonis volumine ita porrò Contius: *Secutus est ipso*, inqvit, *Episcopus Carnotensis, qui in certos quidem locos & titulos illos canones ab Isidoro & Burchardo editos congessit; sed multitatamen simultia, multa inter se pugnantia in suum librum transtulit, & librum suum Pannomiam inscripsit. Caterum duplex extat volumen hoc titulo insignitum reperi. Unum maius & magnitudine sua longè excedens Gratianum volumen, quod ex Bibliotheca S. Victoris Parisiensis nobis aliquando communicatum est. Huic voluminis inscriptum titulum hunc invenimus, DECRETA JOVINIANI. Verum hanc inscriptionem falsam esse puto, & ignorantiâ librariorum adscriptam, cùm eadem illic sit præfatio, quæ apud Ivonem in minore volumine Pannomiæ, & idem ferè ordo, nisi quod illud volumen multo plures habet partes, & titulos, & canones, in septendecim quippe partes divisum. Aliud verò minus volumen, quod & in eâdem Bibliothecâ extat, & passim in aliis, cujus etiam manuscriptum exemplar nobis comparavimus (nam & olim in Germaniâ impressum est sed mendosissimum) in septem duntaxat partes est divisum. Inscribitur autem hoc volumen in prædictâ Bibliothecâ DECRETA PARVA IVONIS.* Hactenus Contius. Non dubito plura ab eodem notata fuisse in præfatione, quam præmittere voluit editioni juris Canonici, sed qvæ injuriâ maleferiatorum censorum resecta & abolita est, de qvâ re videri potest Johannes Rainoldus *in colloq. cum Hart. cap. 8. sect. 3.*

XXXVI. Recensuimus hactenus, qvid qvantumq; in jure Canonico vel concinnando vel augendo & explicando ad seculum usq; duodecimum â Collectoribus præstitum fuerit. Dubium autem non est, posteriores Scriptores â seculo potissimum nono in occidentali Ecclesiâ, fictitiis istis Decretalibus sæpenumerò seductos & deceptos fuisse; neq; hinc verum & genuinum eorum canonum, qvi â puriore Ecclesiâ editi sunt, sensum percipere semper potuisse. Etsi verò omnes sedulam navaverint operam, & communi utilitati inservire contenderint; omnium tamen eorum luminibus ipso hoc seculo duodecimo, obstruxit GRATIANUS patriâ Hetruscus, Monachus Benedictinus, qvi circa annum MCL. cum animadvertisset, nunc supervacua, nunc etiam contraria in collectionibus hactenus editis sæpiuscule inveniri, ipse, ut sub nitidiore methodo juris canonici corpus proferret & contrarietas omnis tolleretur, novum compilavit volumen, qvod CONCORDIAM DISCORDANTIUM CANONUM inscripsit, idcò sc. qvod dissidentes

tes inter se canones ipse interpositâ suâ Epicrisi & responsione conciliaverit. Cui instituto ansam videtur præbuisse Ivo, de qvo modò dixi, in præfatione suâ, dum certas aliqvas præscribit regulas, secundum qvas conciliari possint canones discordantes. Eam igitur provinciam sibi relictam putavit, & pertinaci studio aggressus est Gratianus. Neq; planè insubida est conjectura Bellarmini, qvando eum integros XXIV. annos (ab anno scil. MCXXVII. qvo Trithemius eum scripsisse ait, ad annum MCLI qvod alii volunt) in opere hoc conficiendo consumpsisse colligit. *lib. de Script. Eccles.*

XXXVII. Ferunt vulgò, Gratianum hunc, & Petrum Lombardum, qvi Magister sententiarum dictus est, & Petrum Comestorem *Historiæ Scholasticæ* autorem fratres Germanos fuisse, eosq; tergeminos & spurios aut adulterinos. Qvam qvidem sententiam ex eo falsitatis convincere nititur autor, qvi vitam Gratiani conscripsit, qvod diversis temporibus illi claruerint, Gratianus scil. sub Henrico qvarto anno Christi MCXX, Petrus verò Lombardus sub Conrado III. Imp. anno MCXL, & Petrus Comestor sub Friderico I. Imp. anno MCLX. Sed enim, qvod citius aut serius alter altero inclaruerit, non facit ad probandam natalium integritatem, præsertim cum claritudinis adeptæ differentia spatio sexaginta annorum, qvod hominis ætas sæpenumero superat, circumscribatur. Magis urget, qvod ex patriæ diversitate argumentum petunt Bellarminus *d. l.* & Cardinalis Baronius *ad ann. MCLXIV. n. 15.* Gratianum scil. Hetruscum fuisse ex Clusio civitate, Petrum Lombardum ex Novariâ, Petrum Comestorem, Gallum ex Trecis, sive Trecensem. Sed & hoc argumentum illud tantùm probat, non fuisse fratres istos tergeminos uno puerperio natos, propterea tamen non seqvitur, non fuisse eos spurios aut adulterinos, cùm utiq; diversis temporibus & in pluribus locis adulterium â matre committi potuerit. Ego, cùm non constet, unde fabula illa primùm exorta fuerit, nec tamen satisfaciant argumenta, qvibus ea confutari solet, totum hoc negocium cum pluribus aliis Pontificiis Scriptoribus suo loco relinqvo.

XXXVIII. Cæterùm totum hoc Gratiani volumen ex Conciliorum Canonibus, Pontificum epistolis decretalibus, Patrum & Doctorum Ecclesiæ traditis, & ipsis denique legibus Romanorum Imperatorum civilibus compositum, in qvamplurimas partes, qvæ distinctionum, causarum & qvæstionum nomine veniunt, divisum est. Neq; nego, insignem ab eo navatam industriam. Majorem tamen sine du-

bio gratiam retulisset, si apocryphis & supposititiis scriptis abstinuisset, nec in gratiam Pontificis verba & sententias autorum corrupisset. Nec enim tanta ipsi potestas concessa fuit, qvantam ab Imperatore Justiniano in concinnandis juris civilis Pandectis accepit Tribonianus. Nec, si accepisset, uti eâ sine crimine potuisset, cum nec concessa qvidem sine crimine fuisset. Leges figi & refigi, corrigi, emendari & suppleri possunt, nec qvidqvam interest Reip. nosse, qvid olim obtinuerit, nisi qvatenus ex antiqvis legibus casus decidendus fuerit. Sed interest Ecclesiæ, perpetuam cum veteri Ecclesiâ retinere conformitatem, & hinc nosse, qvæ olim publicè proposita fuerit doctrina, qvæ servata morum disciplina. Neq; igitur canones ut leges corrigi possunt, ut novâ interpolatione veteris Ecclesiæ statum mentiantur. Qvin & alibi sæpè negligentior fuit, & in inscriptionibus textuum nunc nomina commutat, nunc substituit alia, canones ipsos vacanter sæpè accumulat & inaniter, nec attendens seculi sui mores eos adducit alicubi, qvi ex veteri disciplinâ sui temporis statui Ecclesiastico prorsus repugnant. Ut in compendium contraham, qvicqvid ab eo vel commissum vel omissum fuit, adscribam verba Antonii Augustini *ex dial. d. emendatione Gratiani pag. 5. Sæpè*, inqvit, *errat um esse videmus in nominibus hominum, urbium, provinciarum, Conciliorum & aliarum rerum: sæpe falsæ sunt inscriptiones, & qvæ sunt conciliorum, Pontificum maximorum esse dicuntur, aut qvæ sunt unius Episcopi inferioris, Romano Pontifici aut Concilio generali vel provincia'i tribuuntur. Ex hoc genere sunt illa, qvæ ex concilio Martini Papæ aut Hadriani Papæ sumpta esse feruntur, qvæ vel Martino Bracarensi & Græcis concilius, vel Engelramo Episcopo, vel Hadriano ad Engelramum inscribi debuerunt. Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini, vel Hieronymi verba esse dicuntur, qvæ aut nusqvam extant, aut aliena sunt. Illa qvoq; ipsa, qvæ inscriptiones habent veras, non rectè referuntur. Sæpè enim contrarias sententias referri scimus, sæpè valdè præcisus. Jam vero qvæ ex Græcis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferuntur, qvasi sint aliorum scriptorum, ac sæpè aliud Græcè, aliud Latinè sonant.* Qvæ omnia plenius explicat idem Antonius Augustinus per totum librum primum. Hæc verò & alia faciunt, ut passim ab autoribus erroris convincatur Gratianus, etiam illis, qvi insigni cum elogio ejus opus commendant. Vid. Didac. Covarruv. *l. 4. resol cap. 12. 13. 14.* Bellarmin. *de script. Eccles. vos. Gratian.* Didacus Spino à Caceres *in spec. test. am. g os. rubr. p. 12. n. 13.* Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. l. 6. c. 5. n. 80* Carol. Molinæ *ad tit Cod. de summ. Trin.* Paul. Laymann. *theol. moral. lib. 1. tr. 4. c. 6. §. 3. n. 11.*

XXXIX.

XXXIX. Vitio & illud vertit Gratiano Didacus Covarruvias *lib. 2. resolut. cap. 14. n. 4.* qvod in adducendis legibus Romanis non usus fuerit Codice Theodosiano, qvi tamen maximè tùm inclaruerat, sed Aniani interpretationibus. Factum tamen id vitio potiùs seculi dicendum est, qvod librarii nonnulli tum temporis solas eas interpretationes exscriberent, & his etiam subscriptiones ipsarum legum seu notas temporis adjicerent. Ex qvo deinceps invaluit, ut nomine Codicis legumq; Theodosianarum breviarium hoc & interpretationes venirent. Vid. Jacobus Gothofred. *in prolegom. ad Cod. Theodos. cap. 6.* qvi & *cap. 5.* ostendit non ipsum Anianum Breviarii illius autorem esse, sed Recognitorem tantùm & Subscriptorem ad mandatum scil. Alarici Regis, qvi subscriptionem ideò fieri voluit, ne variatio aliqva accideret. Excusari igitur hic Gratiani error utcunq; posset, dum in aliis, qvæ majoris momenti sunt, & in qvibus Ecclesia magis læditur, fidem integriorem servasset. Sed enim ea est totius voluminis conditio, ut nisi unaqvæq; particula ad principia sua revocetur, & de principiorum qvoq; autoritate examen ante omnia instituatur, nihil vel asserere vel probare inde liqvidò liceat.

XL. His tamen neqvicqvam obstantibus, solus obtinuit Gratianus, ut publicè in gymnasiis prælegeretur, & multorum doctissimorum commentariis illustraretur, uti ait Bellarminus *lib. de Script. Eccles.* Qvi vitam Gratiani conscripsit, ait, Eugenium tertium hoc opus adprobasse & legendum publicis gymnasiis concessisse. Sed de hoc pleriq; omnes hodiè dubitant Canonistæ; imò factum negant, atqs idcircò de autoritate hujus operis sæpè qvæstionem movent. Vid. Boëtius Epo *lib. 2. de jur. sacr. num. 135.* Et qvidem de eo inprimis disceptatur, utrum vim legis habeant ea, qvæ â Gratiano huic operi inserta sunt. Abbas Panormitanus multum eis tribuit *in c. 2. X. de rescript.* *Sed ego dico*, inqvit, *ex qvo ille liber communiter & à multis annis circa fuit publicè lectus in scholis, & ipsius dicta communiter recepta sunt, hodiè tacitè approbata & per omnes recipienda.* Eum seqvitur Robertus Maranta *de ord. judicior. part. 3. num. 34.* *Qvicqvid sit*, inqvit, *qvia est communiter approbatus à populo, & publicè legitur in scholis, sicut alii libri authentici, ex hoc censetur authenticus & facit plenam fidem.* Seqvitur etiam Andreas Vallensis *in paratit. l. proœm. §. 8 n. 12.* & alii plures; sed nemo tamen horum Decreto Gratiani vim legis tribuere audet. Nec enim plus dicit Panormitanus, qvàm recipiendum id esse; nec plus Maranta, qvàm qvod plenam fidem faciat. At hinc non seqvitur: Ergo etiam vim

vim legis habet. Confidentior tamen idem Vallensis *d. l.* hæc addit verba: *Cumq; Gregorius XIII. summus Pont. sex reliquis partibus juris illud annumeraverit, atq; adeò recognosci, corrigi ac repurgari & restitui mandaverit, non est, quod in hâc parte amplius laboremus.* Videtur hic Vallensis eandem autoritatem Decreto tribuere, qvam habent reliqvæ partes juris Canonici, ideò qvod Papa illud iis annumeraverit. Positâ hâc ejus thesi, non capio, qvid sibi velint verba ejus immediatè seqventia: *Modò tamen singula, qvæ in eo comprehensa sunt, ad suos fontes & origines revocentur, eò qvod ratione autorum, è qvibus Decreta desumuntur, major vel minor sit eorum autoritas.* Non constat sibi Vallensis. Si qvod modò dixit, nunc destruit. Si enim autoritatem accepit Decretum Gratiani ex eo, qvod reliqvis juris partibus â Papa annumeratum fuerit, qvid opus erit ulteriori inqvisitione, qvalem autoritatem habuerint autores, è qvorum scriptis decreta desumpta fuerunt. Videtur mihi Canonistæ vim legis tribuere velle decreto, nisi inessent, qvæ Papæ sui autoritatem imminuerent.

XLI. Paulus Laymannus *lib. 1. theol. moral. tract. 4. cap. 6. §. 3. num. 12.* Decretum Gratiani videtur referre ad jus consvetudinarium. Verba ejus hæc sunt: *Dicta verò sanctorum Patrum, ipsiusq; Gratiani ac Paleæ, qvæ Ecclesiasticis regulis bonisq; moribus non repugnant, licet per se nullam juris autoritatem habeant (cum in jure condendo, causisq; definiendis non sola scientia, sed magis etiam potestas necessaria sit juxta c. 1. d. 20.) nihilominus consvetudo obtinuit, ut in externo foro etiam illa ad causarum decisionem inserviant.* Non negat Laymannus Decretum juris autoritatem habere, accepisse autem eam dicit ex consvetudine. At etiam hoc negat Franciscus Svarez *de leg. b. lib. 4 cap. 5. n. 7. Consvetudo*, inqvit, *qvam allegant, non est in eo sensu juxta conceptum communem sapientum introducta.* Cui adstipulatur H. Zoes. *in præfat. comment. ad Decretal. n. 10.* Statuit verò ipse etiam Laymannus, non omnes canones sive capitula decreti Pontificii vel Ecclesiastici juris autoritatem habere, sed singula ad propriam originem revocari debere. Qvo posito, ex consvetudine juris autoritas ei conciliari minimè poterit, cum jus ex consvetudine ortum in suâ principia resolvi & ex iis examinari planè inconveniens sit, & juri, qvod ad decisionem causarum adhibetur, adversum.

XLII. Augustinus Barbosa *ad proœm. Decret. num. 6.* qvatuor facit species & ordines eorum, qvæ in decreto Gratiani habentur. *Primum* dicit esse sanctorum Patrum, qvorum testimonio usus fuerit Gratianus.

tiànus. *Secundum* dicit esse autoritatem ipsius Gratiani, qvi suam sæpè addidit sententiam. *Tertium* cujusdam Palex, & *qvartum* autoritatem legum civilium. Didicit Barbosa istos ordines ab Roberto Maranta, *ex part. 3. de ordin. judicior. num. 35. seq.* qvi eandem facit distinctionem. Sed uterq; meo judicio vel addere debuisset ordinem *qvintum*, Patrum scil. in concilio congregatorum, vel primum saltem secare & subdistingvere in duos â se invicem diversos, ita ut alia sit autoritas Patris privatim scribentis, alia Patrum unitorum in concilio & communi suffragio decreta & canones conficientium. Ex utrisq; enim refertum est Decretum Gratiani, & de utrisq; diversimodè est respondendum, si scil. seorsim non attentâ Gratiani compilatione decidenda res fuerit. Gratiani enim collectio nihil qvicqvam facit ad autoritatem alicui dicto comparandam. Et hinc in genere ad qvæstionem propositam responderi potest, collecta â Gratiano, qvatenus ab eo collecta & in unum volumen compacta sunt, nullam vim legis habere. Rectè Petrus de Marcâ *de concord. sacerdot. & imp. lib. 3. cap. 6. n. 2. cum Gratiani collectio privato studio instituta sit, qvæ refert auctorum testimonia, non majore pollent autoritate, qvàm antea obtinebant.* Sed qvia cum Augustino Barbosa agere cœpimus, operæ precium erit, de singulis ordinibus ut aliqva hîc adjiciamus.

XLIII. Ad primum ordinem refert Barbosa dicta Patrum, canones Conciliorum, & decreta summorum Pontificum. Dixi, de primis duobus diversimodè esse respondendum, cumq; etiam decreta Pontificum nunc adjiciantur, etiam de his aliter decidenda erit qvæstio. De dictis Patrum ait Barbosa, etsi ea ex se vim canonum non habeant ad causas decidendas, ex longâ tamen Ecclesiæ consvetudine sic acceptantis & publicè legi volumen hoc Decreti permittentis, ea robur statuti Canonici obtinere, dummodo in contrarium aliqva Pontificia dispositio non appareat. Sententia hæc nihil differt ab eâ, qvam nuper ex Laymanni theologia morali recensuimus, nisi qvod haud paulo confidentius asserat, dicta Patrum robur statuti Canonici obtinere. Cumq; ad consvetudinem confugiat Barbosa, repetenda hîc erunt verba Svarezi, consvetudinè talem planè non admittentis, qvæ supra adduximus. Addemus ad meliorem explicationem ex eodem Svarezii *lib 4. cap. 5. num. 6. & 7.* verba adhuc alia, qvæ ita habent: *Dicendum est, sententias seu dicta sanctorum per se & qvatenus nituntur autoritate eorum, non habere vim legis. Et ratio est, qvia lex non est actu doctrina tantùm, sed potestatis. Sancti autem Patres non habebant potestatem hanc, neq; etiam hâc intentione talia scripta tradebant. Dixi autem per se & qvatenus eorum autoritate nituntur, qvia interdum ipsi testificantur de præcepto vel â Chri-*

Digitized by Google

ſto vel ab Apoſtolis tradito, vel Eccleſiæ traditione introducto, & nunc ex illis colligitur præceptum tanqvam ex teſtibus, non tanqvam ab auctoribus. Unde juxta modum, qvo de re aliqvâ ſeu obligatione teſtificantur, & juxta majorem vel minorem conſenſum Sanctorum inter ſe, eo majorem vel minorem fidem efficiunt. Addo præterea, ſententias Patrum non accipere vim legis, eò qvod â Gratiano inſuo Decreto inſertæ ſint, niſi ab aliqvo Pontifice fuerint canonizatæ, ut inter Decretales aliqvando inveniuntur. Ratio eſt, qvia nec Gratianus habuit poteſtatem dandi vim legum, neq; Pont: fex aliqvis pro legibus approbavit omnia, qvæ in illo decreto continentur. &c. De his igitur Patrum dictis non aliter ſentiendum eſt, qvàm ipſimet voluerunt, & exemplo ſuo præiverunt. *Noli meis literis*, inqvit Auguſtinus apud ipſum Gratianum *c. 3. diſt. 9. qvaſi Canonicis ſcripturis deſervire.* Et porrò *c. ego ſolis diſt. ead. Alios ita lego, ut, qvantâlibet ſanctitate qvantave doctrinâ polleant, non ideò verum putem, qvia ipſi ita ſenſerunt, ſed qvia mihi per alios auctores vel canonicas vel probabiles rationes, qvod à vero non abhorret, perſvadere potuerunt.* Conf. *can. ſeqq. ejuſd. diſt.*

XLIV. De conciliorum canonibus & ſummorum Pontificum decretis â Gratiano relatis dicit Barboſa, neceſſariam ea habere obſervantiam, eò qvod ab habentibus poteſtatem ſint condita. Ratio hæc ſupponit, qvod orthodoxa ſemper negavit Eccleſia. Concilia enim nullam habent ex ſe poteſtatem νομοθετικὴν, & Patres in illis congregati judicium tantùm habent directivum aut declarativum rerum credendarum aut agendarum, non habent ſimul poteſtatem præſcribendi per modum Legis. Niſi igitur Principis accederit autoritas & mandatum, non aliter valebit, qvod ita concluſum eſt, qvàm pactum aliqvod ex conventione reſultans. Qvin & canones â Principe confirmati non aliter recipiendi ſunt, qvàm ſub iſtâ qvalitate, ſi verbo Dei non repugnent, nec ſub aliâ qvalitate Princeps eos confirmare debet. Propoſito igitur Canone aliqvo in Concilio qvocunq; condito, ante omnia diſpiciendum erit de autoritate ipſius concilii, tùm etiam de conformitate canonis cum Scripturâ Sacrâ. Ultimum hoc ipſe obſervavit Gratianus *c. placuit 36. q. 2.* Poſtqvam enim canonem concilii Aqvisgranenſis adduxiſſet, mox ſubjungit: *Hæc auctoritas non præjudicat auctoritati Hieronymi, maximè cum illa teſtimonio divinæ legis nitatur.* Propter autoritatem igitur ſacræ Scripturæ præfert Gratianus ſententiam Doctoris particularis ei conformem integro Concilio. De Epiſtolis verò decretalibus & reſponſis ſummorum Pontificum, qvatenus Pontifices ſunt, minus dubium eſt, non habere ea vim legis. Præſupponit enim

Barboſa

Barbosa dominatum Papæ universalem, qvem dum ei negamus, facilè concident omnia, qvæ ex isto dominatu ortum trahunt. Rectius docet Augustinus apud Gratianum *c. qvis nesciat dist. 9. Episcoporum literas, qvæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur: & per sermonem fortè sapientiorem in eâ re cujuslibet peritioris & per aliorum Episcoporum gmviorem auctoritatem, doctiorumq; prudentiam & per concilia licere reprehendi, si qvid in eis forte à veritate deviatum est.*

XLV. Pergimus cum Barbosâ ad ipsius Gratiani verba intercalaria: *Secunda species*, inqvit, *est autoritas ipsius Gratiani compilatoris hujus voluminis, qvæ á nullo hactenus Pontifice reperitur approbata, nec est authentica.* Rectè asseritur, Gratiani dicta non esse authentica, qvia scil. destitutus fuit autoritate publicâ. Approbationem enim Pontificis, qvam desiderat Barbosa, non majoris facimus, qvam alterius cujuscunq; Episcopi aut ArchiEpiscopi approbationem. Id tamen miror, qvî fiat, qvod non eandem autoritatem Barbosa verbis Gratiani tribuat, qvam tribuit Patribus Ecclesiæ aliis. Dixit supra, dicta Patrum ex longâ Ecclesiæ consvetudine publicè legi volumen hoc permittentis, robur statuti Canonici obtinere. Qvidnî igitur idem robur habeant verba Gratiani, cum & ista publicè legi permittat Ecclesia? Sed in thesi tamen cum Barbosâ convenimus, non esse scil. authentica dicta Gratiani. Interim verò non rejicimus testimonium ejus historicum, qvatenus facit ad cognitionem doctrinæ eo tempore publicè in Ecclesiâ traditæ. Verosimile enim est, Gratianum benè novisse, qvid suâ ætate in capitibus fidei & disciplinâ morum statuerit Ecclesia, & hinc non privatam sed publicam de rebus religionis retulisse sententiam.

XLVI. De *palea*, cui tertium ordinem inter contenta Decreti assignavit Barbosa, multa adhuc existit dubitatio, qvid sibi id vocabulum, qvo plurima capitula insignita sunt, velit. Jacobus Cujacius *ad c. 1. X. de desponsat. imp.* hæc notat: *Palea nomine qvidam significari putant, qvod cassum est & irritum, ut cassa palearum dixit Solinus in India. Itaq; paleam dici per contemptum canonem nullius fidei vel autoritatis, ut apud Johannem Cremonensem ad Abbatem Urspergensem Imperator Fridericus, qvi Alexandro III. valdè infensus erat, post Alexandriam conditam in Liguria de nomine Alexandri III, eam paleam vocat, qvasi factam ex cassis palearum, ex stramine. Eqvidem verius puto, hoc nomen præponi antiqvioribus canonibus & decretis, & scribi debere cum diphthongo, palea, qvia & in Basilicis sæpè video παλαιὸν nominari simpliciter antiqvum Interpretem &c.* Antonius Contius verò *ad c. 2. dist. 5.* in aliam planè discedit sententiam. Ejus

verba hæc ſunt: *Cur hoc & plerq; capita ſic inſcribantur, ſæpè etiam inter doctos dubitari animadverti. Qvi rectius ſentire & ſapere exiſtimantur, qvaſi* παλαιὸν *i. e. antiqva nuncupata volunt. Ego autem paleam inſcribi hoc caput exiſtimo, & cætera ſimilia, qvia additicia ſunt, nec â Gratiano primitus huic libro inſerta, ſed ab interpretibus, prout cuiq; commodum videbatur, ad marginem Gratiani adſcripta, & plerumq; in emendatioribus & antiqvioribus exemplaribus prorſus omiſſa. Cui rei fidem facit antiqvum Gratiani exemplar, qvo in hoc emendando uſus ſum, in qvo pleræq; ejusdem paleæ deſunt.* Robertus verò Maranta *d. l.* & Antonius Auguſtinus *in præfat. antiq. collect.* putant, Paleam fuiſſe diſcipulum Gratiani, qvi iſta de ſuo addiderit capitula. Qvi decreto Gratiani ſub Gregorio XIII. recognito admonitionem ad lectorem præmiſit, ex collatione exemplarium qvid obſervaverit, qvidq; ſibi exinde viſum ſit, ſeqventibus exponit verbis: *In tribus, qvæ ſunt antiqviſſima & videntur ſcripta paulo poſt Gratiani ætatem, paucissima ex hujusmodi capitibus habentur. In uno valdè emendato ſunt appoſita in margine ſine ullâ notâ, ſed non omnia, qvæ in impreſſis: qvamvis vicuſim in illo additiones aliqvæ ſint, qvæ in his non habentur. In alio literis perantiqvis deſcripto Paleæ ipſæ recentiori ſcriptum toti volumini præponuntur. In cæteris habentur aut omnes aut pleræq;: & partim qvidem cum paleæ nomine, partim verò ſine ullo â cæteris capitibus discrimine. Ex qvâ obſervatione illud videtur poſſe colligi, has paleas eſſe additiones non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani, in margine primùm adſcriptas, ac nonnullas fortaſſe ab ipſomet Gratiano (ut fit) inter componendum, aut relegendum, qvas deinde librariorum qvidam omiſerint, qvidam in contextu poſuerint, interdum conjunctè cum prioribus capitibus, interdum cum aliqvo discrimine.* Seqvitur hanc ſententiam etiam Barboſa. Fuerunt tamen adhuc alii, qvi ab ipſo Eugenio III. Papâ, cum Gratianus ei librum ſuum obtuliſſet, vocabulum iſtud (velut aſteriscum & notam eorum, qvæ minus valitura eſſent) adſcriptum ſtatuerunt, uti refert Osvvald. Hilliger *in Donell. enucl. 26. cap. 2. lit. A.* Nos in hâc contentione, qvæ tota in conjecturas reſolvitur, unicuiq; liberum relinqvimus judicium, & de autoritate eorum, qvæ inſcriptionem paleæ habent, magis ſumus ſolliciti. Fortaſſe tamen nemo eſt inter pontificios, qvi ea pro authenticis habet, & nec fidem qvidem facere dicit Barboſa. Robertus Maranta ea comparat gloſſis Innocentii, & utrisq; eandem adſcribit vim probandi. Autor admonitionis, cujus verba modò adduxi, hanc addit ἀπόκρισιν: *Falſam verò eſſe illorum opinionem, qvi eas contemnendas putant, ex eo conſtat, qvod multæ & in Decretalibus & apud vetuſtiores Gratiano collectores habentur.* Non aberrabimus,

rabimus, si non multo minorem eis tribuamus autoritatem, qvam dedimus verbis ipsius Gratiani; & vel ideò inferiora illa sunt, qvia de autore eorum non satis constat.

XLVII. Qvod qvartum ordinem attinet, leges scil. civiles â Gratiano adductas, dicit Barbosa, eas vim juris Canonici minimè habere, nisi sint per aliqvem canonem probatæ. Sed enim parum refert, utrum lex â Canone confirmata sit, & juris canonici partem faciat, an minus; cum ex se vim obligandi habeat, & fortius obliget lex sine canone, qvàm canon sine lege. Non poterat Honorius Papa immunes præstare Clericos â juramento calumniæ, nisi provocasset ad confirmationem canonum â Justiniano factam, & sic non tàm canonem, qvàm legem adduxisset. *c. t. X. de jumm. calumn. Nam cum Imperator Justinianus*, inqvit, *decreverit, ut canones patrum vim legum habere oporteat, & in nonnullis patrum canonibus reperiatur, ut clerici omninò jurare non audeant, dignum est, ut totus clericalis ordo â juramento calumniæ præstando sit immunis.* Edita est ista Honorii Decretalis ipso hoc seculo XII. qvo Gratianus suum compilavit volumen. Eo igitur tempore major erat reverentia Legum civilium circa causas & personas Ecclesiasticas, qvàm esse solet hodiè in Papatu; ut maximè Hildebrandina Tyrannis vires jam accepisset, & majora indies caperet incrementa. Hodiè verò nefas esse dicunt Pontificii, sicubi potestas secularis circà res Ecclesiasticas legem faciat; & non amplius canonem lege, sed legem canone confirmari volunt, perverso planè ordine & contra consvetudinem veteris Ecclesiæ. Majestati derogant, qvi Ecclesiæ curam ei adimunt, qviq; legislatoriam potestatem ad sola restringunt negocia civilia. Sed de hoc aliàs dicetur commodius. Interim istud monendum est, leges civiles in volumine Gratiani eandem retinere vim obligandi, qvam habent extra istud volumen, ut maximè canonis vicem non subeant, & sic majoris autoritatis esse, qvàm dicta Patrum, aut canones Concilii alicujus illegitimi, aut decreta ipsorum Pontificum Romanorum. Et hæc de contentis in Decreto Gratiani dixisse sufficiat, qvæ ideò tam prolixè exponere necesse fuit, qvia id hodiè in corpore juris Canonici comprehensum est. Jubet enim verò Gregorius XIII. Pontifex post factam revisionem & correctionem, ut, qvæ emendata & reposita sunt, omnia qvàm diligentissimè retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur aut imminuatur; Sed negat Henr. Zoesius *in præf. ad Decretales n. 9.* per ista verba significari confirmationem singulorum eo contentorum, & non alio fine id factum ait, qvàm ut fides sit penes autorem, nec aliam canonum ibi contentorum esse autoritatem, qvàm fontium, unde manârunt.

XLVIII. Dubium autem non eſt, iſtud Gratiani opus multum contuliſſe ad monarchiam papalem ſtabiliendam. Duraverat in occidentalibus Eccleſiis de primatu Pontificis Romani opinio per integra tria ſecula; aucta ea erat ſeculo ſuperiore undecimo funeſtâ illâ traditione & doctrinâ de poteſtate Papæ temporali, qvam utramq; ſeculo hoc XII. faſtuosè & præſumptuosè defendebat ſedes Romana. Mundum incesſerat & occupaverat barbaries, humaniores literæ exulabant, nec qvisqvam erat, qvi ad præterita & purioris Eccleſiæ reſpiciebat tempora. *Neglecta erant*, inqvit alicubi Eraſmus Roterodamus, *bonæ literæ, faſtidita græcanici ſermonis peritia, multoq; magis hebraici, ſpretum eloqventiæ ſtudium, qvin & ipſa lingva latina conſpurcata erat ſubindè novâ barbarie, ut jam nihil minus eſſet qvam Latina, nec hiſtoriæ, nec Geographiæ, nec antiqvitatis ulla cura.* Qvi in rebus divinis eruditi dici volebant, vel canonibus jam compilatis aliqvam impendebant operam, eamq; ſatis exiguam ſæpè, aut mediocrem, vel ad Theologiam Scholaſticam, qvæ hoc ævo maximo cum Eccleſiæ detrimento invaluit, animum adplicabant. Scripturæ Sacræ prorſus negligebantur; Theologi verò univerſas qvæſtiones Theologicas frivolis argumentis abſolvebant, & vanis invalidisq; ratiunculis magnum pondus rebus gravisſimis detrahentes, edebant in Theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum, uti loqvitur Melchior Canus *Locor. lib. 8. c. 1.* Epiſcopi ipſi non DEO amplius munus ſuum acceptum referebant, ſed Pontifici Romano, nec proinde nominibus ſuis verba olim uſitata, SOLA MISERATIONE DIVINA, ſed nova prorſus hæc, APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, adſcribebant. Aventin. *l. 7. annal.* In epidemiâ iſtâ cæcitate, & hominum omnium qvodam qvaſi veterno, difficile non erat Pontifici Romano fimbrias ſuas explicare, & per Gratianum atq; Lombardum, idonea tùm potentiæ ſuæ inſtrumenta, perſpicaciorum hominum animis glaucoma offundere, qvo retunderentur & obfuſcarentur, ſi qvos ipſis contigisſet videre Solis radios.

XLIX. Inſurgebat nihilominus ſeculo hoc XII. Petrus Waldus civis Lugdunenſis locuples & multæ exiſtimationis, qvi, cum aliqvandiu ſacræ ſcripturæ operam navasſet, & hinc ipſi ſuſpectus redditus esſet Pontificis Romani dominatus, atq; doctrina hactenus tradita comprobari ex Scriptura non poſſet, ipſe aliud vitæ genus eligebat, & docendi munus ſuscipiebat, primum qvidem inter domeſticos & familiares, mox etiam inter alios, qvi eum qvacunq; occaſione conveniebant. Et res eò processerat, ut integræ Eccleſiæ convenirent, qvæ dogmata

mata ejus ſeqvebantur, & Romani Pontificis noviter excogitatis dogmatibus prorſus renunciabant. Factum hinc, ut Waldenſes, qvi ita ab antecesſore ſuo nominabantur, paſſim inviſi & execrabiles fierent Pontificiis, & perſecutionibus intentatis ſolum vertere cogerentur, ſi qvidem extrema ſupplicia, qvibus ſubjiciebantur, evitare vellent. Pars igitur in Poloniam, Bohemiam ac Germaniam, pars in Apuliam ac Provinciam transmigravit, pars deniq; in vicinis convallibus Alpium, Montis Cenisii, Lucernenſis, Angrunienſis, Perusini, & Sammartinei perfugium habuerunt, qvorum adhuc hodiè non exiguus in iſtis convallibus eſt numerus, â qvingentis jam annis ſuas illic origines repetens. Videantur, qvæ de Waldenſibus ex variis hiſtoricorum monumentis eruditè collegit Jacobus Uſserius Armachanus *de Chriſtian. Eccleſ. ſucceſſ. & ſtat. cap. 8. 9. & 10.* Cum verò ita qvotidiè excresceret Waldenſium numerus, Papa Innocentius III. & poſt eum Honorius III. duos monachorum ordines eis circa initium ſeculi XIII. oppoſuerunt, unum fratrum Minorum & alterum Prædicatorum, Francisco Aſſiſiate Umbro, & Dominico Caliguritano Hiſpano, capitibus. Ex tali Eccleſiæ ſtatu obſervat Matthias Flacius *catal. teſt. ver. pag. 704.* & DEUM & Satanam ſub idem tempus eadem conſilia inſtaurandi confirmandiq; ſuum cœtum & religionem cogitasſe. *Nam & Satanas*, inqvit, *qvatuor qvosdam Apoſtolos velut qvatuor ſuæ impietatis columnas excitavit, qvi ſuum AntiChriſtum, ejusq; abominationes egregiè confirmarunt, ſtabilierunt q;. Chriſtus verò ſuam religionem AntiChriſti abominationibus mundatam mundo denuò exhibuit ac oſtendit. Qvatuor illi Satanæ Apoſtoli fuerunt Gratianus & Lombardus, Franciscus & Dominicus. Porrò Chriſtus per Waldum ſuam veritatem depulſis AntiChriſti tenebris illuſtravit.*

L. Gratiani decretum ita compoſitum & in ſcholis receptum tantos mox fecit progreſſus, ut adhuc ſub Friderico I. Imperatore Doctores qvidam Decretiſtæ dicerentur, qvi in foris Italicis cauſas agebant. Cumq; eodem hoc ſeculo duodecimo jura etiam Romana Juſtiniani Cæſaris mandatu conſuta, & longis bellorum tempeſtatibus hactenus oppreſſa, in lucem revocata & in uſum reducta fuiſſent, cœperunt deinceps eruditi â decretorum legumq; peritiâ commendari, qvale exemplum de Bartholdo qvodam electo ArchiEpiſcopo anno MCLXXIX. refert Autor anonymus *hiſtor. ArchiEpiſc. Bremenſ.* â Lindenbrogio editus. Idq; originem dedit, niſi fallor, conſvetudini creandi Doctores in utroq; jure. Animadverterant autem ex iſtâ juris civilis & canonici combinatione Pontifices Romani, nondum eſſe o-

nibus numeris absolutum jus canonicum, & plurima hinc ex jure Cæsareo peti oportere, præsertim qvæ processum in foro & ordinem judiciarium concernerent. Etsi enim illi jam tùm ad res seculares potestatem suam extendissent, nondum tamen forum suum ita instruxerant, ut propriis legibus id sustineretur. Sed & in reliqvis rebus temporalibus paucissimæ hactenus editæ fuerant constitutiones Pontificiæ, qvod vel bella prohibuissent, vel non fuissent, qvi decisionem ex sede Papali peterent, imperio scil. ejus civili & seculari nondum satis firmato. Turpe autem nunc erat, Imperatoribus in ordinem, uti putabatur, redactis, eorum legibus uti, & hinc aliqvam eorum in judiciis Ecclesiasticis potestatem agnoscere. Ipsi igitur de legibus forensibus posthac cogitare, & ex proprio suo armario supplere istos juris sui defectûs incipiebant. Idq; inprimis hoc seculo præstabat Alexander III. juris civilis peritissimus, qvi id ante Pontificatum Bononiæ professus fuerat. Ejus vestigiis insistebant successores, Innocentius III, Honorius III, Gregorius IX, Bonifacius VIII, Clemens V. aliiq; plures, qvi de judiciorum formâ, deq; causis civilibus, qvatenus illæ non in primâ tantùm instantiâ, sed etiam per modum appellationis ad forum Ecclesiasticum trahi possent, varias ediderunt constitutiones, sed eas plerasq; ad normam juris civilis, ut verè dixerit Cujacius *ad c. 15. X. de sent. & re jud.* ex jure civili esse, qvicqvid præclarum in jure canonico reperiatur, & Antonius Contius *l. 1. disp. jur. civ. cap. 3.* magnam partem juris canonici in decretalibus ex interpretibus juris civilis desumptam esse.

LI. Auctis ita & multiplicatis Decretalibus, novæ consuebantur collectiones, qvarum qvinq; post Gratiani collectionem ad Gregorii IX. tempora numerantur ab Antonio Augustino. *Prima* autorem habet Bernhardum Circam Præpositum Papiensem, Episcopum deinde Faventinum, qvi ad Cœlestini III. ætatem epistolas Pontificum collegit. *Secunda*, qvæ â Johanne Gallensi sive Vallensi confecta est. Cœlestini III. constitutiones addidit. Utraq; hæc privatâ autoritate prodiit. *Tertia* solas Innocentii III. constitutiones continet, & ipsius Innocentii autoritate per Petrum Beneventanum conscripta est, eamq; Bernhardus Compostellanus cœperat. In *qvartâ* alia ejusdem Innocentii rescripta post tertiam collectionem edita, tùm inprimis Concilii Lateranensis constitutiones recensentur. *Qvinta* collectio Honorii III. constitutiones exhibet â Tancredo Bononiensi Archi-Diacono collectas. Ultima hæc non habetur in antiqvis collectionibus ab Antonio Augustino editis, sed eam in Bibliothecâ Albiensi repertam publicæ luci primus

mus exposuit Innocentius Cironius Academiæ Tholosanæ Cancellarius. Hæ autem collectiones abundè docent, qvale Pontificum Romanorum post Gratianum spacio LXX. annorum fuerit studium. Majorem qvidem, qvam parârat, potentiam eis tribuerat Gratianus, sed minorem qvam eorum exigebat ambitio; sibi ipsis igitur, qvod deesse observaverant, adscribere haud verebantur. Secutæ sunt ad unamqvamq; collectionem glosæ, interpretationes & commentarii, qvorum aliqvot memorat â se visos & lectos Antonius Augustinus. Sed & ipsum Gratiani Decretum ineunte seculo decimo tertio primus commentario illustravit Johannes Semeca aliàs Teutonicus, Præpositus Halberstadiensis. Qvi omnes qvantum ad juris Canonici usum, & fori Ecclesiastici trituram contulerint qvamtumq; sacræ Monarchiæ stabiliendæ addiderint, facile & procliviter licet colligere.

LII Qvinq; verò illæ collectiones cùm & prolixitate constitutionum, & numero qvoq; suo viderentur esse minus tractabiles, & pleræq; insuper privatâ autoritate conscriptæ essent, Gregorius IX. Pontifex, qvi anno MCCXXVI. Præsul Romanus creatus est, *sextam*, qvæ reliqvarum compendium esset, adornare animum induxit, selegitq; in eam rem Raymundum de Penna forti, Capellanum & pœnitentiarium suum, natione Cathalanum, patriâ Barcinonensem. Qvam operam cum ille suscepisset, & in unum volumen reliqvas omnes redegisset, novasq; Gregorii constitutiones addidisset, Pontifex anno MCCXXX. suâ autoritate id confirmavit, & voluit, ut exhinc nulla alia in scholis & judiciis valeret compilatio, neq; qvis aliam sine speciali sedis Apostolicæ autoritate facere præsumeret. Hâc enim ratione privata illa compilatorum studia, qvæ confusionem & corruptionem decretalium inducere poterant, coërcere voluit. Ut verò de opere hoc exactius constet, necesse est, ut paucissimis videamus, qvid præstiterit Pontifex, & ejus minister Raymundus. Dicit Gregorius, *diversas constitutiones & decretales epistolas prædecessorum suorum in diversa dispersas fuisse volumina, earum aliqvas propter nimiam similitudinem, & quasdam propter contrarietatem nonnullas etiam propter sui prolixitatem confusionem inducere visas fuisse: aliqvas verò vagatas extra volumina supradicta tanqvam incertas frequenter in judiciis vacillasse; se verò illas in unum volumen resecatis superfluis, providisse rededendas &c.* Verba hæc sine dubio induxerunt Matthæum Paridem, ut scriberet *in Henric III. His qvoq; temporibus Gregorius IX. videns tædiosam Decretalium prolixitatem sub qvodam compendio eas eleganter abbreviatas & collectas, solenniter & authenticè per to-*

sius mundi latitudinem legi præcepit & publicari. Sed profectò, qvod dicit Pontifex, se superflua resecuisse, in eo persæpè mallent Interpretes, non resecuisse utilia, nec addidisse alia obscura, nec ad sui temporis sensum depravasse. Verba sæpè tam obscura esse, ut nisi ad antiqvas collectiones recurratur, interpretatio eorum vix fieri possit, fatentur omnes, qvi in explicatione eorum versantur. Ipse Panormitanus in jure Pontificio versatissimus in diversas sæpiusculè rapitur interpretationes, qvæ evitari potuissent, si ad primas collectiones instituta fuisset collatio. Et certè qvanto cum fructu collatio istiusmodi, post editionem veterum collectionum, instituatur, nemo est inter eruditos, qvi nesciat. *Maximam inde utilitatem afferri posse*, inqvit *in præfatione* Antonius Augustinus, *facilè deprehendi: nam & ipsa illa antiqvitatis cognitio, ut in cæteris rebus propius accedit ad ipsarum rerum originem, & ut fontium purior est hausius, sine illis sordibus, qvæ in rivulis & lacunis hærere solent, sic in his plenis gurgite atq; dilucidiore veterum Scriptorum sententiis fruimur. Multa sunt à Raimundo detracta, qvæ nisi legantur, vix reliqvorum sententiam deprehendimus. Ex unius sæpè rescripti corpore plura veluti membra sub variis titulis posita, si iterum conjungantur, multo facilius cognoscuntur. Inscriptionum hic qvoq; & nominum certior scriptura est, & errata nostrorum librariorum tùm in his, tùm in aliis plerisq; corrigimus.* Sed & depravatas fuisse capitulorum sententias, *ad cap. 1. X. de judic. & ad c. 4. de for comp.* & alibi passim ostendit Cujacius. Nec igitur tàm elegans dici poterit hoc compendium, uti id laudavit Paris. Qvin & ipsum totum in se & ratione contentorum qvale sit, optimè explicat Franciscus Duarenus, cujus in præfatione *libb. de sacr. Eccles. minister.* hæc sunt verba: *In eo Decretalium volumine multa intueri licet, qvæ à prisca illâ disciplina, qvam Decretorum liber à Gratiano editus continet, multum degenerent. Atq; hinc natum est illud apud nostrates tritum ac vulgo jactatum, malè cum rebus humanis actum esse, ex qvo decretis ala accesserunt. Est enim hæc rerum humanarum conditio, ut ferè in deterius prolabantur. Sic omnia fatis, inqvit Poeta, in pejus ruere & retrò sublapsa referri. Ejus tamen libri lectio negligenda juris studioso non est, qvod multa ad juris non modo pontificii, sed etiam civilis cognitionem utilia contineat. Qvo enim tempore conscriptæ sunt istæ Epistolæ, quibus Pontifices Romani de jure consulentibus more veterum Imperatorum respondebant, causæ Ecclesiasticæ antiqvam simplicitatem jam amiserant, erantq; hujusmodi, ut ad eas dirimendas ac definiendas JCti ac Pragmatici adhiberentur: unde factum est, ut earum Peritus, nisi eidem juris civilis scientia instructus sit, vulgari proverbio inter rudes & imperitos numeretur.*

LIII. Totum opus qvinq; libris absolvitur, in qvibus sæpè inveniuntur Decretales nullius nomen nisi Pontificis, in fronte & inscriptione exhibentes. Ex qvo concludit Cujacius *ad cap. ut X. de sent & re jud.* delusos consultores, ad qvos decretales dirigerentur, & Gregorium ultrò pleraq; de suo inseruisse non aditum nec interrogatum, ut suppleret scil. qvod ex jure civili aliàs peti necesse esset, & ut totum jus Imperatorium, si rem attentius reputo, destrueret & aboleret. Et sanè si ordines judiciorum & subtilitates processus consideres, credebantur ea, qvæ jure Canonico tradita erant, haud paulo dilucidiora, & præsentibus seculis magis accommodata, qvam qvæ jure civili continebantur qvippe qvibus sæpè obsoleta, & antiqvata, atq; ex hoc ignorata immista essent. Movebantur circa pias causas & bona Ecclesiastica, tum & beneficia, freqventes controversiæ, qvibus decidendis non sufficere putabantur leges Imperatoriæ. In causis matrimonialibus, præscriptionibus, juramentis & negociis aliis conscientiam hominis stringentibus attendebatur æqvitas & religio, qvâ Ecclesia superare videbatur Imperium. Accedebat dogma Pontificium de potestate Papæ universali, & hinc nata opinio, legibus Pontificiis universum mundum parére debere. Qvæ omnia ad hoc proficiebant, ut juri à Gregorio ita constituto in omnibus judiciis liberrimus pateret aditus, & judices ad Pontificem magis respicerent, qvam ad Imperatorem. Ex qvo porrò sequebatur ut etiam in scholis juri Canonico ardentiùs, segnius juri civili opera daretur, qvod illius major nunc esset utilitas & potior cura.

LIV. Dum adeò feliciter rem succedere perviderent Pontifices, ipsi qvoq; alius post alium juri suo augendo strenuè insistere, & novis qvotidiè decretalibus atq; legibus fora instruere gestiebant. Prohibuerat Gregorius, ut supra dixi, ne qvis aliam decretalium compilationem faceret sine permissu & autoritate sedis Apostolicæ. Ipsos igitur, qvi sedem occupabant, de novis compilationibus, cum veteres non sufficerent amplius, cogitare oportebat. Nec enim præterlapsi erant anni post Gregorii editionem integri LXX, cum Bonifacius VIII. qvi à Gregorio intra istud temporis spacium decimus qvintus erat, anno MCCXCVII. novam ederet ex Innocentii IV. Gregorii X. Nicolai III. & propriis suis constitutionibus contractam syllogen itidem libris qvinq; constantem, qvam, qvia Gregorii libris qvinq; superaddidit, sextum Decretalium librum dici voluit. Erat Pontifex ille supra modum arrogans, avarus, ambitiosus, turbulentus, & ad discordias atq

factiones excitandas & alendas maximè promptus. Initio præfationis, qvam ſuæ collectioni præmiſit, magnificis verbis univerſalem ſedis Romanæ monarchiam prædicat, & qvanta ſibi hinc ſollicitudo incumbat, gloriosè refert: *Sacroſanctæ*, inqvit, *Romanæ Eccleſiæ (qvam imperſcrutabilis divinæ providentiæ altitudo univerſis diſpoſitione incommutabili prætulit Eccleſiis, & totius Orbis præcipuum obtinere voluit magiſtratum) regimini præſidentes, curis ſollicitamur continuis, & aſſiduâ meditatione urgemur &c.* Alibi jactitat, utrumq; gladium temporalem & ſpiritualem in poteſtate Pontificis eſſe & eſſe de neceſsitate ſalutis omni humanæ creaturæ, ut ſubſit Romano Pontifici, *c. unam ſanctam, Extrav. comm. de majorit. & obed.* His hypotheſibus imbutus, Imperatoribus, ut Platina ait *in ipſis vit* Regibus, principibus, nationibus, populis terrorem potius, qvam religionem injicere conabatur.

LV. Intercedebant ei cum Philippo Pulchro Rege Galliæ maxima diſſidia, qvæ ex eo inprimis oriebantur, qvod Philippus obtemperare nollet mandatis papalibus, & libertatem Regni ſtrenuè defenderet. Dumq; Pontifex nihilominus aſſereret, Regem in temporalibus Eccleſiæ Romanæ ſubeſſe, Pontificem fatuitatis arguebat Philippus. Et hinc igitur in conſiſtorio ſuo cum Cardinale Portuenſi multa de poteſtate ſuâ in Principes ad Legatos Philippi perorabat Bonifacius, qvorum hæc erat ſumma, Reges & Principes Pontifici Romano in temporalibus ſubeſſe ratione peccati, ita ut jus temporalis poteſtatis ſit penes Pontificem, uſus autem & executio actûs penes Reges. Et eò tendit magnifica illa conſtitutio, qvæ habetur in *d. c. unam ſanctam Extrav. comm. de major. & obed.* Liberum enim ſibi putavit, qvæcunq; â Regibus peccarentur, non ſolùm qvatenus ſunt privati homines, ſed etiam in Regni adminiſtratione, decretis ſuis corrigere & conſtitutionibus â ſe latis ſtatum publicum Eccleſiæ & Regni, Concilii in eam rem coacti ſententiâ diſponere, contumacesq; Reges excommunicationibus & tandem ipsâ regni privatione plectere. Sed cum nec iſtam qvidem, qvæ propter peccatum fieri debeat, ſubjectionem agnoſceret Philippus & hinc excommunicationis fulmen in eum evibraret Pontifex, uti uberius exponit Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 4. cap. 16.* factum eſt exinde, ut liber hic ſextus Decretalium â Bonifacio conſcriptus, qvod juribus Regni derogaret, & Majeſtati Regis detraheret, nullum in Galliâ inveniret locum. *Eum*, inqvit Franciscus Duarenus *in præfat. lib. de ſacr. Eccleſ. miniſt ideò in Franciâ receptum non eſſe accepimus, qvod, qvæ in eo extant conſtitutiones, pleræq; in odium & æmulationem*

Philippi

Philippi Francorum Regis edita & ad Romanæ aulæ quæstum excogitata credantur.

LVI. Fuit enimverò hæc perpetua Regum Galliæ & verè heroica animi constantia, qvod, cum reliqvi Europæ principes omnes superstitiosâ qvadam religione fasces & sceptra submitterent Pontifici Romano, illi soli nec blanditiis allici, nec terriculamentis induci potuerint, ut in gratiam Pontificis fastigio suo cederent, aut libertatem Regni minuerent. Decretales Epistolæ Pontificum alibi veluti oracula divina recipiebantur, tantamq; incutiebant animis religionem, ut legibus Imperii præferrentur, & supremam ubiq; labefactarent majestatem. Ubi verò ad Gallos ventum esset, flaccescebat earum vis & omnis illicò exspirabat obligandi virtus. Hâc autem ratione ad eum felicitatis apicem adscenderunt potentissimi Reges, ut nemo inter principes Europæ sit, qvem magis metuat Papa, qvàm ipsos illos, qvi sua decreta tantâ animorum firmitate respuerunt. Qvò & facit, qvod non admittantur hodiè in Galliis Legati aut Nuncii Apostolici, nisi sub certis conditionibus, dominatum Papæ universalem prorsus excludentibus, qvas enumerat Thuanus *lib. 3. Histor.* Sic & superiore seculo, cum in concilio Tridentino de reformandis Principibus nonnulla moverentur, masculè restitit Galliæ Regis Orator Ferrerius, ostenditq;, *illa additamenta de excommunicandis & anathematizandis Principibus esse sine exemplo Ecclesiæ veteris, latamq; portam aperire rebellioni; totumq; illud caput de reformatione Regum & Principum non alio respicere, qvam ad libertatem Ecclesiæ Gallicanæ tollendam & imminuendam Majestatem, auctoritatemq; Regum Christianorum: Condidisse hos leges Ecclesiasticas ad exemplum Constantini, Justiniani & aliorum Imperatorum: Episcopos Ecclesiam Gallicanam iis legibus administrasse, non solùm post tempora Pragmaticæ, aut Concordati, verum qvadringentis & amplius annis ante librum Decretalium: atq; has Leges à posterioribus Regibus vindicatas & restitutas, postqvam successu temporum iis derogatum fuisset, Decretalibus in eorum locum substitutis*, &c. referente Petro Svav. *in histor. Concil. Trid. lib.* 8. Hæc verò ideò addere libuit, ut constet, qvanta Papæ & ejus decretalium habeatur reverentia apud Gallos. Cum qvibus conferri potest pium consilium super interdicto Gregorii XIV. superiore seculo ex Tussani Bercheti versione in Germaniâ editum, & inprimis Petri de Marca de concordiâ sacerdotii & imperii opus perqvam eruditum.

LVII. Bonifacio defuncto successit Benedictus XI. & huic mox Clemens V. qvi sedem Pontificiam Româ transtulit Avenionem, ubi

Digitized by Google

manſit per annos LXXII. ſuo exemplo oſtendens, cathedram Petri Romæ Urbi non ita alligatam eſſe, ut transferri inde neqveat. Complexus ille fuerat libris itidem qvinq; conſtitutiones ſuas tum in Concilio Viennenſi tum aliàs conditas, ſed morte præventus integram collectionem autoritate ſuâ munire non potuit; ſed id factum demum eſt à ſucceſſore Johanne XXII. De hâc compilatione iſta refert Joh. Aventinus *annal. lib. VII. Septimum juris Pontificii librum qvem Clemens V. deceſſ r ejus compoſuerat, ſed qvod multa, qvæ ſimplicitati Chriſtianæ libertati religionis impedirent, ibi continerentur, publicare ſuperſederat, atq; animam agens aboleri juſſerat, edidit* (Johannes XXII.) *omnia, qvæ ibidem ſcripta erant, rata fore conſtituit: qvæ à Benedicto, qvi Johanni ſucceſſit, rurſus antiqvata ſunt.* Ex qvo patet, obtrudi nobis à Pontificibus eges non tantum inutiles & Eccleſiæ ſaluti adverſas, ſed etiam ab aliis ſuis Anteceſſoribus antiqvatas. Id verò miror, qvî factum, qvod noluerit vel ipſe Clemens vel Johannes volumen hoc librum VII appellari, cùm utriq; eundem ordinem, qvem exhibent Gregorii IX. & Bonifacii VIII. decretales, obſervaverit, & ſuas has conſtitutiones libro ſexto ſuperaddiderit. Niſi fortè hoc intenderit Editor, Johannes XXII. qvod aliqvando Clementinis iſtis proprias ſuas conſtitutiones adjicere, & utrasq; uno volumine edere ſperaverit, qvod tamen præſtare deinceps non potuerit. Hactenus igitur volumen iſtud, qvod circa annum MCCCXVII. prodiit, *Clementinarum* (ſcil. conſtitutionum) nomen ſuſtinet.

LVIII. Secutæ ſunt aliæ compilationes duæ, qvarum altera conſtitutiones viginti, dicti Johannis XXII. altera conſtitutiones alias aliorum Pontificum poſt conditum Sextum editas continet. Utraq; *Extravagantium* titulum gerit, illa *extravagantium Johannis vigeſimi ſecundi*, hæc *extravagantium communium*, qvod ſcil. olim extra corpus juris Canonici incertâ qvaſi ſede vagarentur. Neutra videtur edita aut confirmata ab aliqvo Pontifice; idq; vel exinde patet, qvod illi, qvi præfationes præmiſerunt, Johannes Franciſcus de Pavinis & Hieronymus Clarius, rationem doceant inqvirendi, utrum Extravagans haberi debeat pro indubitata. Utraq; tamen Corpori juris Canonici nunc inſerta eſt, & magnam apud Pontificios, & Canoniſtas inprimis, facit fidem. De priori verò Gulielmus Occam, qvi coætaneus fuit Johanni XXII. ingenuè atteſtatur, à multis eas Extravagantes reprehendi, tanqvam hæreticas & omninò falſas. Deinde recitat errores animadverſos ab aliis, in illius non modo libris, verum etiam ſermonibus; & homines

mines sanos mirari dicit, tantam illis haberi fidem: sed hoc nimirum esse tempus, de qvo Paulus ad Timotheum scripsit, fore, ut homines, vera neglecta doctrina, novos qværant magistros, qvi serviant ipsorum auribus, & ad fabulas abducant: hunc enim esse præsentis temporis statum, ut pleriq; omnes, non qvæ Christi, qvæ fuerit Apostolorum, qvæ doctrina Patrum, inqvirant, sed qvid Pontifex fieri velit atq; jubeat, auscultent. apud Joh. Sleidan. *comment. lib.* 2. Cæterum prior compilatio, qvæ Johannis XXII. constitutiones continet, facta fuisse videtur circa annum MCCCXL. altera verò post annum demum MCCCCXXCIV. Extravagantes enim nonnullæ, qvæ in eâ leguntur, autores habent Eugenium IV. Calixtum III. Paulum II. Sixtum IV. qvi omnes seculo XV. & ultimus qvidem ad annum qvem dixi, Romanum tenuerunt Episcopatum.

LIX. Hæc est ista structura, qvâ surrexit primum & in tantam molem excrevit corpus Juris Canonici sive Pontificii; qvæ qvidem, cùm in æmulationem Imperatorum & ad imitationem juris civilis processerit, partes non dissimiles repræsentat. Sic enim se habet Decretum, ut in Corpore juris civilis Digesta: Decretales, ut Codex qvoad compilationem Gregorii, Sextus & Clementinæ, ut Novellæ Justiniani, Extravagantes, ut consvetudines Feudales. Et ne qvid deesset, jussu Pontificis Pauli IV etiam Institut ones juris Canonici superiore seculo conscriptæ sunt. De libro septimo Decretalium, qvem circa finem seculi superioris compilavit Petrus Matthæi JCtus, non habeo qvod dicam, cum nec sciam, utrum â Pontifice confirmatus fuerit. Habetur tamen ille nunc in qvibusdam novioribus Juris Canonici editionibus. Qvod si verò Pontificum omnium, qvi adhuc successuri sunt, constitutiones Corpori isti inferendæ aut addendæ fuerint, excrescet illud tandem in volumen planè intractabile, & ipso adspectu horrendum. De glosis, qvæ ad unumqvemq; librum copiosè & operosè factæ sunt, deq; commentariis nihil nunc dicam, nisi hoc, qvod Cujacius dixit, nullos Doctores esse ineptiores, qvam qvi in jus Pontificium scripserunt, *ad c. 20. X. de sent. & re jud.* Excreverunt tamen ejusmodi commentarii in infinitum planè numerum, *ut mirum videri possit*, sunt verba Sleidani ex *lib.* 3. *de qvat. summ. imp. esse homines, qvi tantum elaborare velint, ut ea qvæ parum aptè, perperam etiam & minus prudenter atq; piè, sed & ridiculè dicta sunt, tanqvam oraculum aliqvod mordicus arripiant, & in iis interpretandis, enucleandis, vestiendis omnem operam & ætatem consumant, quasi è condicto essent, ut alienam stultitiam & errorem vigiliis & labore*

suo

suo maximo defendant, & in alterius impudentiam, sui pudoris existimationem amittant.

LX. Qvod si jam ex me qværas, unde factum sit, ut Jus Canonicum, qvod in primâ Ecclesiâ ad annum octingentesimum, & qvod excurrit, unico codice, coq; non valdè amplo contentum fuit, in tantam deinceps excreverit molem, ut lacertorum perinde acingenii viribus opus sit, ad volumina illa terenda? respondebo verbis Petri de Marcâ *ex lib. 3. de concord. sacerd. & imp. cap. 6. n* 4. ubi differentiam juris veteris & novi enucleatè tradit: *Summum caput*, inqvit, *in qvo jus novum ab antiqvo differt, in eo jam constitui, qvod suprema potestas, qvam in plerisq; causis judicandis Synodi provinciales obtinebant, penitus extincta est, & ad solum summum Pontificem revocata, & ea qvæ in canonibus condendis versatur, sit adeò imminuta, ut Pontifici soli constitutionum condendarum onus incubuerit, qvibus earum rerum formam prescribebat, de qvibus apud illum erat disceptandum. Hinc secutus est novus judiciorum Ecclesiasticorum ordo ad cognitiones per rescripta Pontificum instituendas in provinciis; Unde tot constitutiones emanarunt de Rescriptis, de Judicibus delegatis, de officio judicis ordinarii, de dilationibus, exceptionibus, sententiis & appellationibus, & de toto, ut generaliter loqvar, judiciorum ordine. Hæc omnia olim non adeò exactè & solenniter exercebantur, ut novis Constitutionibus est decretum; qvæ magnâ ex parte in formulis actionum & in triturâ fori, anxiè & scrupulosè versantur. Ex alio deinde capite nova Ecclesiastica Politia facies oborta est, scil. ex Beneficiorum ab ordinationibus discretione. Antiqvo jure, qvod canone Concilii Chalcedonensis probatum erat, nullius ad clerum adscribebatur, qvin ad certam Ecclesiam sub Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & cæterorum ordinum gradu adscriberetur; adeò ut manus impositionem sequeretur adscriptio in Canonem seu laterculum & matriculam Ecclesiæ. Hoc obtinet adhuc in Episcopis, sed in cæteris gradibus ordinationes ἀπολελυμένως & absolutè fiunt, & absq; titulo Ecclesiæ, contra præscriptum Concilii Chalcedonensis. Constitutum qvidem fuit in Concilio Lateranensi, ne Clerici ordinarentur absq; titulo, saltem patrimonii, scil. ne in opprobrium Cleri mendicare cogerentur; sed hoc Decretum non est restituta vetus disciplina, qvæ clericos per manuum impositionem suis Ecclesiis addicebat. Separatio ista & discretio ordinationis ab Ecclesiæ sub beneficiis collatione & pinguissimorum redituum copia, novas in jus Canonicum regulas invexit antiqvo juri prorsus incognitas de beneficiis acqvirendis, conservandis & amittendis, qvæ ferè utramq; paginam novi juris faciunt. Matrimoniorum impedimenta novis interdictis ad tuendam honestatem publicam introducta, & revo-*

& revocat e ad solam Ecclesiam earum causarum cognitiones & cognitionum, quæ hâc ætate habentur, adstrictum forensibus formulis ordo, novam juri Canonico materiam subministrarunt. Excommunicationum infligendarum & pœnitentiarum publicarum, quæ antiquo jure vigebant, temperatum jure novo rigor novis Constitutionibus explicandus erat. Non omittenda sunt multiplices Monachorum species & religiosarum domuum diffusa per Europam multitudo, quæ novis regulis & institutis Pontificum curam ad se traxerunt. Quin & indultæ monasteriis aut Canonicorum capitulis exemptiones ab Episcoporum jurisdictione & privilegia varia illis concessa, varias causarum figuras a Pontificibus disceptandas præbuerunt. &c.

LXI. Vidimus hactenus incrementa juris Pontificii, & summum veluti apicem dominatus Papalis. Videamus nunc etiam, qvâ ratione paulatim imminuta fuerit ejus autoritas. Et qvidem qvid sentiendum sit de canonibus Apostolicis, primo veluti Juris Canonici fundamento, & qvantum eorum autoritati ipsimet derogent Pontificii saniores, jam supra dixi, ut necesse non sit pugnare cum iis qvi nimio antiqvitatis amore discernere á genuinis supposititia omittunt, aut nesciunt. Fortè tamen ante seculum decimum qvintum nemo fuit, qvi de canonum illorum νοθεία qvicqvam movere, aut suspectos reddere animum induxerit. Ad ista enim tempora continuavit mentium cæcitas & barbaries; qvam tamen discutere mox cœperunt de infallibilitate Papæ, ejusq; supra concilium autoritate noviter excogitata dogmata, suprema Monarchiæ papalis & infabrè subtensa fulcimenta. Hæc simulatq; prodita fuerunt, dubitare primùm de eis dehinc planè negare, & mox in alia Pontificis Romani πρεσβεῖα, hactenus usurpata, inqvirere cœperunt viri cordati. Etsi enim nunqvam defuerint, etiam, etiam in occidentali Ecclesiâ, qvi affectatum istum Romanæ sedis primatum nullo jure niti animadverterent, continebantur tamen veriores sententiæ tùm intra privatos parietes; publicâ eâ de re qvid profiteri, præter Waldenses, audebat nemo. Marsilius tamen Patavinus anno MCCCXXIV. adversus usurpatam Romani Pontificis jurisdictionem librum scripsit, qvem *Defensorem pacis* nominavit, ubi multa de canonibus suspectis, de decretalium iniqvitate, de ipsius Pontificis potentiâ ex veriore doctrinâ, magnâ cum παῤῥησίᾳ tradidit. Post initium verò seculi decimi qvinti, anno scil. MCCCCXIV. in concilio Constantiensi publicè damnata fuit sententia de autoritate Papæ supra concilium; idemq; repetitum in concilio Basilcensi anno MCCCCXXXI. fremente licet & in-

dignante Pontifice, qvi propterea conciliorum istorum autoritatem semper impugnavit.

LXII. Antiqvarum Decretalium ab Isidoro impostore collectarum maximam illicò fuisse autoritatem, supra exposui. Sed de eâ, aut saltem aliqvibus Epistolis dubitare primum cœpit modò nominatus Marsilius Patavinus. Seculo verò decimo qvinto circa annum MCCCCXXXII. compilationem eam, ut falsam, liberiore stylo perstrinxit Cardinalis Nicolaus de Cusa *lib. 3. de concord. cath. c. 2. Sunt etiam qvadam*, inqvit, *alia longa & magna scripta, sanctis, Clementi & Anacleto Papæ attributa, in qvibus volentes Romanam sedem plusqvam Ecclesiæ expedit, & decet exaltare, se penitus aut qvasi fundant. Si qvis omnes illas Scripturas illis sanctis attributas diligenter perlegeret, & eorum tempora ad illa scripta applicaret, ac deniq; in opusculis omnium sanctorum Patrum, qvi usq; ad Augustinum, Hieronymum, & Ambrosium fuere, ac etiã de gestis conciliorum, ubi authentica scripta allegantur, usum & memoriam haberent, hoc invenerit verum, qvia nec in illis omnibus Scripturis de illis præfatis Epistolis mentio haberur, & etiam ipsæ Epistolæ applicatæ ad tempora eorum Sanctorum se ipsas produnt &c.* Id qvod deinceps exemplis probat. Simile de iis judicium tulerunt seqventibus temporibus Johannes de Turrecremata, Claudius Espencæus, Didacus Covarruvias, Antonius Contius, Cardinalis Baronius, & alii plures, nostro verò seculo ante omnes ingeniosissimè David Blondellus *in Pseudoisidoro*. Etsi verò putet Baronius, non indigere Romanam Ecclesiam illis adventitiis & recens inventis testimoniis, negari tamen neqvit, eorum rejectione multum decedere autoritati juris canonici. Ut jam taceam, cedere hoc in perpetuam Romanæ Ecclesiæ ignominiam, qvod per tot secula toti orbi imposuerit, & figmentis causam suam sustinere conata fuerit.

LXIII. Tandem verò seculo decimo sexto, postqvam Lutherus in densissimis adhuc tenebris facem prætulisset mortalibus, & Papatus mysteria manifestasset, ipsa qvoq; juris Canonici autoritas prorsus extincta est. Vix enim finem acceperat Concilium Lateranense, in qvo per integros qvinq; annos stabiliendæ & adversus insultus qvosvis muniendæ potentiæ suæ laboraverant Julius II. & Leo X. Pontifices, cum Christi penè aboliti negocium summo cum Orbis applausu agere, & omnimodam Ecclesiæ tum in fide, tùm in moribus reformationem urgere inciperet Lutherus. Videbat autem sibi obstare placita juris canonici, & tot sanctissimorum, si diis placet, Pontificum constitutiones, qvas omnes uno spiritu diffiare admodum difficile videbatur.

Aggres-

Aggressus igitur est examen, & qvæ ejus juris esset origo, qvodq; fundamentum, qvæ ejus causa efficiens, qvis finis, sollicitè investigavit, iisq; omnibus probè perspectis nullam ejus rationem esse habendam, sed totum & integrum abolendum esse, magistraliter definivit. Eandem sententiam tenuit Georgius Wicelius, Vir, Sixti Senensis judicio, variæ eruditionis, Hebraicæ, Græcæ ac Latinæ lingvæ peritissimus, ingenio excellens & sermone disertus, in libro qvem *Viam Regiam* inscripsit, his verbis: *Qvot verò horum statutorum* (iniqvitatis scil.) *millia in libris recentioribus extant? cujusmodi Ecclesia Christi non solùm reprobat, verum etiã ferre amplius neq; potest, neq; debet: siqvidem condita sunt præter legem DEI, præter legem naturæ, contra ædificationem domus Domini, imò ad hujus destructionem, contra charitatem proximi, contra consvetudinem veteris veræq; Ecclesiæ, contra exempla priscorum, ac sanctorum patrum; adhæc ex malo fundamento ambitionis & avaritiæ, ut hæ duæ pestes nativæ radices sint omnium totius curiæ malorum. Qvæ statuta constituntq; qvando Ecclesiæ & Reip. obsunt, improbis tantùm ad qvæstum ac ambitum temporarium prosunt, & cum voluntate DEI pugnant, salubberrimum fuerit, si Pontifex Max. irrita faciat, & his morbis Ecclesiæ corpus liberet. Cujus generis est magna pars Decretalium & Clementinarum, qvibus Ecclesia carere potest adeò, ut his oneribus levari jam pridem cupiat. Aboleantur libri turpiter parasitici atq; gnathonici omnes &c.* Non obscurè, adhuc ante Lutheri reformationem, immensam juris Canonici molem reprehendit Johannes Geiler Keisersbergius apud Argentinenses Concionator, cujus *serm. 3. de orat.* hæc sunt verba: *Nota, dissipaverunt Dei, per leges humanas: sic Dominus Judæis improperavit: irritum feciſtis &c. & per leges positivas, canonicas & Imperiales, per statuta municipalia, provincialia, synodalia & cujuslibet particularis Ecclesiæ, qvod suo tempore lamentatus est beatus Augustinus ad inqvisitiones Januarii. Qvod si idem nunc viveret, & videret Decretum, Decretales, Sextum, Clementinas & tot Lecturas &c. DEUS meus, qvid diceret? taceo de legibus iniqvis. Planè obruitur lex divina per tot humanas, ne ducatur & cognoscatur.* &c.

LXIV. Lutherus, cognitâ jam & perspectâ juris Pontificii integritate & fide, audacior factus nullam amplius vel decretalem verebatur Pontificis Epistolam, vel excommunicationis severissimam interminationem. Cumq; ejus scripta ex mandato Pontificis â Colonienſibus & Lovanienſibus combusta fuissent, ipse mox par pari referre intendit, animiq; sensa literis ad Spalatinum his verbis expressit: *Damnent, exurantq; mea, ego vicissim, nisi ignem habere nequeam damnabo publicèq; concremabo jus Pontificium totum, Lernam illam hæresium.* Convocatâ deinde

deinde hîc Witteberga affixis schedulis omni scholasticâ juventute & magnâ doctorum hominum comitante catervâ, extra Orientalem Urbis portam, qvam Elystræ vocamus, prope ptochodochium urbicum in aperto campo à dextris versus Albim, extructo rogo & succenso â Magistro qvodam primicerio, totum jus Pontificium & unà bullam Leonis X. nec non libros Eccii & Emseri die X. Decembris Anno MDXX. publicè combussit, Decretales suâ manu in ignem conjectas his verbis affatus: *Qvia tu, impie liber, conturbasti sanctum Domini, ideò te conturbet ignis aternus. Sicut fecerunt mihi, sic feci eis, inqvit Samson.* adjiciens præterea: *Videant incendiarii Papistæ, non esse magnarum virium, libros exurere, qvos confutare non possunt.* Hoc peracto, eximio tùm Doctorum, tùm Magistrorum, tùm Scholarium comitatu stipatus in Urbem rediit, & postridie ejus diei Auditores è publicâ cathedrâ severè monuit, ut â Papisticis statutis sibi caveant. Edito deinde scripto facti sui rationem & causas exposuit, qvas in compendium contraxit Sleidanus *lib. 2. comm. in fin.* Et hâc ratione apud Wittebergenses exeqviæ factæ sunt juri Canonico; idq; ab eo tempore prorsus exanime & tàm enerve fuit, ut, si qvi ex ejus cadavere resuscitati fuerint cineres, mera reputentur μορμολύκεια & inania terriculamenta.

LXV. Istud verò Lutheri factum nec Witteberga qvidem tùm temporis ab omnibus æqvo animo acceptum fuit, qvod tàm altas jam in animis hominum constitutiones Pontificiæ fixissent radices, ut loco suo moveri difficulter possent. Præcipuè verò offensi erant Jurisconsulti, Henningus â Gœden Ecclesiæ Collegiatæ omnium Sanctorum Præpositus, & Hieronymus Schurffius, musitantes, suam hîc rem agi, suasq; professiones exagitari, posse Lutherum ea, qvæ sacris Scripturis adversa sunt, eliminare, sed non posse nec debere ea, qvæ ad processum faciunt judiciarium, qvibusq; maxima pars decretalium repleta est, destruere; processum istum ex decretalibus addisci, eoq; universa hactenus usa fuisse tribunalia: ad se spectare de processu isto judicium ferre, non ad Theologum: nascituram immensam confusionem, si causas hactenus agitatas novo nunc processu peragere oporteat: in jure Canonico multa esse utilia alia, qvæ ad inutilium numerum referre, & cum iis abolere iniqvum fuerit, & qvæ tum regerebantur alia. Lutherus tamen in opinione perstebat, nec destituebatur Defensoribus, è qvibus Ulricus ab Hutten Eqves Francus eam ipsam â Luthero combustam bullam non tantùm notis perstrinxit, iisq; admodum aculeatis, sed etiam ad Leonem X. apertè contestatus est, pontificales constitu-

tiones nummis rectè comparari, tantoq; deteriorem esse unamqvamq;, qvanto esset recentior, qvemadmodum & nummi recentiores de bonitate semper aliqvid remittant.

LXVI. Pleriq; verò omnes JCti, & ex Theologis etiam nonnulli utilitatem aliqvam ex jure Canonico sibi pollicentur, & hinc in Scholis doceri debere, neq; inutiliter in foro adhiberi contendunt. Qvibus ego qvidem protervè contradicere non ausim; ausim tamen hoc asserere, utilitatem istam vix tantam esse, ut tàm prolixum & tædiosum studium, qvod ei impendi solet, mereatur. Ut enim â decreto Gratiani incipiam, supra dixi, corruptos sæpè fuisse â Gratiano canones & dicta Patrum, nec aliam mereri fidem, qvàm fontes ipsos, ex qvibus Gratianus verba hausit. Qvamdiu igitur fontes ipsos, unde singula hausta sunt, non licet aut libet adire, tamdiu cogimur de Scriptorum intentione & genuinâ sententiâ dubitare. Si hoc, qvid opus est, ad Gratianum recurrere, & sub formidine oppositi, ejus fidem seqvi? Stultum esse oportet, qvi omisso fonte puriore ex sordidis rivulis & lacunis aqvam bibit fœtidam & inqvinatam. Ut jam taceam, majore mihi apparatu opus esse ad dignoscenda scripta, qvibus utitur Gratianus, ne, qvod fieri sæpè solet, pro genuino suppositirium obtrudatur, & incauto hinc fucus fiat. Qvo artificio jam inde â primis dominatûs pontificii principiis sæpè usa est Ecclesia Romana. Non videtur igitur Decretum Gratiani aliam habere utilitatem, qvàm habere solent loci communes, adversaria, aut collectanea â qvocunq; privato conscripta; qvæ qvidem tanto minoris æstimanda erunt, qvanto negligentior fuerit eorum consarcinator in selectione autorum. Atqvi tales locos communes unusqvisq; sibi propriâ industriâ & majore artificio aut saltem majore fide comparare potest.

LXVII. In Decretalibus verò qvæ contineatur Lerna malorum, supra abunde dictum est. Qvæ usum aliqvem præbere possunt, illæ inprimis sunt, qvæ circa juramenta, causas matrimoniales & processum judiciarium conceptæ inveniuntur. Sed profectò etiam inter illâs oppidò paucæ sunt, qvæ justam & piam continent sententiam; reliqvæ corruptelis & impietatibns ita infectæ sunt, ut satius sit, totum istud opus negligere, & aliunde addiscere, qvod Ecclesiæ & Reip. fuerit salutare. In processualibus & judiciorum solennitatibus, qvarum tamen scrupulosa observatio foro Ecclesiastico parum videtur convenire, si qvid â Pontificibus constitutum est, id omne aut maximam partem ex glossis juris Cæsarei desumptum fuit. Fuerunt enim autores Decretalium

piis animi studiosorum præparentur, necessaria est manuductio & informatio. *Sexto*, possunt ex ipso juris Canonici corpore textûs nonnulli & capitula intorqveri adversus Pontificios, qvibus Ecclesia Romana errorum suorum convinci optimè potest, qvæq; proinde ex proprio ejus armamentario petuntur. Ea verò ignorare, aut iis non uti negligentiam qvandam arguit, eamq; valdè supinam. Et hæc mihi potissima videtur utilitas, qvam ex jure Pontificio capere licet, cùm utiq; bis pereat, qvi suo gladio jugulatur. *Deniq,* etiam illud attendendum est, non mereri hodiè inter juris studiosos eruditi nomen, qvi nullam juris Canonici sibi comparaverit scientiam. Tàm operosè tamen ut omnia ad pulvisculum discutiat, & variis qvæstionibus sæpè alienis & ad rem nihil facientibus, statum causæ magno cum apparatu involvat, uti apud Canonistas fieri plerumq; solet, nulla ratio svadet. Qvæ omnia ideò adducere libuit, ut ostenderem, non destitui rationibus Academias in hisce terris, qvod juris Canonici studium excolant, qvanqvam ut excolatur, simpliciter & absolutè necessarium non sit.

LXIX. Cæterum indignatur Samuel Maresius Theologus Batavus *in dissert. de jur. Can. n.* 24. Doctoram juris canonici JCtis tribui, ejusq; studium magis Theologicum, qvam juridicum esse contendit. Ego Maresio simpliciter id asserenti non assentior. Etsi enim haud pauca in corpore juris Canonici inveniantur, qvæ ad Theologicum pertinent examen, & ex Scripturâ decidenda sunt, plurima tamen insunt alia, in decretalibus præsertim, qvæ à Theologo, qvà tali, nec intelligi qvidem possunt, tantum abest, ut explicatione dilucidari ab eo qveant. In jure civili probè versatum esse oportet, qvi decretalibus manum & mentem admovere velit. At decretales Epistolæ solæ sunt authenticæ, & solæ juris Canonici nomen ex mente Pontificiorum tenent, cùm Gratiani Decretum, uti supra dixi, nunqvam ab ullo Pontifice confirmatum sit, sed ex hoc solum aliqvod robur acceperit, qvod corpori juris Canonici reliqvi insertum fuerit. Rectius omninò Johannes Himmelius Theologus Jenensis *tract. de jur. Canon. cap. 3. in fin. Decretales*, inqvit, *à Pontificum Romanorum & Sedis Romanæ Gnathonibus Decretò præferuntur & qvasi solæ pro authenticis & Canonicis habentur, sed à nobis meritò postponuntur, imò in scholis Theologicis negliguntur, siqvidem merè continent causidica & forensia, ad forum civile spectantia, atq; hinc fit, qvòd JCti hanc Decretalium partem sibi potius, qvam Theologi vendicant.* Non disputo jam, præferri debeant decretales, an decretum, de eo tamen certus sum, Doctorem juris dici non posse, nisi à jurisprudentiâ, cui operam

Digitized by Google

ram navavit. At veto ex Decreto, (qvod Theologis non inviti relinqvimus, ut tamen ſpicilegium aliqvod nobis ex tàm ubere meſſe reſervemus) nulla talis jurisprudentia comparari poteſt; ſed reqviritur ſubjectum habile, & jus aliqvod conſtitutum, ſive conſtituens poteſtatem conſtituendi habeat, ſive eam ſibi ſumat. Et tale jus nobis hactenus in Decretalibus obtruſerunt Pontifices, ex qvarum cognitione & acqviſitâ hinc dignitate meritò Doctores juris Canonici dicimur.

LXX. Finem huic diſſertioni imponam verbis Henrici Cornelii Agrippæ qvibus Juris Canonici myſteria explicat, ut eò clarius pateat, nihil nos dixiſſe ſupra qvod nimium fuerit. Ita autem ille *lib. de vanitat. ſcient. cap. 92. A jure civili dimanavit jus Canonicum ſive Pontificium, qvod plerisq; ſacroſanctiſſimum videri poſſet, tàm ingenioſe avaritiæ præcepta ac rapiendi formulas ſpecie pietatis adumbrat, cum tamen paucissima in eo ſtatuantur ad pietatem, religionem ac DEI cultum ſacramentorumq; ritus ſpectantia, taceo, qvod nonnulla DEI verbo contraria aut repugnantia. Cætera omnia non niſi jurgia, lites, faſtus, pompæ, tum qvæſtus ac lucri negocia, Pontificumq; Romanorum placita, qvibus neq; ſatis ſunt, qvi olim à ſanctis Patribus ſunt conditi canones, niſi his continuè accumulent nova decreta, paleas, extravagantes, declaratorias, cancellariæ regulas, ut nullus ſit condendorum canonum finis, neq; menſura, qvæ una omnium Romanorum Pontificum ambitio ac libido eſt, condendorum ſcil. novorum canonum, qvorum eo usq; excrevit arrogantia, ut angelis cœlorum præciperent, ut ex inferno ſublata præda rapinâ facere præſumerent & in mortuorum manes manum mitterent: etiam in divinam legem, interpretando, declarando, diſſutando nonnunqvam tyrannidem exercerent, ne qvid plenitudini poteſtatis ſuæ poſſet deeſſe aut derogari. Ex horum præterea canonibus & decretis dedicimus, Chriſti patrimonium eſſe regna, caſtra, donationes, fundationes, allodia, opes ac poſſeſſiones ac ſacerdotium Chriſti Eccleſiæ q; primatum eſſe imperium, regnum: & gladium Chriſti eſſe jurisdictionem ac poteſtatem temporalem: & Petram Eccleſiæ fundamentum eſſe perſonam Pontificis: Epiſcopos eſſe Eccleſiæ non miniſtros modo, ſed capita: & bona Eccleſiæ eſſe non modo doctrinam Evangelicam, ardorem fidei, contemptum mundi, ſed vectigalia, decimas, oblationes, collectas, purpuram, mitras, aurum, argentum, gemmas, prædia, pecunias, poteſtatem: Summi Pontificis eſſe gerere bella, diſſolvere fœdera, ſolvere juramenta, abſolvere ab obedientiâ, & domum orationis facere ſpeluncum latronum, ita qvod Papa poteſt deponere Epiſcopum ſine cauſa, qvod poteſt dare rem alienam, qvod non poteſt committere Simoniam, qvod poteſt diſpenſare contra votum, contra juramentum, contra jus naturale, & nemo debet illi dicere, cur ita facis? Epiſcoporum verò officium eſſe*

suo maximo defendant, & in alterius impudentiam, sui pudoris existimationem amittant.

LX. Qvod si jam ex me qværas, unde factum sit, ut Jus Canonicum, qvod in primâ Ecclesiâ ad annum octingentesimum, & qvod excurrit, unico codice, eoq; non valdè amplo contentum fuit, in tantam deinceps excreverit molem, ut lacertorum perinde ac ingenii viribus opus sit, ad volumina illa terenda? respondebo verbis Petri de Marcâ *ex lib. 3. de concord. sacerd. & imp. cap. 6. n* 4. ubi differentiam juris veteris & novi enucleatè tradit: *Summum caput*, inqvit, *in qvo jus novum ab antiqvo differt, in eo jam constitui, qvod suprema potestas, qvam in plerisq; causis judicandis Synodi provinciales obtinebant, penitus extincta est, & ad solum summum Pontificem revocata, & ea qvæ in canonibus condendis versatur, sit adeò imminuta, ut Pontifici soli constitutionum condendarum onus incubuerit, qvibus earum rerum formam præscribebat, de qvibus apud illum erat disceptandum. Hinc secutus est novus judiciorum Ecclesiasticorum ordo ad cognitiones per rescripta Pontificum instituendas in provinciis; Unde tot constitutiones emanarunt de Rescriptis, de judicibus delegatis, de officio judicis ordinarii, de dilationibus, exceptionibus, sententiis & appellationibus, & de toto, ut generaliter loqvar, judiciorum ordine. Hæc omnia olim non adeò exactè & solenniter exercebantur, ut novis Constitutionibus est decretum; qvæ magnâ ex parte in formulis actionum & in triturâ fori, anxiè & scrupulosè versantur. Ex alio deinde capite nova Ecclesiasticæ Politiæ facies oborta est (scil. ex Beneficiorum ab ordinationibus discretione. Antiqvo jure, qvod canone Concilii Chalcedonensis probatum erat, nullus ad Clerum adscscebatur, qvin ad certam Ecclesiam sub Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & cæterorum ordinum gradu adscriberetur; adeò ut manûs impositionem sequeretur adscriptio in Canonem seu laterculum & matriculam Ecclesiæ. Hoc obtinet adhuc in Episcopis, sed in cæteris gradibus ordinationes ἀπολελυμένως & absolutè fiunt, & absq; titulo Ecclesiæ, contra præscriptum Concilii Chalcedonensis. Constitutum qvidem fuit in Concilio Lateranensi, ne Clerici ordinarentur absq; titulo, saltem patrimonii, scil. ne in opprobrium Cleri mendicare cogerentur; sed hoc Decreto non est restituta vetus disciplina, qvæ clericos per manuum impositionem suis Ecclesiis addicebat. Separatio ista & discretio ordinationis ab Ecclesiæ suî beneficii collatione & pinguissimorum redituum copia, novas in jus Canonicum regulas invexit antiqvo juri prorsus incognitas de beneficiis acqvirendis, conservandis & amittendis, qvæ ferè utramq; paginam novi juris faciunt. Matrimoniorum impedimenta novis interdictis ad tuendam honestatem publicam introducta,*

& revo-

& revocatæ ad solam Ecclesiam earum causarum cognitiones & cognitionum, quæ hâc de re habentur, adstrictus forensibus formulis ordo, novam juri Canonico materiam subministrarunt. Excommunicationum inflig endarum & pœnitentiarum publicarum, quæ antiquo jure vigebant, temperatum jure novo rigor novis Constitutionibus explicandus erat. Non omittendæ sunt multiplices Monachorum species & religiosarum domuum diffusa per Europam multitudo, quæ novis regulis & institutis Pontificum curam ad se traxerunt. Quin & indultæ monasteriis aut Canonicorum capitulis exemptiones ab Episcoporum jurisdictione & privilegia varia illis concessa, variasq causarum figuras à Pontificibus disceptandas præbuerunt. &c.

LXI. Vidimus hactenus incrementa juris Pontificii, & summum veluti apicem dominatus Papalis. Videamus nunc etiam qvâ ratione paulatim imminuta fuerit ejus autoritas. Et qvidem qvid sentiendum sit de canonibus Apostolicis, primo veluti Juris Canonici fundamento, & qvantum eorum autoritati ipsimet derogent Pontificii saniores, jam supra dixi, ut necesse non sit pugnare cum iis qvi nimio antiqvitatis amore discernere á genuinis supposititia omittunt, aut nesciunt. Fortè tamen ante seculum decimum qvintum nemo fuit, qvi de canonum illorum νοθεσία qvicqvam movere, aut suspectos reddere animum induxerit. Ad ista enim tempora continuavit mentium cæcitas & barbaries; qvam tamen discutere mox cœperunt de infallibilitate Papæ, ejusq; supra concilium autoritate noviter excogitata dogmata, suprema Monarchiæ papalis & infabrè subtensa fulcimenta. Hæc simulatq; prodita fuerunt, dubitare primùm de eis dehinc plane negare, & mox in alia Pontificis Romani πρεσβεῖα, hactenus usurpata, inqvirere cœperunt viri cordati. Etsi enim nunqvam defuerint, etiam, etiam in occidentali Ecclesiâ, qvi affectatum istum Romanæ sedis primatum nullo jure niti animadverterent, continebantur tamen veriores sententiæ tùm intra privatos parietes; publicâ eâ de re qvid profiteri, præter Waldenses, audebat nemo. Marsilius tamen Patavinus anno MCCCXXIV. adversus usurpatam Romani Pontificis jurisdictionem librum scripsit, qvem *Defensorem pacis* nominavit, ubi multa de canonibus suspectis, de decretalium iniqvitate, de ipsius Pontificis potentiâ ex veriore doctrinâ, magnâ cum παῤῥησίᾳ tradidit. Post initium verò seculi decimi qvinti, anno scil. MCCCCXIV. in concilio Constantiensi publicè damnata fuit sententia de autoritate Papæ supra concilium; idemq; repetitum in concilio Basileensi anno MCCCCXXXI. fremente licet & indignante

dignante Pontifice, qvi propterea conciliorum istorum autoritatem semper impugnavit.

LXII. Antiqvarum Decretalium ab Isidoro impostore collectarum maximam illicò fuisse autoritatem, supra exposui. Sed de eâ, aut saltem aliqvibus Epistolis dubitare primum cœpit modò nominatus Marsilius Patavinus. Seculo verò decimo qvinto circa annum MCCCCXXXII. compilationem eam, ut falsam, liberiore stylo perstrinxit Cardinalis Nicolaus de Cusa *lib. 3. de concord. cath. c. 2. Sunt etiam qvædam*, inqvit, *alia longa & magna scripta, sanctis, Clementi & Anacleto Papæ attributa, in qvibus volentes Romanam sedem plusqvam Ecclesiæ expedit, & decet exaltare, se penitus aut qvasi fundant. Si qvis omnes illas Scripturas illis sanctis attributas diligenter perlegeret, & eorum tempora ad illa scripta applicaret, ac deniq; in opusculis omnium sanctorum Patrum, qvi usq; ad Augustinum, Hieronymum, & Ambrosium fuere, ac etiã de gestis conciliorum, ubi authentica scripta allegantur, usum & memoriam haberent, hoc invenerit verum, qvia nec in illis omnibus Scripturis de illis præfatis Epistolis mentio habetur, & etiam ipsæ Epistolæ applicatæ ad tempus eorum Sanctorum se ipsas produnt &c.* Id qvod deinceps exemplis probat. Simile de iis judicium tulerunt seqventibus temporibus Johannes de Turrecremata, Claudius Espencæus, Didacus Covarruvias, Antonius Contius, Cardinalis Baronius, & alii plures, nostro verò seculo ante omnes ingeniosissimè David Blondellus *in Pseudolsidoro*. Etsi verò putet Baronius, non indigere Romanam Ecclesiam illis adventitiis & recens inventis testimoniis, negari tamen neqvit, eorum rejectione multum decedere autoritati juris canonici. Ut jam taceam, cedere hoc in perpetuam Romanæ Ecclesiæ ignominiam, qvod per tot secula toti orbi imposuerit, & figmentis causam suam sustinere conata fuerit.

LXIII. Tandem verò seculo decimo sexto, postqvam Lutherus in densissimis adhuc tenebris facem prætulisset mortalibus, & Papatus mysteria manifestasset, ipsa qvoq; juris Canonici autoritas prorsus extincta est. Vix enim finem acceperat Concilium Lateranense, in qvo per integros qvinq; annos stabiliendæ & adversus insultus qvosvis muniendæ potentiæ suæ laboraverant Julius II. & Leo X. Pontifices, cum Christi penè aboliti negocium summo cum Orbis applausu agere, & omnimodam Ecclesiæ tum in fide, tùm in moribus reformationem urgere inciperet Lutherus. Videbat autem sibi obstare placita juris canonici, & tot sanctissimorum, si diis placet, Pontificum constitutiones, qvas omnes uno spiritu diffiare admodum difficile videbatur.

Aggres-

Digitized by Google

Aggressus igitur est examen, & qvæ ejus juris esset origo, qvodq; fundamentum, qvæ ejus causa efficiens, qvis finis, sollicitè investigavit, iisq; omnibus probè perspectis nullam ejus rationem esse habendam, sed totum & integrum abolendum esse, magistraliter definivit. Eandem sententiam tenuit Georgius Wicelius. Vir, Sixti Senensis judicio, variæ eruditionis, Hebraicæ, Græcæ ac Latinæ lingvæ peritissimus, ingenio excellens, & sermone disertus, in libro qvem *Viam Regiam* inscripsit, his verbis: *Qvot verò horum statutorum* (iniqvitatis scil.) *millia in libris recentioribus extant? cujusmodi Ecclesia Christi non solùm reprobat, verum etiã ferre amplius neq; potest, neq; debet: siqvidem condita sunt præter legem DEI, præter legem naturæ, contra ædificationem domus Domini, imò ad hujus destructionem, contra charitatem proximi, contra consvetudinem veterù veraq; Ecclesiæ, contra exempla priscorum, ac sanctorum patrum; adhæc ex malo fundamento ambitionis & avaritiæ, ut hæ duæ pestes nativæ radices sint omnium totius curiæ malorum. Qvæ statuta constitutaq; qvando Ecclesiæ & Reip. obsunt, improbis tantùm ad qvæstum ac ambitum temporarium prosunt, & cum voluntate DEI pugnant, salubberrimum fuerit, si Pontifex Max. irrita faciat, & his morbis Ecclesia corpus liberet. Cujus generis est magna pars Decretalium & Clementinarum, qvibus Ecclesia carere potest adeò, ut his oneribus levari jam pridem cupiat. Aboleantur libri turpiter parasitici atq; gnathonici omnes* &c. Non obscurè, adhuc ante Lutheri reformationem, immensam juris Canonici molem reprehendit Johannes Geiler Keisersbergius apud Argentinenses Concionator, cujus *serm. 3. de orat.* hæc sunt verba: *Nota, dissipaverunt Dei, per leges humanas: sic Dominus Judæis improperavit: irritum fecistis &c. & per leges positivas, canonicas & Imperiales, per statuta municipalia, provincialia, synodalia & cujuslibet particularis Ecclesiæ, qvod suo tempore lamentatus est beatus Augustinus ad inqvisitiones Januarii. Qvod si idem nunc viveret, & videret Decretum, Decretales, Sextum, Clementinas & tot Lecturas &c. DEUS meus, qvid diceret? taceo de legibus iniqvis. Planè obruitur lex divina per tot humanas, ne discatur & cognoscatur.* &c.

LXIV. Lutherus, cognitâ jam & perspectâ juris Pontificii integritate & fide, audacior factus nullam amplius vel decretalem verebatur Pontificis Epistolam, vel excommunicationis severissimam interminationem. Cumq; ejus scripta ex mandato Pontificis â Colonienſibus & Lovanienſibus combusta fuissent, ipse mox par pari referre intendit, animiq; sensa literis ad Spalatinum his verbis expressit: *Damnent, exurantq; mea, ego vicissim, nisi ignem habere neqveam damnabo publicq; concremabo jus Pontificium totum, Lernam illam hæresium.* Convocatâ

deinde hîc Witteberga affixis ſchedulis omni ſcholaſticâ juventute & magnâ doctorum hominum comitante catervâ, extra Orientalem Urbis portam, qvam Elyſtræ vocamus, prope prochodochium urbicum in aperto campo à dextris verſus Albim, extructo rogo & ſuccenſo â Magiſtro qvodam primicerio, totum jus Pontificium & unà bullam Leonis X. nec non libros Eccii & Emſeri die X. Decembris Anno MDXX. publicè combuſſit, Decretales ſuâ manu in ignem conjectas his verbis affatus: *Qvia tu, impie liber, conturbaſti ſanctum Domini, ideò te conturbet ignis æternus. Sicut fecerunt mihi, ſic feci eis, inqvit Samſon.* adjiciens præterea: *Videant incendiarii Papiſtæ, non eſſe magnarum virium, libros exurere, qvos confutare non poſſunt.* Hoc peracto, eximio tùm Doctorum, tùm Magiſtrorum, tùm Scholarium comitatu ſtipatus in Urbem rediit, & poſtridie ejus diei Auditores è publicâ cathedrâ ſeverè monuit, ut â Papiſticis ſtatutis ſibi caveant. Edito deinde ſcripto facti ſui rationem & cauſas expoſuit, qvas in compendium contraxit Sleidanus *lib. 2. comm. in fin.* Et hâc ratione apud Wittebergenſes exeqviæ factæ ſunt juri Canonico; idq; ab eo tempore prorſus exanime & tàm enerve fuit, ut, ſi qvi ex ejus cadavere reſuſcitati fuerint cineres, mera reputentur *μορμολύκεια* & inania terriculamenta.

LXV. Iſtud verò Lutheri factum nec Witteberga qvidem tùm temporis ab omnibus æqvo animo acceptum fuit, qvod tàm altas jam in animis hominum conſtitutiones Pontificiæ fixiſſent radices, ut loco ſuo moveri difficulter poſſent. Præcipuè verò offenſi erant Juriſconſulti, Henningus â Gœden Eccleſiæ Collegiatæ omnium Sanctorum Præpoſitus, & Hieronymus Schurffius, muſitantes, ſuam hîc rem agi, ſuasq; profeſſiones exagitari, poſſe Lutherum ea, qvæ ſacris Scripturis adverſa ſunt, eliminare, ſed non poſſe nec debere ea, qvæ ad proceſſum faciunt judiciarium, qvibusq; maxima pars decretalium repleta eſt, deſtruere; proceſſum iſtum ex decretalibus addiſci, eoq; univerſa hactenus uſa fuiſſe tribunalia: ad ſe ſpectare de proceſſu iſto judicium ferre, non ad Theologum: naſcituram immenſam confuſionem, ſi cauſas hactenus agitatas novo nunc proceſſu peragere oporteat: in jure Canonico multa eſſe utilia alia, qvæ ad inutilium numerum referre, & cum iis abolere iniqvum fuerit, & qvæ tum regerebantur alia. Lutherus tamen in opinione perſiſtebat, nec deſtituebatur Defenſoribus, è qvibus Ulricus ab Hutten Eqves Francus eam ipſam â Luthero combuſtam bullam non tantùm notis perſtrinxit, iisq; admodum aculeatis, ſed etiam ad Leonem X. apertè conteſtatus eſt, pontificales conſtitu-

tiones

tiones nummis rectè comparari, tantoq; deteriorem esse unamqvamq;, qvanto esset recentior, qvemadmodum & nummi recentiores de bonitate semper aliqvid remittant.

LXVI. Pleriq; verò omnes JCti, & ex Theologis etiam nonnulli utilitatem aliqvam ex jure Canonico sibi pollicentur, & hinc in Scholis doceri debere, neq; inutiliter in foro adhiberi contendunt. Qvibus ego qvidem protervè contradicere non ausim; ausim tamen hoc asserere, utilitatem istam vix tantam esse, ut tàm prolixum & tædiosum studium, qvod ei impendi solet, mereatur. Ut enim â decreto Gratiani incipiam, supra dixi, corruptos sæpè fuisse â Gratiano canones & dicta Patrum, nec aliam mereri fidem, qvàm fontes ipsos, ex qvibus Gratianus verba hausit. Qvamdiu igitur fontes ipsos, unde singula hausta sunt, non licet aut libet adire, tamdiu cogimur de Scriptorum intentione & genuinâ sententiâ dubitare. Si hoc, qvid opus est, ad Gratianum recurrere, & sub formidine oppositi, ejus fidem sequi? Stultum esse oportet, qvi omisso fonte puriore ex sordidis rivulis & lacunis aqvam bibit fœtidam & inqvinatam. Ut jam taceam, majore mihi apparatu opus esse ad dignoscenda scripta, qvibus utitur Gratianus, ne, qvod fieri sæpè solet, pro genuino suppositritium obtrudatur, & incauto hinc fucus fiat. Qvo artificio jam inde â primis dominatûs pontificii principiis sæpè usa est Ecclesia Romana. Non videtur igitur Decretum Gratiani aliam habere utilitatem, qvàm habere solent loci communes, adversaria, aut collectanea â qvocunq; privato conscripta; qvæ qvidem tanto minoris æstimanda erunt, qvanto negligentior fuerit eorum consarcinator in selectione autorum. Atqvi tales locos communes unusqvisq; sibi propriâ industriâ & majore artificio aut saltem majore fide comparare potest.

LXVII. In Decretalibus verò qvæ contineatur Lerna malorum, supra abunde dictum est. Qvæ usum aliqvem præbere possunt, illæ inprimis sunt, qvæ circa juramenta, causas matrimoniales & processum judiciarium conceptæ inveniuntur. Sed profectò etiam inter illas oppidò paucæ sunt, qvæ justam & piam continent sententiam; reliqvæ corruptelis & impietatibns ita infectæ sunt, ut satius sit, totum istud opus negligere, & aliunde addiscere, qvod Ecclesiæ & Reip. fuerit salutare. In processualibus & judiciorum solennitatibus, qvarum tamen scrupulosa observatio foro Ecclesiastico parum videtur convenire, si qvid â Pontificibus constitutum est, id omne aut maximam partem ex glosis juris Cæsarei desumptum fuit. Fuerunt enim autores Decretalium

in jure civili versatissimi, qvi cum viderent, multa in foro suppleri ex glosis, nec ullam circa istiusmodi talia hactenus existere legem scriptam, sibi ea vindicarunt, & argumenta legum Ecclesiasticarum esse voluerunt. Qvod si neges, Pontifici talem potestatem competere, merum invenies sceleton, ex glosis compositum, & in sua principia resolutum. Prævalent igitur in plerisq; Germaniæ provinciis speciales circa processum à Principibus promulgatæ ordinationes, qvæ tàm perfectæ & absolutæ hodiè, in Saxoniâ inprimis nostrâ, inveniuntur, ut ex Decretalibus istum nunc addiscere nulla amplius cogat necessitas. Atq; adeò totum jus canonicum, qvale in se est, rectiùs aboleri, qvam conservari statuo; qvemadmodum & in Angliâ publicâ cautum est lege, ne qvis amplius Juris Canonici Doctor creetur. Vid. omninò Robertus Parkerus *de Polit. Eccles. lib. 2. c. 32. & 33.*

LXVIII. Ad qvid ergo, inqvis, in utroq; jure Doctoris titulum suscepisti, & ad qvid Decretalium professionem publicam nunc sustines? Dicam. *Primùm*, nemo negat, multum tribuendum esse consvetudini receptæ. At verò jam olim ita invaluit, & longâ consvetudine receptum est, etiam post reformationem à Luthero institutam, & etiãnum ita obtinet, ut ad summum Doctoris gradum utriusq; juris peritia reqviratur & concurrat. Atq; id mihi mutare non licuit, nisi ineptus videri, aut ignorantiam prodere, & ex hoc suspectum me reddere voluissem. *Deinde*, nolui ego qvovis Doctore juris à Pontificiis creato inferior esse, cum qvo si concurrendum esset, turpe arbitratus sum, si ideò loco cederem, qvod ille juris Canonici Doctorem se diceret, fortasse nec lecti integrè, nec intellecti. Notum enim est, præferri apud Pontificios Doctores juris Canonici, qvos seorsim creare sæpiuscule solent, Doctoribus juris civilis non aliâ ex causâ, qvàm qvòd Papa superiorem se faciat Imperatore. Id verò, cum ad notas pertineat Tyrannidis Ecclesiasticæ, impium erit, ei assentiri, & per receptionem summi in solo jure Cæsareo tituli facere, ut hinc aliqvando juris Canonici major habeatur ratio. *Tertiò*, Doctoris titulus & dignitas hoc à me non exigit, ut, qvod impium, qvod injustum, qvod ambitiosum est, defendam, neq; id à me promissum unqvam fuit; sed hoc potius, velle me id, qvod justum & pium est, respondere. Inter articulos, qvi in Academiâ Jenensi, ubi ego Doctoris insignia accepi, Licentiatis proponuntur, & ab eis cum juramento promittuntur, sextus ita se habet: *Qvod juxta jus divinum & humanum, leges scriptas, consvetudines & statuta honesta, piè, justè, incorruptè de jure respondere, judicare causas, aliaq; munera boni Jurisconsulti obire*

ubire velit. Nulla hic imponitur necessitas defendendi jus Canonicum, & nec civile qvidem sed jubetur Candidatus piè & justè de jure respondere & qvidem secundum jura humana non aliter, nisi cùm honesta fuerint. Ego verò ab eo tempore, qvo primum studium juris Canonici aggressus sum, non aliam habui intentionem, qvàm ut mores Ecclesiæ Pontificiæ, & qvantum ea à simplicitate pristinâ recesserit, addiscerem, tùm ut judicare possem, qvatenus volumen istud in foro & scholis recipiendum esset. Fecit verò assidua ejus lectio, ut ad singula capitula nunc hæream, & vel de fide Pontificis vel de potestate ejus vel de justitiâ constitutionis addubitem, in hoc uno certior factus, qvod Pontificis verba nullam habeant cum oraculis similitudinem, nec proinde pro certis & indubitatis haberi debeant. Atq; hinc soleo ego ex cathedrâ, post expositionem cujusq; textûs, ἐπίκρισιν meam addere, & de iis, qvæ bona, qvæ mala sunt, ut Doctorem in his rebus decet, Auditores meos monere. *Qvartò*, invaluit etiam hæc in Germaniâ consvetudo, ut in judiciis sæpè ad jus Canonicum provocetur, atq; hoc pro re natâ etiam juri civili præferatur. Qvod etsi necessarium non sit, cùm talia juris canonici placita unusqvisq; Princeps in suo territorio lege suâ propriâ præscribere subditis possit; qvia tamen hoc semper & in omnibus capitibus non fit, & Principes istum judiciorum usum hactenus tolerant, nullius erit privati, suo arbitrio eum tollere & intervertere. Cave tamen hinc judices, valere in judiciis principum Orthodoxorum jus canonicum ex autoritate Pontificiâ, id potius inde concludas, qvod asserit Franzkius *ad §. 9. Inst. de J. N. G. E. C.* pertinere jus Canonicum ad jus consvetudinarium. Uti ergò consvetudo in statu monarchico non valet, nisi ex permissione & tolerantiâ principis, ita ut Princeps causa sit juris illius: ita & jus Canonicum non aliunde suum habet valorem, qvam ex voluntate Principis illud tolerantis. Fecit verò hæc consvetudo, ut etiam in scholis necessaria haberetur professio Decretalium, per qvam Studiosorum animi in jure isto consvetudinario addiscendo imbuantur, & judiciorum ordini in umbratili palæstrâ paulatim adsvefiant. Nec tamen ulla propterea vel Pontificis vel ejus curiæ habetur ratio, sicuti neq; decretalibus ejus hodiernis ulla tribuitur reverentia. *Qvintò*, litigandum nobis sæpè est & concertandum cum Pontificiis circa bona Ecclesiastica, tùm & alia, qvæ faciem Ecclesiæ concernunt externam, de qvibus cum studiosè textûs ex jure Canonico colligere soleant adversarii, turpe erit obmutescere, & vim probandi non attendere. Ut ergo etiam in his, externis licet & alienis, principiis

piis animi studiosorum præparentur, necessaria est manuductio & informatio. *Sexto*, possunt ex ipso juris Canonici corpore textûs nonnulli & capitula intorqveri adversus Pontificios, qvibus Ecclesia Romana errorum suorum convinci optimè potest, qvæq; proinde ex proprio ejus armamentario petuntur. Ea verò ignorare, aut iis non uti negligentiam qvandam arguit, eamq; valdè supinam. Et hæc mihi potissima videtur utilitas, qvam ex jure Pontificio capere licet, cùm utiq; bis pereat, qvi suo gladio jugulatur. *Deniq;* etiam illud attendendum est, non mereri hodiè inter juris studiosos eruditi nomen, qvi nullam juris Canonici sibi comparaverit scientiam. Tàm operosè tamen ut omnia ad pulvisculum discutiat, & variis qvæstionibus sæpè alienis & ad rem nihil facientibus, statum causæ magno cum apparatu involvat, uti apud Canonistas fieri plerumq; solet, nulla ratio svadet. Qvæ omnia ideò adducere libuit, ut ostenderem, non destitui rationibus Academias in hisce terris, qvod juris Canonici studium excolant, qvanqvam ut excolatur, simpliciter & absolutè necessarium non sit.

LXIX. Cæterum indignatur Samuel Maresius Theologus Batavus *in dissert. de jur. Can. n.* 24. Doctoram juris canonici JCtis tribui, ejusq; studium magis Theologicum, qvam juridicum esse contendit. Ego Maresio simpliciter id asserenti non assentior. Etsi enim haud pauca in corpore juris Canonici inveniantur, qvæ ad Theologicum pertinent examen, & ex Scripturâ decidenda sunt, plurima tamen insunt alia, in decretalibus præsertim, qvæ à Theologo, qvà tali, nec intelligi qvidem possunt, tantum abest, ut explicatione dilucidari ab eo qveant. In jure civili probè versatum esse oportet, qvi decretalibus manum & mentem admovere velit. At decretales Epistolæ solæ sunt authenticæ, & solæ juris Canonici nomen ex mente Pontificiorum tenent, cùm Gratiani Decretum, uti supra dixi, nunqvam ab ullo Pontifice confirmatum sit, sed ex hoc solum aliqvod robur acceperit, qvod corpori juris Canonici reliqvi insertum fuerit. Rectius omninò Johannes Himmelius Theologus Jenensis *tract. de jur. Canon. cap. 3. in fin. Decretales*, inqvit, *à Pontificum Romanorum & Sedis Romanæ Gnathonibus Decretis præferuntur & qvasi solæ pro authenticis & Canonicis habentur, sed à nobis meritò postponuntur, imò in scholis Theologicis negliguntur, siqvidem merè continent causidica & forensia, ad forum civile spectantia, atq; hinc fit, qvòd JCti hanc Decretalium partem sibi potius, qvam Theologi vendicant.* Non disputo jam, præferri debeant decretales, an decretum, de eo tamen certus sum, Doctorem juris dici non posse, nisi à jurisprudentiâ, cui operam

Digitized by Google

tam auravit. At vero ex Decreto, (qvod Theologis non inviti relinqvimus, ut tamen ſpicilegium aliqvod nobis ex tàm ubere meſſe reſervemus) nulla talis jurisprudentia comparari poteſt; ſed reqviritur ſubjectum habile, & jus aliqvod conſtitutum, ſive conſtituens poteſtatem conſtituendi habeat, ſive eam ſibi ſumat. Et tale jus nobis hactenus in Decretalibus obtruſerunt Pontifices, ex qvarum cognitione & acqviſitâ hinc dignitate meritò Doctores juris Canonici dicimur.

LXX. Finem huic diſſertioni imponam verbis Henrici Cornelii Agrippæ qvibus Juris Canonici myſteria explicat, ut eò clarius pateat, nihil nos dixiſſe ſupra, qvod nimium fuerit. Ita autem ille *lib. de vanitat. ſcient. cap. 92. A jure civili dimanavit jus Canonicum ſive Pontificium, qvod pleriſq; ſacroſanctiſſimum videri poſſet, tàm ingeniose avaritiæ præcepta ac rapiendi formulas ſpecie pietatis adumbrat, cum tamen paucissima in eo ſtatuantur ad pietatem, religionem ac DEI cultum ſacramentorumq; ritus ſpectantia, taceo, qvod nonnulla DEI verbo contraria aut repugnantia. Cætera omnia non niſi jurgia, lites, faſtus, pompæ, tum qvæſtus ac lucri negocia, Pontificumq; Romanorum placita, qvibus neq; ſatis ſunt, qvi olim à ſanctis Patribus ſunt conditi canones, niſi his continuè accumulent nova decreta, paleas, extravagantes, declaratorias, cancellariæ regulas, ut nullus ſit condendorum canonum finis, neq; menſura, qvæ una omnium Romanorum Pontificum ambitio ac libido eſt, condendorum ſcil. novorum canonum, qvorum eo usq; excrevit arrogantia, ut angelis cœlorum præciperent, ut ex inferno ſublata præda rapinâ facere præſumerent & in mortuorum manes manum mitterent: etiam in divinam legem, interpretando, declarando, diſſutando nonnunqvam tyrannidem exercerent, ne qvid plenitudini poteſtatis ſuæ poſſet deeſſe aut derogari. Ex horum præterea canonibus & decretis didicimus, Chriſti patrimonium eſſe regna, caſtra, donationes, fundationes, allodia, opes ac poſſeſſiones ac ſacerdotium Chriſti Eccleſiæ q; primatum eſſe imperium, regnum: & gladium Chriſti eſſe jurisdictionem ac poteſtatem temporalem: & Petram Eccleſiæ fundamentum eſſe perſonam Pontificis: Epiſcopos eſſe Eccleſiæ non miniſtros modo, ſed capita: & bona Eccleſiæ eſſe non modo doctrinam Evangelicam, ardorem fidei, contemptum mundi, ſed vectigalia, decimas, oblationes, collectas, purpuram, mitras, aurum, argentum, gemmas, prædia, pecunias, poteſtatem: Summi Pontificis eſſe gerere bella, diſſolvere fœdera, ſolvere juramenta, abſolvere ab obedientiâ & domum orationis facere ſpeluncum latronum, ita qvod Papa poteſt deponere Epiſcopum ſine cauſa, qvod poteſt dare rem alienam, qvod non poteſt committere Simoniam, qvod poteſt diſpenſare contra votum, contra juramentum, contra jus naturale, & nemo debet illi dicere, cur ita facis? Epiſcoporum verò officium eſſe*

jam non predicare verbum DEI, ſed datis alapis confirmare pueros, conferre ordines, dedicare templa, baptizare campanas, conſecrare aras & calices. Ex iisdem fontibus prodierunt cautelæ iſtæ, quibus hodie citra Simoniam Epiſcopatus & beneficia emuntur venduntur q;, & quicquid præterea eſt nundinationum & monopoliorum in gratiis, in condonationibus, in indulgentiis, in diſpenſationibus & ſimilibus rapinarum formulis, à quibus etiam in gratuitis ab ipſo DEO factis peccatorum remiſſionibus precium ſtatutum eſt, & inferorum pœnis inventum eſt lucrum. &c. Hæc Agrippa, ſtylo qvidem ſatyrico, ſed verè & ingenuè. Neq; qvisqvam hactenus fuit, qvi, talia ex jure Canonico doceri, poſſit negare.

At

O curvæ in terras animæ, & cœleſtium inanes,
Qvid juvat, hos templis veſtros immittere mores.

Digitized by Google

PIO IV. PONT. MAX. JO. PAULUS LANCELOTTUS JURECONSULTUS PERUSINUS, S.

PONTIFICII *Juris Inſtitutiones proximis annis ſuperiorum Pontificum juſſu & nos conſcripſimus, & ſummi viri caſtigarunt, quæ quidem optandum ſanè erat, ut iis in lucem prodirẽt authoribus, quorum mandato & ſcriptæ & recognitæ fuiſſent, vel ea ſaltem ratione, quòd authores ipſi munera nobis gratiora, ac pretioſiora facere conſueverint, & ſæpe non tam quid, quàm à quibus accipiant, homines ſoleant perpendere. Sed quando id vel ratio temporum, vel alia quæcunq; cauſa fieri non ſinit, illud certè nulla ratione committi debet, ut Juris ſcilicet Pontificii Inſtitutiones ſub alterius, quàm ipſius Pontificis nomine appareant, à quo Pontificia omnia jura emanant: velut enim ab Oceano deducta flumina in ipſum tandem refluunt, ita hoc, quicquid eſt operis, quod totum de Romanorum Pontificum conſtitutionibus derivatum eſt, ad ipſum Romanum Pontificem, quaſi ad fontem, proprium redibit. Ad te autem eo juſtiùs, quòd*

magnis aliis animi dotibus, qvibus ad Pontificatum tibi aditum paraſti, exactiſſimam adjunxiſti Juris hujus cognitionem. Unde perbellè nunc accidit, ut qvæ facultas optimum te meliorem reddidit, & ad moderandam difficillimis temporibus Chriſtianam Rempubl. inſtructiorem, eam nunc tu contrà, cùm Canonum conditor evaſeris, beneficium reponens meliorem ſis redditurus: cujus rei non dubia jam apparent indicia, cùm tam per te ſanctiſſimas in urbe Conſtitutiones qvotidie edere non deſiſtas, qvàm Tridenti ad reſtituendos antiqvos Chriſtianorũ mores, atqve extirpandas hæreſes Univerſale concilium indixeris. Ex qvo te præſidente indies emanant Decreta nõn minùs ſalubria, qvàm ex his Synodis, qvibus Innocentius, Alexander, Bonifacius, & Clemens præfuiſſe leguntur: qvæ Juris libros implent, ac qvaſi corpus qvoddam conſtituunt. Ad illa autem Inſtitutiones hæ noſtræ gradum fortè rudioribus facere poterunt. Accipies igitur eas placido ac benigno animo: nam ſi ita contingere ſenſerimus, ad alia promptiores reddemur, & alacriores. Deus opt. Max. te nobis diu incolumem, felicemq; ſeruet.

Peruſia, Kal. Auguſti, M D. LXIII.

igitized by Google

Jo. Paulus Lancelottus J. C. Perusinus, Juris Pontificii Candidatis S.

PROOEMIUM.

LIbros Juris Pontificii diligenter intuentibus facilè apparebit, eos ad qvandam imitationem illorum, qvi in jure Civili extant, fuisse conscriptos, atqve digestos. Nam ut illi Romani Imperatoris, sic hi Romani Pontificis authoritate potissimum nituntur, ac velut illi Romanorum Imperatorum constitutionibus, Senatus, aliorumq; magistratuum placitis, & Jurisconsultorum responsis constant, sic in hos Pontificum itidem Romanorum sanctiones, sacrorum conciliorum decreta, & sanctissimorum virorum haud dissimili ordine congestæ sententiæ conspiciuntur: qvæ omnia tam pari postmodũ studio posteritas amplexa est, & tam eodem stylo interpretata, ut inter bonas artes nullæ prorsus sint, qvæ tanta similitudine sese invicem contingant. Non parva hinc nos interdum cepit admiratio, qvânam ratione contigerit, ut veluti Imperatorio nomine Cæsarei Juris in certos libros redacta sunt elementa, non ita etiam ad usum studiosæ juventutis ad jus Canonicum ab ipsis Pontificibus compositæ Institutiones reperiantur, cùm id, si, ut qvidem nunc est, contemplemur, ædificii cujusdam referat speciem januis atqve omni

propemodum aditu carentis, & una hac tantùm dissimilitudine à jure Civili sejungatur. Accedit, qvòd, cùm nemo sit mortalium, qvi gloriæ cupidine non tangatur, hoc non sine magna sua laude facturi videbantur. Sed Veteribus qvidem facilè id ignoscipoterit, in jaciendis & struendis hujus Juris fundamentis videlicet occupatis, & qvasi materiæ defectu impeditis: at Recentioribus, ejus facultatis tractatibus ad justum corpus excrescentibus, Institutiones inde elicere, & qvasi de rudi marmore statuæ cujusdam effigiem ducere non difficile fuisset: & qvæ nostrorum est felicitas temporum, non modò in ea re illustrium virorum opera uti, verùm etiam per se id præstare nonnulli potuissent. Sed & horum qvidam vitæ brevitate, qvidam multiplicium hæresium, bellorumq; tam civilium, qvàm externorum procellis facilè excusari possunt. Qvis enim in sacri Apostolatus fastigio universæ ecclesiæ præsidens, atq; orbem ipsum principum discordiis fluctuantem, bellorumq; incendiis æstuantem circumspiciens, ad ocium literarium variè agitatum animum facilè possit appellere? Sed hoc nos parum aliqvando perpendisse videri possumus. nam cùm in aula Romana difficillimis temporibus degeremus, de Institutionibus Juris Canonici Pontificio nomine conscribendis, Justiniani Imperatoris exemplo, ipsi Romano Pontifici suggessimus: & qvamvis minùs fortè opportunè, de his tamen conscribendis ab eodem mandatū accepimus, & qvantum in nobis fuit, etiam explevimus:

mus: siqvidē intermisso superioribus annis prælegendi ac patrocinandi munere, impensè operam dedimus, ut per nos hujusmodi Institutiones componerentur, qvæ, ut Pontificio nomine exirent, non indignæ judicarentur: qvod qvidem ex sententia nobis cessisse, ita locupletissimum summorum virorum probavit testimonium, ut illæ jamjam de manu Pontificis in manus vestras venturæ crederentur. Sed usqveadeò postmodum, cùm Romæ ob eam unam rem diu fuissemus, supremæ manus impositio differebatur, ut qvi gravissimis, ac multiplicib. undiqve ad sedem Apostolicam confluentibus negociis admodum senem Pontificem, & natura ipla (ut ajebant) valde cunctatorem distentum fuisse ignoraverit, magnam illo tempore incuriam fuisse facilè suspicari potuerit. Itaqve diutiùs substinere non valentes in patriam concessimus, Pontifex paulò mox in fata. Sed hæc commentariolo sufficiat nos aliqvando fuisse complexos. Ergo si cui fortè audentiores visi fuimus, qvi tantam rem aggredi tam imbecilli ausi fuerimus, maximis authoribus, atqve adeò mandato ipso Pontificio hanc temeritatis culpam redimere possumus: vel certè id non impunè tulimus, qvi ob eam rem màgnos labores, & impensas, atq; invidorum obtrectationes, nescio an dicam, frustrà subierimus, utinam non amplius subituri. Sed hæc omnia æqvissimo feremus animo, si, qvod vehementer semper optavimus, nostra hæcejusmodi sit scriptio, qvæ studiis vestris commoda videri possit: qvod sanè

his

his temporibus futurũ non desperamus, qvibꝰ ut nonnullos fortè sacrosancti Pontificii juris ignoratione in errores aliqvos, atq; hæreles faciliùs prolabi potuisse, ita nunc expeditiore qvadam ejus tractatione non tam facilè juvenũ hoc jure imbutos animos aberraturos verisimiliter existimare debemus. Unde qvamvis non iisdem, qvibus inchoatus fuit auspiciis, liber hic noster in lucem prodeat, in communi saltem periculo non fuisse nos ociosos, sed qvoqvo modo tulisse opem, juvabit. Accipite igitur privati qvidem hominis, Pontificio tamen mandato ad jus Canonicum & scriptas, & castigatas Institutiones: Cumq; eis nihil sit comprehensum, qvod (ni fallimur) sacris Canonibus penitùs non consentiat, ita existimate, si de Pontificis manu eas accepisſetis, fuisse id perinde futurum, ac si vobis vasis aureis, ac longè splendidisimis mensis fuissent ferc ula subministrata: nunc cùm de manu nostra, ac si fictilibus illa qvidem, atqveexoticis: in sapore tamen nullam fore differentiam.

NOTÆ.

ad qvandam imitationem] imò potius ad æmulationem, ab eo scil. tempore, qvo avulsa est â Pontificibus Ecclesia ex regimine Imperatorum & Principum, & qvo primùm stabilita est monarchia Ecclesiastica. Id verò qvam impiè, & qvibus artibus factum fuerit, jam exposuimus in dissertatione præmissâ. Jure divino omnis anima Principibus subesse tenetur, *etiamsi Apostolus sit, etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta, sive qvicunq; tandem fuerit*, ut loqvitur Chrysostomus *ad Rom. hom.* 23. At jure Pontificio cautum est, ne Clerici subjiciantur. Contradicit igitur Canonicum & repugnat juri divino.

Digitized by Google

divino. Dederant Principes Episcopis honoris causâ, ut Clericorum suorum causas audirent, & ad reverentiam ministris Ecclesiæ in plebe conciliandam concesserant, ne ad communia judiciorum tribunalia comparere cogerentur. At qvod *Imperatores ita distinguendorum negociorum Episcopis sanctis, juxta divalia constituta permiserunt*, uti ait Leo Episcopus Romanus *epist. 94.* id in ipsorum Imperatorum injuriam & irreparabile damnum verterunt pessimi & ingratissimi Pontifices.

sic in hos Pontificum] Horum omnium autoritas multo inferior est autoritate eorum, qvi jura civilia condiderunt. Pontifices qvâ tales nullam omninò habent leges ferendi potestatem, qvippe qvos DEUS subesse jussit potestatibus supereminentibus. Concilia per modum imperii obligare neminem possunt, nec Sacerdotum est νόμω κρατεῖν. Unde qvæ in Synodis conscribuntur ad ordinem aut ordinatum facientia, non leges sed canones vocantur, habentq; aut solam consilii vim, ut in his, qvæ singulos magis spectant, qvàm universos, aut obligant per modum pacti, volentes, & nolentes etiam pauciores ex necessitate determinationis, & qvatenus in latitudine oppositi pauciores contrario robori cedere coguntur, ac proinde ex lege naturali, non ex humano aliqvo imperio, nisi tale specialiter ex potestate Principum accesserit. Multo minus verò Doctores Ecclesiæ juris constituendi habent potestatem. Juris Consulti olim tempore Augusti poterant jura interpretando condere, atq; id jus respondendi ab ipso Imperatore impetrari oportebat, uti notant Doctores *ad* §. 8. *de J. N. G. & C.* Nulla talis potestas unqvam tributa est Doctoribus Ecclesiæ; neq; etiam Gratiani Decretum, qvod ejusmodi dictis Patrum refertum est, pro authentico apud Pontificios habetur; tantum abest, ut qvoad autoritatem & juris condendi potestatem responsis prudentum comparari qveant. Atq; hinc constat, nullam juris canonici cum jure civili institui posse comparationem, nisi mimicam forte & theatralem.

eodem stylo] O imitatores, servum pecus. Pertinent huc verba Joh. Franc. Pici *de imitat. ad P. Bembum. Tantum*, inqvit, *prisca illa ætas monebat studiosos literarum, ut homines tandem vellent se esse, non simias; qvod subsecuta secula custodisse illud sit indicio,*

dicio sqvod & Terentius á furis nomine maximopere abhorruit : & Manlius gloriatus eſt, ſeſe non furtum ſed opus editurum, ut qvi neminem unum ſeqveretur : qvaſi tacitè doceret, imitatores nimios á furibus nihil omninò differre.

tantâ ſimilitudine] Verum eſt, non ſimilitudine tantum ſeſe invicem contingere jus civile & canonicum, ſed in unam etiam ſocietatem & conſonantiam coiiſſe, ut qvod in alterutro horum jurium expreſsim deciſum ſit, in altero qvoq; deciſum eſſe intelligatur. Fernand. Vaſqv. *controv. illuſtr. cap.* 87. *n.* 28. Eaq; ita in judiciis hodiè inter ſe revincta & cognata ſunt, ut communi qvodam nexu ſe mutuo complectantur. Verùm iſtud vinculum in noſtro foro tam neceſſarium non eſt, ut ſolvi & revelli neqveat.

Non parva] me planè nulla. Nec enim ad umbilicum adhuc perductum fuerat jus Canonicum, cùm qvotidiè & ab omnibus in ſede Romanâ ſucceſſoribus novæ ederentur conſtitutiones, qvas agglutinari reliqvo corpori, & ex illis qvoq; inſtitutiones confici Juriſprudentiæ Pontificiæ intererat. Et contigit ipſi Lancellotto, qvod admirationem ſi non tollere omninò, ſaltem minuere potuiſſet. Cùm enim eo ipſo anno, qvo has primùm Inſtitutiones edidit, etiam Tridentini Concilii Decreta expectarentur, maluit Lancellottus finem concilii antevertere, & editionem ſuam maturare, qvàm repetitâ ex decretis Tridentinis interpolatione opus denuò pertexere, præſertim cum novâ deinceps opus eſſet cenſurâ nec impetrandâ facilè, nec citò expediendâ. Edidit igitur hoc ſuum opus menſe Auguſto anno MDLXIII. cum menſe demum Decembri finis Concilio imponeretur. Et qvanqvam eſſent deinceps, qvi, ut contextui ea, qvæ in concilio mutata fuerant, inſererentur, ſæpiuſculè inſtarent, impetrari tamen id ab eo non potuit, qvod diceret, velle ſeqvi ſe Juſtiniani exemplum, qvi licet poſt editas á ſe Inſtitutiones juris Civilis, multa novellis ſuis conſtitutionibus innovaſſet, non propterea aliqvid dictis Inſtitutionibus adjecit vel immutavit, ſed lectoribus ea perqvirenda reliqvit, uti refert Franciſcus Mancinus *in epiſt. ad Cardinalem Joh. Franc. de Gambara.* Tolerari potuiſſet iſta excuſatio, ſi vim legis accepiſſent inſtitutiones Lancellotti, ſicuti acceperunt Inſtitutiones Juſtiniani.

qvi

qvi gloriæ cupidine] At putabam ego, Ecclesiæ salutem qværendam esse â Pontifice, non gloriam propriam. Optimè Hieronymus *in Epist. ad Gal. Videas plerosq; (qvod etiam Tullius ait) libros suos de contemnendâ gloriâ inscribere, â causâ gloriæ proprii nominis titulos prænotare. Interpretamur Scripturas, sæpè vertimus stylum, qvæ digna sunt lectione, scribimus: Et nisi Christi causâ fiant, sed memoriæ in posteros & famæ in populos, totus labor irritus fiet, & erimus qvasi tympanum sonans & cymbalum concrepans.* Videtur autem mihi Lancellottus suam maximè gloriam in hoc opere concinnando qvæsiviſſe, ut immortale Triboniani nomen sibi compararet. Nec dissimulare id potest Lancellottus, dum frustra â se collocatam operam, Pontificis tarditatem, tempus â se Romæ inutiliter consumtum, & expensas factas longâ relatione commemorat, qvibus omnibus supersedere, & ad pontificis arbitrium totum hoc institutum referre potuisset ac debuisset, nisi propriæ laudis argumentum captare maluisset. De tali autem gloriâ, qvam ad Romanum Pontificem spectare simulat Lancellottus, revera autem sibi ut tribuatur, vehementer cupit ipse, talem facit conjecturam Critonius Mellonus *in Epist. ad Lancell. venturum aliqvando Romanum aliqvem Pontificem, qvi gloriæ cupidine magis titilletur, qvam fecerint hactenus hi, â qvibus de eis constribendis mandatum acceperit Lancellottus, vel qvi eis succesſerunt, eumq; causaturum, indignum esse, ut juris Canonici elementa de scriptis privatorum hominum hauriantur; tum qvoqve Institutionibus, qvæ circumferuntur, non pauca deesse, qvæ necessariò sint adjungenda, & propterea curasse se, ut undiq; absolutæ Institutiones hujusmodi qvasi recudantur & nomine Pontificio edantur, inde qvibusdam immutatis, additis vel demptis, ut novum qvoddam opus videri possit, suo nomine editurum, vetiturumq;, ne deinceps aliæ juris Canonici Institutiones â qvoqvam legantur, sicq; dum Romanus al qvis Pontifex gloriam aucupatur, laudem & memoriam Lancellotti, suis Institutionibus remanentibus, aboleri. &c.* Id qvidem factum â Pontifice nondum est, fieri tamen adhuc qvovis tempore potest, hoc unico ad Lancelottum redundante commodo, qvod ejus in præfatione fieri aliqva possit mentio, qvalem & Gaji JCti fecit in proœmio suarum Institutionum Justinianus.

materiæ defectus] Defectus ille in priore Ecclesia non fuit privativus sed negativus. Negavit Ecclesia, sibi eam potestatem competere, qvam magnâ cum animorum & populorum concitatione affectavit posterior. Regnum suum non esse de hoc mundo, dixit Salvator; at ejus Vicarius regna invadit, ut suam de hoc mundo ostendat potentiam.

de rudi marmore] nimis aculeata hæc mihi videntur verba, & ipsam juris Pontificii structuram, qvam tantopere commendant Pontifices, haud leviter suggillare. Ruditatis arguere Pontificum opera, suis verò statuæ elaboratæ atq; effigiatæ nomen impertire, est hominis temerarii, & plus, qvam decet, sibi tribuentis.

nonnulli potuissent] qvi scil. jurisprudentiam ipsi excoluerant, qvales fuerunt inter Pontifices non pauci.

bellorumq;] Etiam hoc est contra institutum primæ Ecclesiæ, qvod bella gerere velint Episcopi, qvibus longè aliud munus commissum est. Graviter in hunc abusum invehitur Claudius Espencæus Theologus Parisiensis *lib. 2. digress cap. 6.* inter alia his verbis: *Postqvam ex lex semel necessitas clero ad prælia non tantum animum, sed manum etiam exeruit, factum est, ut cum tempore omnia deterente eundem ludum exercerent, simulatq; receptum est, ut profanas cum sacris ministeriis ditiones & tenerent & gererent. Nec tantùm contra barbaros & incredulos, sed ejusdem qvoq; nunc sanguinis, nunc patriæ, aut certè fidei, principes, Domini nostri DEI pacis quidam minus pacifici Vicarii bella indicerent & gererent, exemplo scandalis infinitis gravido & nulla scripturarum aut canonum autoritate probato &c.*

Apostolatus fastigio] Subinnuit primatum Petri & ejus Vicarii, sed qvi nunc per sesqviseculum variis argumentis ita de absurditate convictus est, ut cùm omni nunc jure destituatur Pontifex, solâ vi primatum istum sustineri censendum sit.

universæ Ecclesiæ] Qvis eum ita præfecit? Gregorius M. cum

M. cum mentionem feciſſet, titulum univerſalis Epiſcopi Romanis Pontificibus aliqvando datum aut oblatum fuiſſe, illicò dicit: *Sed nullus eorum unqvam hoc ſingularitatis vocabulum aſſumpſit, nec uti conſenſit, ne dum privatum aliqvid diceretur ullis, honore debito Sacerdotes privarentur univerſi*, lib. 3. epiſt. 32. Cumq; eo tempore Johannes ὁ νηστης ſeu jejunator Patriarcha Conſtantinopolitanus Patriarchæ Oecumenici ſeu univerſalis nomen ſibi tribueret, indignatus Gregorius ſcriptâ ad eum epiſtolâ qvæ eſt 38. lib. 3. *univerſalis vocabulum dicit eſſe nefandum, profanum, ſtultum, ſuperbum, perverſum, temerarium, qvo vocari, inqvit, nullus præſumpſit, qvi verè ſciter ſanctus fuit. Et* epiſt. 39. dicit: *In iſto ſceleſto vocabulo conſentire, nihil eſt aliud, qvàm fidem perdere.*

difficillimis temporibus] factum id ſcribit autor anno MDLV. haud multo poſt initum Pontificatum â Johanne Petro Caraffa, qvi Paulus IV. dictus eſt. Qvis tùm fuerit Europæ ſtatus, ex Thuani hiſtoriâ peti poteſt.

mandatum accepimus] ad ſuggeſtionem ſcil. qvod proinde pro conſenſu verius haberi debet, qvam pro mandato. *Inde ad me converſus*, inqvit Lancellottus *in relat. vehementer hortatur, ut novum hoc tam pulchrum, ac neceſſarium, (ut ipſe aſſerebat) inventum literis mandem &c.* Si Pontifex ſponte mandaſſet, non dubitarem, longe feliciorem exitum inſtitutum hoc Lancellotti habiturum fuiſſe. Qvia verò ad ſuggeſtionem demum de Pontificis voluntate conſtare cœpit, non aliter interpretari eam licet, qvàm Pontificem diſſvadere Lancellotto opus cœptum noluiſſe.

prælegendi] Dicit ipſe autor alibi, ſe tùm temporis, cum opus hoc abſolviſſet, juri civili interpretando duodecim jam annos occupatum fuiſſe.

impensè operam dedimus] per integrum triennium, dicit alibi, ab eo ſcil. tempore, qvo in patriam ſe poſt habitos cum Pontifice ſermones ex urbe Româ recepit. Sed longè antea inchoatum iſtud fuerat opus. Ita enim ad eum anno MDLXIII. ſcripſit Johannes Franciſcus Cardinalis de Gambara: *Agitur annus ſextus decimus, qvo ego Perusiæ, te Præceptore, primæ juris civilis initia urgebam, & tu*

jam tùm opus hujusmodi sub incude habebas, idq; propediem editurus videbaris, unde qvod tàm diu illud continueris, erit fortasse qvi te accuset. Conscribere igitur opus hoc suum cœpit Lancellottus adhuc ante annum MDXLVII.

summorum virorum] qvi Censores ex Pontificis mandato electi fuerant. Erant autem Fabius Acorombonus, Julius Oradinus & Antonius Massa, qvi cùm omnia probè examinassent, & sæpè de illis, qvæ sibi dubia videbantor, cum Autore communicassent, egregium de toto hoc opere dederunt testimonium. Neq; contentus eo autor, ne qva porrò â Theologis moveretur controversia eorum etiam censuræ scriptum subjecit, & tùm â Daniele Blanco, tùm ab ipso Diœceseos Perusinæ Inqvisitore Matthæo Lachio subscriptionem & consensum obtinuit.

diu fuissemus] per integrum ferè biennium, intrâ qvod spacium impetrari vix potuit copia semel tantùm cum Pontifice loqvendi. Sed nec tùm qvidem, præsentibus licet & approbantibus Censoribus obtineri potuit, ut liber publico Pontificis nomine ederetur, qvippe qvem ipse qvoq; perlegere & ex judicio proprio ultimam limam adponere decreverat.

valde cunctatorem] Adde & superbum, & in jurisprudentiâ param versatum. Ad Theologiam enim eum vitam ac mores composuisse, deinde in montem Pincium concesisse, ibiq; nec commodis ædibus aut loco amœno â rerum humanarũ curâ alienam prorsus vitam aliqvot annis ægisse scribit Thuanus *histor. lib.* 15. Sed etiamsi juris fuisset consultissimus, existimat tamen Lancellottus, non melioris librum suum futurum fuisse conditionis qvam Breviarium Romanum, qvod non modo ab initio initi â se Pontificatur, veram jetiam in omni prop modum, vitâ â se castigatum Clericis legendum tradere statuisset, & qvod qvotidiè vel invitus, dum honorarias preces perlegeret, præ manibus haberet, nunqvam tamen absolvisset.

in patriam concesimus] qvod Elephanti partum ut ipse loqvitur, non amplius expectandum duceret. Succesit verò deinde Pius IV. Papa, qvo in thronum evecto svasisse se Lancellotto scribit Ferdinandus Farnesius, ut Romam iterum concederet, illum verò se facturum omninò negasse, dicendo, Neptunum accusari ab eo, qvi iterum naufragium faciat. Nec tamen defuerunt interim, qvi id negocium apud Pontificem urgerent. Refert enim ipse Lancellottus in respon-

one ad Franciſci Muſcantii literas, poſt mortem Pauli IV. Pium IV. inſtante Cardinali Cicada mandaſſe Franciſco Alciato, ut opus rurſus percurreret, & judicium faceret, an hujusmodi ſit, qvod Pontificio nomine edi conveniat, ſe tamen licet non unis ab eo literis compertum habeat, Alciatum optimè ſentire de inſtitutionibus ſuis, Pontificiq; rem ſvaſurum, certo tamen ſcire, Pontificem id minimè curaturum, qvippe qvi jam pridem mores aulicos cognitos habeat, atq; ideò ſe relationis hujus exitum non expectaturum, ſed primo qvoq; tempore opus ipſum privato nomine editurum, prout fecit, vel ipſo Alciato feſtinatam editionem non probante.

commentariolo] qvem ſpecialiter de fato hujus libri ad Candidatos juris in Academiâ Peruſinâ ſcripſit.

atq; invidorum obtrectationes] qvas prolixè refutat Lancellottus *commentar. lib.* 3. Habuit verò etiam ſuos æmulos, qvibus ipſe fortaſſe occaſionem dedit, dum commentariũ, uti vocat, ſeu σχεδιογραφίαν, aliqvot annis ederet ante, qvam Inſtitutiones. Et palmam ei dubiam feciſſe præ reliqvis mihi videtur M. Antonius Cuchus JCtus Ticinenſis, qvi ipſe qvoq; juris Canonici inſtitutiones, & eas qvidem breviores, Anno MDLXIV. edidit, ſed ille privatâ gloriâ contentus, ut, qvod conſcripſit, opus â Pontifice confirmaretur, non expetiit, ſive Lancellotti exemplo deterritus, ſive modeſtiæ ſtudio.

atq; hæreſes] qvomodo verò qvis ex ignoratione juris Pontificii in hæreſin incidet? *Hæreticos* dicit Auguſtinus *in fin. lib. de hæreſ. qvi ſuis dogmatibus oppugnant regulam veritatis*, h. e. analogiam fidei ex ſcripturis extructam, vel ipſam Scripturam ſacram. Hoc fieri dicit Lancellottus ex ignoratione juris Canonici. At jus Canonicum, uti nunc eſt, etiam Auguſtinus ignoravit. Et credo ego, juris Canonici cognitione facilius aliqvem in hæreſin prolabi poſſe, qvam ejus ignoratione.

in lucem prodeat] Ut verò iis auſpiciis adhuc prodiret, anno ſeculi currentis XVIII. Paulus V. Pontifex enixè rogatus fuit, negocium id inprimis curantibus Scipione Cobellutio Cardinale S. Suſannæ, Galeotto Oddone Balivo Narnienſi, & Leandro Galganetto JCto, uti patet ex epiſtolis Johannis Baptiſtæ Lauri ad eos ſcriptis. Atq; uti Pauli IV. tempore Lancellotto adhuc vivo ex Academiâ Peruſinâ Studioſorum nomine ad Pontificem miſſi fuerunt Oratores, qvi editionem urgerent: ita ſuo qvoq; tempore ſvadet Laurus *epiſt. 16. qvæ*

eſt

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI

LIBER PRIMUS

DE JURE CANONICO,

TITULUS I.

Dividitur in tres partes. In prima ponit, unde dicatur Jus Canonicum. In secunda, qvid sit. In tertia, ex qvibus constet. Partes patent. h.d.

IUri Canonico daturum operam nosse oportet, unde talis denominatio descendat & qvid illud sit, qvod eâ denominatione continetur. Et qvidem Jus, generale est nomen: Canonicum verò dicitur à verbo Græco κανὼν a, qvod Latinè idem significat, qvod regula: unde Jus Canonicum, Jus regulare non malè dixeris: qvam denominationem ex eo accepit, qvòd ex regulis priscorum Patrum ad rectã vivendi normam institutis deductum fuerit. Est igitur Jus Canonicum, qvod civium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit. Constat verò in primis id Jus divinæ legis præceptis, consvetudine, & constitutionibus: qvæ singula qvalia sint, diligentiùs dispiciamus.

a *can. 1. distin. 3.*

Digitized by Google

NOTÆ.

Juri Canonico] Jus hoc decreſcente imperio Romano, & auctâ hinc Romanorum pontificum potentiâ primùm cœpit. Cùm enim non Germania tantùm, ſed Gallia etiam, & Hiſpania, & ipſa deniq; pleraq; Italia barbaris parerent, factum eſt, ut leges qvoqve Romanorum, qvibus adſvetæ antehac gentes fuerant, cum eorum regimine antiqvarentur, & mores haud paulo horridiores introducerentur. Interea tamen tantus erat in populis Chriſtianæ religionis ardor, ut Epiſcopos & Clericos magni ſemper facerent, & Romani Pontificis mandatis ferè omnes ultrò ſe ſubmitterent. Arthur. Duck *de autor. jur. civil. Romanor. lib. 1. c. 7.* In hâc ſpontaneâ ſubjectione non ſentiebant gentes, materiam dari & viam ſterni duriori imperio, donec in Imperatores protervi Pontifices Romani omnem à ſe poteſtatem tùm Eccleſiaſticam tùm civilem dependere, ſuoq; arbitratu & dari & adimi poſſe, imperioſis dictatibus aſſererent. Et certè negari neqvit, per illorum ſeculorum infelicitatem multùm auctum eſſe jure hoc Canonico, & decretalibus præcipuè, dominatum pontificium; qvippe qvod medium fuit & inſtrumentum tùm ſtabiliendæ, tùm exercendæ tyrannidis Eccleſiaſticæ. Pauca iſtiusmodi talia axiomata ex ingenti acervo collegit Sleidanus *de qvat. ſumm. imp. lib. 3. p. m. 399. ſeq.* Plura paſſim obvia cujusqve diligentiæ privatæ occurrent.

Jus regulare] Cùm legislatoriam poteſtatem non haberent patres in conciliis, qvicqvid ab iis conſtitutum fuerat, qvod in Eccleſiâ normam exhibere poſſet, non legis, ſed canonis vocabulo denotárunt, eò, qvod hâc ratione regulam præſcriberent actionum moralium & Eccleſiaſticarum. Talium canonum & regularum farraginem dum congeſsiſet Gratianus, Jus Canonicum ea dici cœpit, h.e. regulare; ſed qvod ſæpè irregulare eſt, & eo nomine indignum. Ut enim jam taceam, qvod promiſcuè patrum ſcripta ſine delectu conſarcinaverit Gratianus, nec inter legitima & ſpuria ſive ſuppoſititia diſtinxerit, de qvâ re videri poterit Anton. Auguſtinus *de emendat. Gratian. pag. 5.* ſufficiat jam, illud tantùm notaſſe, qvòd ſæpè Gloſſa in Gratianum invehatur ſatis acerbè, & multum deroget regulæ ab eo conſtitutæ. Paſſim enim legimus: *illud non eſt verum: non dicit benè: hæc ſolutio non valet: Malè dicit: Superficialis eſt argumentatio Magiſtri: Falſum eſt, licet Gratianus dicat: non credo: Mentitur Gratianus: hîc fatear me planè mentitum Gratiane &c.* Add. Andr. Tiraqvell. *de nobil. c. 31 n. 538.* In decretalium volumine multa intueri licet, qvæ à priſcâ illâ diſciplinâ, qvam

qvam decretorum liber continet, multùm degenerant, ex qvo natum eſt vulgatum illud: malè cum rebus humanis actum eſſe, ex qvo decretis alæ acceſsér unt. Fr. Duaren. *præfat. de ſacr. Eccleſ. miniſter.* Et priore ſeculo agnovit Georgius Wicelius *in viâ reg.* & decretalibus & Clementinis carere Eccleſiam poſſe, adeò, ut his oneribus levari jam pridem cupiat. Ecqvis verò nunc canonis aut regulæ titulo tale volumen inſignire velit, qvod non uno vitio laborat, qvodqve ſæpè à ſeipſo diſſentit, & errorem fovet non unum? Regula dicta eſt eò, qvòd rectè ducit, nec aliqvem aliorſum trahit, *c. regula diſt. 3.* Difficile erit de jure canonico, ut nunc eſt, id aſſerere, & jam diu inter ipſos Pontificios viri cordati animadverterunt iſtos juris canonici defectûs. Adſcribam verba Gulielmi Budæi *ex lib. 5. de aſſ.* qvi ex legatione, qvam ad Leonem X. Pontif. obiit, maximam ſibi in his rebus comparavit peritiam. *Pontificiam*, inqvit, *jurisdictionem ita degenerasſe cernimus ex charitate priſcâ, ut, ubi æqvi boniq; ſinus ſolebat eſſe, ibi litium officina capturarumq; improbiorum nunc eſſe videatur. Inde illa formularum aucupia & rituum pontificiorum cautiones, ad circumſcribendam familiam Domini concinnatæ. Inde mulctarum compendia Præſulibus enata. Indidem ſacrilegæ nundinæ earum rerum, qvæ in commercio humano ſine piaculo eſſe non poſſunt. Mitto teſſeras non modo veniales, ſed etiam venales, impunitatem ſcelerum, & ſolutionem ſacrarum legum ſordidâ benignitate largientes. Itaq; ſacroſanctos canones melioribus annis factos, ut iis velut regulis vita Clericorum dirigeretur, jam in amuſſes plumbeas evaſiſſe, qvis non videt? Qvales olim fuiſſe canones Lesbiæ ſtructura tradit Ariſtoteles. Nam ut canones plumbei & molles non ſtructarum operum tenore æqvabili dirigunt, ſed ex ſtructorum commodo & libidine flexiles, ſtructuræ accommodantur: ſic canones pontificii ex uſu flexibiles, plumbei & cerei facti ſunt, ut jamdiu inſtituta majorum & ſanctiones pontificiæ non moribus regendis uſui eſſe, ſed propemodum dixerim, argentariæ factitandæ autoritatem accommodare videantur.*

ad finem æternæ beatitudinis] Qvaſi verò æterna beatitudo actionibus & bonis operibus impetrari & comparari poſſet. Et qvid verò ad beatitudinem æternam conſeqvendam facit totus tractatus de judiciis, maximam partem ex gentilium Romanorum jure deſumptus? qvi dum de in jus vocando, de contumaciâ puniendâ, de libelli conceptione, de litis conteſtatione & rebus ejusmodi aliis curiosè leges conſcripsérunt, beatitudinem tantùm civilem intenderunt, nullo modo æternam. Et ergò ſicubi Epiſcopus in ſuâ dioeceſi facto canone ordinat ea, qvæ ad externum cultum, aut judiciorum celerem expeditionem faciunt, nihil aliud agit, qvàm ut Ec-

cleſiaſticam beatitudinem curet & promoveat. Æterna nullo modo huc pertinet, ſub eo ſcil. reſpectu, ut jus Canonicum ejus ſit norma & regula. Qværenda ea eſt in Scripturâ, qvæ unica ejus eſt norma, ſi qvod inde mutuavit jus Canonicum, ipſum qvoqve ad hanc normam eſt examinandum. Et propterea non ineptè mirandam & miſerandam hanc autoris inſcitiam perſtringit Oſwald. Hillig. *in Donell. enucl. part. 1. in indic. text. jur. Canon. explicator.* Longiùs adhuc progreditur Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. l. 2. c. 10.* ſtatuens, & canonum & legum civilium finem eſſe æternam felicitatem, illorum directò, harum per conſeqventiam. Utrumq; perperam, nec arbitror, Imperatores gentiles finem iſtum intendere potuiſſe.

DE JURE DIVINO, CONSVETUDINE, ET CONSTITUTIONIBUS,

TITULUS II.

Jus divinum eſt, qvod continetur in lege, & Evangelio, & eſt immutabile. h. d.

§. 1. Jus divinum eſt, qvod in lege continetur & Evangelio [b], atqve immutabile ſemper permanet. Sunt [c] enim Legis & Evangelii præcepta aut moralia, aut myſtica. Moralia præcepta nullam omninò mutabilitatem recipere poſſunt: Myſtica verò, etſi qvantum ad ſuperficiem mutata videantur, ſecundum moralem tamen intelligentiam nullam mutationem recepiſſe comperiuntur.

b *diſtinct. 1. in ſum.*
c *can. fin. §. his itaq; diſtin. 6.*

Jus divinum] Etiam Canonicum jus qvandoqve dicitur divinum, Andr. Vallenſ. *in proœm. § 7. n. 2.* Barboſ. *in c. nimis 30. X. de jurejur. n. 2.* eâdem adulatione & impietate, qvâ Gloſſa *ad extrav. Johannis XXII. de V. S.* Papam Dominum Deum noſtrum vocat.

& Evangelio] Niſi legis vocabulum pro Vetere Teſtamento, & Evangelium pro Novo Teſtam. accipias, erronea eſt hæc ſententia, dari præcepta in Evangelio. Evangelium enim, qvà tale, legem non ſancit, nec præ-

Digitized by Google

præcepta condit, uti volunt Photiniani. Neqve Christus legislator est, sed Doctor legis. Uti autem aliàs legis nomine qvandoqve totum vetus Testamentum venit, *Joh.10,34. c.15,25. 1.Cor.14,21.* & per Evangelium integra doctrina ab Christo & Apostolis tradita denotatur; ita hîc qvoqve tam latè ea accipi debere, statuamus interim, utcunq; id fortè autor non intenderit.

atq; immutabile semper permanet] Verum id est tantùm de jure divino morali, qvod cum naturali coincidit. Positivum enim jus divinum mutari potuit, & mutatum etiam est.

aut mystica] per mystica hîc videtur intelligere ea, qvæ cùm ceremonialia & forensia maximam partem sint, morale tamen aliqvod continent. E. g. morale est, qvod turbatores pacis publicæ debeant puniri, sed qvomodo puniri debeant, id forense est. Ita feriatio diei alicujus in qvâvis septimanâ morale est, sed ceremoniale est feriatio diei præcisè ultimi, i. e. sabbathi.

nullam omninò mutabilitatem] Videtur qvidem aliqvando lex naturæ aut moralis mutari, qvando sc. res aut materia, de qvâ lex qvid constituit, mutationem recipit, & extrahitur qvasi ex numero eorum, qvæ lex comprehendebat; sed videtur tantùm, qvia sine ullâ legis naturæ verâ mutatione lumine rationis dictante id eodem jure naturæ justum est, qvod aliàs regulariter non attentâ illâ circumstantiâ injustum esset. E. g. Lex jubet solvere qvod debeo. At qvando Creditor acceptum fert, qvod debeo, ego qvidem non solvi, nec tamen obligor ampliùs ad solvendum, non qvia lex mutata est, sed qvia id, qvod debebam, desiit deberi. Ita, lex jubet commodatum reddere, sed si deinceps mihi id à magistratu adjudicetur in mercedem, commodatum ampliùs non est, sed debita mihi merces. Qvò pertinet *l.31. ff. depositi.* Qvia igitur jura naturalia & moralia sunt immutabilia, rectè concludit Franciscus à Victoriâ *relect.4. n.1.* Papam non posse mutare, dispensare aut abrogare decreta & canones Conciliorum, qvi necessariam & manifestam habent connexionem ad legem divinam seu naturalem pertinentem ad bonos mores. Qvò etiam spectat, qvod scribit Martinus ab Azpilcueta Navarr. *tom.3.miscell.64.* qvòd Papæ dispensatio ex suâ solâ voluntate sine aliqvâ justâ causâ procedens excuset qvidem à malitiâ transgressionis canonis, sed non ab aliâ fractionis legis naturalis vel divinæ. Audacior adhuc Gregorius Sayrus *in clav.reg.lib.6. c.12. n.26.* peccare dicit Papam, qvi dispensat sine causâ, nec tutum esse taliter dispensatum in conscientiâ. Et proinde impium est assertum Bellarmini *l.4. de Pontif. c.5. Si Papa,* dicentis,

errarent præcipiendo vitia vel prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere vitia esse bona & virtutes malas, nisi velit contra conscientiam peccare.

Quid sit consvetudo, & unde duxerit originem, & quam vim habeat. h. d.

a *canon. fin. §. Jus v. consvetudinis. distin. 6.*

§. 2. Jus [a] consvetudinis, post naturalem legem sumsit exordium, ex qvo homines in unum convenientes cœperunt simul habitare: qvod ex eo tempore factum creditur, qvo Cain civitatem ædificâsse legitur. Est autem consvetudo [b], Jus qvoddam moribus institutum, qvod pro lege susçipitur: in iis enim rebus, in qvibus nihil certi divina statuit scriptura [c], mos populi Dei, & instituta majorum pro lege tenenda sunt: & sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consvetudinum sunt coërcendi.

b *can. consvetudo. 1. dist.*

c *canon. in iis rebus. 11. distin.*

post naturalem legem] an ergò legem non scriptam, priorem dicemus lege scriptâ? Non videtur. Cùm lex divina positiva jam antè in paradiso data fuerit.

qvo Cain civitatem] imò verò etiam in familia consvetudo, ex se jus pariens, introduci potuit.

In iis enim rebus] cave id extendas ad articulos fidei, qvos & ipsos non perspicuè satis in Scriptura traditos perperam statuunt Pontificii. Nec enim invenire in Ecclesiasticis facilè locum potest consvetudo, nisi in iis, qvæ ad ritus & ceremonias aut adiaphora, aut jurisdictionem pertinent.

d *can. consvetudinis. §. cùm verò. & can. seq. distin. 11.*

Prava consvetudo non ligat. h. d.

§. 3. Hæc tamen de ea consvetudine intelligere nos oportet [d], qvæ neqve divino Juri, neqve Canonicis con-

Digitized by Google

cis contradicit inſtitutis : ſi qvid autem contra fidem [e] Catholicam uſurpare dignoſcitur, non tam conſvetudo, qvàm vetuſtas erroris eſt appellanda [f].

[e] *can. conſvetudinem. d. diſtin. 11.*

[f] *can. conſvetudo. 8. diſtinct.*

neqve canonicis contradicit inſtitutis] Dum tamen inſtituta ejusmodi non pugnent cum verbo Dei, & faciant ad tranqvillitatem & bonum ordinem in Eccleſia, neqve nimiâ ſuâ multitudine aut falsâ opinione ſive meriti, ſive cultûs, ſive neceſsitatis onerent conſcientias. Optimè Auguſtinus *epiſt. 119. Omnia*, inqvit, *talia, qvæ neq; ſanctarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec in conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſvetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omninò nunqvam inveniri poſſint cauſæ, qvas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo &c.* At plurima talia obſervantur inter Pontificios, qvæ bono conſilio noſtræ reſecârunt Eccleſiæ. Ita novo Decretalium jure omnes conſvetudines damnantur, qvæ libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam violant, h.e. qvæ Principibus Laicis poteſtatem qvandam in res aut perſonas Eccleſiaſticas indulgent. Hinc verò cùm vident Canoniſtæ, Clericos actionibus realibus paſsim apud judices Laicos conveniri, ne vel immunitati Eccleſiaſticæ, vel jurisdictioni ſeculari qvicqvam derogent, fingunt, privilegium à ſummo Pontifice olim conceſſum fuiſſe, ejusqve etſi nullæ omninò exhiberi poſsint tabulæ, probationem tamen illius ex ſolâ poſſeſsione centenariâ vel immemoriali elici. Et tùm non in iſtâ poſſeſsione, nec præſcriptione aut conſvetudine, ſed ex his probato privilegio Laicis aliqvam competere poteſtatem in res aut perſonas Eccleſiaſticas. Petr. de Marca *de concord. ſacerdot. & Imper. l. 3. c. 9. n. 5. 6.* Sed hæc omnia tyrannidem redolent papalem, & principes, qvibus ſacrorum cura à Deo commiſſa eſt, per injuriam ſuâ hâc poteſtate excluduntur, Pontificibus omnia per iniqviſsimam invaſionem ad ſe rapientibus, qvæ propterea jure ſuo ſibi vindicârunt Principes Evangelici.

vetuſtas erroris eſt appellanda.] Malè igitur novi Moraliſtæ Eccleſiæ Decreta, etiam ea, qvæ aliqvid divini juris admixtum habent, ineptâ ſuâ cenſurâ evertunt, & Eccleſiæ leges deſvetudine abrogari, promiſcuè contendunt, qvos idcircò inſectatur Ludovicus Montaltius *in literis provincialibus, epiſt. 6.* & in notis ad eam Willelmus Wendrockius.

Qvid

Digitized by Google

Qvid ſit conſtitutio, & qvotuplex: &, civiles conſtitutiones, qvæ non ſunt contra Evangelium & Canones, ſunt honorandæ, licet ipſis Eccleſia non ligetur.

§. 4. Conſtitutio [g] eſt lex ſcripta. Conſtitutionum [h] autem aliæ Civiles, aliæ Eccleſiaſticæ. Civiles ſunt, qvas Princeps, aut Magiſtratus, aut populi ſibimet-ipſis ſanciunt: qvæ qvidem ſi Evangelicis atqve Canonicis decretis non ſint contrariæ [i], ſunt omni reverentiâ dignæ, atqve eis Eccleſia ſæpè contra hæreticos [k], contra tyrannos, & qvoscunqve pravos utitur: alioqvin nullius ſunt momenti. qvod usqve-adeò obtinet, ut, etiamſi qvid in eis ſtatutum fuerit, qvod Eccleſiarum reſpiciat commodum, nullius firmitatis exiſtat, niſi ab Eccleſia fuerit comprobatum. Sed nos ad Eccleſiaſticas conſtitutiones ſtylum vertamus, earum originem, ſpecies, & authoritatem breviter referentes.

g *can. conſtitutio. 2. diſtin.*

h *3. diſtin. in ſum.*

i *gloſſ. pen. can. cùm ad veram. 96. diſtin.*

k *can. 1. in fin. & can. ſeq. diſtin. 10.*

Conſtitutio eſt lex ſcripta] non qvòd neceſſe ſit ſcribi, cùm & præconis voce promulgari poſſit, ſed qvòd ab initio habilis fuerit, per ſcripturam publicari, cùm conſvetudo ita habilis ab initio non fuerit.

Atqve canonicis decretis non ſint contrariæ.] Si per canonica decreta autor intelligit ea, qvæ Papa Romanus promulgat & pronunciat, falſum eſt, nullius eſſe momenti conſtitutiones, qvas contra talia decreta promulgant Principes. Falſum eſt, qvod ſtatuit Andreas Vallenſis *in proœm. §. 9. n. 3.* Juſtiniani Conſtitutiones in Codice & Novellis de rebus & perſonis Eccleſiaſticis nominatim disponentes, licet de facto olim obtinuerint, de jure tamen Canonico nullius fuiſſe momenti.

Digitized by Google

menti. Procedit enim iſte error ex falſo principio, de rebus aut perſonis Eccleſiaſticis poteſtatem ſecularem non poſſe qvicqvam validè ſtatuere. Vid. *exercitat. noſtram 5. de Jurib. Majeſt.*

ſunt omni reverentiâ] non reverentiâ tantùm, ſed etiam obedientiâ ab ipſis Clericis præſtandâ, qvos, ut lege divinâ magiſtratibus ſubjectos, eximere nunqvam potuit Papa Romanus.

utitur] Diſtingvit Thomas Bozius uſum ab obedientiâ legum, pontifices, ait, uti legibus ſecularibus, non obedire illis. *de jur. nat. & div. Eccleſ. lib. & pot. l 1. c.12.* Sed enim, *uti legibus*, vulgatiſſimo ſermone eſt, morem gerere legibus. Et ſi in curſu temporalium rerum in univerſum Pontifex imperialibus legibus utitur, etiam in curſu ſuarum rerum temporalium, in negociis à ſe gerendis ad hoc ſeculum pertinentibus, imperialibus legibus utitur. Si hoc, etiam obedientiam imperialibus legibus præſtat. In civilibus igitur agnoſcit poteſtatem legislatoriam Imperatoris Papa, eiqve ſe ſubmittit, qvò faciunt *c. de capitulis 10. c. qvis autem 12. cum duob. ſeq. diſt. 10.* Fateor tamen aliam hodiè eſſe rerum faciem, & Pontificem nunc ut monarcham in ſuo territorio non ita amplius uti legibus Imperialibus, ut eis obediat, ſed eas nunc proponere, ut proprias, vi poteſtatis legislatoriæ ſibi ſumptæ.

alioqvin nullius ſunt momenti] Contrariantur ſibi interdum jus civile & canonicum, ex qvâ re disputari cœpit, utrum ſit ſervandum. E. g. in materiâ præſcriptionis Canoniſtæ Pontificis conſtitutiones propter animæ periculum ſervari volunt. Sed iſtam rationem ridet & exagitat Joh. Petrus de Ferrariis *in prax. tit. 4. n. 44. Nec obſtat*, inqvit, *qvod periculum animæ vertatur, qvia iſta ratio, ſalvâ reverentiâ, eſt multum fatua, cùm per eam ſeqverentur infinita abſurda & totaliter eſſet deſtruere legum poteſtatem & auctoritatem, & per conſeqvens, vires Imperii attenuare, imò funditùs annihilare &c.* Verum tamen eſt, juris Canonici ſemel recepti autoritatem, ob aliqvam, qvam præ ſe fert præ jure civili, æqvitatem haud rarò prævalere, non qvidem ex Pontificis juſſu & mandato, ſed qvia ita obtinuit, & qvidem in qvibusdam materiis ſpecialibus. Vid. Struv. *ſyntagm. l. 1. tit. 4. n. 39.* Refertur enim jus Pontificium ad jus conſvetudinarium. Franzk. *ad §. 9. Inſt. de J.N.G.E.C. n. 5.* Aliàs extra hunc reſpectum, ut maximè utilia permulta contineat, neminem tamen obligare poteſt vel ad culpam vel ad pœnam, eò qvod Pontifex ita ſtatuendo uſurpet partes legislatoris & jura majeſtatica, qvæ ad eum neqvaqvam

pertinent. Marsil. Patavin. *in def. Pac. part. 2. c. 27. circa fin.* Ipsi JCti Pontificii distingvunt inter terras Ecclesiæ qvoad temporalitatem subjectas, & non subjectas; in his, non in illis jus Canonicum servandum esse volunt. Osasc. *decis. 151.* Bajard. ad Jul. Clar. *q. 51. n. 44.* Aliàs certum est, ex jure civili esse, qvicqvid in jure Canonico præclarum est.

nullius firmitatis existat] Piget fastum & ingratam hanc Ecclesiæ Romanæ vocem perstringere. Addam tamen qverelam modò citati Joh. Petri de Ferrariis, cujus *in prax. tit. 30. n. 2. & 3.* hæc sunt verba: *Vides, qvod ipse Papa (qvi deberet tanqvam verus Vicarius vestigia seqvi Jesu Christi) possidere & manu armatâ nititur detinere jurisdictionem in terris, civitatibus, & villis, & locis, qvæ sunt naturaliter, & à mundi creatione & Christi ordinatione Imperii Romani, - - imò ipse Papa in ipsum Imperatorem nititur superioritatem habere: qvod ridiculum est dicere, atqve abominabile audire. Nam naturaliter à principio mundi omnes clerici, nedum Laici, erant sub potestate & jurisdictione Imperii, sed ipsorum Imperatorum dulcedine & benignitate fuerunt Clerici dimissi sub potestate Papæ, & beneficium hoc tanqvam ingrati sciunt malè cognoscere. Benè ergò & sanctè faceret ipse Papa, si totam temporalem jurisdictionem in manibus Imperatoris remitteret, nec aliter unqvam Resp. (& maximè Italia) qviesceret. Nec ulterius de Papatu tale schisma, qvale fuit & est à 36. annis præteritis, ullo tempore amplius accideret. Et ex hoc status universus Clericorum magis redderetur Deo & populo devotus & ipse Papa cum Cardinalibus viveret qvietius ac devotius, ac DEO & populo magis acceptus & gratus &c.* Hæc Petrus de Ferrariis anno M CCCC XIII. satis confidenter & neqvaqvam ad palatum hodiernorum Pontificiorum. De Legibus scil. Justiniani, qvæ in Codice circa negocia Ecclesiastica perqvam multæ extant, anxius est Petrus de Marca *de concord. sacerdot. & Imper. lib. 2. c. 11.* ne cogatur fateri, Principis potestatem Legislatoriam etiam ad Ecclesiasticas causas se extendere. Ait, Justinianum legibus latis non condidisse Canones, sed conditos fovisse & amplificasse. At sufficit hoc nobis. Si enim habuit potestatem amplificandi, habuit etiam potestatem noviter constituendi, non qvidem canonem, sed legem in causis Ecclesiasticis. Nec diffiteri potest Petrus de Marca, plurima constituisse Justinianum, qvæ in canonibus non fuerint præscripta, qvalia etiam nonnulla recenset. Et addit, partem juris de divortiis Christianorum, it. de conveniendis Clericis apud judices publicos vel Ecclesiasticos, penes principes tùm fuisse, & ab eorum jurisdictione dependisse. Qvid ergò ringuntur Canonistæ, qvando qvis potestatem Prin-

Digitized by Google

Principis ad causas & negocia Ecclesiastica extendit? Cardinalis Baronius *ad ann. DXXVIII. n. 1. seqq.* Justinianum Imperatorem propter istas constitutiones acriter perstringit, excusat tamen qvandoqve, & Episcopis Constantinopolitanis vitio vertit, qvod istam Imperatoris νομοθεσίαν admiserint. Seqvuntur alii, qvi duriuscula sæpè hâc de re verba faciunt. Nos verò alibi docemus, competere curam circa sacra Principi cuiqve summo ex vi ipsâ majestatis, qvâ pollet, & qvâ princeps est, & qvidem jure gentium, abstractâ qvalitate religionis seu cultus. Et hinc Justinianus jure suo usus est, qvando circa personas & res Ecclesiasticas talia promulgavit edicta, qvalia tum facere visa fuerunt ad bonum ordinem in Ecclesiâ servandum.

DE ECCLESIASTICIS CONSTITUTIONIBUS,

TITULUS III.

Canones qvibus sonstent, & qvotuplicia sint Concilia, & qva Concilia universalia.

§. 1. Canonum [l] qvidem alii sunt statuta Conciliorum, alii decreta Pontificum, aut dicta Sanctorum. Conciliorum verò alia sunt universalia, alia provincialia, alia verò Episcopalia. Universalia sunt, qvæ sancti Patres ex universo orbe [m] in unum convenientes, juxta fidem Evangelicam & Apostolicam condiderunt.

l *can. 2. §. porrò. dist. 3.*

m *canon. 1. in princ. vers. sub hoc. distin. 15.*

In genere hîc notandum, Ecclesiam Christianam habere qvidem potestatem faciendi constitutiones, sed non nisi de actibus adiaphoris & mediis, qvas propterea veteres decreta potius, & κανόνας appellare maluerunt, qvàm νόμους. Socrat. *l. 3. c. 6. & l. 6. c. 36.* De actibus autem necessariis & ad essentiam fidei pertinentibus, normam & leges veluti fundamentales regni Christi, nullam condendi, sed judicandi tantùm potestatem habet, eamqve ipsam non nisi delegatam, ministerialem & ἐμμενετικὴν.

Conciliorum,] Concilii vox Varroni deducitur à conciliando, fullonum verbo, qvi lanam cogentes conciliare dicuntur, & ipsa eorum coactio, qvæ pedibus ferè peragitur, concilium appellatur. Hinc translatio facta est ad aliarum qvoqve rerum & hominum deniqve congregationem. Vid. Gellium *Noct. Att. l.15. c.27.*

alia sunt universalia] omittit nationalia seu Diœcesana, h. e. conventus Episcoporum & Metropolitarum cum patriarchâ suo. Et talia concilia plenaria vocabantur & universalia, siqvidem ea, qvæ hîc universalia vocat autor, Oecumenica olim plerumqve dicta fuerunt. Vid. Christoph. Justell. *in not. ad Codic. Canon. Eccles. African. p. 30. 31. 32.*

Universalia sunt, qvæ sancti Patres] Non Patres tantùm, sed & Laici qvaliscunqve ordinis. Unde Concilium solet appellari Ecclesia repræsentativa, non qvidem qvoad singula generum, sed qvoad genera singulorum, qvod constet ex omnibus ordinibus Ecclesiarum, qvi in Doctores & auditores dispescuntur.

Ex universo orbe] imò verò hoc videtur esse ἐκ τοῦ ἀδυνάτου. Rectius dicuntur Concilia universalia & Oecumenica, qvod plerique Christiani Orbis Episcopi, qvi facilè primas ferre putabantur, convenerint, & qvod ratihabitione decreta eorum à singulis Ecclesiis particularibus fuerint approbata. Aut verò dicuntur œcumenica Concilia non aliâ ratione, qvàm Imperator totius Orbis dominus *l.9. ff. ad L. Rhod. de jact.* Patuit enim tam latè eo tempore imperium, ut potissima Orbis Christiani portio Cæsaribus paréret, ac proinde cùm non unius nationis aut provinciæ, ipsorum jussu, sed totius Imperii convenerint Episcopi, ratione Orbis Imperii, non Terrarum Synodi fuerunt Oecumenicæ.

Initium universalium Conciliorum celebrandorum post Apostolos cœpit temporibus Constantini: & ipsorum celebrandorum est apud sedem Apostolicam authoritas.

n *canon. 1. in prin. dist. 15.*

§. 2. Qvorum[n] celebrandorum initium post sanctissimos Apostolos à temporibus Constantini Magni cœpit: ipse enim primus, cùm fervente persecutione docendarum plebium commoditas minimè daretur, Christianis, ut liberè congregarentur, facul-

tatem

tatem præstitit. Legitima [a] verò Conciliorum universalium aggregandorum potestas, & authoritas est penes sedem Apostolicam: * qvæ, si Romanus Pontifex interesse impediatur, unum vel plures speciales ad hoc legatos constituere solet.

a *distin. 17. in sum. in fin. & can. 1. & seq. d. dist.*

* *qvibus, fortè*

post sanctissimos Apostolos] Primum concilium ab Apostolis fuit habitum, *Act. XV.* qvod etsi neget Grotius *de imper. summ. potest. circ. sac. c. 7. n. 2.* non concilii, sed Collegii nomine conventum eum insigniendum putans, nihil tamen hactenus agit, præsertim ubi circumstantias temporis & personarum perpenderimus. Qvod autem Cardinalis Baronius *ad ann. XXXIII, n. 17.* concilium primum habitum vult *Matth. XVI, 13. seq.* in eo solidè jamdiu refutatus est Casaubono *Exercitat. 15. n. 9.* & Richardo Montacutio *part. 2. Orig. Eccles. pag. 159.*

à temporibus Constantini Magni] imò ante Constantinum plurima concilia recenset Franciscus Longus à Coriolano *in summ. Concil.* Sed excusari posset autor, qvod ante Constantinum imperativâ magistratûs convocatione nulla coierint concilia, sed precariâ tantùm, (h. e. unius vel plurium in Ecclesiâ cohortationibus) nisi infra convocandi potestatem soli Papæ transscriberet.

liberè congregarentur] Malè ex hoc conficit glossa, non reqviri ad celebrandum concilium consensum Imperatoris vel alterius Principis, qvod aliàs liberè congregatum dici non possit. Liberè enim dicitur congregari ideò, qvod non clam, nec refragante aut prohibente Magistratu congregari possit. Et imò, dum Constantinus facultatem præsticit, invito Imperatore & sine consensu ejus concilia liberè deinceps congregata nemo dixerit. Et frustra iterum est glossa, qvæ, repugnante Latinitate, per facultatem non jus, sed factum intelligit.

penes sedem Apostolicam] falsum hoc est. Uti enim in suo territorio princeps tantùm convocare potest concilia topica, sive diœcesana ea fuerint, sive provincialia, sive Episcopalia, non Patriarcha, non Metropolitanus, non Episcopus: ita concilia Oecumenica nec Papa convocare potest. Qvis ergò? cùm nemo totius terrarum Orbis teneat imperium?

Dico, fieri id posse à qvocunqve Principe summum imperium tenente, & partim vi imperii respectu suorum subditorum, partim precariò, petendo se & invitando reliqvos Terrarum dominos, ut suos ad Concilium ablegare velint. Sed frustra omninò est, de his disputare, cùm impossibile si, Eccle siâ in tot partes scissâ, & imperiis mundi tantâ hostilitate inter se collisis, u adhuc aliqvod Concilium generale & verè Oecumenicum celebrari possi Et testantur Historici, Pontificem valdè sibi metuere à generalibus synodis ne statui ejus officerent; & tanqvam ursum ad palum (qvod ajunt) reluctan tem accedere, ubi illas cogitur indicere. Gvicciardin. *hist. Ital. lib. 9. & 20* P. Jovius *hist. l. 2.* Ipsa tamen qvatuor illa concilia, qvæ Oecumenica vulgo dici solent, ab Imperatoribus Romanis convocata fuérunt. *Nicenum* nem pe à Constantino M. *Constantinopolitanum primum* ab Gratiano & Theodo sio, *Ephesinum primum* ab Theodosio juniore, & *Chalcedonense* ab Marciano Imperatore. Qvàm enixè Leo I. Papa Theodosium Imperatorem de con cilio convocando oraverit, videri potest apud ipsum Leonem *epist. 9. ad Theodos.* it. *ep. 12. ep. 23. 24.* Nolo hîc ulterius excurrere, tantùm adjician verba Cedreni, qvi Oecumenica Concilia sic dicta scribit, *διόλι ἐκ κελεύσεων βασιλικῶν οἱ κατ' πᾶσαν τὴν Ῥωμαίων πολιτείαν ἀρχιερεῖς μετεκλήθησαν* qvod imperiali auctoritate ac jussione omnes, qvi sub imperio Romano erant, sacerdotes ad ea convocarentur. Unde & Hieronymus, cùm de non legitimè convocatâ synodo exciperet, *Doce*, ait, *qvis Imperator hanc Synodum jusserit congregari, apol. ad Ruffin. l. 2.* Et huc faciunt verba Nicolai Cusani Cardinalis, qvi *lib. 2. de concord. cathol. c. 25.* ita scribit: *Autoritas concilii non ita dependet à congregatione, ut, nisi à Papa congregetur, non sit concilium. Qvia tunc omnia octo universalia concilia non fuissent firma, qvoniam per Imperatores congregata leguntur, & Romanus Pontifex ad instar aliorum Patriarcharum divales sacras jussiones de veniendo aut mittendo ad Concilium recepit.* Notabile est, qvod asserit Franciscus à Victoria *relect. 4. propos. 23.* propter injustas dispensationes vel alia mandata insolentia, qvæ in perniciem Ecclesiæ procederent, posse convocari & congregari concilium generale contra voluntatem Papæ, ut ei resisteret, & obviaret ejus insolentiæ. Id verò qvomodo conciliari possit cum verbis Bellarmini superius adductis, papam sc. præcipiendo vitia, ea facere bona, atqve ita credere debere Ecclesiam, nondum video.

ad hoc legatos] Atqvi insolens id olim fuit, per legatos comparere. Antiqvitus enim ipsimet Pontifices Conciliis adfuérunt, eaqve res plurimam dedit occasionem deliberandi circa initium concilii Tridentini.

tini. Vid. Petr. Svav. *histor. Concil. Trid. l. 2. p. 121.* Et qvid verò necesse est legatos cò mittere, cùm ne his qvidem præsentibus in concilio legitimè convocato qvicqvam decerni possit firmiter, nisi accesserit confirmatio Pontificis, uti absurdè vult Theophilus Raynaudus Jesuita *lib. de coron. aur. supr. mitr. Pontif. p. 362.*

Qvatuor sunt principalia Concilia: Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Calcedonense.

§. 3. Inter [b] cætera autem Concilia qvatuor sunt, qvæ totam principaliter Christianam fidem complectuntur, qvasi qvatuor Evangelia: Nicæna Synodus scilicet, Constantinopolitana, Ephesina, & Calcedonensis: in qvibus velut in qvadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit.

[b] *can. 1. §. inter cætera. & can. se. distin. 15.*

qvatuor sunt] Græci addunt alia tria, Constantinopolitanum II, Constantinopolitanum III. & Nicænum II. Sed illa ab omnibus non fuérunt agnita, præsertim cùm de Nicæno II. constet, multos id fovisse errores idololatricos, propter qvos nec septimum nec universale dici debere, pronunciatum deinceps in Synodo Francofurtensi, uti referunt Centuriatores Magdeburgenses. Reliqva verò, qvæ qvatuor istis Pontificii adhuc addunt, qvinqve nempe Lateranensia, duo Lugdunensia, unum Viennense, unum Florentinum & Tridentinum unum, omnia sunt illegitima, & hinc conciliabula potius dicenda, qvippe qvæ nec legitimâ autoritate, nec ex aliis qvàm Romano Pontifici obnoxiis Episcopis coacta, nec ferè res Ecclesiæ, sed bella potiùs, Imperatorum exauctorationes, & alia Ecclesiæ curam non concernentia tractaverint.

qvasi qvatuor Evangelia] Non consistunt in pari gradu Evangelia & qvatuor illa concilia. Qvatuor enim Evangeliis credimus, utpote θεοπνευστοις, propter semetipsa. Conciliorum verò decretis non item, nisi ea, qvæ credenda, vel facienda aut omittenda proponunt, per Scripturas S. probare possint. Qvæ enim in Scripturis dicuntur, à nullâ aliâ revelatione dependent, qvæ autem in Conciliis definiuntur, dependent à revelatione superiori. Etsi igitur in Conciliorum Decretis & Episcoporum Scriptis

Scriptis invenitur eadem veritas, qvæ in Sacrâ Scripturâ, longè tamen impar eſt autoritas, nec ullo modo canonicæ Scripturarum excellentiæ coæqvatur. Vid. Auguſtin. *lib. II. contr. Fauſt. c. 5.* Add. Dorſche. *de concil. Nicen. ſect. 1. §. 46.*

Sanctæ fidei ſtructura conſurgit] imò verò conſurgit potius ſuper Scripturâ ſacrâ, qvippe qvæ norma eſt & fundamentum eorum, qvæ in Concilio decernuntur.

Inter diſcordantia Concilia proponitur ſententia ejus, qvi eſt majoris authoritatis.

§. 4. Alia verò Concilia, qvæ ductu ſancti Spiritus congregata & celebrata fuerint, proximum ab iſtis ſibi locum vendicant. Qvòd ſi qvando inter ea diſcors ſententia inveniatur, illius ſententia magis eſt tenenda, cujus antiqvior & major eſt authoritas.

Alia verò concilia] Reliqva ergo, qvæ dicuntur à Pontificiis concilia Oecumenica, tantæ autoritatis non ſunt, qvantæ iſta qvatuor.

ductu ſancti Spiritus] Non arbitror, eſſe Autorem ejus ſententiæ, ut comminiſcatur cum Sylveſtro Prieriate, Alfonſo à Caſtro & aliis, infundi Epiſcopis in Concilio ſedentibus ſupernaturalem aliqvem habitum ſcientiæ anteà non inexiſtentis, per qvem infallibiliter decernant de rebus qvæſitis. Aliàs enim ductum Spiritus S. in conciliis legitimè convocatis & ordinatis non negamus. Et imò in Conciliis Oecumenicis maximè neceſſarius ille eſt propter promiſſionem infallibilitatis factam toti aggregato fidelium.

cujus antiqvior & major eſt autoritas] imò verò, qvod magis convenit Scripturæ, aut qvod in ritualibus magis convenit temporibus præſentibus. Seqvitur autem hinc inter concilia eſſe poſſe diſcordiam. Ubi autem diſcordia eſt, ibi error in alterutro ſubeſt, & à veritatis viâ deviatio. Gloſſa qvidem *ad c. domino diſt. 50.* explicat hæc verba de conſtitutionibus Conciliorum particularibus, non autem univerſalibus. *Intellige*, inqvit, *cum amba conſtitutiones ſunt particulares & locales, ſed ſi amba*

amba ſunt generales, ſemper poſterior præjudicat. At ſi de particularibus & localibus ſermo eſt, erit de qvæſtionibus morum, ceremoniarum & facti. Nam qvæ ad fidem ſpectant, generalia ſunt & univerſalia. Negat autem Bellarminus *l. 2. de concil. c. 2. §. ad hæc &c.* capitulum hoc loqvi de qvæſtionibus facti & morum, ideoq; id intelligit de conciliis, qvorum non eſt certa autoritas, qvæ videlicet non ſunt à Pontifice expreſsè confirmata. Sed enim, qvæ concilia planè nullam à Pontifice Romano confirmationem accepérunt, iſta planè non ſunt tenenda, ſecundum Pontificios. Neqve enim certam & minimè fallacem ſubminiſtrare poſſunt regulam. Loqvitur verò capitulum de iſtis conciliis, qvorum ſententia tenenda eſt, apud qvæ eſt aut antiqvior aut potior autoritas. Imò loqvitur de geſtis conciliorum in univerſum, non de geſtis conciliorum incertæ autoritatis. Præterea ſumit in reſponſo Bellarminus illud, qvod ipſi non conceditur, ſcil. peculiare aliqvod jus conciliorum confirmandorum competere Pontifici Romano.

Provincialia Concilia qvæ ſint, & qvam authoritatem habeant.

§. 5. Provincialia [c] Concilia ſunt, qvæ propter Eccleſiaſticas cauſas & altercationum ſedationes per ſingulas provincias, convocante Metropolitano Epiſcopo omnes provinciales Epiſcopos, & cathedralium Eccleſiarum capitula, celebrari placuit. Hæc autem neqve diffiniendi [d], neqve generaliter conſtituendi vim aliqvam habent: ſed tantùm curandi, ut id ſervetur, qvod aliàs ſtatutum eſt, & qvod generaliter, ſeu ſpecialiter obſervari præceptum eſt: licet interdum & qvæ ab his rectè ſtatuta ſunt, etiam Catholica Eccleſia ſuſcipiat.

c *diſtin. 17. per totum*; & *can. propter. diſtin. 18.*

d *d. diſtin. 18. in ſum.*

Hæc autem neq; definiendi] qvidni? cùm in conciliis non reveletur ulla nova deciſio divina, ante non extans in ſacro Codice, ſed feratur tantùm ſententia de ſenſu revelationis jam ante de tali qvæſtione fa-

ctæ & in Codice ſacro conſignatæ. Cur ergò prohibeatur Concilium particulare deciſionem iſtam in Scripturis inveſtigare, & certi qvid ſtatuere? Sanè, qvia multa ſibi Pontificii fingunt concilia generalia, fieri de iis poteſt, qvod in colloqvio Poſſiacenſi dixiſſe fertur Galliæ Cancellarius, errorem concilii generalis à Nationali pluries correctum, apud Petr. Svav. *hiſt. Concil. Trident. l. 5. p. 508.*

neqve generaliter conſtituendi] ita ut in aliis Eccleſiis obtineat & obliget. Videtur autem Autor vocabulum *conſtituendi* ad diſciplinam Eccleſiaſticam & mores referre: *definiendi* autem ad dogmata fidei, qvemadmodum etiam Διατυπώσεις olim & ὅροι diſcernebantur, ita ut Διατυπώσεις ad doctrinam de fide ſtabiliendam ſpectarent, ὅροι verò ad diſciplinam Eccleſiaſticam. Dorſch. *ad Concil. Nican. ſect. 3. §. 1.*

Qvæ ſint Epiſcopalia concilia, & qvi ipſis ligentur.

§. 6. Epiſcopalia concilia ſunt, qvæ Epiſcopus in ſua Diœceſi ſingulis annis [c] convocat, dum inter ſuos Abbates, Presbyteros & Clericos cognoſcit. In iis, ſi qvid ab Epiſcopo ſtatutum fuerit, nec ſubditi extra Diœceſim conſtituti, neqve ignorantes (niſi ſit ignorantia ſupina) ligantur. Qvamobrem paſtoralis officii cura poſtulat, ut, qvæ in illis conſtituta fuerint, Epiſcopus ſuis plebibus nota facere non omittat.

[c] *can. pen. in palea, 18. diſt. & cap. ſicut olim. extrà, de accuſ.*

qvæ Epiſcopus in ſuâ diœceſi] Ita qvidem diœceſis haud rarò Epiſcopatum ſeu territorium Epiſcopi denotat. Aliàs autem etiam pro provinciâ uſurpatur, utplurimum verò pro complexu multarum ſimul provinciarum, qvæ in unum coactæ per præfectos prætorio & eorum vicarios regebantur, qvarumqve Eccleſiis ſimul omnibus patriarcha præerat. Vid. Chriſtoph. Juſtell. *in not. ad Canon. concil. African. p. 65. 66. & ad cod. canonum Eccleſ. univerſ. pag. 219.* Propriè autem territorium illud vel regio univerſa, qvæ ſub Epiſcopo Civitatis erat, ἐπαρχία dicebatur & παροικία, pro-

vincia

Digitized by Google

vincia verò, qvæ ſub metropolitano, ἐπαρχία dicebatur; Complexio tandem plurium provinciarum ſub Patriarcha, διοίκησις.

ſingulis annis] Videtur hoc conſtitutum propter ſimplicem, qvam falsò aſſerunt, neceſſitatem conciliorum particularium. Vid. Bellarm. *l.1. de conc. c.1.* Concedamus verò neceſſaria ea qvandoqve eſſe, non tamen neceſſitate ſimplici, ſed neceſſitate expedientiæ, h.e. ut finis, qvi à Chriſtianis ſingulatim ex ſcripturis haberi poteſt, ab iisdem conjunctim per ſcripturam melius acqviratur.

nec ſubditi extra diœceſin] qvia extra territorium jus dicenti impunè non paretur.

neqve ignorantes] qvanqvam enim lex ipsâ ſui promulgatione vim obligandi habeat; actu tamen ipſo illos tantùm ſub peccato vel pœnâ obligat, qvi ejus noticiam accepérunt, vel accipere culpâ ſuâ neglexérunt. Vid. omninò Petr. de Marca *de concord. ſacerdot. & imp. l.2. c.15.*

nota facere non omittat] Promulgatio enim eſſentiam Legis ſuo concurſu complet, ita ut nulla ex eâ naſcatur obligatio, niſi promulgetur & ſubditis innoteſcat. Thom. Aqv. *1.2. qv.90. art.4.*

Decretæ pontificum Romanorum æqvipollent Decretis conciliorum.

§. 7. Decreta [f] qvoqve Pontificum Romanorum Canonibus Conciliorum pari poteſtate exæqvantur. Nam ſi id demum hodie probatur, qvod ſedes Apoſtolica probavit, & qvod illa repulit, rejicitur: multò magis qvæ ipſa pro Catholica fide, pro ſacris dogmatibus diverſo tempore ſcripſit, debent ab omnibus reverenter recipi.

[f] *can.1. per totum diſt.19.*

pari poteſtate exæqvantur] Negamus hoc & habemus inter argumenta faſtûs papalis. Et tamen exiguum hoc eſt ad illud, qvod habetur *c. in canonicis 7. diſt.19.* ubi Gratianus, ut Papæ dignitatem aſſereret, Auguſtini textum impudenter corrupit, & Epiſtolas decretales inter ſcripturas Canonicas protervè ſatis retulit. Ita etiam qvi juſſu Gregorii XIII.

Decretum Gratiani recenſuérunt, ex libris Deusdedit Cardinalis dictum Bonifacii, qvod habetur *c. ſi Papa. diſt. 40.* auctius proponunt, & hæc qvoqve inſerunt: *Revera tantâ reverentiâ apicem Apoſtolicæ ſedis omnes ſuſpiciunt, ut nonnullam ſanctorum canonum diſciplinam & antiqvam Chriſtianæ religionis inſtitutionem magis ab ore præceſſoris ejus, qvàm à ſacris paginis & paternis traditionibus expetant: illius velle, illius nolle tantùm explorunt, ut ad ejus arbitrium ſuam converſationem & ipſi remittant aut intendant.* In temporalibus tamen non eandem tribuunt pontificiis conſtitutionibus autoritatem, & peccatum non committere dicunt, ſi qvis non obtemperaverit. Diſertè Thomas Hurtado *in reſol. moral. tract. 1. reſol. 7. licet ſit prohibita ars aliqva lege civili vel à pontifice, ut domino temporali, forſan illâ uti non eſt peccatum. Sic non peccant, utentes arte chymicâ, qvamvis Johannes XXII. eam prohibuerit,* &c.

Nam ſi id demum hodiè probatur] Falſum & hoc eſt, & ex neqviſimâ Hildebrandi tyrannide profectum. Sanè decreta qvædam in concilio Chalcedonenſi, nominatim canonem 28. nec Leo Papa, nec alii probárunt, qvippe qvo Monarchia papalis profligata & thronus Conſtantinopolitanus Romano exæqvatus fuit, fruſtra proteſtantibus Legatis Romanis. Et tamen iſtud decretum valuit etiam invito Romano Pontifice, & Concilium propterea non fuit habitum pro illegitimo. Et ſi valeret aſſertio Autoris, Patres Orthodoxi jam olim objecta ſibi hæreticorum concilia exceptione hâc elidere potuiſſent, qvâ tamen uſi non fuérunt. Auguſtinus ſiqvidem Concilii Ariminenſis autoritate preſſus non repoſuit, Concilium iſtud ab Romano Pontifice non fuiſſe approbatum vel convocatum; ſed Nicænum Concilium oppoſuit. Vid. ejus *l. 3. contra Maximinum Epiſcopum Arianorum T. 6. Oper. col. 733.* Sed & plus tribui debere Concilio, ſi qvid definitum in eo fuerit, qvod admittere nolit Pontifex, antehac agnovit Johannes de Turrecremata *de Pontif. max. ad Baſil. Orator. reſponſ. n. 67. & 68.* cujus hæc ſunt verba: *Si talis caſus contingeret, qvod Patres univerſi in Synodo univerſali convenientes unanimiter aliqvam definitionem fidei facerent, cui ſola perſona Papæ contradiceret, dicerem judicio meo, qvod Synodo ſtandum eſſet & non perſonæ Papæ. Judicium enim tantorum Patrum univerſalis unius ſynodi in materiâ fidei meritò præferendum videtur judicio unius hominis.* Gemina his Franciſci Victoriæ verba adduxi ſupra. Sanè ſubjicit ſe Pontifex octo Conciliis Oecumenicis, uti formula obligationis habetur *c. ſancta. diſt. 16.* qvod arguit ejus autoritatem multò inferiorem, qvàm eſt autoritas iſtorum conciliorum. Cur enim ſe ita ad determinationes conciliorum

Digitized by Google

ciliorum obstringeret? cur non & illis spiritum, vim, & robur largitur? cur obligatur, si eundem spiritum infallibiliter assistentem habet, qvi illis Pontificibus adstitit, per qvorum autoritatem, scilicet, ista confirmata fuerunt. Dum ergò obligatur ad autoritatem conciliorum, simul subjicitur iisdem, & sic inferiorem se profitetur.

qvod sedes Apostolica] ita κατ' ἐξοχὴν dici vult Ecclesia Romana, aut potius papa, cùm tamen olim qvælibet sedes metropolitana, imò qvælibet etiam sedes Episcopalis, diceretur apostolica. Autor Eucharistici ad Jacob. Sirmond. missi *p. 564. 565.* Sidon. Apoll. *lib. 6. ep. 1. & Savar. in not. p. 363.*

pro catholicâ fide] Non enim disponit Pontifex circa negocia merè temporalia, nisi qvat. necessarium est, vel valdè opportunum pro salute animarum, uti notat Bellarminus *l. 5. de Roman. Pont. c. 1. seq.* Francisc. Svarez *l. 3. de legib. c. 6.* Joh. de Salas *disp. 7. sect. 4.* Id uti in patrimonio D. Petri ei non invidemus: ita extra illud in alieno territorio non nisi cum injuriâ domini, tali potestate utitur. Ecclesia enim qvaliscunqve sit, non potest præcipere qvicqvam circa temporalia, nisi princeps temporalis id confirmet. Vid. Marc. Anton. de Dominis *de Repub. Eccles. lib. 5. & 6.*

debent ab omnibus reverenter recipi] Non debent recipi, qvia œcumenicum istum Papæ principatum pro figmento habemus & damnamus. Qvod si decretum Papæ Scripturæ S. fuerit conforme, nec tum qvidem recipi id debet, ut decretum Papæ, & proinde nec reverenter, sed ut jam ante in Scripturis traditum. Ipsi Pontificii sæpè disqvirunt, num bullæ papales in hoc aut isto Regno receptæ sint, uti factum circa bullam Gregorianam de Sacerdotibus sollicitantibus in confess. Vid. Thom. Hurtad. *tr. 4. resol. moral. cap. 2.* Disertè enim statuunt, legem pontificiam non obligare universam Ecclesiam, nisi publicetur in singulis provinciis, nec sufficere, si promulgetur Romæ tantùm. Idem Hurtad. *tr. 4. c. 8. resol. 60. n. 791.* Et non frustrà dubitat Cujacius *ad c. 38. X. de appell. recus.* utrum constitutiones papales, qvæ ad Angliam pertinent, obstringant alia regna. Sed & post Cynum ingenuè fatetur Petrus de Ferrar. *in prax. tit. 52. n. 45. & 47.* plurimas decretales compositas esse sine ratione, contra jus divinum, ad beneplacitum, & ex imperitiâ eorum, qvi deliberationibus adhibiti fuerint. Et *tit. 33. n. 3.* fatuitatis arguit Imperatores, qvòd tales errores, qvalem inesse dicit capitulo *28. X. de juram.* in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

jurisdictione suâ tolerent. Observo insuper, distingvi à Doctoribus decreta Pontificum, qvæ per modum præcepti dantur, ab iis, qvæ per modum legis aut constitutionis fiunt. Illa, ut maximè generalia sint, non durare volunt post mortem Pontificis præcipientis, sed unà cum eo expirare; hæc verò perpetua esse ajunt. Thom. Hurtad. *tr. 4. c. 8. resol. 47. numer. 589.* Ubi ego vellem mihi characterem exponi, per qvem dignosci possint præcepta generalia à constitutionibus. Nec profectò Pontificum pronunciata cathedralia tàm evidentia sunt, ut convincant. Qvin inter ipsos Pontificios perqvam multi dubitare & disputare cœperunt de iis, qvæ ex cathedrâ jam ut certa & indubitata præscripserat & definiverat Papa. Longum istarum controversiarum catalogum texit Dorscheus *in Pentadecad. dissert. 1. in fin.* Ut taceam jam, errâsse sæpissimè & in hæresin prolapsos esse Pontifices Romanos, sæpissimè etiam, qvæ definita jam à Pontificibus fuerunt, à successoribus contrariis definitionibus fuisse eversa. Vid. *Extravagant. Joh. XXII. ult.* Calixt. *in respons. Moguntinis opposito part. 2. n. 8. seqq.* Joh. del Castillo *qvotidian. controv. jur. part. 2. c. 29.*

Scripta Sanctorum non inserta Juri communi, secundum, post decreta Pontificum Romanorum, locum obtinent.

a *distinct. 20. per totum.*

§. 8. Alia [a] sanè est causa eorum, qvæ sancti viri, vel sacræ paginæ interpretes scripta reliqverunt: nam qvæ sacris canonibus interserta comperiuntur, parem cum eis obtinent firmitatem, cætera verò post scita Pontificum authoritatem tenent: nam licet divinarum scripturarum interpretes scientiâ Pontificibus interdum præcellant, qvia tamen statuendi potestate destituuntur, in scripturis qvidem exponendis, illis qvandoqve præponuntur: in causis verò diffiniendis, secundum post eos locum habere merentur. Aliud est [b] enim causis terminum imponere,

b *§. sed aliud. in sum. d. dist. 20.*

Digitized by Google

nere, aliud ſcripturas diligenter interpretari, cùm in negociis diffiniendis non ſolùm neceſſaria ſit ſcientia, verùm etiam poteſtas.

parem cum eis obtinent firmitatem.] qvia tùm per autoritatem Pontificis ſunt confirmata. Scilicet!

cætera verò poſt ſcita Pontificum.] Unde impudentisſimè Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus *comm. ad Roman. 14. Ego*, inqvit, *plus uni ſummo Pontifici crederem in his, qvæ fidei myſteria tangunt, qvàm mille Auguſtinis, Hieronymis, Gregoriis &c. qvod ſummus Pontifex in his, qvæ fidei ſunt, errare non poteſt.* Et Gretſerus *lib. de modo & more corrigendi &c.* patres & ſcripta Patrum ſubjicit Eccleſiæ, h. e. Papæ judicio, atqve expurgari ea & corrigi poſſe contendit, ſi qvid ſcripſerint ab ejus ſententiâ diſſonum. Scilicet hæc ſunt illa κρησφύγετα, qvibus utuntur Pontificii, qvando Monarchiam papalem infirmis tibicinibus ſuſtentam vident.

interdum præcellant] Fuerunt enim pontifices qvidam planè rudes & illiterati..

ſtatuendi poteſtate deſtituuntur] Statuendi poteſtatem largiamur Pontifici in ſuo territorio. Extra illud ubi exercere eam præſumſerit, dico nec Patrum ulli eam competiiſſe, nec hodiè Pontifici, ſive de fide ſtatuere qvid velit ſive circa diſciplinam Eccleſiaſticam.

illis qvandoq; præponuntur] Siqvidem res fidei juxta Scripturas ſunt definiendæ, & Scripturarum germana expoſitio non in poteſtate conſiſtit, ſed in cognitione.

in cauſis verò definiendis] Qvid eſt, qvod opponit autor *ſcripturas exponendas & cauſas definiendas?* Numqvid ergò ſuperiores erunt patres in iis, qvæ fidem ſpectant, pontifex verò in iis, qvæ mores concernunt, & diſciplinam Eccleſiaſticam? Ita qvidem ex poſitu verborum videtur, præſertim cùm qvas cauſas nuper dixerat, easdem mox negocia appellet. Sed diſtinctiunculam hanc inter cauſas & qvæſtiones Eccleſiæ, Sophiſtarum effugium dicit, & qvæſtiones fidei etiam cauſas Eccleſiæ eſſe oſtendit Johannes Hartus *in colloq. cum Joh. Rainold. p. 370.*

Sit

Sit ita ; numqvid ergò Pontifici potiùs perverſum aliqvem Scripturæ ſenſum proponenti aſſentiendum fuerit, qvàm Patri uni aut pluribus verè & orthodoxè interpretantibus, & eam tantùm ob cauſam, qvod ille definiendi poteſtate polleat, hi verò eâ deſtituantur? Ita qvidem Svarez *in 3. com. 1. qv. 2. art. 2. diſp. 42. ſect. 1. Definitio*, inqvit, *Pontificis omninò vera eſt, & ſi dictis omnium ſanctorum eſſet contraria, illis eſſet præferenda.* Patet verò inde, qvàm gnaviter Canoniſtæ in adſtruendo Papali jure ſint impudentes. Et unde qvæſo, aut qvando data eſt illa Pontifici definiendi poteſtas? Hic ſcil. recurrunt ad veterem ſuam cantilenam, qvâ Chriſtum Petro ſoli jurisdictionem in oves ſuas commiſiſſe, Papam verò in omnibus Petro ſucceſsiſſe, ad nauſeam usqve & multâ cum vanitate recantant. Qvæ aliàs de infallibilitate Pontificis fabulantur, talia ſunt, ut fidem & veritatem ſuperent, nec ullo alio fundamento nitantur, qvàm eâdem illâ jactatâ toties & fruſtrà laudatâ Petri ſucceſsione.

Jus Canonicum verſatur circa perſonas, res, & judicia.

§. 9. Verſatur autem Jus Canonicum circa tria: circa Perſonas, Res, & Judicia. Verùm qvia poſteriora duo ad perſonas referuntur, videamus priùs de perſonis: parùm enim eſſet illa noſcere, ſi perſonæ ignorentur: qvarum causâ illa ipſa conſtituta ſunt, & per qvas ea omnia adminiſtrantur.

circa tria] vid. qvæ notant Juris Civilis Interpretes *ad §. f. Inſt. de Jur. nat. gent. & civ.*

DE JURE PERSONARUM.

TITULUS IV.

Chriſtianorum qvidam ſunt Laici, qvidam Clerici, & Clericorum qvidam ſunt in ſacerdotio conſtituti, qvidam in ſacris non in ſacerdotio, qvidam nec in ſacerdotio nec in ſacris.

Perſonarum [c] genera duo ſunt: unum Laicorum, alterum verò Clericorum. Laici, qvi & populares dici poſ-

[c] *can. duo ſunt genera. 12. q. 1.*

ci poſſunt; ſunt, qvibus licet temporalia poſsidere, uxorem ducere, cauſas agere, inter virum & virum judicare. Clerici ſunt, qvi divinis officiis mancipati ſunt, & qvos ab omni ſtrepitu ceſſare convenit. Videamus igitur de iis, qvi divinis officiis ſunt aſcripti: nam ſi cognoverimus, qvæ iſtæ perſonæ ſunt, ſimul etiam & qvi Laici ſint, intelligemus. Horum autem qvidam ſunt in ſacerdotio, qvidam in ſacris, qvidam nec in ſacerdotio nec in ſacris. Rurſus, eorum, qvi in ſacerdotio conſtituti ſunt, qvidam ſunt in altiore gradu vel ordine poſiti, qvidam verò in inferiore. Videamus igitur primùm de his Sacerdotibus, qvi in altiore gradu poſiti ſunt, proximè de his, qvi in inferiore, ac ſubinde de his, qvi tantùm in ſacris ordinibus conſtituti ſunt, viſuri & demum de his, qvi nec in ſacerdotio nec in ſacris reperiuntur.

Unum Laicorum] Vocabula Clerici & Laici qvat. ferenda ſint in Eccleſiâ, vid. Nicol. Vedel. *exercit. 2. in Ignat. Epiſt. p. 66.* Rectiùs dividuntur apud nos perſonæ, qvatenus conſtituunt ordines Eccleſiæ, in Doctores & Auditores. Cleri enim nomine in Scripturis tota venit Eccleſia, non ſola turba raſa & uncta, uti apud Pontificios. Vid. Menzer. *in exeget. A.C. art. 14. p. m. 640.* Poſtqvam autem diſtinctio inter Clericos & Laicos invaluit, Canones deſtruere cœperunt ſtatum Laicorum, ut ampliarent ſub qvâdam ſimulatâ conſcientiâ ſtatum Clericorum, uti loqvitur Petrus de Ferrariis *in practic. tit. 41. n. 17.* Fuiſſe autem hoc nomen illis, qvi miniſteria cultui divino impendunt, jam tùm Conſtantini tempore proprium & ἐξαιρετὸν factum, patet ex *l. 2. C. Theodoſ. de Epiſcop.*

qvibus licet temporalia posſidere] Hæc deſcriptio non diſtingvit Laicos à Clericis, cùm fatente Gloſsâ etiam Clericis temporalia posſidere, cauſas agere, inter virum & virum judicare liceat. Sed de ſingulis his, qvatenus Clerico permittantur, alibi commodiùs.

qvidam ſunt in ſacerdotio] Pontificii per ſacerdotium tale intelligunt munus, qvo verum ſacrificium peragitur, & Sacerdotes hinc ſuos verè ſacrificare contendunt. Sed nos in Eccleſiis noſtris cùm id non admittamus, propterea qvod poſt ſacrificium in cruce peractum omnis ſacrificiorum uſus deſierit, totam hanc diſtinctionem in eo ſenſu, qvem Pontificii venditant, rejicimus. Vid. qvæ notavimus infr. *ad tit. XXII. §. diximus.* Aliàs non nego, diſtinctos fuiſſe jam circa tempora Conſtantini Magni Clericorum ordines, & alios qvidem Sacerdotes, alios miniſtros dictos. Illi alibi ἱερατικοὶ, hi ſpeciali ſignificatu κληρικοὶ appellantur, idq; discrimen in aliqvot capitulis Synodi Laodicenæ occurrit. Vid. Jacob. Gothofr. *ad l. 7. C. Theodoſ. de Epiſc.*

DE EPISCOPIS, ET SUMMO PONTIFICE.

TITULUS V.

Epiſcoporum ordo eſt tripertitus, & Patriarcha primum poſt Papam locum tenent.

§. 1. In altiori gradu conſtituti ſunt Epiſcopi. Eſt autem Epiſcoporum [a] ordo tripertitus: Alii enim ſunt Patriarchæ, ſive Primates: Alii Archiepiſcopi: Alii ſimpliciter Epiſcopi. Patriarchæ [b] ſunt, qvi primum poſt Romanum Pontificem tenent locum: qvales Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Hieroſolymitanus, Antiochenus. Appellantur autem Patriarchæ, qvia ſummo honore funguntur, qvaſi Patrum principes: unde ob dignitatis excellentiam, & crucem

a *can. 1. verſ. ordo. diſtin. 21.*

b *d. can. 1. §. Patriarcha.*

Digitized by Google

cem [c] iis deferre, & ab Episcopis, & Archiepiscopis appellationes recipere jure permittitur.

[c] *can. antiqvæ patriarchalium. ext. de privileg.*

In altiori gradu constituti sunt Episcopi] Augustinus epist. 19. Episcopum Presbytero majorem esse dicit, secundùm honorum vocabula, qvæ jam Ecclesiæ usus obtinuit. Et Chrysostomus inqvirens in rationem, qvare Apostolus *1. Tim. 3.* ab officio Episcoporum illicò descenderit ad descriptionem officii Diaconorum, omissis presbyteris, eam tandem amplectitur, qvòd non multum interfit inter ordinem Episcoporum & Presbyterorum. *Nam & Presbyteri* (inqvit) *assumpti sunt ad docendum populum, & ad præfecturam Ecclesiæ, ideoq; qvæ de Episcoporum ordine dixit, etiam Presbyterorum ordini congruunt. Solâ enim impositione manuum adscenderunt Episcopi supra Presbyteros, & hoc solùm lucri videntur præripuisse Presbyteris,* δοκῶσι πλεονεκτεῖν τὰς πρεσβυτέρους. qvæ verba ostendunt, prælationem Episcopi non ex jure divino esse, uti fabulantur Pontificii, sed ex usurpatione, accedente consvetudine aut potiùs præscriptione. Talia plura occurrunt apud Hieronymum, Theodoretum & alios. Qvæ cùm concoqvere non posset Michael Medina *lib. 1. de sacror. homin. contin. c. 5. in Hieronymo*, inqvit, *& Græcis illis Patribus olim, propter eorum honorem & reverentiam hæc sententia aut dissimulabatur aut tolerabatur.* Et Dominicus Soto in *4. dist. 24. qv. 2. a. 2. Ut ego ingenuè fatear, arbitror, Hieronymum in eâ fuisse opinione, qvod primitùs de jure divino nullum erat discrimen.* Sanè non falsus fuit Soto, neqve solus fuit Hieronymus, qvi in eâ fuit opinione. Nihilominus Pontificii anathema dicunt, si qvis dixerit, Episcopos institutione divinâ non esse Presbyteris superiores. *Conc. Trid. sess. 23. c. 6. & 7.* Nolo longiùs excurrere, & qvomodo etiam Diaconi sacerdotibus qvandoqve accensiti fuerint, prolixiùs exponere. Colligere tamen id licet ex verbis Optati Milevitani *lib. 1. adverſ. Parme. Qvid commemorem*, inqvit, *Diaconos in tertio, qvid Presbyteros in secundo sacerdotio constitutos.*

Episcoporum ordo tripartitus] imò qvadripartitus ex Orig. *lib. 7. c. 12.* scilicet in Patriarchis, ArchiEpiscopis, Metropolitanis atqve Episcopis. Sed est tamen apud Scriptores Ecclesiasticos ArchiEpiscopus aliqvando idem qvod Patriarcha, aliqvando cum Metropolitano coincidit. Rainold. *in Colloq. cum Hart. p. 369.*

sive Primates] *Primates & Patriarcha diversorum sunt nominum, sed ejusdem officii,* inqvit Gratianus *dist. 99. pr.* Sed enim, uti ἔξαρχος apud Græcos, ita Primas apud Latinos tàm in civilibus qvàm Ecclesiasticis nunqvam peculiare certæ cujusdam dignitatis aut præfecturæ nomen fuit, sed omnibus commune, qvi qvacunqve in re primi, cuicunqve rei vel officio præfecti præpositiqve fuére. Sanè in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ, qvem edidit Christophorus Justellus *can. 17. 18. & 19.* primæ sedis provinciæ Episcopi, h. e. Metropolitani dicuntur primates. Per Gallicanas verò regiones non alii vulgò primates vocari consveverunt, qvàm qvi primas sedes in unaqvâqve diœcesi tenebant. Cæterùm Felix Papa nullum Metropolitanum appellari primatem voluit, solis primarum sedium patriarchis hoc nomine servato. Sed neutrum receptum esse nec observatum, ostendit Autor Eucharistici Jacobo Sirmondo pro adventoriâ *de region. & Eccles. suburbicar. missi p. 533. 535. 536.* Videntur autem ab initio Patriarchæ tantùm inter hæreticos fuisse, & nomen istud seriùs inter Ecclesiasticas dignitates freqventari cœptum, qvod ex Hieronymi *epist. 54.* & aliis Scriptoribus enucleatè tradit Dav. Blondell. *in Pseudolsidor. ad Anacleti Epist. 2. pag. 127. & ad Zephyrini Epist. 1. pag. 254.* Ad Judæos verò eorum originem refert Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imper. l. 1. c. 3.*

qvi primum post Romanum] Ita sc. Pontificii Asscntatores Papam suum diversi ordinis esse volunt, ac longè majoris, qvàm Patriarchas, utpote qvi Patriarchas omnes infra se positos cernat. *Processu temporis* (inqvit Onuphrius Panvinius *in annot. ad Platin. sub Bonifac. III.*) *illud usurpari cœptum, ut ambo Episcopi, Romanus scil. & Constantinopolitanus, Oecumenici, i. e. universales appellarentur, hic qvidem universalis Patriarcha, ille verò universalis Papa. Auditumq; ut Papæ nomen solus Romanus Pontifex, cùm ante omnibus commune esset Episcopis, retineret, qvo uno & illo tantùm particulari nomine potestatis ejus dignitas & supra cæteras Ecclesias vetus prærogativa designaretur; cæteri verò qvatuor Episcopi præcipuarum sedium, videlicet Constantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ & Hierusalem Patriarchæ vocarentur.* Conf. Petr. de Marcâ *de concord. sacerd. & imp. l. 1. c. 5. n. 5.* Cæterùm cùm Gregorius Magnus per nomen Episcopi Oecumenici (qvo se dici volebat Johannes Patriarcha Constantanopolitanus) talem intelligeret Episcopum, qvi solus velit esse Episcopus, à qvo cæteri ita dependeant, ut, qvicqvid habeant Episcopalis potestatis, id totum illi acceptum ferant, & teneant tantum, qvantum ille concesserit, & usqve dum revo-

Digitized by Google

revocaverit, plurimis in epistolis acerbè titulum istum perstrinxit & insectatus est. Vocabulum *universalis Episcopi* dicit esse nefandum, profanum, stultum, superbum, perversum, temerarium, scelestum &c. *l. 3. epist. 38. 39.* & in *Epist. 30. lib. 6.* Anti Christi præcursorem dicit, qvisqvis se universalem Sacerdotem vocat. Tantâ sc. severitate huic Pontifici Pontificatus, qvalis postea exortus est, damnatur. Conf. *c. 3. 4. & 5. dist. 99.*

Constantinopolitanus] qvi secundum hunc locum accepit in Concilio Constantinopolitano Oecumenico, *can. 5.* In Concilio Chalcedonensi, *can. 28.* non confirmata tantùm est hæc dignitas, sed præter istâ πρεσβεία τῆς πρώτης nova τῆς ἐξαρχίας πρεσβεῖα ei collata fuérunt, ut sc. potestatem haberet ordinandi Metropolitanos Ponticæ, Asianæ & Thracicæ diœceseon, qvi antea à Provinciæ suæ Episcopis ordinati fuerant. Vid. Autor Eucharistici ad Jacob. Sirmondum missi *part. 2. c. 2.* Illud frivolum est, qvod Theophilus Raynaudus Jesuita characteristicam sedis verè Patriarchalis nc t m comminiscitur esse eam, qvando Petrus Apostolus Ecclesiæ alicujus fuerit Episcopus particularis, atqve hinc sedes verè patriarchales tantùm esse tres, Romam nempe, Alexandriam & Antiochiam; Earum enim Ecclesiarum Petrum fuisse Episcopum particularem; Hierosolymitanum autem Episcopum Patriarcham dictum ob reverentiam Domini, Constantinopolitanum propter favorem Principum, *lib. de coron. Pontif. p. 28. 29. 30.* ubi deinceps *pag. 33. & 80.* statuit, Petrum, etsi alias sedes tenuerit ut Episcopus particularis, in solâ tamen Romanâ habuisse successorem plenariæ & universalis in totam Ecclesiam autoritatis, meritoq; solam Romanam Ecclesiam dici Apostolicam. Κόμητι καὶ λῆρος hæc sunt nullâ refutatione digni. Petrus enim Apostolus erat, nulli singulari præfectus Ecclesiæ, sed constitutus, ut omnibus gentibus & nationibus Evangelium prædicaret. Vid. Rainold. *Colloq. cum Hart. p. 148.*

Hierosolymitanus, Antiochenus] At in Concilio Lateranensi IV. Hierosolymitanus post Antiochenum ultimo loco ponitur.

qvasi Patrum principes] Ita etiam Seldenus *in Eutychii Origines Alexandrin. p. 13.* Sed videtur tamen patriarcha dici potiùs ἀπὸ τῆς πατρίας, non ἀπὸ τῶν πατέρων. Πατρία autem, ut & πατρὶς universam gentem aliqvam sive regionem ac plurium sub unico capite ac Rectore provinciarum complexionem significat apud Græcos. Vid. Autor Euchariſt. ad Jacob. Sirmondum missi *part. 2. c. 3. p. 475.* Petrus de Marcâ *de concord. sacerdot. & imper. c. 3. lib. 1.*

principes] Carthaginiensis Synodus damnavit titulum hunc *principis Sacerdotum*, propter ancipitis dictionis significatum, qvæ τὸν ἀρχον defignat,& τὸν πρῶτον. Christoph. Justell. *ad Codicem canon. Eccles. African. p. 51.*

& crucem iis deferre] non tamen in Urbe Româ & ubi summus Pontifex præsens existit, aut ejus legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis. *c. antiqva. X. de privileg.* qvia Papa solus habet omnem potestatem & dignitatem, qvam habuérunt omnes Patriarchæ,& tùm majus lumen obfuscat minus. Scilicet! Cæterùm crucis signum recto scipioni superimpositum dexterâ tenet Papa , non utitur pastorali & baculo curvato. qvî sic? Rationem reddit post glossam Lancellottus Conradus *in templ. omn. Judic. l. 2. c. 1. §. 1. verf. crucis* , qvia Pontifex Romanus potestatem à solo DEO recipit, alii autem,sicut Episcopi,ab homine,sicqve ille liberam potestatem in spiritualibus, alii coarctatam recipiunt, qvæ per baculi incurvationem denotatur. Euge! qvàm omnia bellè conveniunt. Cæterùm Alexander II. crucem anteferre permisit ArchiEpiscopo & Primati Slavoniæ & Dalmatiæ. Et Clemens V. omnibus aliis ArchiEpiscopis , *c. ult. de privileg. in Clement.* cùm antea primatibus tantùm & patriarchis præferri mos esset , uti colligitur ex *c. 1. X. ut lit. pend.* ita tamen,ut adhuc aliqva observetur differentia , cùm Patriarchis ubiqve , ArchiEpiscopis autem intra provinciam tantùm, & illis crux, gemino constans ligno transverso , his verò uno tantum tali ligno constans præferri soleat. Aug. Barbos. *de jur. Eccles. l. 1. c. 6. n. 33.* Reliqvi verò Episcopi simplices jus crucis ad collum appensæ habent & propterea σταυροπαῖς appellatos fuisse, *ex Concil. Constantinop. 4.* constat.

Archiepiscopi sunt præsules Episcoporum unius provinciæ.

d *can. 1. distin. 21.*

§. 2. Archiepiscopi [d] sunt unius provinciæ Episcoporum Principes, & Præsules. Provinciæ siqvidem [e] longo ante adventum Christi tempore , maxima ex parte divisæ erant : qvæ divisio postmodum ab Apostolis & eorum successoribus renovata est. Itaq; ubi dudum Primates erant seculi , nostros Patriarchas

e *can. 1. distin. 99.*

Digitized by Google

chas vel Primates leges Eccleſiaſticæ poni juſſerunt. In civitatibus autem Metropolitanis, qvæ minores Judices habebant, illi hodie præſunt, qvi Metropolitanorum aut Archiepiſcoporum nomine deſignantur. Ad hos igitur inter ſuos ſuffraganeos cognoſcere, pertinet: à qvibus tamen, ſi duriùs illi habiti & accepti fuerint, ad Primates, aut ſedem Apoſtolicam appellare poterunt.

ArchiEpiſcopi] ArchiEpiſcopi nomen non ſemper eundem dignitatis gradum denotavit. In provinciis Occidentis metropolitani omnes vocabantur ArchiEpiſcopi. In Græciâ verò & per totum ferè Orientem ſoli honorarii metropolitæ & qvibus nulla provincia ſuberat, nulli Epiſcopi, vocabantur ArchiEpiſcopi. Veri enim metropolitæ ſeſe metropolitas civitatum ſuarum & provinciarum ἐξάρχας inſcribebant.

longo ante adventum Chriſti tempore] Sed profectò diviſio provinciarum eo tempore, qvo ArchiEpiſcopi & Patriarchæ Hierarchiam ordinárunt, longè alia fuit ab eâ, qvæ fuit ante Chriſtum. Ita enim diœceſis olim ditionem vel provinciam notavit, qvæ ſc. ab aliqvo adminiſtratur, & in qvâ Præſes ſive Prætor jus dicit. at novâ adminiſtrandi Imperii à Conſtantino M. excogitatâ formâ, mutavit nonnihil diœceſeos appellatio, ut nimirum denotaret non unam modò provinciam, ſed plures ſimul ſumptas.

renovata eſt] retenta eſt, dicere debuit. Apoſtolorum enim non fuit, Imperium in provincias dividere. add. Blondell. *in Pſeudoliſidor. pag. 134.*

Primates erant ſeculi] Notum eſt ex Zoſimo, Conſtantinum M. omne Imperium Romanum adminiſtrandum dediſſe qvatuor præfectis prætorio: Orientis, Illyrici, Italiæ & Galliarum, & aliqvot provincias ſimul ſumptas diœceſes dici voluiſſe. At non ubiqve, ubi talis aliqvis præfectus prætorio erat, erat etiam patriarcha, imò patriarcha erat, ubi præfectus

fectus prætorio non erat. Ita sub dispositione Præfecti Prætorio per Orientem diœceses erant istæ : Oriens, Ægyptus, Asiana, Pontica, Thracia. Ita Notitia Imperii. Jam in Ægypto vel Ægyptiacâ diœcesi unus erat, qvi summam potestatem in rebus Ecclesiasticis obtinebat, Alexandrinus nimirum Episcopus. In cæteris diœcesibus Orientis, Asianâ, Thracicâ & Ponticâ plures erant, tot nimirum, qvot illæ diœceses provincias complectebantur. Id tamen certum est, Ecclesiasticarum provinciarum statum ad civilium formam plerumq; constitutum, & dignitatem Urbium dignitatem contulisse Episcopis.

poni jusserunt] Qvid ergò dolent Pontifices, Patriarcham Constantinopolitanum proximum à se locum occupasse, postqvam eò translata fuisset sedes imperii? Sed enim negant Pontificii, principem provincias dividere, aut civitatem Episcopatu ornare posse, qvod prolixè exponit Petrus de Marca *de concord. sacerdot. & imper. l. 2. c. 8. & 9.* Verior est sententia contraria, Principem scil. pro lubitu provincias dividere, metropoles constituere, & Episcopatûs instituere posse. Vid. Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Eccles. l. 6. c. 5. n. 136. seq.* Et qvanqvam accesserit haud rarò confirmatio Pontificis, ea tamen propterea necessaria non est, ut, si non accesserit, irritus sit actus principis, uti haud obscurè tradit Petrus Gregor. *de benef. c. 13. num. 5.*

sedem Apostolicam appellare] Si per sedem Apostolicam intelligit sedem Patriarchalem, cui subjectus est ArchiEpiscopus, salva res est. Sed qvia per sedem Apostolicam Canonistæ plerumq; intelligunt Papalem, hîc qvoqve eam subinnui putandum est. Vana autem & nimia est præsumtio Pontificum Romanorum, appellationes ad sedem suam fieri debere ab universis in toto Orbe Terrarum Ecclesiis. Tentatum id jam diu seculo V. ab Zosimo, Bonifacio, & Celestino Pontificibus, allegato in hanc rem canone sexto Concilii Nicæni; sed cùm persvaderi id minimè posset Africanis, & illi in Exemplaribus suis Canonem eum minimè haberi regererent, fraude tandem detectâ, qvâ Synodus Sardicensis ab Afris nunqvam recepta Nicenæ nomine vendita fuerat, ita tandem in universali Africæ Concilio decretum fuit, ut, qvi ad transmarina putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur. Allegatur ille canon ab Gratiano *c. placuit, 2. q. 6.* sed cum perversâ interpolatione istâ : *nisi forte Romanam sedem appellaverint*, qvam tamen maximè exclusam voluérunt Patres Africani. Vid. Chamier *T. 3. Panstr. lib. 14. c. 3. & 4.* Alii dicunt, Concilium tantùm de presbyterorum & inferiorum Clericorum appellatio-

Digitized by Google

tionibus ad Romanam ſedem non transferendis agere. Sed illi animadvertere debuiſſent (1) Romanam ſedem etiam minorum Clericorum appellationes acceptaſſe, ut exemplo Apiarii, in Africâ damnati, elucesçit. (2) non poſſe inferiores judices coërcere jurisdictionem ſuperioris, nec ejus tribunal reſtringere. Dum ergo hoc fecerunt Africani, oſtendérunt, Epiſcopum Romanum ſuum ſuperiorem non eſſe, nec ſe poteſtate eo inferiores. (3) in Græcis Codicibus poſt injunctionem, ut inferiores Clerici non niſi ad Africana Concilia & ſuos primates provocant, legi, ὡς ἡμῖν περὶ τῶν Ἐπισκόπων πολλάκις ὥρισται, ut etiam de Epiſcopis ſæpè definitum. Conf. Epiſtolam Patrum in Concil. Carthag. VI. ad Cœleſtinum Epiſcopum Roman. *tom. 1. Concil. cap. 105.* Cæterùm ſi probè conſideretur totum negotium, nec jure appellabitur ad ſedem Romanam ab extraneis Eccleſiis, nec utiliter. Non jure, qvia nullus omninò eſt, qvem fingunt, Papæ primatus, & in Concilio Niceno paria jura tributa fuére Patriarchis Alexandrino & Antiocheno in ſuis diœceſibus, cum iis, qvæ habet Epiſcopus Romanus in Eccleſiâ Romanâ. Non utiliter, qvia periculum eſt, cauſas non tantùm tardius, ſed etiam infelicius deciſum iri, eò qvod facti ratio & circumſtantiæ exteris & peregrinis minus notæ ſunt, & teſtimonia difficulter ex longinqvis terris petuntur. Qvemadmodum igitur in civilibus, humani generis uſibus & tranqvillitatibus adverſum foret, ſi unus homo totum orbem gubernet, & ad judicium omnes cauſæ aut ſaltem majores per appellationem devolvantur, ita haud magis tranqvillitati Eccleſiaſticæ conſuleretur, ſi unus tantùm præſertim non ſemper prudens, probus vel induſtrius, ſed ſæpenumerò inſulſus, fatuus, flagitioſisſimus homo regimini aut judicio Eccleſiaſtico per totum terrarum Orbem præficeretur. Noviſsimè Petrus de Marcâ *lib. 1. de concord. ſacerdot. & Imper. c. 10.* omiſsô & rejectô appellationum nomine, qvod à Pontificiis hactenus magno conatu aſſertum fuerat, earum loco relationes & conſultationes ſubſtituit, qvas aut in rebus fidei aut in diſciplinæ capitibus dubiis Romanæ ſedi factas prolixè adſtruit, exemplo conſultationum & relationum ad Imperatores miſſarum. Sed enim ut maximè concederemus, tales relationes aut conſultationes ad Romanam ſedem aliqvando factas fuiſſe, non profectò alius earum fuit uſus, qvàm ut conſenſus in fide, & in diſciplinâ conformitas haberetur. Ut verò hinc aliqva ſuperioritas & judicandi univerſalitas induceretur, nec ipſi illi tum temporis Epiſcopi referentes & conſultantes paſsi fuiſſent.

appellare poterunt] De appellationum in foro Eccleſiaſti-

co abuſu eruditè differit in Concilio Tridentino Johannes Gropperus ap. Petr. Svav. *hiſtor. Concil. Trid. lib. 4. p. 372.*

Epiſcopi ſunt, qvi præſunt majoribus populis, & Latinè ſpeculatores appellari poſſunt, & magna eſt ipſorum in Eccleſia authoritas.

f *can. 1. §. epiſcopi 9. diſt. 21.*

§. 3. Simpliciter autem Epiſcopi ſunt[f], qvi majoribus Populis, & freqventioribus civitatibus præſunt. Ii ſpeculatores Latinè dici poſſunt: Epiſcopus enim, qvaſi Speculator in Eccleſia præpoſitus eſt: Mores enim & vitam populorum infra ſe poſitorum ſpeculatur & perſpicit. Horum autem non modica in Eccleſia eſt authoritas: nam præter ligandi ſolvendiq; poteſtatem & viſitandi diligentiam, ſoli ſacrum chriſma conficiunt[g], ſoli DEI altaria & Eccleſias conſecrant, & pollutas repurgant, Clericos ordinant, ſuſpendunt & deponunt: ad hos pertinet excommunicatio, purgationis indictio, diſpenſatio, ſolennis pœnitentiæ impoſitio.

g *can. 1. verſ. ad epiſcop. diſt. 25. can. qvãvis. diſt. 68. & 26. q. 6. per totũ.*

Epiſcopus enim qvaſi ſpeculator] Epiſcopi nomen ex Græcorum & Latinorum uſu inſpectionem ſeu procurationem dicit. Ita *l. 18. §. 7. ff. de munerib. & honorib.* Epiſcopi dicuntur, qvi præſunt panì & cæteris venalibus rebus, qvæ civitatum populis ad qvotidianum victum uſui ſunt, ſeu Ædiles Cereales. Add. Claud. Eſpencæus *in 1. Tim. 3. p. 38. 39.* Chemnit. *in Exam. Concil. Trident. part. 2. p. m. 419.*

ſoli ſacrum Chriſma conficiunt] Utrum ea qvæ hîc recenſentur, ſolis Epiſcopis competant, dicemus infra de unoqvoqve ſuo loco. Hoc interim nunc affirmamus, Servatorem ipſum inter Epiſcopos & presbyteros non diſcreviſſe, nec ullum actum Eccleſiaſticum Epiſcopis aſſignaſſe, qvem exercere presbyteri non debeant; ſed ipſi Epiſcopi dignitatis

tis ſuæ augendæ ſtudioſi aliqva ſibi ſucceſſu temporis peculiariter vindicárunt.

Qvod inferiori conceditur, multò magis conceditur & ſuperiori.

§. 4. Qvod autem diximus, prædicta ſolos Epiſcopos efficere poſſe, non eum habet intellectum, qvaſi Archiepiſcopi & Primates non eandem habeant poteſtatem: ſed, qvòd presbyteris & cæteris inferioribus illa non conceduntur. Ridiculum enim eſſet cogitare, Epiſcopis illa qvidem permitti, Archiepiſcopis & Primatibus, qvi Epiſcopis præſunt, eadem denegari.

eadem denegari] Notant tamen Canoniſtæ, ArchiEpiſcopos eam poteſtatem non habere, niſi pallium acceperint, de qvo qvid ſentiendum ſit, dicam ad cap. XI. Non audent tamen irritum dicere, qvod circa poteſtatem ordinis & Chriſmatis fecit ArchiEpiſcopus non palliatus, dum ille ſaltem conſecratus fuerit. Vid. Aug. Barboſa *de jur. Eccleſ. l. 1. c. 7. n. 15. ſeq.*

Papa eſt ordinarius omnium ordinariorum, & Eccleſiæ Romanæ omnes Eccleſiæ ſubſunt.

§. 5. Sicut autem [a] Petrus Apoſtolus primus fuit Apoſtolorum, ita & Eccleſia ſuo nomine conſecrata, Domino inſtituente, prima eſt & caput cæterarum: & qvi illi præeſt, cæteros Epiſcopos antecellit: unde ad eam, tanqvam ad Matrem [b] atqve apicem, omnes majores Eccleſiæ & Epiſcopi recurrunt: à qva, qvaſi à qvodam capite, dona, velut in corpus omne diffunduntur. Ipſa autem tanqvam omnium ma-

[a] *diſt. 21. per totum, & maximè cã. 2. & can. 11. diſt. 22. per totum.*

[b] *cap. antiqva. extrà, de privileg.*

giſtra, celſiore ſede reſidens, à qvoqvam judicari[c] non poterit. Qvinimmò, velut tempore Noæ omnes extra arcam poſiti, diluvii vaſtitate conſumpti ſunt: ſic extra Petri naviculam conſtituti, æternæ damnationis fluctibus obruentur.

c *canon. nunc autem. §. prima ſedes. d. diſt. 21.*

primus fuit Apoſtolorum] *Matth. X, 2.* non poteſtate, ſed ordine & vocatione. Joh. Rainold. *in colloq. cum Hart. p. 118.* Richard. Montacut. *de orig. Eccleſ. part. 2. p. 124. & 175.* qvò facit, qvod dicitur *c. Paulus 2. qv. 7. Paulus Petrum reprehendit, qvòd non auderet, niſi ſe non imparem ſciret.* Qvæ verba, qvanqvam illicò per Gratianum interpretatione corrumpantur, iſtum tamen, qvem præ ſe ferunt, ſenſum continere, & de ipsâ dignitate Eccleſiaſticâ accipienda eſſe, manifeſtum fiet, ſi ipſa plena ex Ambroſio (huic enim, non Hieronymo, adſcribenda ſunt) audiantur, qvæ talia ſunt: *Qvis eorum auderet Petro primo Apoſtolo, cui claves regni cælorum Dominus (ſed non ſoli) dedit, reſiſtere, niſi alius talis, qvi fiduciâ electionis ſuæ* (non ergò loqvitur de puritate vitæ & ſanctitate converſationis, ſed officio Eccleſiaſticæ dignitatis) *ſciens ſe non imparem, conſtanter improbaret, qvod ille ſine conſilio fecerat.* Idem Ambroſius non audet Petrum præferre Paulo, ſed utrumqve pariter caput ſanctitatis, pariter principes Eccleſiarum vocat. Verba ejus habentur *c. beati 2. qv. 7.*

ſuo nomine conſecrata] plus dicit autor, qvàm dicere voluit; intelligit enim Eccleſiam tantùm Romanam.

Domino inſtituente] iſtam inſtitutionem Pontificii nondum oſtenderunt.

prima eſt & caput] Ita interdum appellatur à Patribus Eccleſia Romana, non ob aliqvam poteſtatis prærogativam, ſed ob celebritatem à fidei puritate, *Rom. 1, 8. c. 16, 19.* à multitudine martyrum, maximè verò propter ordinem, qvo parochiæ Eccleſiaſticæ civiles & publicas formas ſunt ſecutæ, teſte *can. 17. Concil. Chalcedonenſ.* & Epiſcopi non ſuâ autoritate, ſed ſub umbrâ præfecturæ aliqvam prærogativam meruerunt, *Novell. 11.* Hinc qvia præfectura Urbica prior erat præfecturâ Auguſtali, ideò διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην diœceſis Romani Epiſcopi prior

prior & prima ſedes appellata fuit, ordine dignitatis, ejuſqve Epiſcopus primæ ſedis Epiſcopus. Et qvanqvam alicubi Petrus dicatur fundamentum Eccleſiæ; id tamen qvomodo accipiendum ſit, optimè explicat Blondellus *in Pſeudo Iſidor. ad Clement. epiſt. 1. pag. 44.*

antecellit] non jurisdictione, ſed ordine, ut primus ſit Romanus, ſecundus Conſtantinopolitanus, tertius Alexandrinus, & ſic deinceps. Vid. *c. multi 13. diſt. 40. c. legimus 24. diſt. 93. c. qvodcunqve 24. qv. 1. c. mos antiqvus 6. diſt. 65. c. Conſtantinopolitanæ 4. & 5. renovantes 7. diſt. 22. 8. placuit 2. qv. 6.*

tanqvam ad matrem] Eccleſia Romana non poteſt dici mater omnium Eccleſiarum, ſive maternitas accipiatur ratione doctrinæ ex eâ alibi propagatæ, ſive ratione poteſtatis. *Priore* modo ſoli Hieroſolymitanæ Eccleſiæ hoc debetur Encomium, qvæ totius Orbis Eccleſias ſeminavit, ut loqvitur Hieronymus *in c. 2. Eſa.* Unde Patres Concilii Conſtantinopolitani I. Hieroſolymitanam omnium aliarum Eccleſiarum matrem, Juſtinus autem Imperator Chriſtiani nominis matrem vocârunt. Nazianzenus verò titulum matris Eccleſiarum Cæſarienſi adſcribit Eccleſiæ *orat. 20. & epiſt. 74.* Et Chriſtiani Imperatores ſæpè Conſtantinopolitanam Eccleſiam, matris fidei & religionis, matris omnium Chriſtianorum, capitis Eccleſiarum magnificis titulis ornant, *l. 14. l. 16. l. 24. Cod. de SS. Eccleſ.* Et qvamvis olim Eccleſia Romana particularium qvarundam Eccleſiarum in Europa fuerit mater, veram tamen ſe matrem poſteà non præbuit, qvia non aluit filias ſuas cibo incorrupto. *Poſteriore* modo matrem inter Eccleſias planè nullam agnoſcimus. Maternitas enim in plantandis Eccleſiis nil niſi miniſterium notat, & piam curam propagandi doctrinam, qvâ alii regenerantur: nullum autem dominium conciliat, ne qvidem de jure Eccleſiaſtico, qvo Hieroſolymitana, qvam matrem priore modo diximus, aliqvando Cæſarienſi fuit ſubjecta. Inter particulares namqve Eccleſias eſt relatio & unio non κατ' ὑποτροχιὰν, ut inter matrem & filiam, dominam & ſubjectam, caput & membra, ſed κατ' ἰσότητα, ut inter pares collaterales, haud ſecus ac membra σύσωμα aut ſorores in unâ familiâ. Licet igitur ſoror altera alteram ætate aut virtute poſſit anteire, non tamen dominationem in illam, qvatenus ſoror eſt, habet. Non malè igitur Theodoſius in *l. 6. C. de SS. Eccleſ.* eadem πρεσβεῖα, qvæ tùm habebat Epiſcopus Romanus, conceſſit Epiſcopo Conſtantinopolitano. Nempe Epiſcopi Romani eo tempore hæc invaluerat prærogativa, ut etſi ſtatuendi jus penes Synodum eſſet, nihil tamen

decerneretur sine consilio Episcopi Romani, qvi sententiam suam exponere rogabatur, sicubi de intellectu Canonis alicujus Ecclesiastici dubitatio in provinciâ aliqvâ oborta fuisset. Idq; ita observabatur in Occidente; qvo ipso tamen nullum dominandi, definiendiqve aut leges ferendi jus inducebatur. Et ne induceretur, eandem prærogativam in dictâ constitutione Theodosius tribuit Episcopo Constantinopolitano. Poterat igitur Synodus decernere aliter, qvàm Episcopo Romano aut Constantinopolitano videbatur; non tamen poterat ante, qvàm eorum sententia reqvisita fuisset. Si qva igitur maternitas adstruenda fuerit, non soli ea competet Ecclesiæ Romanæ, sed pluribus aliis. Conf. Carol. Molinæ. *ad l. 6. Cod. de SS. Eccles.*

recurrunt] Non nego, in veteri Ecclesiâ Apostolicas cathedras & nominatim Romanam magni fuisse æstimatam in causis fidei asserendis, & sæpè ad eam provocatum fuisse. qvod pluribus confirmat Jacobus Gothofred. *ad l. 2. C. Theodos. de fide Cathol.* At illarum assertionibus creditum propter se fuisse, & ut principio fidei, nullibi invenimus. Seqviore enim ævo voluerunt Romanæ Ecclesiæ Antistites sedem suam esse prorsus infallibilem & ἀνυπεύθυνον, qvod intolerabile omnibus bonis semper visum fuit. Et cùm illa summa autoritas etiam supra omnia Concilia evecta esset, & qvò progrederetur, ampliùs non haberet, debuit utiqve paulatim rursus convelli, vel certè vitia sua agnoscere, & ut modus sibi poneretur, haud gravatè pati. Ipse Innocentius Papa aliam monstrat veritatis helicen *c. 4. dist. 20.* cujus si de Romanâ sede ea fuisset persvasio, qvæ hodiè magna fovetur à Pontificiis pertinacia, istam summum esse veritatis in his terris tribunal, ad eam solam esse recurrendum, eam nec falli, nec fallere posse, eam esse universi orbis dictatricem, compendio rem omnem expedire potuisset.

diffunduntur] Qvod de Romanâ Ecclesiâ hîc fabulatur Autor, id, ut alia pleraqve, de solo Pontifice enunciant alii. Volunt enim Pontificem Romanum ut principium activum, lumen & succum fidei reliqvis membris communicare, & sine eâ communione lumen fidei in omnibus fidelibus extingvi, rivos exsiccari & ramos exarescere. Bellarm. *l. 2. de Rom. Pontif. c. 16.* Sander. *de visib. monarch. l. 7. n. 45.* Harding. *contr. Juellum art. 4. sect. 2. & 4.* At hæc Salvatori Christo competunt, non homini, inerti sæpè, illiterato, & moribus corruptissimo. Et tàm impudentes tamen hodiè in Papatu sunt Doctores, ut statuant, qvosdam titulos Ecclesiæ non convenire, nisi ratione Pontificis, vel non nisi adjuncto Pontifice.

tifice. hujusmodi esse titulos omnes, qvibus Ecclesia dicitur arbitra infallibilis rerum fidei & Magistra fidelium. nihil horum convenire Ecclesiæ, sejuncto Pontifice. nullum enim esse infallibile & irretractabile judicium vel magisterium doctrinæ fidei, si Pontifex excludatur, qvemadmodum prolixè nugatur Theophilus Raynaudus *in Coron. sup. mitr. Pontif. p. 14.* Dubitare autem licet meritò, qvomodo diffusa fuerint dona tùm, cùm ipsi Romanæ Ecclesiæ Præsules per annos benè multos omni neqvitiarum genere nefandum in modum contaminati essent. *Per annos ferè centum & qvinqvaginta*, inqvit Gilbertus Genebrardus *l. 4. Chronograph. Pontifices circiter qvinqvaginta, à Johanne scil. VIII. qvi Nicolao I. & Hadriano II. sanctis Pontificibus successit ad Leonem IX. usqve à virtute majorum prorsus defecerunt, apostatici, apostaticive potiùs, qvàm apostolici. — E tanto Pontificum numero qvinqve modò & satis tenuiter laudantur &c.* Gemina his habet Thomas Stapletonus *de magn. Eccles. Rom. l. 1. c. 8.* Conf. Baron. *ann. 897. n. 1. 4. 6. ann. 899. n. 3. ann. 900. n. 3. 7. ann. 908. n. 3. 4. 6. an. 912. n. 12.* Unde ergò ab his dona, unde lumen & succum fidei diffundi dicemus? Imò verò unde dona diffusa dicemus tùm, cùm per annos qvinqvaginta alius Romæ vel alicubi in Italiâ, alius Avinione in Galliâ Pontifex resideret, tandem & tertius à Synodo Pisanâ adderetur, qvi singuli pro veris se gererent, & singuli duos reliqvos damnarent. *Fuit hæc schismatica divisio*, ait Johannes Marius *libr. de schismatibus & concil. part. 3. cap. 13. adeò dubia atqve perplexa, ut etiam peritissimi ac præcipui qvique clerici discernere non possent, qvis eorum verus Petri successor esset.* Et Johannes Gerson *serm. de sign. ruin. Eccles. ad tantam*, inqvit, *ambiguitatem universalis Ecclesia devenit, qvod ignoravit, apud qvam partem vera sedes Romanæ erat, nisi forsan Deus alicui revelasset &c.* Certè qvantas tùm in Galliâ turbas dederit antipapatus ille, intelligi potest ex iis, qvæ refert Joh. Paponius *l. 1. tit. 5. aresi. 27.* ubi notanda insimul ejus est *Antigone* de officio Papæ, Petrum scil. mandatum Salvatoris (pasce oves meas) optimè executum esse, & post ipsum aliqvos, sed paucos admodum.

judicari non poterit] Privilegium hoc multis commendat, & à Gallis suis studiosè semper observatum tradit Petrus de Marcâ *l. 1. de concordiâ sacerd. & imper. c. 11.* At certè parum id olim observavit Johannes Gerson Theologus Parisiensis magni nominis, qvi decretum Concilii Constantiensis, qvo cavetur, ut Pontifex Concilio subsit, dignum esse dicit, qvod templis omnibus atqve locis publicis ad sempiternam memoriam inscribatur, referente Sleidan. *lib. 1. comment.* Eandem sententiam defen-

defendit Petrus de Alliaco Episopus Cameracensis & Cardinalis *de potestat. Eccles. p. 3. c. ult.* Et hinc Schola Parisiensis propter antiqvatam legem sive sanctionem pragmaticam provocavit à Leone X. ad concilium, referente eodem Sleidano, certissimo argumento, qvod tùm Pontifex à Parisiensibus non fuerit habitus ἀκατάκριτος καὶ ἀνυπεύθυνος. Et certè misera hæc est Christianorum sub papatu conditio, qvòd Papam ἀνυπεύθυνον esse credere oporteat. At olim Conciliis subjectus erat ille, & esset adhuc cum Ecclesiâ suâ, nisi seorsim extra cœtum fidelium agere mallet. Vid. Joh. Ferus *in act. apost. c. 11.* Et maximè impia est glossa *in c. ad apostolatus. Extravagant. ne sede vacante* &c. qvâ regulæ instar cavetur, nemini licere papæ dicere, Domine, cur ita facis? imò verò eò temeritatis processit Paulus IV. Papa, ut negaret teneri se eo, qvod in conclavi sub juramento promisisset; id enim non aliud esse, qvàm autoritatem pontificiam, qvæ est absoluta, legibus adstringere: Articulum esse fidei, Papam non posse obligari, imò ne seipsum posse obligatione adstringere; qvi contrà sentiat, hæreseos manifestò teneri. Vid. Petr. Svav. *in hist. Concil. Trid. lib. 5.* Et qvis ergò tutus erit circa conventiones, pacta, fœdera cum Pontifice inita? Videtur autem hoc principium de papâ non judicando occasionem dedisse Baronio, ut statueret, *ann. 965. n. 5.* Benedictum Pontificem exauctoratum & Hamburgi exulantem verum fuisse Pontificem, nec qvamdiu is vixerit, ullum alium potuisse dici legitimum Romanum Pontificem. Leonem igitur VIII. & Johannem XIII. qvamdiu Benedictus vixit, etiamsi illi Romæ sederent, hic Hamburgi in extremis Germaniæ oris delitesceret, pseudopapas fuisse. Scilicet qvia Benedictus ab Imperatore exauctoratus erat, id qvod indignum visum Baronio.

extra Petri naviculam,] qvia per Petrum intelligit Pontificem Romanum, præstat hodiè extra ejus naviculam in mediis fluctibus errare, & ad Christi navem adnatare, qvàm à Piratâ intra navem suam miserè discerpi. Venditant qvidem Pontificii consensum cum Pontifice Romano, pro nota catholicismi, sed id nullâ nititur autoritate divinâ, qvin potiùs principium petit, & semper dubium esse potest, Utrum Rom. Episcopus sit legitimus & Orthodoxus. Patres, qvos in hanc rem citat Bellarminus *de Rom. pont. c. 16.* loqvuntur ex hypothesi, qvam certissimè tenuerunt, Episcopos Romanos sui temporis fuisse catholicos. Et in reqvisitione conjunctionis cum aliqvâ præcipuâ Ecclesiâ non semper Romana proposita. Basilius de suâ conjunctione orthodoxian vult æstimari *epist. 75.* Augustinus *in Joh. tract. 2. & in breviculo collat. 3. diei c. 4.* reqvisit

rit conjunctionem cum illis Ecclesiis, unde Evangelium in toto orbe diffunditur, qvarum prima est Hierosolymitana. Theodosius Imp. ap. Sozom. *lib.7. c.9.* reqvirit conjunctionem in fide cum Nectario Constantinopoli, in Ægypto cum Timotheo Alexandriæ, in Orientalibus Ecclesiis cum Diodoro Tarsensi, & Pelagio Laodicensi in Syriâ, apud Asianos cum Amphilocho Iconiensi, in Ponto à Bithyniâ ad Armeniam cum Helladio Cæsariensi &c. Liberius apud Socrat. *l.4. c.11.* orientalibus Episcopis gratulatur, tùm, qvod sibi omnium infimo, tùm qvod aliis Episcopis Italiæ & regionum versus Occidentem conjuncti sint. Cyrillus Nestorio mandat, ut scripto & juramento confiteatur, se sensurum & docturum ea, qvæ Alexandrinus, & tùm ad Occidentem, tùm ad Orientem Episcopi & Doctores & populorum præfecti statuunt. Ex qvibus patet, pro conditione Ecclesiarum consensum cum hâc vel illâ Ecclesiâ aut cum pluribus reqvisitum fuisse.

DE ELECTIONE.

TITULUS VI.

Duobus modis creantur Episcopi.

§. 1. Promoventur autem tàm Episcopi, qvàm Prælati cæteri, aut per electionem, aut per postulationem.

aut per electionem, aut] Legistarum hanc esse vanitatem dicit Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccles. lib.3.c.3.n.3.* qvâ separant non separanda, electionem, nominationem, postulationem, & præsentationem. Nec enim opponi tanqvam incompatibilia consentaneum fuit ea, qvæ simul componenda à se invicem sejungi minimè debuerunt. Aliqvando namq; ante conditum electionis decretum, imò ante inita ulla cum Clero consilia, qvem præoptabat plebs à Clero & visitatore poscebat, ac mox si idoneum poposcerat, decretum commune ad Metropolitanum perferendum scribebatur. Vid. David. Blondell. *in apolog. de Episcop. & presbyt. sect.3. p.472.* Et hinc rectè statuit Franciscus Duarenus, postulationis ejus, qvæ hodiè usitata est, nullum apud Veteres reperiri exemplum, *de sacr. Eccles. benef. l.5. c.2.*

Qvid ſit electio, & qvòd ad unum jus eligendi habentes citari debent, aliàs non valet electio: & non citatus poteſt habere ratam electionem.

§. 2. Cæterùm, ut priùs de electione dicamus, Electio nihil aliud eſt [d], qvàm hominis alicujus ad dignitatem, vel fraternam ſocietatem Canonicè facta vocatio: nam cùm viduatæ providendum eſt Eccleſiæ, debent [e] cuncti, qvi eligendi Jus habent, legitimè citari, ut electioni interſint. Qvòd ſi vel in unius perſonâ fuerit id omiſſum, irritam reddit electionem talis omiſsio [f]. Sæpè etenim reſcriptum eſt, magis hâc in re unius obeſſe contemptum, qvàm multorum contradictionem [g]: planè, ſi is, qvi citatus non fuerit, ratam adveniens habere velit electionem, confirmanda erit electio [h].

d *Gloſs. in ver. vera poſtulatio. c. 1. de poſtulat. prælat. in 6.*

e *cap. coram dilect. extra de elect. c. qvamvis ſuper. in princ. verſ. prout ſunt. ubi Gloſs. in ver. vocandi. de offic. ord. in 6.*

f *c. bonæ memoriæ l. 2. in fin. extra, de elect.*

g *c. qvod ſicut. in fin. princ. d. tit. de elect.*

h *d. cap. qvod ſicut. in fin. princip.*

viduatæ providendum] Conjugium aliqvod ſpirituale Epiſcopum inter & Eccleſiam iniri communiter docent Canoniſtæ, qvàm benè, videbimus infrà *tit. de Chorepiſcopor. uſu ſublat.* Poſitâ autem hâc ſententiâ, vidua dicitur Eccleſia, qvæ nullum habet Epiſcopum. Et volunt, tertio demum poſt ſepultum paſtorem die ad electionem novi procedendum eſſe.

cuncti, qvi eligendi Jus habent] Eligendi iſtud jus in Eccleſiâ Pontificiâ paucis admodùm conceditur, & ſi de Epiſcopi electione res eſt, ſolis Canonicorum capitulis. At olim Epiſcopi & miniſtri Eccleſiæ, teſte Chryſoſtomo, ἄνευ λαοῦ σινάξεως, i. e. ut Cyprianus vertit, ſine conſcientiâ & aſſenſu populi, cui propterà per trinundinum, i. e. tres ſolennes conventus Eccleſiaſticos nomina vocandorum promulgabantur, nunqvam fuerunt admiſſi. Extat ejus rei veſtigium etiam apud Lampridium *in Alex. Sever.* *Ubi aliqvos*, inqvit, *Imperator Alexander Severus voluiſſet*

luisset vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, i. e. rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut, si qvis qvid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitis. Dicebatq; grave esse, cùm id Christiani & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qvi ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, qvibus & fortuna hominum committerentur, & capita. Et certè, qvanqvam ex consvetudine vel transactione varient in singulis penè diœcesibus jus nominandi, præsentandi, eligendi & conceptis verbis vocandi; singulis tamen facultas competit cognoscendi & judicandi de doctrinâ & vitâ præficiendi, & jus suffragii vel approbationis, vel etiam recusationis ob vitium in doctrinâ & vitâ præsentati. Atqve hæc potestas toti & universæ Ecclesiæ & omnibus in eâ membris competit jure divino, cui nullus status renunciare, qvamq; propterea nemo qvisqvam eis auferre potest. Vid. Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. l. 3. c. 3.* Christoph. Justell. *ad canon. 6. Concil. Chalcedonens. p. 227.* Vid. in hanc rem *c. in nomine 2. dist. 23. c. 1. dist. 62. c. qvia 9. cum seqq. dist. 63.*

legitimè citari] Sufficit, uti modò dixi, ex instituto veteris Ecclesiæ, nomina vocandorum promulgari.

talis omissio] Atqve hoc etiam in Electione Imperatoris Romani gravia peperisse disidia, notat Gerlac. Buxtorff. *ad cap. 1. A. B. numer. 18. lit. e.*

Absens potest uni de capitulo votum suum demandare. h. d.

§. 3. Sed & si qvis casu aliqvo ad electionem accedere fuerit impeditus, votum[i] suum uni, vel pluribus de capitulo demandare minimè prohibendus erit.

i *c. qvia propter. §. illud. extrà, de elect. infrà, tit. seq. §. hic qvoqve.*

demandare minimè prohibendus erit] At hoc in Galliâ non licet, uti refert Joh. Papon. *lib. 1. tit. 3. arest. 11.* ubi solidam hanc reddit rationem, qvod in hujuscemodi negociis absentes non possint intelligere rationes, qvæ hinc inde agitantur, & ex qvibus sæpè suffragia variant.

Procurator ad eligendum non potest unum procuratorio, alium proprio nomine eligere, nisi habeat mandatum de eligenda certâ personâ.

k *cap. si qvis justo. § porrò. de elect. in 6.*

§. 4. Et,[k] si tantùm uni votum suum qvis demandaverit, & is unum suo, alium mandantis nomine in scrutinio nominandum duxerit, nihil agit, nisi de certâ eligendâ personâ mandatum acceperit: qvo casu in illam mandantis, in aliam suo nomine jure consentire poterit.

nihil agit] necesse enim tùm est, alterutrum conscientiâ refragante fuisse nominatum, siqvidem qvâ conscientiâ tenetur eligere dignissimum nomine suo, eâdem tenetur etiam nomine constituentis, cùm nec ille qvidem, qvi plura habet ad eligendum vota, dividere illa in diversas partes possit. Vid. Joh. Bapt. Vivian. *in rational. ad c. 46. h.t. in 6.*

in aliam] Necessitas enim eligendi unum, qvem vult principalis, non debet ei imponere necessitatem eligendi eundem nomine proprio.

Duobus procuratoribus ad eligendum datis in solidum, non possunt ambo eligere, sed erit melior conditio occupantis: &, si non appareat de prioritate in occupando, præponitur electus à capitulo, vel primò nominatus in procuratorio. h. d.

a *cap. si qvis justo. in pr. de elect. in 6. § porrò.*

§. 5. Qvòd si pluribus[a] in solidum vices suas qvis commiserit, non qvidem omnes reddere votum poterunt, (qvia vota dirigere possent in diversos, sicq; res non haberet exitum) sed erit occupantis melior conditio: &, si ita concurrant, ut inter eos prior non appareat, is admittetur duntaxat, qvem vel capitulum, vel pars major elegerit: vel, si concorda-

Digitized by Google

cordare neqveant, is, qvi primus in inſtrumento, vel literis procurationis nominatus fuerit.

qvia vota dirigere poſſent in diverſos] Ceſſat hæc ratio, ſi de certâ perſonâ eligendâ mandatum fuerit datum. Utiliùs tamen ex pluribus mandatariis unicus tantùm ad deliberationes admittitur, qvod hâc ratione intempeſtivæ propalationi fibula injicitur, uti obſervatum etiam in electione Caroli V. Imp. ad qvam ex qvatuor Regis Bohemiæ Legatis non niſi primus, Ladislaus nimirum Sternebergius, admiſſus fuit. Goldaſt. *in Politic. Imper. part. 1. tit. 17. fol. 29. 30.*

Non poſſunt plures deputari ad eligendum in ſolidum. h. d.

§. 6. Sin autem [b] plures non in ſolidum conſtituti fuerint, eadem ratione nullus eorum admittendus erit, ſibiq; mandans imputet, qvi ſic eos imprudenter conſtituerit.

b *cap. ſi qvis juſto. in fin. prin. verſ. ſin autẽ. de elect. in 6.*

nullus eorum] qvia tùm unus ſine altero non poteſt admitti, *c. 6. de procur. in 6.* Canoniſtæ verò hodierni diſertè ſtatuunt, in cauſis ſpiritualibus (qvalis apud eos etiam eſt cauſa electionis) ex pluribus procuratoribus in ſolidum non conſtitutis, judicem poſſe magis idoneum eligere, & qvicqvid cum eo ſic electo factum fuerit, plenam habere firmitatem. Vid. Franc. Cardin. Mantica *Lucubr. Vatican. l. 7. tit. 17. n. 10.*

Non poteſt votum in electione reddi per literas.

§. 7. Sed [c] cùm abſens reclamante capitulo extraneum conſtitu ere neqveat: videamus, an, ſi nullus de Collegio velit eſſe procurator, ſaltem per literas votum ſuum reddere valeat: & ſanè, cùm non ante electionem, ſed in ipſa electione ſecretè, & ſigillatim duntaxat ſingulorum vota ſint exprimenda, per literas reddi non poterunt.

c *d. cap. ſi qvis juſto. §. fin. de elect. in 6.*

Digitized by Google

per literas reddi non poterunt] Rationes duæ, qvæ hîc redduntur, qvod sc. (1) non ante electionem, sed in ipsâ electione, (2) secretè & sigillatim singulorum vota sint exprimenda, mihi non satis commodæ videntur. Prima ideò, qvia etiam Procuratori ante electionem votum committitur, ut adeò sive per procuratorem sive per literas suffragium explicetur, nihil videatur interesse. Secunda ideò, qvia suffragium literis obsignatis, in ipso demum scrutinio resignandis, inseri potest. Respondet qvidem glossa, mandatorem non exprimere votum, sed mandatum tantùm dare de voto exprimendo, nec propterea procuratorem eligere, & nec vocem illius mandati augere numerum suffragiorum. Sed insubtiliter hæc omnia. Utrobiqve enim sive meo proprio sive procuratoris ore qvis nominetur, exprimitur votum. & procurator alterius votum exponendo ipsius nomine eligit, & inutile esset, procuratori votum committere, si illud augere non posset numerum. Si dixeris, ideò suffragium in literis mitti non oportere, qvia Electoris est, non tantùm eligere, sed & consultare, respondebo ego, ob eandem rationem nec Procuratori de certâ personâ eligendâ mandatum dari posse. Qvare, qvod per procuratorem licet, non video, cur non liceat per literas in ipso scrutinio resignandas.

Superiùs dicta non habent locum in electione Papæ, in qva multa sunt specialia. h. d.

§. 8. Sed hæc qvidem in aliorum Episcoporum, non in Romani Pontificis electione obtinent. In hujus enim [d] nec ulla necessaria est citatio, nec alii qvis absens votum suum demandare permittitur. Alia qvoqve in eo specialiter constituta sunt, qvæ ex Decretalium libris [e] decentius est, qvàm hîc, accipere.

d cap. ubi periculum. de elect. in 6.

e can. 1. dist. 23.

non in Rom. Pontificis electione] Argumentum hoc est fastûs Papalis & arrogantiæ. Qvò facit, qvod ex ore cujusdam Cardinalis scribit Bzovius *c. 2.* Pontificem Romanum non fieri, sed factum de cœlo recipi. Et Theophilus Raynaudus non eligi à Cardinalibus Pontificem scribit, sed tantùm designari, seu nominari, *de coron. sup. mitr. Pontif. pag. 344.* Qvod si verò qvis factiones, artes & strategemata, qvæ hodiè in conclavi Romano freqventantur, tùm & scopum, qvi plerisqve & tantùm non omnibus

bus in istiusmodi electione præfixus est, penitius consideraverit, talemqve electionem Pontificis Romani cum Matthiæ Apostoli ac aliorum post Apostolos Episcoporum electionibus contulerit, qvid de iis, eoq; , qvi hoc pacto eligitur, Pontifice sentiendum sit , cujusqve imaginem referat , Christinè, ejusve Apostoli, an verò capitis illius in Apocalypsi *c. XIII. v. 3. 12. & 14.* descripti, statuere facilè poterit.

specialiter constituta sunt] Speciale & hoc fuit, qvod habetur *c. 22. & 23. dist. 63.* sed qvod ibi haberi, dolent Pontificii.

Electio celebratur tribus modis, & qvomodo per inspirationem, & qvòd Laici non per inspirationem, sed per conspirationem dicuntur eligere. h. d.

§. 9. Celebratur autem electio tribus modis [f], per Inspirationem, per Scrutinium, & per Compromissum: per Inspirationem [g], ut cùm electores nullo præcedente tractatu, qvasi divini Spiritus impulsu, simul omnes in unum repentè consentiunt, & simul unum nominant. qvòd si fortè laici prece vel precio [h] corrupti aliqvem concordibus clamoribus petant, is non tam per inspirationem, qvàm per nefariam conspirationem nominatus, omni penitùs electionis fructu meritò carere debet.

f *cap. perpetuo. ubi præsump. 8. Heliæ. de elect. in 6.*

g *ca. qvia propter. in fin. prin. extra. de elect.*

h *can. si ergo. 8. qv. 1. & cap. 2. de elect. extra.*

tribus modis] Hos eosdem modos, uti observantur in electione Pontificis Romani, uberius explicat Gregorius XV. Pontif. *in ceremonial. conclav.* Sed Antonius Cicarella *in vit. Urbani VII.* qvatuor dicit esse modos eligendi Pontificem, per scrutinium scil. per accessionem, per adorationem, & per compromissum; ultimum verò hunc antiqvatum & non amplius in usu esse. Præscripti autem sunt hi modi, ut pro normâ observentur, in concilio Lateranensi habito sub Innocentio III. anno MCCXV. cùm antea variæ observarentur formæ , uti apparet ex *c. qvia propter 42. X. de election.*

qvasi

qvasi divini Spiritus impulsu] ad imitationem Ecclesiæ Apostolicæ, uti ait Petr. Gregorius in *syntagm. l. 17. c. 12. n. 28.* Sed qvàm parum hodiè tribuatur Spiritui divino in conclavi, ex relationibus hactenus editis discere licet.

Qvod si fortè Laici] Qvia de electione hîc agit autor, à qvâ Laicos in universum excludit, *tit. seq.* frustra hîc de Laicorum concordibus clamoribus movet disqvisitionem.

meritò carere debet] at si dignus is fuerit, & aliqva plebis seditio metuatur, qvod factum olim non unis vicibus, annon satius erit, concupitum eligere, qvàm seditionibus frigidam suffundere.

Qvomodo dicatur celebrari electio per Scrutinium, & qvi sint Scrutatores. h. d.

§. 10. Per Scrutinium fieri dicitur electio, cùm præsentibus [a] omnibus, qvi debent, volunt & possunt commodè interesse, tres de Collegio fide digni assumuntur, qvi secretè & singulatim vota cunctorum diligenter exqvirunt, & demum in scripturam redacta, publicant: Qvo facto collatione habitâ, is demum censetur electus, in qvem vel omnes, vel major & sanior pars capituli statim consenserint.

a *d. cap. qvia propter. in prin. extrm. de Elect.*

major & sanior pars] Alterutrum ergo non sufficiet. Dd. *in c. 1. & ult. X. de his qvæ fi. à maj. part.* Sed enim difficulter id plerumqve locum inveniet; cùm sanioritas, ut sic dicam, non annexa sit semper majoritati, & unusqvisq; saniori, licet minori parti se accessisse, atqve penes suum cœtum saniorem reperiri sententiam, major vicissim pars saniora se habuisse consilia contendet. id qvod rem, de qvâ agitur, non tantùm non definiet, sed novis controversiis ab ipso toto cœtu nunqvam componendis implicabit, ut proinde utilius videatur, non dignitate, sed numero suffragia æstimare.

Pars

Pars minor eligentium ad infringendam majoris partis electionem potest opponere de propria authoritate, ac zelo, & de meritis electi. h. d.

§. 11. Qvòd [b] si eligentium vota ita se diviserint, ut hinc qvidem electorum pars numerosior consistat, inde minor, sed qvæ non minùs ex authoritate eligentium, qvàm ex meritis electi sanior appareat, ad infringendam partis numerosioris electionem facultas erit minori, & de authoritate ipsorum eligentium, & de meritis eorum qvi electi fuerint, opponere.

b *cap. Ecclesia vestra. extr. de election.*

qvi electi fuerint, opponere] Sed hoc ansam dabit contentionibus, & si pertinax fuerit major pars, frustra erit omnis oppositio. Et qvis verò tùm judex erit contendentium? Ad Pontificem enim Romanum ut ex ultimâ Thule omnes ejusmodi lites deferantur, non erit ex utilitate Ecclesiæ. Et qvis finis deniqve probationum & reprobationum? cùm sine dubio utraqve pars, ut alteram vincat, enixè semper laborabit.

Contra electionem factam à duab. partibus non potest opponi, nisi de nullitate voti alicujus earum dictarum partium. h. d.

§. 12. Hoc tamen tunc obtinebit, cùm non magnus in altera parte contigerit excessus: cæterùm, si qvando [c] duabus electionibus celebratis, pars altera eligentium, aliâ duplo major numero deprehendatur, contra hujusmodi electores ad extenuationem meriti, vel authoritatis ipsorum paucioribus, vel electo ab eis opponendi facultas non erit: qvanqvàm, si qvid opponere voluerint, qvod votum illius, cui op-

c *c. si qvando contigerit. de elect. in 6.*

ponitur, nullum ipſo jure redderet, id eis minimè cenſetur interdictum. Vocantur autem viri tres de Collegio ſumpti, Scrutatores, eò qvòd ſingulorum vota diligenter ſcrutentur.

Opponendi facultas non erit] qvia ſcil. numerus duplo major, cum multum excedat alteram partem, præſumitur valdè ſanior, & motus à multo meliori zelo. Joh. Bapt. Vivianus *in rational. ad c. 9. de elect. in 6.* At verò præſumptio illa, qvæ ex numero eligentium petitur, cur reſtringitur ad numerum duplo majorem, & non aliàs ſimpliciter majorem? Utiqve ſi major numerus errare poterit, poterit errare etiam qvi duplo major eſt; nec præſumtio qvæ pro hoc allegatur, talis eſt, ut non admittat probationem in contrarium. Et qvid, ſi probare poſſit numerus minor, duplo majorem corruptum fuiſſe? Iniqvum tùm erit, opponendi facultate eum privari.

qvod votum illius] Corrigitur hîc ſententia prior. Et intelligendum igitur hoc eſt, non de uno tantùm, ſed etiam pluribus, qvin & de duplo majore parte eligentium, ſi eorum vota nulla reddi poſſunt. Sed has difficultates & plures alias cum obſervaſſent Patres in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Regul. c. 6.* decrevérunt, non amplius inqvirendum eſſe, qvænam ſuffragiorum pars ſit ſanior, ſed tantùm qvæ major, dummodo vota ipſa ſint legitima & perſona electa non indigna. Sic igitur hodiè ſimpliciter vincit numerus major.

Qvomodo per compromiſſum celebretur electio, & qvòd arbitri non ſervantes formam compromiſſi nulliter eligunt. h. d.

d *d. cap. qvia propter. verſic. vel ſaltem. extra. eodem tit.*

§. 13. Per compromiſſum celebratur electio, cùm [d] plures idonei viri eliguntur, in qvos omnium vice eligendi certo modo facultas & poteſtas transfunditur. qvi arbitri, compromiſſi fines diligenter cuſtodire debent, ſcituri, ſi qvid non [e] ſecundum de-

e *cap. ſi cui eligendi. eod. tit. in 6.*

man-

mandatam formam egerint, nullum habiturum eſſe Juris effectum.

Per compromiſſum] Species hæc parum hodiè in uſu eſt, qvia unusqvisqve ſibi magis confidit, qvàm alteri.

cuſtodire debent] Sunt enim, ut mandatarii, qvi fines mandati excedere non debent. Aliàs enim judices compromiſſarii, qvi & ipſi arbitri dicuntur, ex præſcripto juris, non partium, niſi qvatenus circa proceſſum inter eos convenit, pronunciant.

Poteſtas Arbitrorum non expirat re non integrâ, etiam non ſecutâ electione. h. d.

§. 14. Qvòd [f] ſi intra terminos conſtiterint, qvod ab eis geſtum fuerit, uſq; adeò ratum habendum erit, ut etiam non ſecutâ electione, re tamen non integrâ, demandata ſibi poteſtas revocari non poſſit. Oſtendimus, qvib. modis electio celebretur, conſeqvens nunc eſt, uti videamus, & qvi poſſint eligere: &, in qvos cadere poſſit electio.

[f] *cap. in cauſis. extr. eod. tit.*

etiam non ſecutâ electione] h. e. etiamſi in meris tractatibus ſubſtiterint compromiſſarii, qvia tùm res non ampliùs eſt integra, & intereſt ipſorum compromiſſariorum, ne poteſtas data revocetur, qvia tùm ex cognitis ſententiis facilè odium incurrere poſſunt.

QVI ELIGERE, ELIGIVE POSSUNT,

TITULUS VII.

Qvibus jus eligendi competat. h. d.

§. 1. Jus [a] igitur Prælatum eligendi ad Canonicos hodie, & ad viduatæ Eccleſiæ pertinet collegium. Sed

[a] *c. cùm eccleſ. extr. de cauſ. poſ. & prop.*

b *Glo. in ver. ſpectat. in c. ſciant cūcti. de elect. in 6.*

& ſi qvi conſvetudine [b], vel præſcriptione, pacto, vel privilegio fuerint muniti, ab electione minimè ſunt excludendi.

hodiè] malè. cùm per tyrannidem excluſi fuerint reliqvi ſtatûs hierarchici. Canonici enim jus eligendi ſibi vindicarunt ſine dubio connivente Pontifice, qvod is è re ſuâ magis eſſe exiſtimaret, in hominum impotentium & ſibi obnoxiorum manu omnem eligendi ſitam eſſe poteſtatem. At hinc qvantæ obortæ in Eccleſiis contentiones? Refert Crantzius *in Metrop. l. VI. c. 12.* multum intumuiſſe Canonicos jam liberam electionem nactos, ſperaſſe ſibi qvemqve & amicis, & infinitâ ambitione contendiſſe pro Epiſcopatu. De Canonicis conſtat aliàs ex Trithemio *in Chron. Hirſaug. ann. 977.* eos inter Clericos maximæ autoritatis jam à tempore Othonis II., abjectâ regulari vitâ, ſplendidè vixiſſe. Et his ſcil. imperitis ſæpè & Theologiæ prorſus ignaris commiſſa eſt electio Epiſcoporum, ut mirum non ſit, ad majores Eccleſiæ thronos evectos fuiſſe qvandoqve homines planè indignos & criminoſos. Id qvod juſtâ qverelâ perſtringit Marſilius Patavin. *in defenſ. pac. part. 2. c. 23.*

conſvetudine vel præſcriptione] Laicis tamen etiam hos modos acqvirendi jus electionis aufert infra. Præter jus & meritum.

Impuberes & non conſtituti in ſacris non poſſunt eligere. h. t.

c *cap. ex eo qvòd. de elect. in 6.*

§. 2. Sed [c] neqve in pupillari ætate conſtituti, neqve ii qvi ſacris ordinibus non ſunt decorati, ſunt admittendi. Abſurdum enim eſſet, ſi ad tanti ponderis res explicandas, ii qvorum nullum eſt animi judicium, & ad ſacra tractanda, ii qvi nondum illa attigerunt, aſſumerentur.

neqve in pupillari ætate] Ex conſtitutione Clementis V. nec pubes qvidem poteſt eligere, niſi duodevigeſimum annum attigerit, cum ante non poſſit ſacris ordinibus initiari. *Clem. pen. & ult. de ætat. & qval.*

Digitized by Google

qual. Monialis tamen, qvæ duodecimum annum peregit, ad eligendum admittitur, *c. indemnitatibus 43. de elect. in 6.* Utrobiqve ætas nondum videtur satis apta rebus tanti momenti.

sacris ordinibus non sunt decorati. Absurdum n. esset] Perinde est, ac si diceres, absurdum esse, Regem à non Regibus eligi & creari. Utiqve enim, qvia invitis Episcopum nullo modo esse dandum, tota clamat antiqvitas, & ratio svadet vehementissimè, non possunt ab Episcopi electione excludi, qvi ejus inspectioni subjiciuntur, utcunqve sacris ordinibus non sint decorati.

Excommunicatus minore excommunicatione eligit, secus majore.

§. 3. Illud qvæsitum est, an excommunicati ad eligendum admitti possint? Et sanè, si minoris excommunicationis [d] vinculo tantùm fuerint innodati, ab electione arcendi non sunt: Anathemate autem percussi, ab omni penitùs eligendi facultate repelluntur.

d *c. illa qvotidiana. ext. de elect. & cap. perpetuò. in Glos. in ver. privatio. rod. tat. in 6. infrà. §. seq.*

si minoris excommunicationis] Ratio est, qvia minor excommunicatio tantùm sacramentorum participatione excludit, reliqvam communionem non aufert. Qvia verò in electionis actu de regimine Ecclesiæ agitur, Ecclesiæ autem præcipuum officium in administratione Sacramentorum consistit, rectius, ni fallor, etiam minori excommunicatione innodati ab electione excluderentur.

Anathemate autem] Intelligit hîc majorem excommunicationem. Sæpè tamen distingvuntur major excommunicatio & anathematismus, qvod notabimus infrà ad tit. de sent. excomm.

Suspensus à Canone eligit, secùs ab homine.

§. 4. In [e] suspenso qvoqve non absimilis obtinet distinctio. Si enim qvis per solam Canonis dispositionem

e *cap. fin. ext. de cler. excommun.*

nem ſuſpenſus ſit, electioni intereſſe minimè prohibetur: ſi verò per Judicis ſententiam [f], anathematizato ſimilis habebitur.

f *Gloſs. in ver. à ſuſpenſis. c. cùm dilectus. verſ. qvia. extra. de conſvetud.*

minimè prohibetur] At qvæ hîc erit ratio differentiæ? Imò verò majorem notam incurrit, aut ſaltem evidentiorem, qvi à Canone & ipſo jure notatur, qvàm qvi à judice; cùm judex in applicatione errare poſſit. Sed & uterqve ſuſpenſionis modus executionem officii pari effectu impedit, non alter magis, alter minus, ut neqve hinc aliqva fingi poſſit differentia. Cæterùm de ſuſpenſione canonis & judicis vid. Autor *infr. tit. de ſuſpenſ.*

Eligere à ſuperiore prohibiti, abſentes, hæretici non poſſunt eligere.

§. 5. His qvoqve & illi annumerari debent, qvibus à ſuperiore, ne eligant, interdictum eſt. Item abſentes: qvi tamen ſi legitimis cauſis ad electionem accedere impeditos eſſe ſe docuerint, aliis de capitulo votum ſuum demandare, ſecundum ea, qvæ proximè [g] expoſuimus, minimè ſunt prohibendi. Hæreticis autem, vel non catholicis, indiſtinctè Jus eligendi adimitur.

g *ſuprà. tit. cul. præced. §. ſed etſi qvis.*

Hæreticis autem vel non catholicis] Patronus tamen hæreticus præſentare poteſt & debet orthodoxum, aut eum, qvi inſtituto in regione cultui ſit deditus, etſi aliam religionem patronus ſectetur. Vid. Lampad. *de Rep. Rom. Germ. part. 3. cap. 11. n. 36.* Finckelthaus *de jur. patronat. cap. 6. num. 73. ſeqq.*

Ob non ſervatam formam, & ob negligentiam eligentium, electio devolvitur ad proximum ſuperiorem. h. d.

h *cap. quanqvam in caſu. de elect. in 6.*

§. 6. Interdum [h] tamen accidit, ut ii, qvibus ab initio Jus

Jus eligendi competit, eo jure poſtmodùm priventur: utputa, ſi qvi aliter, qvàm per præſcriptas formas eligere tentaverint. Item, qvi per tempus conſtitutionibus diffinitum in eligendo negligentes fuerint: qvo caſu ad proximum ſuperiorem eligendi poteſtas devolvitur.

priventur] Id fit non uno modo. Qvandoqve enim unâ vice tantùm, ut qvi intra trimeſtre (qvod hîc tempus conſtitutionibus definitum dicitur) non elegerunt *c.41. X. de elect.* qvandoqve ad tempus trium annorum, ut ſi per abuſum ſecularis poteſtatis electio facta ſit *cap. 43. X. eod.*

Electio facta de indigno, jus eligendi transfert ad Romanum Pontificem.

§. 7. Alia ſanè[i] cauſa eorum eſt, qvi ſcientes indignum eligunt, aut poſtulant: nam licet & ii eligendi jure priventur, id tamen non ad Primatem, aut Archiepiſcopum, ſed immediatè ad ſummum Pontificem devolvitur.

[i] *d. cap. qvanqvam. de elect. in 6.*

qvi ſcientes indignum eligunt] De electione indigni, qvæ moventur controverſiæ, latiùs exponit H. Zoeſ. *X. de elect. n. 41. ſeqqq.* Indignum dicunt, qvi non habet qvalitates reqviſitas ad miniſterium, cui præficitur. Eum diſtingvunt à minus idoneo, qvod illius incapacitas ſonet delectum. minùs idoneus verò ſit, qvi citra delectum non eſt omninò aptus propter aliqvem defectum ſcientiæ vel ſimilem. Didac. Spino à Caceres *in ſpecul. teſtam. gloſſ. 4. n. 87.* Sed & dignus pro indigno habendus eſt, ſi dignior adſit. Digniores neceſſariò eligendos eſſe, ſemper & ubiqve olim fuit creditum; ſufficere tamen, ut dignus tantùm eligatur, diſceptatum & decretum in Concilio Tridentino, uti refert Petrus Svavis *in hiſtor. lib. 8. p. 811. 852.* qvòd & illi digniores ſint iis, qvi minùs digni & uti-

& utiles sint. Sed id cavillari est, & bonas Ecclesiæ leges evertere. **Vid.** Fernand. Vasqv. *lib. 1. controv. cap. 28. n. 1. & cap. 43. n 16.* Didac. Covarruv. *ad c. peccatum p 2. §. 7.* Et constituit Pius V. Pontifex, collationem beneficii factam digno, prætermisso digniore, retrahi posse per appellationem ad superiorem, referente Didaco Spino à Caceres *in specul. testam. glos. 18. numer. 12.*

Laici non possunt eligere. b. d.

a *c. sacrosancta. cap. massana. extra. de elect. & 63. distinct. per totum.*

§. 8. Laicis [a] qvoqve, etiamsi Principes sint, nullo qvoqve consvetudinis, neq; præscriptionis, neq; conventionis jure ad electionem aspirare permittitur. Patroni tamen circa jam factam electionem, non indecenter postulatur assensus [b].

b *d. c. sacrosancta. in fin. & c. cùm terra. in fin. eod. tit. cap. nobis. extr. de jur. patr.*

Laicis qvoqve] Malè excludi Laicos ab electione Episcoporum, & in veteri Ecclesiâ reqvisita eorum fuisse suffragia, pluribus ostendit M. Ant. de Domin. *l. 6. de Rep. Eccles. c. 7. n 33. seqqq.* neqve id diffitetur Augustinus Barbosa *de offic. & pot. Episcop. p. 1. tit. 1. c. 3. n. 4.* Conf. Christ. Justell. *not. ad cod. can. Eccles. univers. p. 198.*

Patroni tamen] Credo ego, ne Patroni qvidem assensum reqvisituros Pontificios, nisi ab eo haberent Clerici, ut benè sibi esse liceret. Ex æqvitate enim, non justitiæ debito, & qvâdam tolerantiâ, aut etiam ex gratiâ, patronatûs jus introductum dicunt, ut sc. Eccleſia gratiam gratiâ compensaret, & ad plus dandum invitaret. Coras. *de offic. elect. dign. & benefic. Eccles. p. 4. c. 6. n. 6.* Claud. Tutius *qv. 1. juris patron. n. 6.*

Qvalem Episcopum esse oporteat. b. d.

§. 9. Oportet autem eum, qvi in Episcopum eligendus sit, (cùm Ars sit artium, regimen animarum) ætate maturum esse, natalibus illæsum, corpore integrum, famâ candidum, literis instructum, religiosum,

Digitized by Google

sum, prudentem, temperatum, castum, hospitalem, mansvetum, irreprehensibilem, secundùm ea, qvæ latiùs infrà [c] dicturi sumus: Si enim ad seculares honores sine suffragatione meritorum indignum est perveniri, & notari ambitûs solent, qvos probitatis documenta non adjuvant: qvàm diligens ac prudens habenda est dispensatio divinorum munerum, & Ecclesiasticarum dignitatum?

c *infrà, de vit. & honest. cleric.*

Oportet autem] Qvalitates has prolixè explicat Augustinus Barbosa *de officio & pot. Episcop. p. 1. tit. 1. gloss. 3. seqq.* Præcepta autem hæc parùm hodiè attenduntur in electionibus apud Pontificios. Atqve ut constet, in qvam diversa nunc abeat Ecclesia papalis, adscribam hîc verba Georgii Wicelii, qvi cùm ab Imperatoribus Ferdinando & Maximiliano II. jussus fuisset, de religionis negocio sententiam suam exponere, in libro, qvem *viam regiam* inscripsit, in elencho abusuum ita scribit: *Abusus præcipuus committitur in electione, qva parens est posteà omniũ corruptelarũ. Eliguntur affectu magis, qvàm judicio: non à totâ Ecclesiâ, sed à certis qvibusdã paucis, qvorum pars major neq; DEUM magnoperè neq; Ecclesiam universalem curat, neqve hujus profectum spectat, neqve sacras callet literas, tota harum rudis, tota tenebris involuta, operibusq; carnis immersa: qvò fit, ut ament potiùs sui similem eligere, qvive ipsis commodus sit præsul magis, qvàm qvi sit propensus erga populum subjectum. - - Post qva prima est cura de novis corradendis pecuniis, virtus post nummos, ut semper, & de moribus ultima qvæstio. Proxima cura est de amplificando choro, h.e. ut turba Sacerdotum ingens præstò sit in conspectu Principis Sacerdotum, & qvò majora veniant scandala in populo, & crimina multiplicentur ad Sacerdotum numerum. - - Tertia cura electo incumbit de eqvitatu strepituq; aulico, & satrapiâ magnificâ: cùm præsulum nullus inferior præcessore suo videri velit. Inde nobis vita tota aulica, consilium aulicum, supercilium aulicum, nihil Episcopale, nihil humile, præter amictum clericalem, cæteroqvin familiaribus, qvia de seculo sunt & pseudo Evangelici, permittitur vestitus barbaricus. - - Et indulgetur peccaminosa crapulatio, inebriatioq; dies atqve noctes, & nescio qvid obscœnius, ne qverantur de infulis sordidis &c.* Similes qverelas à Patribus Tri-

dentinis non unis vicibus ingeminatas refert Petrus Svavis *in hist. Concil. Trid. passim.* Et talia apud bonos autores occurrunt plura.

natalibus illæsum] Conferri hîc potest Distinctio 56. per tot. Et posse per dispensationem etiam spurios moribus & scientiâ insignes ad dignitates Ecclesiasticas admitti, Canonistarum est sententia. Vid. Coras. *de offic. Eccles. p 3. c. 2.* Ut hinc minus dubium sit de legitimatis per subsequens matrimonium, Covarruv. *de matrim. p. 2. §. 2. num. 37.* Rosenthal *de fend. c. 7. concl. 18. lit. n.*

corpore integrum] Nimis superstitiosi hîc sunt Pontificii, uti patet ex iis, quæ notari solent ad tit. *X. de corp. vitiat. ord.* quibus addi potest Paul. Laymann. *theol. moral. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 7.* Fundamentum petitur ex Levit. *cap. 21. vers. 18. seq.* Sed ut rectè ibi observat Lucas Osiander, hodiè in eligendis ministris Ecclesia non est alligata ad has leges. Etsi enim, si commodè fieri potest, tales sunt præficiendi, qvi corporis ratione non sint aliis contemptui; tamen si aliàs sint præclaris donis Spiritûs S. ad ministerium necessariis ornati, melius est, ut careat minister Ecclesiæ eleganti formâ corporis, qvàm ut Ecclesia careat idoneo ministro.

literis instructum] qvalis scientia reqviratur in Episcopo, prolixiùs exponit P. Gregor. *de benefic. c. 37. n. 14.* qvod scil. tanta esse debeat, ut Episcopus utrumqve munus & docendi & judicandi expedire possit.

hospitalem] Si non qvoad effectum semper, saltem qvoad affectum & animi propositum, cùm non omnibus nec semper suppetat, unde hospitalitatem exercere possint. Marsil. Patavin. *defensor. fid. pag. 2. cap. 13.*

qvos probitatis documenta non adjuvant] puto ego adjumentum hoc non liberare à crimine ambitûs, etsi facere possit, ut pœna mitigetur. Nec enim precio emere aut aliis artibus comparare decet dignitates & officia.

Minor triginta annis, excommunicatus, suspensus, & non constitutus in sacris, & schismaticus non reconciliatus, non possunt eligi.

§. 10. Igitur is, qvi ad Episcopalem dignitatem promovendus est, annos natus esse debet non minùs trigin-

triginta[d]: nam eâ ætate Dominum[e] & baptizatum esse, & concionatum fuisse legimus: alioqui si quis minor fuerit, eligi non poterit. Idem[f] juris est in iis, qui aut excommunicationis, aut suspensionis vinculo sunt innodati. Sed nec ii[g], qui in sacris ordinibus non sunt constituti, saltem sub diaconatu, neq; schismatici eligi debent.

d *cap. cùm in cunctis. extr. de election.*

e *can. presbyter. dist. 78.*

f *suprà, eod. tit. §. illud. & §. seq.*

g *can. de Syracusan. in fin. dist. 28. can. à multis. de ætate & qualit.*

non minùs triginta] de ætate eligendorum non potest regula quædam generalis tradi, sed ἰκαιότης hic est respicienda, quæ in quibusdam citiùs, in quibusdam tardiùs sese exserit. Egregiè Ignatius *Epist. ad Magnes. Neque etiam contemnenda est Episcopi juventus, sed secundùm voluntatem Dei Patris, omnis reverentia ei tribuenda est, quemadmodum facere novi sanctos presbyteros, non respicientes ad eam, quæ apparet, juventutem, sed ad prudentiam, quam in Deo habet. Quandoquidem annosi continuò sapientes non sunt, neque senes possident intelligentiam, sed spiritus, qui in hominibus est.* Malè tamen Ecclesiæ consulunt, qui inidoneos prorsus adolescentes, & tantùm non pueros ei præficiunt. Vid. Claud. Espencæus *de continent. lib. 4. c. 2.* Ita aliquando puer nondum quinquennis Remensis electus fuit ArchiEpiscopus, quod ipse conqueritur Baronius *ann. 925. n. 9.* Et de Johanne XII. apud Luitprandum sunt testimonia, quòd ordinationes Episcoporum precio fecerit, & quod annorum decem Episcopum in Tudertinâ civitate ordinârit. Ætas autem 30. annorum generaliter selecta est, quia solidæ ea ac perfectæ prudentiæ esse creditur.

nam eâ ætate] Salvator suo hoc exemplo noluit certam regulam præscribere, vel definitum annorum numerum in eligendis ad ministerium determinare. Nec Apostolus in formâ, juxta quam eligendi sunt ministri, ullam certæ ætatis mentionem facit, cùm tamen alibi de viduâ ad certas quasdam operas Ecclesiæ præstandas eligendâ præcipiat, ne minor sit sexaginta annis, *1. Tim. V, 9.* Cæterùm de trigesimo Christi anno, quo baptisatus dicitur *Luc. III, 23.* videri potest Christoph. Justell. *ad cod. can. Eccles. univers. p. 168.* Richard. Montacut. *exerc. 9.*

qui in sacris ordinibus non sunt] Vid. Marc. Ant. de

Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 3. c. 4. n. 4. ſeqqq.* Gradatim enim ordinatimq; ad Eccleſiæ ordines adſcendendum eſt. Claud. Eſpencæus *digreſs. l. 1. cap. 16.* Conf. *novell. Juſtinian. 6.* & ad eam Cujacius.

neq; Schiſmatici] Hæreſis & Schiſma qvid differant, vid. Joh. Rainold. *prælect. 1. p. 3. 4. ſeq.* Claud. Eſpencæus *in Epiſt. ad Tit. c. 3. p. 602.*

Eligentes indignum, per triennium eligi non poſſunt. h. d.

h *cap. cùm in cunctis. §. fin. & c. cùm Vintonenſ. & cap. per inquiſitionem. extra. de electione.*

§. 11. Illi [h] qvoq;, qvi ſcienter indignum eligunt, non ſolùm eligendi poteſtate privandi ſunt: verùm etiam per triennium, ut ab aliis eligi poſſint, ſeipſos inhabiles reddunt.

privandi ſunt] ſcil. qvoad electionem proximè futuram, *cap. 25. X. de elect.*

inhabiles reddunt] Sed illa inhabilitas, niſi fallor, reſtringenda eſt ad ſolam illam Eccleſiam, in qvâ electio indigni facta eſt, qvippe qvam ſpecialiter offendit, *c. 37. de elect. in 6.*

Neophyti non poſſunt eligi. h. d.

i *can. 1. diſt. 48.*

§. 12. Neophyti [i] qvoq; in Epiſcopos ordinari prohibentur: indecens eſt enim, & valdè præpoſterum, eum fieri Magiſtrum, qvi nondum didicit eſſe diſcipulus. Appellantur autem Neophyti [k], qvi propoſitum ſacræ Religionis noviter aſſumpſerunt.

k *can. 2. eod. diſtinct.*

Neophyti qvoq;] Νεόφυτοι interpretatur Suidas τὸν νεωστὶ φυτευθέντα, h. e. qvi nuper ex Gentiliſmo Chriſtianam religionem amplexus, per baptiſmum Eccleſiæ Dei inſitus, inq; doctrinâ nondum ſatis confirmatus nec in vitâ ſufficienter probatus eſt. Talem protinus fieri Epiſcopum prohibet etiam Juſtinianus *Novell. 123. c. 1.* Inde tractum exemplum, ut Neophyti dicerentur novitii Clerici, & nuper è monachorum vel Laicorum numero in Clerum adſcripti, qvos ſummo ſacerdotio prohibuit

hibuit Concilii Sardicenſis canon XIII. Vid. Petrus de Marca *de concord. ſacerdot. & imper. l. 1. cap. 8. n. 6.* Aug. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. pag. 1. tit. 2. gloſſ. 17.*

Indecens eſt enim] aliam rationem reddit Ambroſius, ſi modo is autor eſt commentarii *in Epiſtolam ad Timoth. Rudis in fide*, inqvit, *ſolet extolli ſuperbiâ, maximè ſi accipiat ordinem: Novitate enim & poteſtate inflatur, arbitrans ſe præ cæteris digniorem. Videns enim primo anno nativitatis in ſe collatum honorem, putat non magis ad ſuum, ſed ad aliorum profectum ſe eſſe vocatum, qvaſi beneficium religioni det magis, qvàm accipiat ab eâ, per qvam rem elatus incurrit laqveum Diaboli* &c. add. Gerhard. *tom. 6. Loc. c. 4. th. 183.* Sed ipſe tamen Ambroſius ne qvidem neophytus, nedum baptizatus, ſed adhuc catechumenus à profanâ præfecturâ ad Epiſcopatum communi populi Mediolanenſis ſuffragio fuit evectus. Ruffin. *l. 2. c. 11.* Theodoret. *l. 4. c. 6.* Et hinc eam electionem divinæ potius qvam humanæ jusſioni tribuunt patres. Vid. Epiſt. Nicolai I. *ad Photium*, qvæ extat inter acta Concilii Oecumenici VIII.

DE POSTULATIONE,

TITULUS IIX.

Qvid ſit poſtulatio. h. d.

§. 1. Poſtulatio[1] eſt ejus, qvi eligi non poteſt, in Prælatum concors capituli facta petitio.

[1] *Gloſſ. in ver. vera poſtulatio. c. 1. de poſtulat. in 6.*

Poſtulationem non eſſe contradiſtingvendam electioni, dixi ſupra *de elect. in pr.* Et eſſe inventum recentius, uti rectè putat Fr. Duaren. *de ſacr. Eccl. miniſter. l. 5. c. 2.* patet tum ex *c. literas 14. diſt. 63.* ubi promiſcuè electionis & poſtulationis vocabula ſumuntur, tum ex eo, qvod in tit. *de poſtul. prælat.* nulla anterioris Pontificis habeatur decretalis, ante Innocentium III. ſub cujus regimine qvantum mutata fuerit Eccleſia, qvaſi in tabellâ exhibet Jacobus Uſſerius *lib. de Chriſtian. Eccleſ. ſucceſſ. & ſtat. c. 9.* Hugo Grotius hanc facit diſtinctionem inter poſtulationem & electionem, qvod poſtulatio præcedat ordinationem, & ſit electio qvædam conditionata, non plena: plena autem electio ordinationem ſeqvatur. *commentar de imp. ſumm. pot. circa ſacr. cap. 10. n. 2.* Modus vero hic non variat rem, ſed utrinq; vera eſt electio. Thomas Bilſonus *de perpet. Eccleſ. gubern. c. 15.* aliter explicat rem. De electione ita ſcribit: *Mortuo civitatis alicujus Epiſcopo, cujus Eccle-*

Ecclesia Clericis ad succedendum idoneis abundabat, Episcopi ejusdem provinciæ proximi qviq; conferentes, diem ad conveniendum sibi præstituebant, eumq; presbyteris ac plebi significabant. Qvem ad diem Clero ac populo in templo congregatis, tot Episcopi, qvot commodè poterant, (absq; tribus autem nihil proficere licuit) ad eum locum advenientes, qvem Clerus nominaret, civitasq; approbatione & consensu laudaret, cognitionem ceperunt. Si omnes vel major pars cujusq; ordinis in unum aliqvem consensissent, is electus renunciabatur. &c. De postulatione verò in seqventibus hæc habet verba: *Cum verò nonnullis civitatibus vel pauci admodum essent Clerici, vel non ejusmodi, ut ad eum locum possent admitti, aliunde sibi Episcopum qværebant, primariæ seu matricis, ut vocant, ejusdem provinciæ civitatis Episcopum adeuntes, & ab eo, vel qvem ipsi vellent, pastorem sibi postulantes, vel alium qvemcunq;, qvi metropolitano, h. e. primæ civitates aut Ecclesiæ Episcopo magis idoneus videretur. Huic eorum petitioni ab ipsâ re postulationis nomen indidêrunt* &c. Hanc Bilsoni distinctionem negat subsistere posse David Blondellus *in apol. de Episc. & presb. sect. 3. p. 472.* si nimirum eò trahatur, qvod electio nulla sit, ubicunqve postulatio locum habuit, postulatio rursus nulla, qvotiescunqve electionis decretum scriptum fuerat. Rectè. Illæ enim differentiæ electionis & postulationis, qvas refert Augustinus Barbosa *de jur. Eccles. lib. 1. c. 19. n. 18. seqq.* Paulus Laymannus *theol. moral. lib. 4. tr. 2. c. 12. n. 8.* sunt ab Ecclesiâ recentiore.

qvi eligi non potest] Videtur ergò postulatio in fraudem legis inventa, ut promoveri sc. ad Episcopatum possent, qvi propter canones recentiores eligi non poterant.

Qvi non animi, vel corporis vitio, sed aliàs non potest eligi, putà minor xxx. annis, vel spurius, potest postulari.

§. 2. Sciendum est enim, qvosdam esse, qvi qvamvis eligi non possint, postulari tamen minimè prohibentur. Qvæ res ita videtur posse commodè diffiniri, ut, qvicunq; non animi, vel corporis vitio, sed ob alterius defectum qvalitatis eligi impediuntur, iidem tamen postulari possint. Ex hoc apparet [a] eum,

[a] *gloss. in cap. fin. extra. de postul. & cap. cupientes. §. deniq;. de elect. in 6.*

eum, qvi trigesimum annum nondum complevit, item in minoribus ordinibus constitutum, aut laicum, item natalibus læsum [b], licet eligi non possint, postulari tamen posse.

b *cap. innot. extra de electione.*

qvi trigesimum annum nondum cõplevit] eligi hunc non posse, traditum est Canonistarum nullo fundamento subnixum, uti dixi *tit. antec.* nec tamen hîc definitur, cujus ætatis esse debeat postulandus, cùm etiam de puero dici possit, qvod trigesimum annum nondum compleverit. Nec profectò puerum repudiabunt pontificii, præsertim si dispensatio accesserit Pontificis Romani, qvi potest supra jus dispensare *c. 4. X. de conces. præb.* Sed reprehendit id tamen Petrus Gregor. *de benef. Eccles. c. 37. n. 5. Non possum*, inqvit, *tacere, has dispensationes esse maximè damnosas Ecclesiæ, & habere maximum animæ & puerorum & impetrantium periculum, dare gubernacula pueris, committere lumen cæcis. facere enim non potest dispensatio, qvod infans mentem habeat, vel alius conjunctum beneficio divinum exerceat, qvia naturæ lex ei mentem negat, qvæ infringi nulla potest dispensatione.* &c.

aut laicum] Sed Laicum olim non fecére facilè Episcopum, nisi probatum priùs, & non exiguo tempore in rebus sacris exercitum. Vid. M. A. de Domin. *l. 3. c. 4. n. 19. 22.* Sufficiunt tamen Justiniano Imp. menses sex, qvos exigere in Clero necesse sit, anteqvam idoneus Episcopatui dici possit. *Nov. 6. cap. 1.*

Episcopus & electus debent postulari, non eligi: secus, Abbas, & alii inferiores. h. d.

§. 3. Episcopus [c] qvoq;, cùm propriæ sit alligatus Ecclesiæ, ad aliam transitum facere non potest: ea propter non eligendus, sed postulandus erit. Non idem Juris est [d] in Abbatibus, & cæteris Prælatis infra Episcopalem dignitatem constitutis: isti enim, licet propriæ Ecclesiæ videantur alligati, nihilo minùs eligi

c *d. cap. fin. ubi gloss. extra. eod. tit.*

d *cap. nullus religiosus. & cap. si abbatem. de elect. in 6.*

Digitized by Google

eligi poſſunt: proprium tamen non deſerant Monaſterium, niſi licentiâ legitimè impetratâ.

ad aliam tranſitum facere non poteſt] de hoc dicam infr. *tit. 18. de translatione.*

non eligendus, ſed poſtulandus] In noſtris Eccleſiis etiam ille eligi dicitur, qvi ab aliâ Eccleſiâ poſtulatur. A poſtulatione Canoniſtæ adhuc diſtingvunt nominationem. qvod poſtulatio ſit unius perſonæ certæ, nominatio vero ſit plurium perſonarum deſignatio, ut una ex his promoveatur. Nos & nominationem, & poſtulationem, & electionem in antiqvâ Eccleſiâ tàm limitatè diſtinctas fuiſſe non invenimus.

DE CONFIRMATIONE ELECTIONIS,
TITULUS IX.

Electus debet intra menſem conſentire electioni, alioqui alius poterit eligi. h. d.

§. 1. Nunc videndum eſt de confirmatione. Sciendum eſt itaq; in primis, Gregoriana conſtitutione [e] in Lugdunenſi concilio cautum fuiſſe, ut electores, qvàm primùm commodè poſſint, operam dent, ut electi conſenſum habeant: qvem ſi infra menſem ſine cauſa legibus cognita, electus accommodare diſtulerit, jure, ſi qvod ei fuerat ex tali electione qvæſitum, ſtatim carere debere: Electoresq; ad aliam electionem liberè poſſe convolare.

[e] *cap. qvam ſit. de elect. in 6.*

jure, ſi qvod ei fuerat ex tali electione qvæſitum] Ex electione nullum omninò jus acqviri electo, rectè animadvertit M. A. de Domin. *de Rep. Eccleſ. l. 3. c. 3. n. 51.*

Electus

Digitized by Google

Electus post consensum electioni præstitum, vel notitiam habitam, debet intra mensem ad sedem Apostolicam iter arripere, & quantò citiùs poterit, confirmationem obtinere.

§. 2. Eadem constitutione [f] cavetur, electum infra tres menses post consensum electioni præstitum, si nullum justum impedimentum obsistat, confirmationem à superiore Prælato petere debere: alioqui trimestri spatio elapso electionem esse penitùs irritandam. Sed cùm interdum eveniat, ut aliqvorum locorum vicinitas minus exigat, aliqvorum distantia prolixius tempus expoſcat, consultissimè Nicolaus [g] Tertius sanxit: ut electi, qvorum electionum confirmationes ad sedis Apostolicæ examen deducit immediata subjectio, vel appellatio interjecta devolvit, infra mensem post consensum, vel habitam de ipsorum electione notitiam, ad sedem ipsam Apostolicam iter arripiant, & qvantò citiùs commodè poterunt, cum omnibus juribus coram sede Apostolica personaliter comparêre nitantur, suarum electionum confirmationes petituri: aliaq; insuper adjecit, qvibus Ecclesiarum periculosis vacationibus, ac malignantium subterfugiis, electorumq; incommodis facilè occurritur: qvæ non solùm in electionibus, verùm etiam in postulationibus obtinere voluit.

f *d. cap. qvam sit. de elect. in 6.*

g *cap. cupientes. de elect. in 6.*

à ſuperiore prælato petere debere] Ita qvidem obtinuit olim, ut Metropolitanus electiones diſcuteret,& malas reprobaret,bonas verò admitteret atqve confirmaret. Sed & munus ejus erat, ipſum qvoqve futurum Epiſcopum examinare,probareq;, an ſacrâ ſcientiâ ſit ſatis inſtructus,& an vitam egerit huic officio non indecentem. Imò anterioribus ſeculis Eccleſiæ Apoſtolicæ propioribus negocium iſtud non ad Metropolitanum tantùm, ſed Epiſcopos etiam comprovinciales ſpectabat, uti refert Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. l.6. c.2. n.5. & lib.8. cap.2. num.1.* Seqvioribus autem temporibus uti electiones, ita & confirmationes turbárunt Pontifices Romani , easqve de manibus Metropolitanorum per ſummam vim ereptas, ſibi contra jus & fas vindicârunt, miraturq; Eckius *l.3. de prim.Petr. c.4.* qvomodo contra jura ſuas confirmationes Epiſcopi, præſertim Germani,ex Româ petant. *Forſitan*,inqvit, *Viri magni & petentes ac natalibus illuſtres , dedignabantur confirmari ab humilis generis metropolitano*, &c.

immediata ſubjectio] tanqvam ſub peculiari Metropolitano,aut propter ſpecialem exemptionem.

vel appellatio] appellationes tales ætate Ivonis Carnotenſis cœpiſſe,& per eas magnam vim illatam eſſe vetuſtis canonibus, obſervat Petrus de Marca *de concord. Sacerd. & imper. l. 6. c.3. n. 9. & 12.*

Non confirmatus non poteſt res Eccleſiæ adminiſtrare. h. d.

a *cap. avaritiæ de elect. in 6.*

§. 3. Qvandiu [a] autem qvis confirmatus non eſt,rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrator eſſe non poteſt. Qvòd ſi negotiis Eccleſiæ, ad qvam vocatus eſt,ſeſe temerè ingeſſerit,omni jure, qvod ei per electionem qvæſitum fuerit , ſtatim privandus erit: nullo neq; œconomatûs, nec procurationis prætextu excuſandus.

adminiſtrator eſſe non poteſt] Utilem & certo modo neceſſariam eſſe confirmationem Metropolitani , aut, uti fieri hodiè ſolet in noſtris hisce terris, ipſius Principis jura Epiſcopalia exercentis, facilè conceſſe-

Digitized by Google

ceſſerim. Qvod autem rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratio Epiſcopo nondum confirmato tàm ſeverè interdicta ſit jure Pontificio, cauſam videtur habere iſtam, qvod aliàs omiſſa confirmatione, & annatis & muneribus & bullarum immenſis preciis carendum eſſet Romanæ Eccleſiæ.

Electo non eſt obediendum, niſi literis confirmationis oſtenſis. h. d.

§. 4. Petet igitur is, qvi confirmatus eſt, ab Apoſtolica ſede literas, confirmationis ſuæ tenorem continentes, illisq; oſtendet, ad qvos ea res pertinet, alioqvi nulli eum abſq; dictarum literarum oſtenſione recipere tenebuntur. Qvod & in promotione apud dictam ſedem facta, & in conſecrationis, vel benedictionis munere, loçum ſibi vendicat.

c. injuncta 1. Extrav. comm. de elect.

alioqvi nulli] propter incommoda ſcil. qvæ evenire ſolent, uti dicitur *c. 1. in Extrav. comm. de elect.* Sed iſta incommoda & pericula nulla eſſe ait M. A. de Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 9. c. 9. n. 51.* ſi collationes iis relinqverentur, qvorum ſunt propriæ, qvod unusqvisqve optimè ſuas noverit oves. Et totum hoc conſtitutum eſſe concludit, ut eò majori precio omnia vendi, & Romanæ culinæ θρέμματα ſaginari poſſint.

Confirmatio non conceditur, niſi cum cauſæ cognitione. h. d.

§. 5. Is [b] autem, ad qvem confirmatio pertinet, diligenter examinare debet, & electionis proceſſum, & perſonam electi. eſt enim hoc generale, ut ad eum pertineat examinatio, ad qvem manus impoſitio ſpectat. Et, cùm omnia ritè concurrunt, tunc munus ei confirmationis impendat. Qvòd ſi ſecùs factum fuerit, non ſolùm dejiciendus erit indignè

b *cap. nihil eſt. in prin. extr. de elect.*

Digitized by Google

promotus, verùm etiam indignè promovens puniendus. Nihil eſt enim, qvod Eccleſiæ Dei magis officiat, qvàm ſi indigni ad regimen aſſumantur animarum. Qvod cùm in cunctis [c] ſacris ordinibus ſibi locum vendicet, in Epiſcopo tamen multò fortiùs: qvi ad curam aliorum poſitus, in ſe ipſo debet oſtendere, qvomodo cæteros in domo DEI oporteat converſari. Qvòd ſi fortè eligentium vota in duas ſe diviſerint partes, is confirmatoris judicio alteri præferendus erit, qvi majoribus juvatur ſtudiis & meritis.

c *cap. cùm in cunctis. extr. de elect.*

indignè promovens puniendus] ſi per negligentiam, amittit poteſtatem confirmandi primum ſucceſſorem, & ſuſpenditur à perceptione fructuum ſui beneficii ad tempus; ſi ſcienter, deponi debet. Aug. Barboſ. *ad c. 44. X. de elect.*

Si unus ſit poſtulatus, alius electus, præponitur electus æqvè idoneus, niſi poſtulantium ſit duplo major numerus. Qvi tamen ſi ignoranter indignum poſtulaverint, nec poſtulatio, nec electio valet, ſed ſi ſcienter, electio tenet. hoc dicit.

d *cap. ſcriptũ eſt. extm, de elect.*

§. 6. Et [d] ſi vacante Eccleſia, ſciſſo in duas partes capitulo, alius qvidem electus fuerit, alius verò poſtulatus, qværi poteſt, electióne confirmanda, an verò poſtulatio ſit admittenda? In qvâ ſpecie ſi tam poſtulatus, qvàm electus ſint idonei, reſponſum eſt: Si poſtulantium numerus ſit eligentium duplo major, utiq;

utiq; poſtulationem eſſe admittendam : ſin id minus, electionem confirmandam. Sed ſi poſtulantes indignum neſcii poſtulaverunt, nec poſtulatio, nec electio rata habenda erit : ſi ſcientes & prudentes, erit electio confirmanda.

poſtulatio ſit admittenda] Non dicit hîc : Confirmanda, uti de electione, qvia ſi comprobatur poſtulatio, nulla alia expectanda eſt confirmatio. Joh. Coraſ. *de offic. & dign. Eccleſ. p. 4. c. 2. n. 18.*

duplo major] Duas partes idèo reqviri dicit Joh. Bapt. Vivianus *in rational. ad c. 40. X. de elect.* qvia poſtulatio eſt via extraordinaria, & innititur gratiæ, nec ita favorabilis eſt, uti electio, qvæ innititur juri. At putavi ego, etiam poſtulationem ita Canoniſtis receptam eſſe, ut jus faciat. Nec verò gratia à poſtulantibus provenit, ſed à ſuperiore confirmante. Qvid opus ergò eſt propter gratiam impertiendam duplo majorem numerum poſtulantium exigere?

In confirmatione facienda citandi ſunt, qvorum intereſſe poteſt. Et calumniosè opponentes, puniuntur. h. d.

§. 7. Illud [a] etiam confirmantem obſervare oportet, ne, dum nimia in confirmando celeritate utitur, contra doctrinam Apoſtoli proprium affectum Juri & æquitati præponat. Itaq;, ſi coëlectus aliquis, vel contradictor apparet, ante confirmationem nominatim vocandus eſt : alioqui ſi nemo apparet in foribus Eccleſiæ, in qua electio facta eſt, generaliter edicendum erit, ut, ſi qvi ſint, qui confirmationi futuræ velint opponere, ad contradicendum in aſſigna-

a *cap. fin. de elect. in 6.*

to peremptorio termino præsentes esse debeant. Qvæ omnia locum habent, sive concorditer electio fuerit celebrata, sive non. Sciant tamen ii, qui contra electionem opponendum duxerint, se, si probationibus destituti fuerint, ab omni pœnitentiæ præsidio excluſos, legitimis pœnis esse subjiciendos.

generaliter edicendum.] Vestigium hoc qvalecunqve supereſt pristini ritûs, qvo nomina vocandorum per trinundinum promulgata dixi suprà. Vid. Claud. Espencæ. *in 1. Tim. III. v. 6.*

legitimis pœnis] add. *Novell. 6. c. 1.*

Potest dispensari cum electo schismatico, si nullum ordinem à schismaticis susceperit. hoc dicit.

b *cap. qvia diligentia. extra. de electio.*

§. 8. De [b] illo dubitari contigit, an ejus, qvi abjurato schismate ad unitatem Ecclesiæ rediit, confirmanda sit electio? & responsum est: Si à schismaticis nullum susceperit ordinem, & ejus electio canonicè celebrata deprehendatur, posse illam dispensativè confirmari.

nullum susceperit ordinem] Pontificii enim exterioribus signis & ritibus, de qvibus nullum extat vel mandatum vel promissio Dei, ita alligant gratiam Dei, ut fingant eum, cui omnes ritus pontificiæ ordinationis adhibiti non sunt, non posse habere gratiam, qvæ ad ministerium necessaria est, non posse peccata remittere, non consecrare sacramentum corporis & sangvinis Christi. eum verò, qvi ipsorum ritibus ordinatus est, etiamsi nunqvam exerceat vel exercere cogitet ministerium verbi & Sacramentorum, habere tamen propter ritûs illos perpetuò impressam ordinis gratiam & Spiritum Sanctum.

Con-

Confirmatus & nondum consecratus, exercet solùm, quæ sunt jurisdictionis, non quæ sunt ordinis. Et nemo dat, quod non habet. h. d.

§. 9. Igitur confirmatione secuta, inter electum & personas eligentium, hoc est, Ecclesiam, spirituale conjugium [c] contrahitur. Quapropter confirmatus liberam super illis statuendi nanciscitur facultatem. Hoc autem sic intelligi oportet [d], ut eorum quidem, quæ jurisdictionis sunt, utputa, corrigendi, excommunicandi, jusjurandum exigendi, conferendi, confirmandi, & iis similium libera confirmato permissa sit tractatio: Ea verò, quæ non jurisdictionis, sed ordinis sunt [e], veluti Clericorum ordinationes, benedictiones virginum, depositiones, Ecclesiarum & Altarium consecrationes, ante propriam consecrationem peragere prohibetur. Neq; enim ratio svadere videtur, ut quis in alios id conferre possit, quo eundem indigere dignoscitur. Quòd si consecratus sit, non solùm quæ jurisdictionis, verùm etiam quæ ordinis sunt, exequi poterit.

c *cap. 2. §. sicut autem. ext. de translat. episcop.*

d *glos. finali, cap. transmissa. extr. de elect.*

e *c. quod sicut. §. praterea. & d. glos. fin. extra. de elect.*

spirituale conjugium contrahitur] Vid. infr. *tit. de Chorepisc. usu sublat.*

libera confirmato] Catholicum hoc non est. Ut enim Episcopus de causis feudalibus cognitionem instituere possit, requiritur, ut etiam sit consecratus *c. 7. X. de for. comp.* ubi optimè respondet Cujacius ad obstans sibi *c. 15. X. de elect.* (ex quo autor cum glosâ hanc distinctionem fabricavit) non tribui illic electo & confirmato nondum consecrato Epi-

to Episcopo plenum officium juris dicendi in omnes, sed in clericos tantùm contumaces & turpibus lucris deditos Laicorum in morem, & disertè addi, ea, qvæ majoris inqvisitionis discussionem exigunt, ante consecrationem ab Episcopo expediri non posse.

Ea verò, qvæ non jurisdictionis, sed ordinis sunt] Plurimùm in hac distinctione explicandâ occupantur Pontificii, qvam idcircò totam rejicit Rob. Parker. *de polit. Eccl. l.2.c.34.* Nos retinere qvidem eam possumus, sed in alio sensu. ita sc. ut per ordinis potestatem intelligamus illam, qvæ vi ordinationis absqve ullâ jurisdictionis specie Ecclesiæ ministris demandatur; per jurisdictionis potestatem verò, qvæ speciem habet alicujus jurisdictionis, & cum illa qvodammodo convenit. At Pontificii per Ordinis potestatem intelligunt illam, qvæ Ordini Episcopali & Presbyteriali vi ordinis ita propria est, ut à reliqvis ordinibus exerceri non possit, imò etiam inter Episcopos & Presbyteros tale faciunt discrimen, ut qvædam Episcopis solis conveniant, qvæ à presbyteris peragi nullo modo possint; jurisdictionis verò potestatem volunt esse propriè ita dictam & cum vi cogendi ac coërcendi conjunctam; qvalem tamen Ecclesia qvà talis non habet, qvippe ipsi naturæ potestatis Ecclesiasticæ, qvæ tota spiritualis & ministerialis est, & praxi insuper Apostolorum minùs congruentem. Sed & ipsa tota jurisdictio spiritualis ex potestate clavium resultat; hæc autem in ordine fundatur, ut non videam, qvâ ratione jurisdictionem talem exercere qvis possit, qvi ordinem nondum habeat. Qvod si jam discernere ea, qvæ jurisdictionis, qvæ ordinis sint, jubeantur Pontificii, non disensum tantùm inter eos, sed commenta etiam qvandoqve animadvertes, in Theologiâ Papali non infreqventia. Ad potestatem ordinis refert Augustinus Barbosa *de offic. & potest. Episcopi part.1.tit.1.c.1.n.9.* ut sciat & possit omnia Sacramenta conferre, prædicationis munus exercere &c. At Marcus Antonius de Dominis potestatem prædicandi refert ad potestatem jurisdictionis, *lib.2. de Rep. Eccles. c.2. n.3.* eam verò planè omittit Becanus *in Theol. Scholast. de sacram. in specie c.26. q.6. concl.2.* Ita Martinus ab Azpilcueta Navarrus ad potestatem ordinis refert tantùm potestatem consecrandi: ad jurisdictionis verò potestatem omne reliqvum, qvod in Ecclesiâ aliqvam facit potestatem, etiam potestatem administrandi Sacramenta. *in relect. cap. novit X. de judic. n.83.* Falsum verò est, plus posse Episcopum de jure divino, qvod ordinem concernit, qvàm presbyterum, cùm nulla in Episcopis de jure divino inveniatur potestas, qvæ non eadem simul sit in Presbyteris. Et qvan-

qvanqvam deinceps lege Ecclesiæ positivâ discrimen aliqvod inter Episcopum & Presbyterum introductum sit, falsum tamen rursus est, Presbyterum nihil prorsus efficere in iis, qvæ ad potestatem Episcopalem spectant, cùm potestas æqvaliter omnibus Ecclesiæ ministris divinitùs demandata per Ecclesiasticam aliqvam constitutionem nunqvam ita soli Episcopo tribui possit, ut Presbyter nullam hanc exercendi habeat facultatem. Sed & ipsi Pontificii fatentur, Sacramentum Ordinis unum tantùm esse; fateantur ergò etiam illud, vi hujus Sacramenti unam eandemqve potestatem conferri & Episcopo & Presbytero, aut concedant, vi ordinis nullam dari potestatem, qvæ major sit in Episcopo qvàm Presbytero.

DE CONSECRATIONE.

TITULUS X.

Consecratio expediri debet intra tres menses post confirmationem. hoc dicit.

§. 1. Debet igitur is, qvi canonicè electus, confirmatus & examinatus est, novissimè consecrari. Qvod [a] qvidem, ne Ecclesia Pastoris qvasi destituta solatio, aliqvod patiatur incommodum, intra tres menses post electionem, nisi legitimum subsit impedimentum, expediri debet: alioqvi si Metropolitanus, aut ii, ad qvos ea res pertinet, negligentes fuerint, Ecclesiasticis condemnationibus subjiciendi erunt.

a *canon. 2. distinct. 75.*

Debet igitur] Ordinatio ministri Ecclesiæ est necessaria, non qvidem ad vocationis essentiam, sed ad capacitatem aut idoneitatem subjecti vocati publicè declarandam, ejusqve segregationem solennem à negociis seculi ad munus Ecclesiasticum, nec non commendationem apud Deum & coram Ecclesiâ. idq; ex præcepto divino, *Act. XIII, 2.*

novissimè consecrari] Consecrare significat DEO dicare, & in hâc materiâ usitatissimum est Canonistis. Conf. *2. pudenda 24. qu.*

Hoc verbo usus est & Julianus Patritius in versione *Novellæ 6.* loco verbi χειροτονίας, qvo Justinianus usus fuerat. Usitatum qvoqve aliàs est vocabulum Ordinationis, de qvo vid. Selden. *comment. in Eutychii Orig. Alexandrin. p.27.*

Consecrationi interesse debent ad minus tres Episcopi, alioqvi non valet. hoc dicit.

§. 2. Ordinationi autem interesse debent, non solùm Metropolitanus, verùm etiam comprovinciales Episcopi, qvi numerum conficiant trium [b]. Nam & beatus Jacobus, qvi Justus appellatus est [c], à Petro, Joanne & altero Jacobo, Apostolis ordinatus est: successoribus suis scilicet formam dantibus: ut non minus qvoq; tribus Episcopis, cæteris qvoq; assensum præbentibus, Episcopus ordinetur. Qvòd si ab uno, vel duobus Episcopis ordinatio expedita fuerit, taliter ordinatis, ut Episcopi nominentur, à sanctis Patribus interdicitur: ergò si nomen non habent, officium qvaliter habebunt? Evocandi sunt igitur à Metropolitano [d] suffraganei, qvi si omnes concurrant, benè est: si aliqvi convenire non possunt, sui præsentiam per epistolam facere debent.

b *can. 1. dist. 64. & per totum. & dist. seq.*

c *can. fin. distinct. 66.*

d *can. 2. & sq. dist. 64. & can. 2. dist. 65.*

Nam & beatus Jacobus] Refert id ex Clementis Alexandrini *lib. VI. hypotyposeon* Eusebius *l. 2. hist. c. 1.* Ipse Eusebius *lib. VII. cap. 14.* non tantùm ab Apostolis, sed ipso etiam Domino ei munus illud commissum esse, ait, ejusqve cathedram ad sua usqve tempora ab Episcopis Hierosolymitanis Jacobi successoribus asservatam fuisse. Qvæ num vera omninò sint, jam non disputo. Fabulas autem qvamplurimas de eo circum-

circumferri, eruditè docet Josephus Scaliger *ad numerum Eusebianum MMLXXVII.* & ipsissima illa, qvæ recensuimus, sollicitat Joh. Rainold. *in Colloq. cum Hart. p. 82.* & Marc. Anton. de Dominis *lib. 1. de Rep. Eccles. c. 9. n. 29.* add. Blondell. *in Pseudoisidor. p. 121.* Selden. *in Eutych. orig. Alex. p. 26.* Blondell. *in apol. de Episc. & presb. p. 523.*

formam dantibus] Ubi, & qvomodo? De Apostolorum enim Episcopatibus particularibus qvæ proferuntur, talia non sunt, ut fidem extorqveant; Solum Petrum à Christo Episcopum fuisse consecratum, cæteros autem Apostolos à Petro, commentum est Turrecrematæ *lib. 2. de Eccles. c. 32.* ipsimet Theophilo Raynaudo Jesuitæ suspectum *lib. de coron. sup. mitr. Pontif. p. 387.* Nec ipsi Apostoli semper potuerunt hanc formam observare, fatente Lancellotto Conrad. *in templ. omn. jud. l. 2. c. 5. n. 4.*

ut non minus qvoqve tribus Episcopis] Jure divino nullum discrimen est constitutum inter Episcopum & Presbyterum, qvoad potestatem ordinandi sive Episcopos sive Presbyteros, sed officium hoc ordinandi jure divino competit utriqve, *1. Tim IV, 16.* Consvetudine Ecclesiastica deinceps factum, ut Episcopis solis ea potestas relinqveretur. Disertè Chrysostomus *Homil. 11. in 1. Tim. 3.* Τῷ γὰρ χειροτονίαν μόνην αὐτοὶ ἀναβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους, *Solâ enim impositione manuum adscenderunt Episcopi supra presbyteros, & hoc solum lucri videntur præripuisse presbyteris.* Non dicit, constitutos esse Episcopos super presbyteros dignitate imponendi manûs ordinandis ad sacerdotium, aut tributam illis à Christo fuisse hanc præeminentiam, sed de facto proprio Sacerdotum ait: *Solâ impositione manuum* ἀναβεβήκασι *ascenderunt super presbyteros, & hoc unum videntur sibi lucrifeciſſe.* Qvi positus verborum apertè ostendit, prælationem Episcopi præ presbytero transferri ad usurpationem, & accedentem consvetudinem sive præscriptionem. Exinde tamen non seqvitur, qvod volunt Pontificii, ministerium ordinationis ita annexum esse Episcopatui, ut, si minister alius, qvi Episcopus non est, consecret Sacerdotem sive ordinet, consecratio sit irrita. Sanè Alexandriæ & in Ægypto presbyteros qvoqve ordinare potuisse, tùm ex Hieronymo, tùm ex Eutychii originibus Alexandrinis constat. Vid. *in dict. Eutych.* Johannes Seldenus *p. 128. seqq.* At irritam fuisse ejusmodi ordinationem, qvis dixerit? cùm & apud Sozomenum legantur Barses & Eulogius ordinati Episcopi in monasteriis suis ab illis, qvos instituerant, & veluti cives qvosdam habebant, *lib. 6. c. 34.* Vid. omninò David Blondellus *apol. de Episc. & presb. p. 309. seqqq.* Cæterùm qvod hic de

de tribus præcisè Episcopis dicitur, & qvod à minori numero perfici ordinatio neqveat, in eo recessum est à Canone Apostolico primo, qvi à duobus ordinationem peragi posse definit. Ἐπίσκοπος, inqvit, χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν. Canones autem isti apud Pontificios maximæ sunt autoritatis.

à sanctis Patribus interdicitur] ubi & à qvibus? Gvilielmus Antisiodorensis *in 4. sentent. dist. 25.* alienus est ab hâc sententiâ: *Si non essent*, inqvit, *in Mundo, nisi tres tantùm simplices Sacerdotes, oporteret, qvòd aliqvis eorum consecraret alium in Episcopum, & alium in ArchiEpiscopum.* Add. Joh. Davenant. *qvæst. 42.* Si tamen plures Episcopi haberi poterunt, seqvenda omninò erit constitutio Ecclesiastica, qvæ in Concilio Niceno primùm fuit solenniter promulgata *can. 4.* ut scil. ad minimum tres adhibeantur Episcopi. Cujus intuitu de Siderio qvodam Palebiscæ Episcopo refert Synesius *epist. 67.* eum non, ut fas est, declaratum fuisse, imò verò contra fas, qvia non à tribus Episcopis fuerit constitutus.

ArchiEpiscopus impeditus, consecrationem sui suffraganei alteri committere potest. h. d.

[e] *cap. qvod sedem. extm. de offic. ordin.*

§. 3. Qvòd si Metropolitanus, vel infirmitate [e], vel aliâ justâ causâ ita præpediatur, ut suorum suffraganeorum aliqvem consecrare non valeat, alicui coëpiscoporum vices suas demandare poterit, à qvo consecrandus munus consecrationis recipere tenebitur.

demandare poterit] Ergò Metropolitani præsentia non est absolutè necessaria. Id tamen observatum fuit, ut sine ejus autoritate & consensu consecratio non fieret.

Deficientibus Episcopis comprovincialibus, advocandi sunt Episcopi vicinæ provinciæ.

§. 4. Illud qvæsitum est, si in provinciâ, in qvâ olim plures Episcopi fuerint, unum tantùm remanere conti-

contigerit, qvid fieri debeat, cùm & ſolus ordinare non poſſit, & nullos, qvos convocet, habeat provinciales? De hoc in Sardicenſi concilio [f] ſtatutum legitur, ut ſuperſtes Epiſcopus convocet Epiſcopos vicinæ provinciæ, & cum eis comprovinciales ſibimet Epiſcopos ordinet.

[f] *can. fin. diſt. 65.*

Epiſcopos vicinæ provinciæ] Pone caſum, neqve in vicinâ qvidem provinciâ eſſe Epiſcopos, uti contigit olim in Indiis. Hic fine dubio Canoniſtæ non admittent, conſecrationem fieri debere. Ego verò nihil video, qvid obſtet, cum reqviſitio trium Epiſcoporum ſit ex conſtitutione Eccleſiaſticâ poſitivâ, qvæ non obligat, ubi neceſsitas urget.

Qvomodo ſit explicanda conſecratio. h. d.

§. 5. Congregatis [a] igitur hora Dominicæ lucis tertia Epiſcopis, & Scrutinio cum precibus celebrato, duo ſupra caput ordinandi, Evangelii codicem tenentes, manus imponant, & uno ſuper eodem benedictionem fundente, cæteri qvi adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant, atq; illud unà cum manibus ſacro chriſmate deliniant: qvo demum peracto, Eccleſiæ Romanæ, atq; ejus Pontificibus fidelitas ſecundum formam Gregoriani [b] reſcripti juranda erit.

[a] *can. 1. diſt. 75.*

[b] *cap. ego N. extra. de jurejur.*

congregatis igitur] Ritûs iſtos partim Apoſtolicâ autoritate, partim Eccleſiaſticâ ſanctione & hos tùm demum, cum presbyteriale munus ab Epiſcopali gradu diſtingvi cœpiſſet, introductos eſſe, oſtendit Blondellus *in Pſeudoiſidor. p. 131.* Ex Apoſtolico exemplo non alio ferè opus eſt ritu, qvam precibus & impoſitione manuum. Qvæ impoſitio manuum etſi in ſe, ut eſt contrectatio alterius corporis, nullam habeat efficaciam, cum

etiam Salvator non imponendo manûs ſed inſufflando Apoſtolos conſtituerit Eccleſiæ Doctores, ex libertate tamen Chriſtianâ, & qvia Apoſtoli ita præivérunt, in noſtris Eccleſiis meritò retinetur.

manus imponant] χειροθεσία hanc ex Ebræorum uſu derivatam eſſe, contendit Selden. *in Eutych. Orig. Alexandr. p. 24.*

ſacro chrismate deliniant] Sed unctionem hanc externam neqve Chriſtus neqve Apoſtoli in ordinatione adhibuérunt. Nec in Græcâ qvidem Eccleſiâ circa annum Domini 1200. ritum hunc ungendi uſitatum fuiſſe, colligere licet ex *c. 1. X. de ſacr. unct.* Et hodieq; in Eccleſiâ Græcâ tam unitorum cum Romano Epiſcopo, qvam diſunitorum, qvos vocant, perficitur ordinatio presbyterorum ſolâ manuum impoſitione ſine oleo, etiam in ipsâ Urbe Româ, fatente Lugo *diſp. 2. de Sacram. ſect. 5. n. 85.* Ex qvo in ipſo etiam concilio Tridentino negarunt nonnulli neceſſitatem hujus unctionis, referente Petr. Svav. *in hiſt. lib. 7.* Vid. Chemnit. *in Exam. concil. Trid. pag. 418.* Et certè qvod chriſma exorciſatur, eiqve ſpiritualis qvædam efficacia tribuitur, manifeſtam continet ſuperſtitionem & abuſum nominis divini. Cum enim gratia & efficacia ſpiritualis à promiſſione & inſtitutione divinâ pendeat, omninò ſuperſtitioſum eſt, ſine verbo DEI eam rei alicui adfingere, & ad eam producendam nomen DEI adhibere. Add. qvæ dixi infr. *tit. 23. ad princip.*

juranda erit] Juramentum extat *c. 4. X. de jurejur.* ubi tamen pro verbis, *& regulas ſanctorum patrum*, recentiores Pontifices ſubſtituérunt *& regalia S. Petri*, uti de Gregorio IX. teſtatur Matth. Pariſ. *in Henr. 3.* de Gregorio XIII, bulla ejus ad Mauritium Epiſcopum Imelacenſem. Sed & iſtud, qvod hodiè jurant Epiſcopi, juramentum plura adhuc continet, & arctius ſtringit conſcientias, uti id legi poteſt in *Pontificali Romano num. 113.* Et hoc fidelitatis atqve obedientiæ juramentum ſibi præſtari volunt Pontifices Romani non ab Epiſcopis tantùm, ſed ipſis etiam Patriarchis *c. antiqva 23. X. de privileg.* qvos tamen æqvales ſuos, non ſubditos, compellavit Gregorius *Regiſt. l. 4. ep. 36. & l. 7. indict. 1. ep. 30.* Eruditè autem obſervat Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imper. l. 6. c. 7. n. 6. ſeq.* qvibus technis Pontifices Romani fidelitatis iſtud juramentum introduxerint, & qvatenus per iſtud Principum jura violata fuerint, præſertim poſtqvam Gregorius VII. diſertè prohibuiſſet, ne qvis Epiſcopus homagium Regibus præſtaret. Antehac enim etiam ab Italiæ Epiſcopis homagium Imperatoribus præſtitum fuiſſe conſtat ex iis, qvæ notat Dn. Conring. de finib. Imper. Germ. *p. 144. ſeqq.*

DE

Digitized by Google

DE RECEPTIONE ET AUTHORITATE PALLII,

TITULUS XI.

Pallii receptio non est differenda: &, volens aliqvid palliando objicere, debet jurare de calumnia, & intra duos menses objecta probare: alioqvi tenetur ad pœnam talionis.

§. 1. Hoc [c] amplius Metropolitanum prospicere oportet, ut pallii petitionem, & receptionem non differat: Cùm sibi sine pallio Episcoporum consecrationem [d] minimè permissam scire debeat. Est autem pallium Metropolitanorum insigne ornamentum, qvod de corpore beati Petri sumitur [e], Pastoralis officii plenitudinem [f] designans: Cujus receptio ut citiùs explicetur, novissimè constitutum est, ne per cujusvis criminis objectionem fortè palliando faciendam differri possit [g], nisi objicientes corporali juramento præstito firment se, nec agere qvicqvam callidè, ac de objectis promptam fidem, hoc est, intra bimestris temporis spatium afferant, ad talionis, vel extraordinariam pœnam se Præsidis obligantes arbitrio, si objecta minimè probaverint. Quòd si contradictores ista facere renuerint, eorum objectionibus nequaquam obstantibus, ad ipsius traditionem pallii procedendum erit.

c *can. 1. dist. 100.*

d *cap. qvod sicut. in fin. ext. de elect.*

e *cap. ad hon. in gloss. 1. ext. de auth. & usu pall.*

f *cap. nisi. de auth. & usu pall. ext.*

g *extrav. com. unici. de aut & usu pall.*

non

non differat] ne sc. defraudetur lucro suo nundinatrix Roma.

minimè permissam] Cuneus hic est cuneum trudens, qvia sc. Metropolitanus, nisi Romæ pallium emerit priùs, vendere Episcopatus in diœcesi suâ non potest. At in Ecclesiâ antiqvâ pallii hujus ad ordinationem faciens usus planè ignorabatur.

insigne ornamentum] non eqvidem adeò insigne, uti nunc est. Totum enim id, qvod pallium dicitur, fascia tantùm est latitudinis trium digitorum ex candidâ lanâ linoqve confecta, habens circulum, humeros circumstringentem & duas lineas seu chordulas ab utrâqve parte ante & retrò pendentes, item qvatuor cruces nigras seu purpureas, qvarum una ad pectus, altera retrò in humeris jacet, ultimæ hinc inde brachia exornant. Johan de Turrecremat. *ad c. 1. dist. 100.* olim autem revera insigne fuit ornamentum. Uti enim Petrus de Marca *de concord. sacerdot. & imp. l. 6. c. 6.* observat, fuit id qvondam genus Imperatorii indumenti ad talos usqve demissi, cujus usum sibi solis reservatum Imperatores successu temporis communicárunt Patriarchis.

de corpore B. Petri] qvia sc. in arâ D. Petri & Pauli solennibus precibus recitatis à Pontifice consecratur. Ideò autem de corpore Petri sumptum dicitur, qvia altaria primùm erigi cœpérunt super sepulchra Martyrum & Confessorum, qvæ altaria MEMORIÆ dicebantur. Totam ejus conficiendi rationem & modum vid. ap. Sleidan. *l. 13. p. m. 377.*

pastoralis officii plenitudinem] pallii hujus usus consvetudine primùm, sine necessitate legis vel divinæ vel humanæ, invaluit & fuit ab initio, uti dixi, ornamentum Imperatorum proprium, datumqi dono ab Imperatoribus Episcopis in signum gratiæ & honoris, uti id colligere licet ex Gregorii *lib. 1. Epist. 27.* qvemadmodum & Valentinianus Imp. seculo jam V. Ravennati Episcopo honorem pallii concesit. Baron. *ad ann. 432. n. 91.* At eo tempore plenitudinem pastoralis officii pallium nondum designavit. Qvin & postea, cum à Patriarchis & inter hos etiam à Pontifice Romano Episcopi petere cœpissent pallium, factum id principaliter videtur, ut symbolum esset conformitatis in fide & doctrinâ. Ita enim Pelagius, ne temerè assensu suo qvemvis Metropolitanum approbari pateretur, qvi in fide parum sanus existeret, jussit, ut fidem suam exponerent, atqve ita pallium expeterent, hoc est, assensum ejus, cujus indicium erat pallium, *c. qvoniam dist.*

Digitized by Google

dist. 100. Et huc faciunt sc. literæ Synodicæ & Canonicæ, qvæ etiam formatæ dicebantur, qvibus ipsimet etiam Patriarchæ fidem suam exponebant, & se invicem convenire ostendebant. Defuncto enim ex Patriarchis uno, qvi in locum succedebat, reliqvis electionem suam significabat, & ne de suâ in Orthodoxâ fide sinceritate dubitaretur, confessionem edebat, qvâ dignum se probabat, qvi in communionem reciperetur. Luculentum hujus rei documentum est Epistola Gregorii Magni ad Johannem Constantinopolitanum, Eulogium Alexandrinum, Gregorium Antiochenum, & Johannem Hierosolymitanum *lib. 1. reg. ep. 24.* Cum igitur etiam Metropolitani confessionem suam Patriarchæ exponerent, & simul assensum peterent, pallium ut symbolum recipiebant. Seqvioribus temporibus Papa Romanus pallii usum ex suâ tantùm potestate dependere & à se solo peti voluit, ita ut impudenter asserat, Patriarchas Orientales jus non habere conferendi pallium ex sese, sed cum à sede Romanâ priùs ipsi obtinuissent, *c. antiqva 23. X. de privileg.* At Innocentii hæc est Constitutio, inauditâ parte alterâ, in propriâ causa, & contra canones Concilii Niceni unumqvemqve Patriarcharum in suâ regione independentem facientis, promulgata. Et rectè igitur Rudolfus Mamistanus, factus Patriarcha Antiochenus pallium de altari B. Petri Antiochiæ ipse sibi sumpsit, utramqve esse D. Petri cathedram & hanc qvidem antiqviorem asserens. Gvil. Tyr. *l. 14. c. 10.* Elegantia sunt, qvæ de artificiis sedis Romanæ notat Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imp. l. 6. c. 7.* nempe seculo octavo à Pontificibus Romanis institutum fuisse, ut Metropolitani à sede Romanâ pallium qværerent, ut eâ ratione magis obnoxii fierent ei sedi, ac præcipuo qvodam jure Pontifici Romano subjicerentur. Id verò cum animadversum fuisset ab Episcopis Gallicanis, hæsitasse eos in hoc negocio. At mox Pontificem eis ostendisse, pallium non ob aliud ArchiEpiscopis tribui, qvam ut hoc exteriori signo à suffraganeis suis distingvantur, & ut eo admoneantur, teneri se ad vitam severiorem & sanctiorem. Atqve sic eos deceptos honorem ita oblatum amplexos fuisse.

ad talionis] Atqvi talionis hanc pœnam nonnulli ideò improbant, qvod metu propriæ salutis accusationes prorsus intermittantur, & sic crimina maneant impunita, cum tamen utile sit Reip. plures extare accusatores & criminum vindices.

Metropolitanus solùm in sua provincia, & certis diebus pallio utitur, & pallium personam seqvitur, & ideò commodari non potest.

§. 2. Sed eo nec semper [h], nec ubiq; Metropolitanus uti

h *cap. 1. & cap. ex tuarum. cũ seq. ext. de aut. & usu pal.*

uti poterit (id enim ſoli Romano Pontifici [i], dum Miſſarum celebrat ſolennia, permittitur) verùm in ſua tantùm provincia, ac certis duntaxat diebus: Et cùm perſonam pallium non tranſeat [k], nec alteri commodari poterit: & cum eo qvisq; ſepeliendus erit.

i *cap. ad hon. eod. tit. extr.*

k *cap. 2. eod. tit.*

Metropolitanus uti poterit] Tyrannis hæc eſt pontificia, Metropolitanis, qvi Papæ ſubjecti non ſunt, uſum pallii prohibere.

cum perſona pallium non transeat] Non inviderent hoc terrarum populi, niſi propter immenſum ejus precium integræ provinciæ expilarentur, contra diſertam ſanctionem c. novit diſt. 100. Vid. Marc. Ant. de Domin. *de Rep. Eccleſ. l. 9. c. 9. n. 52. 53.* & inprimis Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imper. l. 6. c. 10. n. 8. 9.* ubi laudat enixam Gregorii Pontificis operam, qvam in pravâ iſtâ conſvetudine evellendâ poſuit. Et agnovit Papa Zacharias *in Epiſt.* veram ſimoniam committi, ſi precium detur pro pallio. Notæ ſunt qverelæ Germanorum de hâc pallii nundinatione, & aulæ Romanæ avaritiâ. Poſtqvam enim in gravaminibus ſuis de Sede Moguntinâ retuliſſent, qvomodo alius poſt alium, ſucceſſor qvandoqve pro defuncto, & aucto magis magisqve precio pallium id Romæ redemerint, tandem ita concludunt: Sicqve in vitâ unius hominis ſepties viginti qvinqve millia à ſolo ArchiEpiſcopatu Moguntino pro confirmatione Romam pervenérunt. Et cum ArchiEpiſcopus Jacobus vix qvatuor annos ſediſſet, mox poſt eum electus Dominus Uriel ad minus qvatuor viginti aut viginti qvinqve millia coactus eſt ſolvere, qvorum partem mutuo forſan accepit, imponere coactus eſt ſubſidium aut exactionem in ſuos populos & pauperes agricolas, qvorum aliqvi nondum ſatisfecérunt tributo aut exactioni pro pallio à ſuo prædeceſſore Jacobo impoſitæ.

ſepeliendus erit] Sed in Oriente Alexandrino Patriarchæ demortuo à ſucceſſore pallium detrahebatur de collo, qvod ſibi ſucceſſor imponebat, uti ex Liberato Diacono refert M. A. de Dominis *lib. 3. c. 11. n. 8.*

Plenus

Plenq; dicta de creatione Episcoporum, habent locum etiam in aliis Prælatis.

§. 3. Hæc de creandis Episcopis dixisse sufficiat: Nunc de illorum vita, ac qvalis eorum debeat esse conversatio, pleraq; & de cæteris Sacerdotibus intellecturi, paucis expediamus.

DE VITA ET HONESTATE PRÆLATORUM,

TITULUS XII.

Qvi præcellit dignitate, debet & innocentia præcellere. h. d.

§. 1. Debet[a] igitur Episcopus esse sine crimine, & cunctum populum, cui præest, conversatione & innocentia præcellere. Qvalis enim erit ædificatio discipuli, si se magistro intelligat esse præstantiorem? nam Episcopus instruere, & admonere omnes debet: nemo autem rectè monitoris personam suscipit, nisi qvi moribus suis aliorum errata condemnat. Qvod non solùm de Episcopo, sed etiam de omnibus, qvi domui Dei deserviunt, intelligi oportet: Qvia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, qvam clericos: qvæq; in aliis membris Ecclesiæ vacant à culpa, sæpè in Sacerdotibus habentur illicita.

[a] *cauendum omnium. vers. oportet epis. dist. 25.*

& innocentiâ præcellere] Elegantissima in hanc rem extat constitutio Justiniani in *l. 31. C. de Episc. & Cler. & Novell. 6. cap. 1.* Sed per-

versissimum hodiè Ecclesiæ Romanæ morem, qvo peccatores omnium maximi per dispensationem ad beneficia admittuntur, graviter deplorat Claudius Espencæus *in epist. ad Tit. c. 1. pag. 479.*

meliores Laicos esse qvàm Clericos] Non dissimulat Martinus ab Azpilcueta Navarr. *tom. 3. cap. 18. n. 62. & 63.* agricolam operi suo insistentem beatius vivere & magis DEO placere, qvàm Ecclesiasticum aut Clericum prolixè preces & cum πολυλογίᾳ fundentem.

Episcopus cavere debet ab improborum commercio, & in corrigendo non minùs charitatem, qvàm potestatem exercere debet. h. d.

§. 2. Ab improborum qvoq; commerciis abstinebit: Malorum enim consortia bonos corrumpunt. Habebit igitur secum honesti testimonii Clericos, qvi possint irreprehensibiles inveniri: & si qvando illos, sive etiam laicos inter se dissidere contigerit, ad pacem magis, qvàm ad judicium compellat: inq; illis corrigendis plus agat benevolentia [b], qvàm severitas: plus charitas, qvàm potestas: neq; dominari magis, quàm consulere subditis cupiat, ne quod provisum est ad concordiam, tendat ad dissidium.

b *c. licet plerung. dist. 45.*

neq; dominari magis] Cavit concilium Ephesinum & sedulò prospici voluit, ne per Clericos sub specie administrationis rerum sacrarum, potentiæ secularis typhus (ἐξουσίας κοσμικῆς τῦφος) irrepat. Et talem typhum in pontifice Romano reprehendunt Patres Africani, cum de transmarinis appellationibus ageretur, *in Epist. Synod. ad Bonifacium.* Vid. Christoph. Justell. *ad Cod. can. Eccles. univ. p. 223.*

Prælatus in corrigendo debet miscere severitatem lenitati. h. d.

§. 3. Cum lenitate tamen severitas miscenda est: Nam misericordiæ multum demitur, si severitate omnino

omninò ſit deſtituta : ideoq; Rectoribus ineſſe debet juſtè conſulens miſericordia , & piè ſæviens diſciplina : ut nec in diſciplinæ rigore benignitatem manſvetudinis , nec rurſus in manſvetudine diſtrictionem deſerant diſciplinæ : qvodq; ſeveriùs caſtigare neceſſe eſt, non ſævientis plectatur animo, ſed medentis.

Cum lenitate tamen] Hoc in qvovis regimine obſervandum eſt,& qvotidiè in eo peccari,notant Politicorum filii. Vid.Chriſtoph. Forſtner. *ad Taciti annal. paſſim & inprimis pag. 429. ſeq.*

Prælatus non debet tolerare perverſos. h. d.

§. 4. Prætereà cavendum eſt , ne perversè agentes connivendo toleret. Culpam enim facientis habet, qui, quod poteſt, negligit emendare : & error, cui non reſiſtitur, approbatur.

cui non reſiſtitur] Dum tamen reſiſti poteſt. Aliàs nego nudam tolerantiam inducere approbationem. Dixi eâ de re *exercitat. 3. de jurib. majeſtat. n. 43. 44. 45.*

Epiſcopus orationi & prædicationi debet inſiſtere. h. d.

§. 5. In primis autem orationi & prædicationi inſiſtat : Nam præconis officium ſuſcipit, quisquis ad ſacerdotium accedit : hinc eſt,quòd ſuper Paſtores primos in lingvarum ſpecie Spiritus Sanctus inſedit. Populum itaq; prædicando doceat, ſed illa doceat, quæ à Deo ipſe didicerit , non quæ illi caro, vel humanus

de tribus præcisè Episcopis dicitur, & qvod à minori numero perfici ordinatio neqveat, in eo recessum est à Canone Apostolico primo, qvi à duobus ordinationem peragi posse definit. Ἐπίσκοπον δὲ, inqvit, χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν. Canones autem isti apud Pontificios maximæ sunt autoritatis.

à sanctis Patribus interdicitur] ubi & à qvibus? Gvilielmus Antisiodorensis *in 4. sentent. dist. 25.* alienus est ab hâc sententiâ: *Si non essent*, inqvit, *in Mundo, nisi tres tantùm simplices Sacerdotes, oporteret, qvòd aliqvis eorum consecraret alium in Episcopum, & alium in ArchiEpiscopum.* Add. Joh. Davenant. *qvæst. 42.* Si tamen plures Episcopi haberi poterunt, seqvenda omninò erit constitutio Ecclesiastica, qvæ in Concilio Niceno primùm fuit solenniter promulgata *can. 4.* ut scil. ad minimum tres adhibeantur Episcopi. Cujus intuitu de Siderio qvodam Palebiscæ Episcopo refert Synesius *epist. 67.* eum non, ut fas est, declaratum fuisse, imò verò contra fas, qvia non à tribus Episcopis fuerit constitutus.

ArchiEpiscopus impeditus, consecrationem sui suffraganei alteri committere potest. h. d.

e *cap. qvod sedem. extm. de offic. ordin.*

§. 3. Qvòd si Metropolitanus, vel infirmitate [e], vel aliâ justâ causâ ita præpediatur, ut suorum suffraganeorum aliqvem consecrare non valeat, alicui coëpiscoporum vices suas demandare poterit, à qvo consecrandus munus consecrationis recipere tenebitur.

demandare poterit] Ergò Metropolitani præsentia non est absolutè necessaria. Id tamen observatum fuit, ut sine ejus autoritate & consensu consecratio non fieret.

Deficientibus Episcopis comprovincialibus, advocandi sunt Episcopi vicinæ provinciæ.

§. 4. Illud qvæsitum est, si in provinciâ, in qvâ olim plures Episcopi fuerint, unum tantùm remanere conti-

contigerit, qvid fieri debeat, cùm & ſolus ordinare non poſſit, & nullos, qvos convocet, habeat provinciales? De hoc in Sardicenſi concilio [f] ſtatutum legitur, ut ſuperſtes Epiſcopus convocet Epiſcopos vicinæ provinciæ, & cum eis comprovinciales ſibimet Epiſcopos ordinet.

f *can. fin. diſt. 65.*

Epiſcopos vicinæ provinciæ] Pone caſum, neqve in vicinâ qvidem provinciâ eſſe Epiſcopos, uti contigit olim in Indiis. Hic ſine dubio Canoniſtæ non admittent, conſecrationem fieri debere. Ego verò nihil video, qvid obſtet, cum reqviſitio trium Epiſcoporum ſit ex conſtitutione Eccleſiaſticâ poſitivâ, qvæ non obligat, ubi neceſsitas urget.

Qvomodo ſit explicanda conſecratio. h. d.

§. 5. Congregatis [a] igitur hora Dominicæ lucis tertia Epiſcopis, & Scrutinio cum precibus celebrato, duo ſupra caput ordinandi, Evangelii codicem tenentes, manus imponant, & uno ſuper eodem benedictionem fundente, cæteri qvi adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant, atq; illud unà cum manibus ſacro chriſmate deliniant: qvo demum peracto, Eccleſiæ Romanæ, atq; ejus Pontificibus fidelitas ſecundum formam Gregoriani [b] reſcripti juranda erit.

a *can. 1. diſt. 75.*

b *cap. ego* N. *extra. de jurejur.*

congregatis igitur] Ritûs iſtos partim Apoſtolicâ autoritate, partim Eccleſiaſticâ ſanctione & hos tùm demum, cum presbyteriale munus ab Epiſcopali gradu diſtingvi cœpiſſet, introductos eſſe, oſtendit Blondellus *in Pſeudoiſidor. p. 131.* Ex Apoſtolico exemplo non alio ferè opus eſt ritu, qvam precibus & impoſitione manuum. Qvæ impoſitio manuum etſi in ſe, ut eſt contrectatio alterius corporis, nullam habeat efficaciam, cum

Digitized by Google

etiam Salvator non imponendo manûs ſed inſufflando Apoſtolos conſtituerit Eccleſiæ Doctores, ex libertate tamen Chriſtianâ, & qvia Apoſtoli ita prævérunt, in noſtris Eccleſiis meritò retinetur.

manus imponant] χειροθεσία hanc ex Ebræorum uſu derivatam eſſe, contendit Selden. *in Eutych. Orig. Alexandr. p. 24.*

ſacro chrismate deliniant] Sed unctionem hanc externam neqve Chriſtus neqve Apoſtoli in ordinatione adhibuérunt. Nec in Græcâ qvidem Eccleſiâ circa annum Domini 1200. ritum hunc ungendi uſitatum fuiſſe, colligere licet ex *c. 1. X. de ſacr. unct.* Et hodieq; in Eccleſiâ Græcâ tam unitorum cum Romano Epiſcopo, qvam disunitorum, qvos vocant, perficitur ordinatio presbyterorum ſolâ manuum impoſitione ſine oleo, etiam in ipsâ Urbe Româ, fatente Lugo *diſp. 2. de Sacram. ſect. 5. n. 85.* Ex qvo in ipſo etiam concilio Tridentino negarunt nonnulli neceſſitatem hujus unctionis, referente Petr. Svav. *in hiſt. lib. 7.* Vid. Chemnit. *in Exam. concil. Trid. pag. 418.* Et certè qvod chriſma exorciſatur, eiqve ſpiritualis qvædam efficacia tribuitur, manifeſtam continet ſuperſtitionem & abuſum nominis divini. Cum enim gratia & efficacia ſpiritualis à promiſſione & inſtitutione divinâ pendeat, omninò ſuperſtitioſum eſt, ſine verbo DEI eam rei alicui adfingere, & ad eam producendam nomen DEI adhibere. Add. qvæ dixi infr. *tit. 23. ad princip.*

juranda erit] Juramentum extat *c. 4. X. de jurejur.* ubi tamen pro verbis, *& regulas ſanctorum patrum*, recentiores Pontifices ſubſtituérunt *& regalia S. Petri*, uti de Gregorio IX. teſtatur Matth. Pariſ. *in Henr. 3.* de Gregorio XIII, bulla ejus ad Mauritium Epiſcopum Imelacenſem. Sed & iſtud, qvod hodiè jurant Epiſcopi, juramentum plura adhuc continet, & arctius ſtringit conſcientias, uti id legi poteſt in *Pontificali Romano num. 113.* Et hoc fidelitatis atqve obedientiæ juramentum ſibi præſtari volunt Pontifices Romani non ab Epiſcopis tantùm, ſed ipſis etiam Patriarchis *c. antiqvæ 23. X. de privileg.* qvos tamen æqvales ſuos, non ſubditos, compellavit Gregorius *Regiſt. l. 4. ep. 36. & l. 7. indict. 1. ep. 30.* Eruditè autem obſervat Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imper. l. 6. c. 7. n. 6. ſeq.* qvibus technis Pontifices Romani fidelitatis iſtud juramentum introduxerint, & qvatenus per iſtud Principum jura violata fuerint, præſertim poſtqvam Gregorius VII. diſertè prohibuiſſet, ne qvis Epiſcopus homagium Regibus præſtaret. Antehac enim etiam ab Italiæ Epiſcopis homagium Imperatoribus præſtitum fuiſſe conſtat ex iis, qvæ notat Dn. Conring. de finib. Imper. Germ. *p. 144. ſeqq.*

DE

Digitized by Google

DE RECEPTIONE ET AUTHORITATE PALLII,

TITULUS XI.

Pallii receptio non est differenda: &, volens aliqvid palliando objicere, debet jurare de calumnia, & intra duos menses objecta probare: alioqvi tenetur ad pœnam talionis.

§. 1. Hoc [c] amplius Metropolitanum prospicere oportet, ut pallii petitionem, & receptionem non differat: Cùm sibi sine pallio Episcoporum consecrationem [d] minimè permissam scire debeat. Est autem pallium Metropolitanorum insigne ornamentum, qvod de corpore beati Petri sumitur [e], Pastoralis officii plenitudinem [f] designans: Cujus receptio ut citiùs explicetur, novissimè constitutum est, ne per cujusvis criminis objectionem fortè palliando faciendam differri possit [g], nisi objicientes corporali juramento præstito firment se, nec agere qvicqvam callidè, ac de objectis promptam fidem, hoc est, intra bimestris temporis spatium afferant, ad talionis, vel extraordinariam pœnam se Præsidis obligantes arbitrio, si objecta minimè probaverint. Quòd si contradictores ista facere renuerint, eorum objectionibus nequaquam obstantibus, ad ipsius traditionem pallii procedendum erit.

c *can. 1. dist. 100.*

d *cap. qvod sicut. in fin. ext. de elect.*

e *cap. ad hon. in gloss. 1. ext. de auth. & usu pall.*

f *cap. nisi. de auth. & usu pall. ext.*

g *extrav. com. unici. de aut & usu pall.*

non

non differat] ne sc. defraudetur lucro suo nundinatrix Roma.

minimè permissam] Cuneus hic est cuneum trudens, qvia sc. Metropolitanus, nisi Romæ pallium emerit priùs, vendere Episcopatus in diœcesi suâ non potest. At in Ecclesiâ antiqvâ pallii hujus ad ordinationem faciens usus planè ignorabatur.

insigne ornamentum] non eqvidem adeò insigne, uti nunc est. Totum enim id, qvod pallium dicitur, fascia tantùm est latitudinis trium digitorum ex candidâ lanâ linoqve confecta, habens circulum, humeros circumstringentem & duas lineas seu chordulas ab utrâqve parte ante & retrò pendentes, item qvatuor cruces nigras seu purpureas, qvarum una ad pectus, altera retrò in humeris jacet, ultimæ hinc inde brachia exornant. Johan de Turrecremat. *ad c. 1. dist. 100.* olim autem revera insigne fuit ornamentum. Uti enim Petrus de Marca *de concord. sacerdot. & imp. l. 6. c. 6.* observat, fuit id qvondam genus Imperatorii indumenti ad talos usqve demissi, cujus usum sibi solis reservatum Imperatores successu temporis communicárunt Patriarchis.

de corpore B. Petri] qvia sc. in arâ D. Petri & Pauli solennibus precibus recitatis à Pontifice consecratur. Ideò autem de corpore Petri sumptum dicitur, qvia altaria primùm erigi cœpérunt super sepulchra Martyrum & Confessorum, qvæ altaria MEMORIÆ dicebantur. Totam ejus conficiendi rationem & modum vid. ap. Sleidan. *l. 13. p. m. 377.*

pastoralis officii plenitudinem] pallii hujus usus consvetudine primùm, sine necessitate legis vel divinæ vel humanæ, invaluit & fuit ab initio, uti dixi, ornamentum Imperatorum proprium, datumq; dono ab Imperatoribus Episcopis in signum gratiæ & honoris, uti id colligere licet ex Gregorii *lib. 1. Epist. 27.* qvemadmodum & Valentinianus Imp. seculo jam V. Ravennati Episcopo honorem pallii concesit. Baron. *ad ann. 432. n. 91.* At eo tempore plenitudinem pastoralis officii pallium nondum designavit. Qvin & postea, cum à Patriarchis & inter hos etiam à Pontifice Romano Episcopi petere cœpissent pallium, factum id principaliter videtur, ut symbolum esset conformitatis in fide & doctrinâ. Ita enim Pelagius, ne temerè assensu suo qvemvis Metropolitanum approbari pateretur, qvi in fide parum sanus existeret, jussit, ut fidem suam exponerent, atqve ita pallium expeterent, hoc est, assensum ejus, cujus indicium erat pallium, *c. qvoniam dist.*

Digitized by Google

dist. 100. Et huc faciunt sc. literæ Synodicæ & Canonicæ, qvæ etiam formatæ dicebantur, qvibus ipsimet etiam Patriarchæ fidem suam exponebant, & se invicem convenire ostendebant. Defuncto enim ex Patriarchis uno, qvi in locum succedebat, reliqvis electionem suam significabat, & ne de suâ in Orthodoxâ fide sinceritate dubitaretur, confessionem edebat, qvâ dignum se probabat, qvi in communionem reciperetur. Luculentum hujus rei documentum est Epistola Gregorii Magni ad Johannem Constantinopolitanum, Eulogium Alexandrinum, Gregorium Antiochenum, & Johannem Hierosolymitanum *lib. 1. reg. ep. 24.* Cum igitur etiam Metropolitani confessionem suam Patriarchæ exponerent, & simul assensum peterent, pallium ut symbolum recipiebant. Seqvioribus temporibus Papa Romanus pallii usum ex suâ tantùm potestate dependere & à se solo peti voluit, ita ut impudenter asserat, Patriarchas Orientales jus non habere conferendi pallium ex sese, sed cum à sede Romanâ priùs ipsi obtinuissent, *c. antiqva 23. X. de privileg.* At Innocentii hæc est Constitutio, inauditâ parte alterâ, in propriâ causa, & contra canones Concilii Niceni unumqvemqve Patriarcharum in suâ regione independentem facientis, promulgata. Et rectè igitur Rudolfus Mamistanus, factus Patriarcha Antiochenus pallium de altari B. Petri Antiochiæ ipse sibi sumpsit, utramqve esse D. Petri cathedram & hanc qvidem antiqviorem asserens. Gvil. Tyr. *l. 14. c. 10.* Elegantia sunt, qvæ de artificiis sedis Romanæ notat Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imp. l. 6. c. 7.* nempe seculo octavo à Pontificibus Romanis institutum fuisse, ut Metropolitani à sede Romanâ pallium qværerent, ut eâ ratione magis obnoxii fierent ei sedi, ac præcipuo qvodam jure Pontifici Romano subjicerentur. Id verò cum animadversum fuisset ab Episcopis Gallicanis, hæsitasse eos in hoc negocio. At mox Pontificem eis ostendisse, pallium non ob aliud ArchiEpiscopis tribui, qvam ut hoc exteriori signo à suffraganeis suis distingvantur, & ut eo admoneantur, teneri se ad vitam severiorem & sanctiorem. Atqve sic eos deceptos honorem ita oblatum amplexos fuisse.

ad talionis] Atqvi talionis hanc pœnam nonnulli ideò improbant, qvod metu propriæ salutis accusationes prorsus intermittantur, & sic crimina maneant impunita, cum tamen utile sit Reip. plures extare accusatores & criminum vindices.

Metropolitanus solùm in sua provincia, & certis diebus pallio utitur, & pallium personam seqvitur, & ideò commodari non potest.

§. 2. Sed eo nec semper [h], nec ubiq; Metropolitanus uti

h *cap. 1. & cap. ex tuarum. cũ seq. ext. de aut. & usu pal.*

uti poterit (id enim ſoli Romano Pontifici [i], dum Miſſarum celebrat ſolennia, permittitur) verùm in ſua tantùm provincia, ac certis duntaxat diebus: Et cùm perſonam pallium non tranſeat [k], nec alteri commodari poterit: & cum eo qvisq; ſepeliendus erit.

i *cap. ad hon. eod. tit. extr.*

k *cap. 2. eod. tit.*

Metropolitanus uti poterit] Tyrannis hæc eſt pontificia, Metropolitanis, qvi Papæ ſubjecti non ſunt, uſum pallii prohibere.

cum perſona pallium non tranſeat] Non inviderent hoc terrarum populi, niſi propter immenſum ejus precium integræ provinciæ expilarentur, contra diſertam ſanctionem c. novit diſt. 100. Vid. Marc. Ant. de Domin. *de Rep. Eccleſ. l. 9. c. 9. n. 52. 53.* & inprimis Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imper. l. 6. c. 10. n. 8. 9.* ubi laudat enixam Gregorii Pontificis operam, qvam in pravâ iſtâ conſvetudine evellendâ poſuit. Et agnovit Papa Zacharias *in Epiſt.* veram ſimoniam committi, ſi precium detur pro pallio. Notæ ſunt qverelæ Germanorum de hâc pallii nundinatione, & aulæ Romanæ avaritiâ. Poſtqvam enim in gravaminibus ſuis de Sede Moguntinâ retuliſſent, qvomodo alius poſt alium, ſucceſſor qvandoqve pro defuncto, & aucto magis magisqve precio pallium id Romæ redemerint, tandem ita concludunt: Sicqve in vitâ unius hominis ſepties viginti qvinqve millia à ſolo ArchiEpiſcopatu Moguntino pro confirmatione Romam pervenérunt. Et cum ArchiEpiſcopus Jacobus vix qvatuor annos ſediſſet, mox poſt eum electus Dominus Uriel ad minus qvatuor viginti aut viginti qvinqve millia coactus eſt ſolvere, qvorum partem mutuo forſan accepit, imponere coactus eſt ſubſidium aut exactionem in ſuos populos & pauperes agricolas, qvorum aliqvi nondum ſatisfecérunt tributo aut exactioni pro pallio à ſuo prædeceſſore Jacobo impoſitæ.

ſepeliendus erit] Sed in Oriente Alexandrino Patriarchæ demortuo à ſucceſſore pallium detrahebatur de collo, qvod ſibi ſucceſſor imponebat, uti ex Liberato Diacono refert M. A. de Dominis *lib. 3. c. 11. n. 8.*

Plenty

Plenaq; dicta de creatione Episcoporum, habent locum etiam in aliis Prælatis.

§. 3. Hæc de creandis Episcopis dixisse sufficiat: Nunc de illorum vita, ac qvalis eorum debeat esse conversatio, pleraq; & de cæteris Sacerdotibus intellecturi, paucis expediamus.

DE VITA ET HONESTATE PRÆLATORUM,

TITULUS XII.

Qvi præcellit dignitate, debet & innocentia præcellere. h. d.

§. 1. Debet[a] igitur Episcopus esse sine crimine, & cunctum populum, cui præest, conversatione & innocentia præcellere. Qvalis enim erit ædificatio discipuli, si se magistro intelligat esse præstantiorem? nam Episcopus instruere, & admonere omnes debet: nemo autem rectè monitoris personam suscipit, nisi qvi moribus suis aliorum errata condemnat. Qvod non solùm de Episcopo, sed etiam de omnibus, qvi domui Dei deserviunt, intelligi oportet: Qvia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, qvam clericos: qvæq; in aliis membris Ecclesiæ vacant à culpa, sæpè in Sacerdotibus habentur illicita.

[a] *can. unum omnium. vers. oportet episc. dist. 25.*

& innocentiâ præcellere] Elegantissima in hanc rem extat constitutio Justiniani in *l. 31. C. de Episc. & Cler. & Novell. 6. cap. 1.* Sed per-

Digitized by Google

versissimum hodiè Ecclesiæ Romanæ morem, qvo peccatores omnium maximi per dispensationem ad beneficia admittuntur, graviter deplorat Claudius Espencæus *in epist. ad Tit. c. 1. pag. 479.*

meliores Laicos esse qvàm Clericos] Non dissimulat Martinus ab Azpilcueta Navarr. *tom. 3. cap. 18. n. 62. & 63.* agricolam operi suo insistentem beatius vivere & magis DEO placere, qvàm Ecclesiasticum aut Clericum prolixè preces & cum πολυλογίᾳ fundentem.

Episcopus cavere debet ab improborum commercio, & in corrigendo non minùs charitatem, qvàm potestatem exercere debet. h. d.

§. 2. Ab improborum qvoq; commerciis abstinebit: Malorum enim consortia bonos corrumpunt. Habebit igitur secum honesti testimonii Clericos, qvi possint irreprehensibiles inveniri: & si qvando illos, sive etiam laicos inter se dissidere contigerit, ad pacem magis, qvàm ad judicium compellat: inq; illis corrigendis plus agat benevolentia [b], qvàm severitas: plus charitas, qvàm potestas: neq; dominari magis, quàm consulere subditis cupiat, ne quod provisum est ad concordiam, tendat ad dissidium.

b *c. licet plerunq; dist. 45.*

neq; dominari magis] Cavit concilium Ephesinum & sedulò prospici voluit, ne per Clericos sub specie administrationis rerum sacrarum, potentiæ secularis typhus (ἐξουσίας κοσμικῆς τῦφος) irrepat. Et talem typhum in pontifice Romano reprehendunt Patres Africani, cum de transmarinis appellationibus ageretur, *in Epist. Synod. ad Bonifacium.* Vid. Christoph. Justell. *ad Cod. can. Eccles. univ. p. 223.*

Prælatus in corrigendo debet miscere severitatem lenitati. h. d.

§. 3. Cum lenitate tamen severitas miscenda est: Nam misericordiæ multum demitur, si severitate omnino

omninò ſit deſtituta : ideoq; Rectoribus ineſſe debet juſtè conſulens miſericordia , & piè ſæviens diſciplina : ut nec in diſciplinæ rigore benignitatem manſvetudinis , nec rurſus in manſvetudine diſtrictionem deſerant diſciplinæ : qvodq; ſeveriùs caſtigare neceſſe eſt, non ſævientis plectatur animo, ſed medentis.

Cum lenitate tamen] Hoc in qvovis regimine obſervandum eſt,& qvotidiè in eo peccari,notant Politicorum filii. Vid.Chriſtoph. Forſtner. *ad Taciti annal. paſſim & inprimis pag. 429. ſeq.*

Prælatus non debet tolerare perverſos. h. d.

§. 4. Prætereà cavendum eſt , ne perversè agentes connivendo toleret. Culpam enim facientis habet, qui, quod poteſt, negligit emendare : & error , cui non reſiſtitur, approbatur.

cui non reſiſtitur] Dum tamen reſiſti poteſt. Aliàs nego nudam tolerantiam inducere approbationem. Dixi eâ de re *exercitat. 3. de jurib. majeſtat. n. 43. 44. 45.*

Epiſcopus orationi & prædicationi debet inſiſtere. h. d.

§. 5. In primis autem orationi & prædicationi inſiſtat : Nam præconis officium ſuſcipit, quisquis ad ſacerdotium accedit : hinc eſt,quòd ſuper Paſtores primos in lingvarum ſpecie Spiritus Sanctus inſedit. Populum itaq; prædicando doceat , ſed illa doceat, quæ à Deo ipſe didicerit , non quæ illi caro, vel humanus

manus ſenſus ſvaſerit : Ea propter ſacris libris jugiter inſiſtere illum oportet[a] : nec enim ſufficit Prælatis bona converſatio , niſi addatur ſcientia doctrinæ.

[a] *diſt. 36. & ſeq.*

& prædicationi inſiſtat] Iſtud officium ab Epiſcopis diu neglectum fratribus mendicantibus ceſſit, cùmq; id Epiſcopi in Concilio Tridentino ſibi qvaſi poſtliminiò vindicare & reſtituere conarentur, ab Mendicantibus haud pauca audire oportebat ſibi nec grata nec decora. Vid. Petr. Svav. *hiſt. Concil. Trid. p. 185. 186.* Et mirandum ſanè, in eodem concilio aliqvando inter ſexaginta Epiſcopos non repertum ullum, qvi ſpatio qvatuor horarum ad præmeditandum dato, concionem habere potuiſſet, qvod idem refert Svavis *p. 293.* Sed mirari deſinet, qvi ſecum perpendet, qvibus artibus Mendicantes Fratres docendi munus in Eccleſiâ ſibi vendicaverint. Factum enim exinde, ut Epiſcopi & paroeciarum Rectores ſoliti ad id tempus ſacras conciones ad populum habere, deinceps in alto ferè ocio vixerint, qvemadmodum *in tertio libro Annalium* obſervat Papirius Maſſonus. Id magis miror, non improbari à Pontificiis iſtam Epiſcoporum ignorantiam & pigritiam. Scripſit alicubi Hieronymus, paſtorem non eſſe appellandum, qvi non poſſit docere, qvos paſcit. Iſta verba non ita eſſe accipienda, ſcribit Sixtus Senenſis *bibl. lib. 6. annotat. 301.* ut credamus, neminem eſſe Epiſcopum & Eccleſiæ paſtorem, qvi non doceat, aut docere non poſſit, ſed eum, qvi nec per ſe, nec per alium docere curat, indignum eſſe paſtoris dignitate ac nomine. Malè igitur in verbis mox ſeqventibus dicit Lancellottus, Epiſcopum docere debere, qvæ ipſe didicit; cùm ſufficiat alium didiciſſe, per qvem deinceps doceat Epiſcopus. Et hinc igitur ſatis excuſatur ruditas Epiſcoporum, ſi diis placet.

niſi addatur ſcientia doctrinæ] Ita qvidem oportet. Sed jam olim ſeculi mores reprehendit Guilielmus Malmesburienſis *lib. 3. Literarum*, inqvit, *& religionis ſtudia obſoleverant. Clerici literaturâ tumultuariâ contenti vix Sacramentorum verba balbutiebant : ſtupori & miraculo erat cæteris, qvi Grammaticam noſſet.* Sed enim fruſtrà fortè à Clericis reqviretur eruditionis comparatio, cùm nec ipſi Pontifices Romani multum ſcientiæ jactare ſemper poſſint. Scribit enim Alfonſus à Caſtro, plu-

res

res eorum adeò illiteratos fuisse, ut Grammaticam penitus ignorarent. *l.1. adv. hær. c.4. fol.6.* Et tamen pro sacrilegio habitum olim, si qvis divinæ legis sanctitatem aut nesciendo confunderet, aut negligendo violaret & offenderet. *l.25. C. Theod. de Episc.* & ibi Jac. Gothofredus.

Episcopus hospitalis esse debet & liberalis. h.d.

§. 6. Sed [b] nec utramq; sibi sufficere credat : nam largam quoque manum habere debet, & necessitatem patientibus subvenire, alienam inopiam suam credens. Res suas inter histriones, venatores, aut aucupes minimè dispensèt : pauperes potiùs in hospitio recipiat, & faciliùs exemplo suo ad hospitalitatem subditos attrahat. [b] *distinct. 42.*

largam qvoqve manum] Optimè Hieronymus *libr. 2. epist. 12. Ignominia sacerdotis est, propriis studere divitiis.* Et huc spectat, qvod refert Sozomenus *l. 4. c. 23.* & Nicephorus *l. 9. c. 45.* Sophronium qvendam exauctoratum fuisse, qvod avaritiæ studio in Ecclesiæ pecuniâ qvæstum fecerit. At qvæ etiamnum sint Episcoporum vitia, qvæ ab iis artes diteſcendi excolantur, qvæq; luxuriæ parentur instrumenta, nemo ignorat. Qvod verò dicitur hic de Episcopo, qvòd inter venatores non debeat res suas dispensare, illustrari potest exiis, qvæ notant Dd. ad tit. X. *de clerico venatore.*

pauperes potius in hospitio recipiat] At Episcopi in Papatu pauperes spoliant, & eorum facultates pravè consumunt, qvod justâ qverelâ perstringit Marsilius Patavinus *in Defens. pac. p.2. c.10.*

Prælatus debet sobrius esse, prudens & peritus, non solùm peritiâ literarum, verùm etiam negociorum.

§. 7. Sobrius sit, non vinolentus [c] : non sit percussor [d], & ad vindictam facilis : imò in omni genere rerum agen- [c] *dist. 44. in fin. & per totum.* [d] *distinct. 45.*

agendarum prudentiam ſecum habeat. ſi enim mancum, aut debilem ſancta contingere neqvaqvam lex divina permittit, qvantò magis doni cœleſtis dispenſatores eſſe non convenit (id qvod eſt deterius) mente debilitatos?

non vinolentus] ita ut ultra tertiam vicem poculum non contingat. *c.10. diſt.44.* Hinc eſt etiam, qvod Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam ac victum pauperem habere debet *c.8. diſt.41.* qvanqvam id hodiè conſvetudine abrogatum putet Johannes Andreas, à qvo rectè diſſentit Lancellot. Conrad. *in templ. omn. jud. l.2. c.5. n.19.*

prudentiam ſecum habeat] Et proinde peccat, qvi Epiſcopi munus ſuſcipit, & ignorat ea, qvæ ratione ſtatûs ſcire tenetur. Gregor. Sayr. *in clav. reg. l.2. c.9. n.31.* Refert Sozomenus *l.4. c.23.* Neonem Seleuciæ Urbis Iſauriæ Epiſcopum abdicatum fuiſſe, qvod nonnullos ſacrarum literarum legumq; Eccleſiæ ignaros Epiſcopos conſtituiſſet. Sed hodiè imperitis ejusmodi Rectoribus coadjutores adjungi ſolent, uti habet Auguſtinus Barboſa *de jur. Eccleſ. l.3. c.10. n.12.*

Epiſcopus non debet ſecularibus negotiis ſe implicare. h.d.

§. 8. Sicut autem Epiſcopum nullo errore convenit involvi, ita nullâ debet cupiditate corripi: & propterea lucri cupidus eſſe prohibetur, & alicui etiam honeſto negocio[c], ut ſibi victum & neceſſaria quærat, operam dare. Nam & Dominus negociatores de templo verberatos expulit: &, Apoſtolo teſte, nemo militans DEO, implicat ſe negotiis ſecularibus.

[c] *can.2.21. q.3. & per totum.*

etiam honeſto negocio] Rectiùs alii in Concilio Tridentino

tino non esse dignum dixére Christiano pronunciatum hoc; laborare & alimentum sibi labore parare parum decorum esse Christi ministris. Petr. Svav. *in hist. concil. Trid. l. 6. p. 551.* Nec enim id fit sine autoritate canonum. Vid. *c. 2. & 3. dist. 91.* Add. Claud. Espencæ. *digress. l. 2. c. 16.* Duaren. *de sacr. Eccles. minist. l. 5. c. 10. in fin.* Sed nec mercatura prorsus improbatur, si à Clericis exerceatur, dum tamen & honesta ea sit, & in eum finem fiat, ut in usum pauperum aliqvid congeratur *l. 2. Cod. de Episc. & Cler.* Conf. Scaccia *de commerc. § 1. q. 7. part. 2. ampl. 11. n. 6. seq.* Gulielm. Redoan. *de spol. Eccles. c. 2.* Franc. Long. à Coriolan. *ad c. 53. Concil. Carthag. IV.* Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. l. 9. c. 1. n. 17.*

& necessaria qværat] At si necessaria qværenda sunt, admittunt Canonistæ, posse Clericum, qvi non habet, unde vivat, aut qvi beneficium victui suo impar habet, ex aliis officiis & artibus sibi victum qværere. Martin. ab Azpilcuet. Navarr. *in c. non liceat 12. q. 2. num. 5.* dum tamen ne artem exerceat prorsus vilem & parum decoram. Vid. Joh. Papon. *l. 1. tit. 6. arest. 1. 2. 3.*

Nam & Dominus] Neqve Domini factum, neqve Apostoli monitum hoc volunt, Episcopum honesto negocio operam dare non debere, ut sibi victum & necessaria qværat.

Pudicitiæ studiosus esse debet Episcopus. h. d.

§. 9. Pudicus [f] qvoqve debet esse, & moribus & verbis pudorem præ se ferre. Ea propter Moguntino concilio [g] statutum legitur, ut nullus sacerdos fœminas, de qvibus suspicio potest esse, retineat: sed neqve matrem, aut amitam, aut sororem retinebit: qvia & in illis, instigante Diabolo, scelus perpetratum reperitur, aut in pedisseqvis earum. Itaq; domesticarum [h] qvoq; personarum immoderatam familiaritatem vitabit.

f *in sum. distinct. 43.*

g *cap. 1. ext. de cohabit. cler. & mulier.*

h *dist. 34. in sum. & per totum.*

Digitized by Google

Moguntino Concilio] Actum qvidem etiam in Moguntino Concilio fuit de caſtitate Clericorum, uti apparet ex *can. 10.* Sed hæc tamen verba, qvæ hic referuntur, Nannetenſi tribuuntur ſynodo, *c.1. de cohab. Clericor. in primâ compil.* habitæ ſcil. ann. 896. & ſic octoginta annis recentiori. Conſtitutum tamen jam tùm fuit *can.3. concilii Niceni*, ne qvis Clericus συνείσακτον habeat mulierem. Eam εἰσάκτον vocat Juſtinianus *Novell.123. c.29.* Talem ſcil. qvam ſecum Clerici non ſobolis nec libidinis gratiâ, ſed pietatis ſtudio aut prætextu habebant. Et notat Budæus, συνείσακτον dici ſocium ſociamve cœlibatûs, ſive virgo contubernalem habeat Virum, ſive monachus fœminam. Tale genus ſocietatis Concilii Niceni tempore in uſu fuiſſe, & à Patribus reprobatum ex anteà citato canone diſcimus. Repetit eum Juſtinianus *Novell.137. c.1.* Conf. Chriſtoph. Juſtell. *in cod. can Eccleſ. univerſ. pag. 136. ſeq.*

Sed neqve matrem] Talem laſtaurum, qvi matrem ſuam init, ipſa deteſtatur natura. Nec periculum facilè talis inceſtûs metuendum foret, niſi conjugio interdicerentur Sacerdotes. Diverſum conſtituêre Imperatores in *l. 19. C. de Epiſc. & Cleric.* Diverſum etiam conſtituit Concilium Nicenum *can.3.* Sic & diverſum habetur in *c. volumus 22. & c. cum omnibus 25. diſt. 81.* Add. Stephan. Aufrer. *ad Capell. Tholoſan. deciſ. 448.* qvem tamen caſtigat Martinus ab Azpilcueta Navarr. *tom.1. com. 4. de regular. num. 65.* ſed ſine ratione & parum accuratè. Vid. id. *tom.3. cap.25. num.109.*

Qvalis qvis ſit interiùs, debet per exteriora demonſtrare. h. d.

i *diſt. 40.* & *clem.2. eod. tit. de vit. & honeſt. pralat.*

§. 10. Oportet [i] item Epiſcopum cæterosq; Eccleſiaſticis officiis mancipatos, per decentiam habitus extrinſeci, morum intrinſecam honeſtatem indicare. & ideò, ſi, præterqvam ex causâ urgenti, indumentis, præter ordinis ac officii decorem, præſertim publicè, luxurientur, illorum impudentia variis modis, non minùs recentioribus, qvàm antiqvis Pontificum decretis coërcetur. In ſumma, cùm pro popu-

lo Epi-

loEpiſcopi ſuffragatores ad Deum parentur, neceſſe eſt, ut omni genere virtutum ejus gratiam habere nitantur : qvia, cùm is, qvi displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.

per decentiam habitus] Clericum non poſſe ſine peccato habitum omittere, nec barbam aut comam nutrire, nec arma portare, commune eſt Canoniſtarum aſſertum. Vid. Mart. ab Azpilcuet. Navarr. *com. 3. cap. 25. n. 110.* Nos habitum decentem reqvirimus, omni ſuperſtitione, qvæ in tonſurâ & ipſo toto clericali veſtitu ponitur, detractâ.

Videtur autem totus hic titulus in ideâ magis ſubſiſtere, qvàm in praxi pontificiâ. Et poſſunt ad eum videri, qvæ copioſè diſſerit Claudius Eſpenæus *tot. lib. 2. digreſſ. ad Epiſt. Paul. prim. ad Timoth.* Auguſtin. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcop. p. 1. tit. 1 gloſſ. 3. ſeqq.* Petrus Gregorius *de benefic. Eccleſ. cap. 37.*

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

TITULUS XIII.

Archidiaconus eſt à Jure conſtitutus vicarius, & qvaſi oculus Epiſcopi, & inter clericos cognoſcit, viſitat, & corrigenda emendat, & ardua ad Epiſcopum defert, de cujus licentiâ poterit etiam excommunicare. hoc dicit.

Qvoniam verò gravis & lata eſt Paſtoralis officii cura, rectè conſtitutum eſt, ut aliqvi in Eccleſiâ ſint, qvi unà cum Epiſcopo onus ferant, & ſui Prælati valeant ſublevare ſolicitudinem. Talis eſt Archidiaconus [a], qvi major poſt Epiſcopum, & ejus vicarius reperitur. Cujus vigilantia & ſolertia usqveadeò in domo Dei excubare debet, ut oculus Epiſcopi non immeritò

[a] *cap. 1. & c. ad hæc nos. X. eod. tit. & per totum. can. 1. verſ. Archidiaconus. diſtinct. 25.*

ritò meruerit appellari. Ea propter debet is audire jurgia ſingulorum, & qvæ corrigenda & emendanda viderit, corrigere & emendare. Qvòd ſi qva fuerint ita ardua, qvæ per eum commodè non poſſint terminari, ad Epiſcopum ſuum terminanda deferet. Diſpiciet qvoq;, ut Primicerius, Sacriſta, & Cuſtos injuncti ſibi muneris ſolicitudinem diligenter exeqvantur. Sed & tertio qvoq; anno, ſi Epiſcopus non poterit, univerſam Parochiam circumire debet, & cuncta, qvæ ordinatione vel emendatione indigere viderit, ſecundum Canonicas ſanctiones corriget: &, ſi Epiſcopi authoritas acceſſerit, excommunicationis etiam ſententiam feret.

Qvi major poſt Epiſcopum] Diaconus inferior eſt Presbyteris, & ArchiDiaconus tamen ſuperior eſt non presbyteris tantùm, ſed ipſo etiam Archipresbytero, qvod fieri dicunt exinde, qvia Archidiaconus curam habet fori contentioſi, cùm Archipresbyter tantùm exerceat curam fori pœnitentialis. Id ipſum autem ex arrogantiâ primùm ortum cepiſſe videtur, & fatetur iſtam ordinis turbationem atqve abuſum Petrus Bleſenſis *epiſt. 123. Porrò*, inqvit, *dignitatis turbato ordine, Archidiaconi hodiè Sacerdotibus præeminent, & in eos vim & poteſtatem ſuæ juriſdictionis exercent, ea propter Archidiaconum in presbyterum promoveri, non eſt honorem ejus augeri, ſed minui.* Non in omnibus tamen ſuperioritatem hanc ArchiDiacono largiuntur, ſed tantùm in adminiſtratione. Qvoad ordinem enim ArchiDiaconum faciunt inferiorem ArchiPresbytero. Vid. Lancellot. Conrad. *in templ. omn. jud. l. 2. c. 8.* ubi copiosè de ArchiDiaconatûs dignitate & officio diſſerit. Cæterùm non aliâ ratione primùm conſtitutus videtur ArchiDiaconus, qvàm ipsâ illâ, qvâ conſtitutus fuit Archipresbyter. Franc. Duaren. *de ſac. Eccleſ. miniſt. ac benef. lib. 1. c. 12.*

ut ſc.

Digitized by Google

ut fc, & ipſe faciat ea, qvæ ad diaconorum officia ſpectant, & alios facere jubeat atqve præſcribat, & Epiſcopi etiam qvandoqve vices gerat. Vid. Claud. Eſpencæus *in Ep. 1. ad Tim. lib. 1. digreſſ. 6.*

ejus vicarius reperitur] Differt tamen à vicario, de qvo *tit. 15.* qvod Archidiaconus nomen proprium & adminiſtrationem certam ex Canonum præſcripto habeat, vicarius autem ab Epiſcopo aut ejus autoritate conſtituatur. Unde hic & revocari ab Epiſcopo poteſt, & ejus morte officium ſimul amittit; At Archidiaconus perpetuum gerit munus ab Epiſcopi arbitrio & vitæ tempore non dependens.

ut oculus Epiſcopi] ita ut ipſum qvoqve Epiſcopum de faciendis qvandoqve monere poſſit, qvod patet ex *can. 20.* Concilii Toletan. 1. ubi conſtitutionem de Chriſmate jubetur Archidiaconus vel præſentibus vel abſentibus Epiſcopis ſuggerere, ut eam Epiſcopi cuſtodiant & presbyteri non relinqvant. Competit tamen hoc jus monendi & ſuggerendi etiam Diaconis in genere, qvi & ipſi oculi Epiſcopi dicuntur *c. Diaconi 6. diſt. 93.* Cæterùm ex arrogantiâ natum videtur, qvod in unâ Eccleſiâ plures qvandoqve ſint Archidiaconi, qvorum tamen unus tantùm nomen habet Eccleſiæ, de qvo Nicol. Boër. *deciſ. 286.*

Primicerius] primus in choro vel cantu, qvi reliqvis ordinem & modum canendi præſcribit & ſimul præit, *tot. tit. X. de primicer.*

Sacriſta] ſive Theſaurarius, ad cujus curam pertinet cuſtodia ſacrorum vaſorum, & veſtimentorum Eccleſiaſticorum, præparatio luminarium, baptiſteriorum &c. *tot. tit. X. de offic. Sacriſt.*

& cuſtos] qvi qvaſi miniſter eſt Sacriſtæ, *tit. X. de offic. Cuſtod.* Variant tamen officia hæc & nomina pro cujusqve Eccleſiæ conſvetudine.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI,
TITULUS XIV.

Archipresbyter eſt vicarius Epiſcopi, circa divina, & Archipresbyterorum duæ ſunt ſpecies. h. d.

§. 1. Non abſimiles Archidiaconis Archipresbyteri habentur: nam & ii Prælati ſui circa ſpiritualia cu-

b *can. 1. verſ. archipresbyter. diſt. 25.*

ram ſublevant[b]. Horum autem duplex eſt ſpecies: alii enim urbani ſunt, alii autem exteri. Urbani

c *cap. officium archipresbyteri. extr. eod. tit.*

ſunt[c], qvi Præſulis ſui abſentis circa divina in urbe vicem ſubſtinent, aut præſentis curam minuunt: ut officium inchoando, celebrando, & benedicendo, & cunctis providendo, qvæ ſacerdotum miniſterio perfici debent.

alii autem exteri] qvi aliàs rurales & foranei dicuntur, & hos alibi Decanos vocari notat gloſſa.

Urbani ſunt] Unicum olim Urbe totâ inter presbyteros archipresbyterum, inter diaconos archidiaconum fuiſſe, contra Ciacconium oſtendit Dav. Blondell. *apol. de Epiſc. & presb. p. 225.*

Qvæ ſit poteſtas forineorum Archipresbyterorum. h. d.

d *cap. fin. eod. tit.*

§. 2. Exteri ſunt[d], qvi circa ſingulas plebes conſtituti, non ſolùm vulgi ſolicitudinem gerunt: verùm etiam presbyterorum, qvi per minores titulos habitant, vitam jugi circunſpectione cuſtodire debent. qvi licet ſuis præſint plebibus, ut Epiſcopus Matrici præeſt Eccleſiæ: nihil tamen contra ſui Præſulis ordinare decretum audere debent.

qvi per minores titulos] titulus qvandoqve accipitur pro ipsâ Eccleſiâ ad publica miniſteria Eccleſiaſtica deputatâ, qvæ propterea dicitur titulata. & contradiſtingvitur Oratoriis ad privatas tantùm orationes, ſeu ſepulturas fabricatis, qvæ titulata dici neqveunt. Utplurimum autem tituli in jure Canonico ſignificant bona pro titulo Clericis aſſignata, ſive ad neceſſariam ſuſtentationem Clericorum deſtinata. Non enim admittebantur in Clerum, niſi in certâ Eccleſiâ adſcripti eſſent, totqve tantùm in Eccleſiâ

Ecclesiâ instituebantur, qvot nutriri poterant, *c.4. X. de instit. c. fin. X. de V. S.* Inde ab Ecclesiâ, in cujus albo erant descripti Clerici, ejus Ecclesiæ & tituli esse dicebantur; atqve hinc bona ratione tituli assignata tituli vocantur. Petr. Gregor. *de benef Eccles. c.8.* Conf. Dav. Blondell. *apol. de Episc. & presb. p. 222. & 226.* Joh. Selden. *de synedr. l. 3. c. 15. n. 4.* Annæ. Robert. *rer. jud. l. 3. c. 2.*

suis præsint plebibus] Episcopi propriè dicuntur præesse & præsidere, unde vocantur præsides, præpositi, προεστῶτες. Vocantur tamen etiam presbyteri qvandoq; præpositi, imò etiam Diaconi, ratione sc. plebis, cui sunt aliqvo modo præpositi. Ita Cyprianus *ad Pompon. Primo igitur in loco, Frater carissime, & præpositis & plebi nihil aliud elaborandum est.* Sic προεστῶτες τῶν ἐκκλησιῶν apud Euseb. *lib. 8. hist. Eccles. c. 6.* non solùm Episcopi, Presbyteri & Diaconi, sed ipsi etiam Lectores & Exorcistæ dicuntur.

Obtinentes aliqvam præposituram, debent etiam habere ejus præposituræ ordinem. h.d.

§. 3. Admonendi[a] sunt autem ii, qvi præposituræ alicujus administrationem canonicè volunt obtinere, ut non solùm nomen, verùm etiam ordinem habere studeant: Unde[b] nisi qvi Archidiaconatum tenent, Diaconi: aut, qvi Archipresbyteratum, presbyteri infra annum fiant, amittent honorem, etiamsi justa causa prohibente presbyteri, aut Diaconi esse non potuerint.

a *clem. 2. de ætat. & qvalit.*

b *can. 1. dist. 60.*

etiamsi justâ causâ] pro *etiamsi* reponendum videtur *nisi.* uti patet ex *Clem. 2. de ætat. & qval.* qvia justum impedimentum meritò excusat. Sed verò non poterat olim qvisqvam fieri archipresbyter, nisi qvi actu jam esset presbyter, uti patet ex *c. 1. dist. 60.* Cæterùm de archipresbyteri dignitate & officio copiosè agunt Aug. Barbosa *de jure Eccles. l. 1. c. 25.* Lancellott. Conrad. *in templ. omn. jud. l. 2. c. 11.*

DE

Digitized by Google

DE OFFICIO VICARII,

TITULUS XV.

Vicarius Episcopi non potest inqvirere, punire, privare beneficiis, vel eadem conferre, nisi hæc specialiter sibi committantur. h. d.

§. 1. Per Vicarium qvoq; , cùm Episcopus per se ipsum deservire, & residere rationabili causa prohibetur: aut præsens, omnibus commodè par esse non potest, Episcopalis repræsentatur authoritas. In qvo tamen illud advertendum est, qvòd, licet per generalem officii commissionem Vicario factam [c], causarum cognitio transferatur: potestas tamen inqvirendi, corrigendi, aut puniendi aliqvorum excessus, seu aliqvos à suis beneficiis, vel administrationibus amovendi, vel beneficia conferendi (nisi specialiter concessa sit) non transfertur.

[c] *c. 2. & c. seq. eod. tit. in 6.*

Per vicarium qvoq;] Loqvitur hoc titulo tantùm de vicario Episcopi, qvi alicubi dicitur officialis, sed uti mores hodiè sunt, non tàm ab officio nomine, qvàm ab officio verbo, sicuti eos describit Petrus Blesensis *ep. 25.* Romanæ verò Curiæ stylũ hunc esse, ut in delegationibus & expeditionibus ad partes Orientales utatur vocabulo Vicarii, ad ultramontanos & ultramarinos in Africâ vocabulo officialis, notat Aug. Barbosa *de offic. & pot. Episcop. part. 3. alleg. 54. n. 53.* Possunt tamen etiam alii Sacerdotes habere vicarios, sed qvos sine consensu & autoritate Episcopi constituere neqveunt.

par esse non potest] Regulariter nemo per alium potest regere Ecclesiam sive parochiam, cujus cura ei demandata est. Sed postqvam introductum est seculis seqvioribus, ut præbendis Ecclesiarum majorum Ecclesiæ minores annecterentur, invaluit etiam , ut in his Ecclesiis annexis vicarios constituere licitum esset *c. 30. X. de præbend.* Ita etiam Episcopi, qvi semper

assident

assident Romano Pontifici, habere possunt ViceDominos in Ecclesiis suis, ipsis interim nunqvam discedentibus à latere Pontificis Romani. Cujac. *ad c. 15. X. de judic.*

potestas tamen inqvirendi, corrigendi] Videtur ergò Vicario generali nulla jurisdictio concessa, qvippe qvæ jus coërcendi includit. Sed & alia plura sunt, qvæ non potest vicarius, Episcopo non denegata, de qvibus videri potest Peregrinus Janninius *de citat. real. lib. 1. c. 1. n. 383. seqq.* Qvi tamen ad synodos olim missi fuérunt Episcoporum Vicarii, jus suffragii, perinde ut ipsi Episcopi, habebant, uti adversus Panormitani sententiam notat Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imp. l. 6. c. 13. n. 3.*

Habens curam animarum in diversis Ecclesiis, vel laicus, non potest constitui vicarius.

§. 2. Debet autem Episcopus circumspectus esse, ne laicum Vicarium sibi constituat. Indecorum [d] est enim, laicum hominem viros Ecclesiasticos judicare: nec in uno eodemq; officio debet dispar esse professio. Quod etiam lege divina prohibetur, dicente Moyse: *Non arabis in bove & asino.* Inde & Honoriana constitutione cavetur [e], ut Episcopus eum, qvi perpetuam Vicariam obtinet, per subtractionem proventuum vel ipsius Vicariæ ablationem compellat, ut se in presbyterum promoveri faciat.

d *can. in nona action. 16. q. 7.*

e *c. fin. extr. eod. tit.*

indecorum est enim] Exemptio hæc Clericorum ab omni Laicorum, imò & Principum jurisdictione, haud minima pars est tyrannidis papalis. Vid. qvæ in hanc rem dixi *exercitat. 5. de jurib. Majest. n. 65. seqq.*

non arabis in bove] Contorta hæc est Scripturæ ad hanc rem applicatio.

Digitized by Google

in presbyterum promoveri] Hoc videtur ex constitutione Concilii Emeritensis in Lusitaniâ, qvod prohibuit, ne Episcopi ægroti vicariatum suum tribuant Diaconis, qvod his non liceat sedere inter Episcopos, eiq; rei destinandos præcipit presbyteros, *can. 5.*

A Vicario appellatur ad Archiepiscopum : ab Archidiacono ad Episcopum. h. d.

§. 3. Inter Vicarium autem, & Archidiaconum illud intereſt, qvòd à Vicario non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum [f]: ab Archidiacono verò, nisi aliud Ecclesiarum inducat consuetudo, ad ipsum, cui immediatè subjacet, Episcopum erit appellandum.

[f] *c. Romana. de appell. in 6.*

â vicario non ad Episcopum] qvia idem tribunal & eadem est jurisdictio Episcopi & vicarii. Dum tamen vicarius fuerit generaliter constitutus, non ad certam tantùm diœceseos partem. Ab hoc enim, qvia diversum habet tribunal, ad Episcopum appellari docent, *c. 2.* & ibi *Gloss. & Panorm. de rescript. in Clem.* At si generaliter ipsi officium commissum est, ad Episcopum & consistorium ejus appellari neqvit. Jurisdictio qvippe vicarii ita connexa est cum jurisdictione Episcopi, ut, suspenso & excommunicato Episcopo, censeatur suspensa jurisdictio vicarii ipsius. Vid. prolixè Sig. Scaccia *de appellat. qv. 8. art. 3.* Itaqve sententia qvodammodo ab ipso mandâte sive Episcopo, & in eodem auditorio lata censetur, ad qvem si provocaretur, ab eodem ad eundem appellatio fieret. Franc. Duaren. *lib. 1. c. 8.* Et in hoc distingvitur Vicarius à Delegato, qvod Vicarius gerit vices ordinarii in eodem loco & eodem tribunali, cum delegatus diversum planè tribunal habeat. Christoph. Besold. *de appell. c. 4. n. 15.*

DE COADJUTORE,

TITULUS XVI.

Ex causa datur Episcopo coadjutor, cujus datio ad sedem Apostolicam spectat. h. d.

[g] *c. 2. de cleri. ægro. vel debili, in 6.*

§. 1. Accidit [g] etiam interdum, ut Pastor senio aut corporis valetudine impeditus, aut sanæ mentis consilio

consilio destitutus, super suum gregem excubias ducere non possit: ea propter vir providus & honestus illi in Coadjutorem adjungendus est: per qvem tam Episcopo, qvàm populo utiliter consulatur. Cujus datio, cùm de causis majoribus esse constet, ad sedem Apostolicam, nulla obstante consuetudine, referenda est. Qvod tamen sic intelligi oportet, si non in remotis partibus explicanda sit: cæterùm, si procul ab Apostolica sede Episcopus impeditus deget, tunc secundum Bonifacianæ constitutionis tenorem providendum erit.

aut corporis valetudine] Præcipua causa dandi coadjutoris est corporis infirmitas. Noluit enim Ecclesia Episcopum infirmum dejicere. Et celebre est exemplum Narcisi Episcopi Hierosolymitani, qvi annos natus 106. cùm propter decrepitam ætatem non amplius muneri obeundo idoneus esset, coadjutorem Alexandrum annuente Clero assumpsit. Niceph. *lib. 5. c. 10.* Infirmis igitur ordinariè dabantur coadjutores, qvi exercebant regimen disciplinæ & temporalia administrabant: pontificalia verò à vicino Episcopo supplebantur. Sed ut fidelius coadjutor laboraret, & esset proprius pastor, non mercenarius, sæpè factus est coëpiscopus. Vid. Marc. Ant. de Dominis *l. 3. de Rep. Eccles. c. 3. n. 61. seqq.* Sic enim Macarius Ecclesiæ Hierosolymitanæ metuens, sedemq; Episcopalem ab Arianis & hæreticorum labe cupiens vindicare, Maximum, qvi orthodoxus erat, non modo successorem sibi designare statuit, sed ut omnem post obitum suum controvertendi occasionem præcideret, impetravit, ut etiam sibi vivo Maximus daretur coadjutor, simulq; Episcopali fungeretur. Socrat. *l. 2. c. 21.* Sic & Augustinus Valerio Episcopo factus fuit in Hipponensi Ecclesiâ coadjutor & coëpiscopus, in hoc scil. qvod coëpiscopus esset, violatis, ut ipse non dissimulat Augustinus *epist. 34.* Canonibus Nicænis. Cæterùm ipsa substitutio, qvæ fit per Coadjutorem cum promissione futuræ successionis, reprehendi ne-

qvit,si fiat cum consensu superioris, & ab iis, qvi jus eligendi habent. Vid. Petr. de Marca *de concord. sacerd.& imper.l.6.c.8.* Et in hoc scil. etiam in Ecclesiâ Pontificiâ recessum est à Decretis Concilii Tridentini, ut notat Augustinus Barbosa *de jur. Eccles. lib.3.c.10.n.32.* Datur etiam coadjutor Episcopo simplici & ad regimen haud idoneo *c. qvi frater 7. q.1.* & dilapidatori bonorum Ecclesiasticorum *c. venerabili 37. X. de offic. & potest. jud. deleg.*

ad sedem apostolicam] uti constitutio Episcoporum extra diœcesin Romanam non pertinet ad Episcopum Romanum, ita nec constitutio coadjutoris. Et ostendit exemplum Augustini, nullum tùm reqvisitum fuisse consensum Episcopi Romani, cùm coadjutor daretur Valerio Episcopo, sed solùm Cleri & populi, & Episcoporum comprovincialium. Vid.Petr. de Marca *d.l.n.11.*

Etiam inferioribus ab Episcopis dandus est Coadjutor,& utriqꝫ de facultatibus Ecclesiæ erit subveniendum. h. d.

a *per totũ tit. extr.de clr. ægrot.*

§. 2. Nec a solùm Episcopis dandus erit Coadjutor, sed etiam,si res exigat,inferioribus: unde,si vel Ecclesiæ Rectorem,vel Archidiaconum ita morbo aliqvo contigerit impediri, ut Ecclesiasticis ministeriis, vel nullo pacto,vel non nisi cum scandalo interesse possint, eis qvoq; Coadjutor adhibendus erit: & ita res temperanda b, ut utriq; juxta facultates Ecclesiæ vitæ necessaria ministrentur.

b *cap.1.§.præsenti qvoqꝫ. de cler. ægrot.in 6.*

inferioribus] Sed horum coadjutoria ad Apostolicam sedem ut referatur,necesse non est ex mente Canonistarum. Vid.Aug.Barbos. *d.l.n.22.* ubi talem ponit regulam: Qvi possunt instituere & destituere, à fortiori poterunt Coadjutores dare. Rectè. Hinc enim conficimus, coadjutoris dationem pertinere ad eos, qvi jus eligendi habent.

necessaria ministrentur] Si scil. reditus beneficii utriqve sufficiunt,& coadjutori & coadjuto, non necesse est, ut aliunde necessaria ministrentur. Si verò illi non sufficiunt, tenentur parochiani de alimentis coadjutoris prospicere. Barbos. *d.l.n.26.29.* Carpzov. *in Jp. Consistor. l.1. def.53.*

DE

Digitized by Google

DE CHOREPISCOPORUM USU SUBLATO.

TITUL. XVII.

Chorepiscoporum usus sublatus est. h. d.

§. 1. Erant olim & Corepiscopi, qvibus circa plurima cum Episcopis ministeriorum communis erat dispensatio : qvorum tamen institutio tàm in Romanâ sede, qvàm in aliis totius orbis Ecclesiis, tanqvam improba & supervacanea, est penitùs interdicta [c].

c *ca. Chorepiscop. & seq. dist. 68.*

Reprehenditur à qvibusdam Justinianus Imp. qvod in Institutis de legibus abrogatis & exhinc nullum usum præbentibus egerit, cùm tamen in Epitome, compendio & manuali Jurisprudentiæ non nisi maximè necessaria tractari debuissent, non autem de lege Fusiâ Caniniâ tollendâ, & ejusmodi aliis. Idem qvoqve vitio verti posset autori nostro, qvod de Chorepiscopis jam diu sublatis peculiari agat titulo. Sed transeat istud.

Chorepiscopi] fuére Diœcesanis adjuncti Episcopi, qvibus ἐν τῇ χώρᾳ in finitimis pagis, ruri, in Ecclesiis inspectio pastorum rurestrium commissa fuit. distinctiqve fuerunt à presbyteris πρ. χωρίοις. Presbyteros tamen & diaconos consecrare non poterant, uti Episcopi. qvod notat Christoph. Justell. *ad cod. canon. Eccles. univers. p. 162.*

communis erat] Eos enim ut Episcoporum συλλειτουργοὺς tanto in civitatibus honore affici jubebat Concilium Neocæsariense *can. 13.* ut Episcopo cleroqve præsente in urbibus offerre sinerentur ; iisdem minorum Clericorum promotiones Ancyrana Synodus *can. 13.* & Basilius *epist. 181.* permittebant. Et in conciliis non modò topicis, sed etiam universalibus cum Episcopis sedebant, ac suffragium ferebant, ut adeò probari non possit, qvod fabulantur nonnulli, eosdem olim fuisse Chorepiscopos cum presbyteris. Vid. prolixè Dav. Blondell. *in apolog. de Episc. & presbyt. sect. 3. n. 11. 12. p. 120. seqq.* Putat autem Claudius Espencæus, Chorepiscopos rurales primùm parochos & curiones fuisse ; tùm Episcopis sensim degenerantibus aut dormientibus, nomenqve magis qvàm officium retinentibus, in eorum potiùs vicarios qvàm coadjutores evasisse,

lib. 1. digress. in Epist. 1. ad Timoth. c. 1. Et Mauritius ab Alzedo Cantaber *de praecellentiâ Episc. dign. part. 1. c. 3. n. 47.* Chorepiscopos dicit ex antiqvâ Ecclesiæ constitutione nihil aliud fuisse, qvàm presbyteros, qvibus res temporales creditæ fuerint, & cura pauperum & Eleemosynarum, & alia ministeria, velut ordines minores conferre. Et tandem eorum contumaciâ crescente gessisse se pro Episcopis, suoqve officio non contentos ausos fuisse majores ordines conferre, & Episcopos consecrare &c. Sed optimè Blondellus tùm loco allegato, tùm *pag. 10. & 93.* originem eorum ita exponit: *Sub seculi tertii finem constitutum fuisse, ut urbis cujusq; simul sumti tituli omnes Ecclesiam principalem ad matricem; vicorum adjacentium clerus populusq; minus principalia ejusdem membra constituerent: presbyteri urbani omnes praposito suo, Episcopo κατ' ἐξοχὴν dicto, subjicerentur, regionariis autem praferrentur, qui ob id non presbyteri simpliciter, sed* πρεσβύτεροι, *ὁι ἐκ χώρας regionarii, corregionales, foranei, rurii, agrorum presbyteri vocarentur. Factum etiam porrò, ut supra regionarios ejusdem Sacerdotes vel ætate provectior, vel dotibus ornatior, vel in frequentiore vico collocatus Urbano quidem Episcopo cum suo synedrio pareret, cæteris verò regionariis presbyteris præsideret, & chorepiscopus, i. e. villanus, ruralis, vicanus, rustica plebis Episcopus diceretur. Hâc occasione etiam factum, ut Latinorum nec incelebres, nec nostrûm temporum nonnulli Episcoporum vicarios Chorepiscopos ubiqve interpretentur, qvod scil. ab urbanorum præsulum nutu adeò penderent, ut, qvicqvid potestatis in vicanum Clerum haberent, ab iisdem mutuarentur, eorum qvodammodò nomine officium gererent, esset q; tota eorum* παροικία *Urbanæ simulacrum &c.* Cæterùm cùm de ChorEpiscoporum ministerio & munere, deqve eorum ab reliqvo Clero differentiâ tantùm vestigia aliqva inveniantur in historiâ veteris Ecclesiæ, mirum non est, plurima hodiè ignorari. In scrutandis tamen illis & illustrandis sedulam navavit operam Petrus de Marca *de concord. sacerd. & Imp. lib. 2. c. 13. & 14.* qvi verò & ipse istam tenet sententiam, ChorEpiscopatum tale fuisse ministerium, qvod presbytero alicui ab Episcopo civitatis impositum fuerit, accidisse tamen aliqvando, ut Episcopo etiam, vacanti scil. à munere suo, ChorEpiscopatus conferretur.

tanqvam improba & supervacanea] Improbitatem istam ostendit Damasus Papa *epist. 5.* Sed hanc Epistolam confictam & commentitiam esse ostendit Blondellus *in Pseudo Isidor. p. 541.*

est penitus interdicta] Qvando & à qvo? Refert idem Damasus Papa *in Epist. 5.* sed, ut dixi, suppositiam esse eam Epistolam, & nulli-

nullibi prohibitionem iſtam haberi, oſtendit Blondellus *in Pſeudoiſidoro p.530.* Poſt Damaſum ejusdem prohibitionis mentionem faciunt Leo I. *epiſt.88.* Felix IV. *epiſt.1.* Johannes III. *epiſt. un.* ſed qvas omnes ſuppoſititias & adulterinas idem arguit Blondellus *in Pſeudoiſidoro p.567.584. & 614.* Non negamus tamen, temperatam ſæpè fuiſſe & coërcitam nimiam Chor Epiſcoporum poteſtatem. Vid. Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Eccleſ. l.2. c.9. n.17.* Serò autem eorum uſum receptum fuiſſe apud Latinos, prolixè docet Blondellus *apol. de Epiſc. & presb. p.132.*

Matrimonium ſpirituale diſſolvitur translatione, renunciatione, & depoſitione. h.d.

§. 2. Vidimus hucusqve de ſpiritualis fœdere conjugii, qvod inter Epiſcopum & Eccleſiam contrahitur, qvòd electione vel poſtulatione initiari, confirmatione ratificari, conſecratione intelligitur conſummari. Item de moribꝰ, & Vicariis, & adjutoribus Epiſcoporum: tractemus nunc, qvibus modis Epiſcopus ab Eccleſia removetur: & ſic, qvo modo tale conjugium præter mortem diſſolvitur. Contingit autem id tribus modis: Translatione, Renunciatione, & Depoſitione, ſeu Degradatione: de qvibus ſingulis videamus, ac primùm de Translatione.

de ſpiritualis fœdere conjugii] Eccleſia in Scripturis ſponſa qvidem dicitur, ſed Chriſti Salvatoris tantùm. Qvi ab eo miſſi ſunt, ut eam verbo & ſacramentis in amore divino ſuſtineant, miniſtri tantùm ſunt, non ſponſi nec conjuges. Vid. Blondell. *in Pſeudoiſidor. ad Evariſti epiſt.2. pag.152.* Adulteri ergò ſunt, qvi præter Salvatorem, conjugium tale affectant, qviq; ex miniſtris heros ſe efficiunt, etſi vel ipſe fuerit Epiſcopus Eccleſiæ Romanæ. Et exhinc patet, omni prorſus carere fundamento, qvod ſtatuunt, vinculum iſtud conjugale inter Epiſcopum & Eccleſiam ſimile eſſe conjugio carnali planè indiſſolubili; diſſolvi tamen poſſe au-

ſe autoritate Papæ. Vidit ex parte eas ineptias & exagitavit Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 2. c. 7. n. 25. & lib. 3. c. 6. n. 1. 22. 23.* Optimè in hanc rem autor libelli *de ſqualorib. Romanæ curiæ* editi Baſil. ann. 1551. cum Petr. Aliac. *Si contingat*, inqvit, *aliqvando Papam per officium ſuum honorari vel laudari, dicitur pro laude ſua antonomaſticè (ſive ex adulatione, ſive ex donatione hominum hoc fiat) qvòd ſit ſponſus, dominus & caput Eccleſiæ. Recogitet ergo, qvod hoc non poteſt eſſe propriè loqvendo verum. Eccleſia enim non habet duo capita, nec duos ſponſos, ſed unicum, & hoc eſt Chriſtus, & non vicarius ſuus, (cùm hoc verè ſic dici non competit) qvem Chriſtus conſtituit potius cuſtodem ſponſæ ſuæ, qvàm ſponſum.*

DE TRANSLATIONE.

TITULUS XIIX.

Translatio inducta eſt ex utilitate & ex neceſsitate: &, neceſsitate ceſſante, translatio irritatur. b. d.

d *can. mutationes. 7. q. 1.*

§. 1. Translationes, qvæ & mutationes [d] nuncupari poſſunt, inſtitutæ ſunt utilitatis, & neceſsitatis gratiâ. Utilitatis, cùm Epiſcopus ab ea civitate, cui præpoſitus eſt, in aliam transfertur, in qva magis proficere poſſe veriſimiliter exiſtimatur. Sic olim Princeps Apoſtolorum de Antiochenâ civitate ſe Romam tranſtulit, ut ſcilicet ibidem copioſiùs proficere poſſet. Neceſsitate [a] verò nonnunqvam Epiſcopalium ſedium mutationes fieri ſolent, hoſtium urgente metu. Sed hoc caſu, ſi civitatem, de qva effugerit Epiſcopus, ab hoſtibus liberari [b], & ad priorem ſtatum contigerit revocari, ad eam expulſus revertetur.

a *canon. ſcias frater. & ſeq. d. 7. q. 1.*

b *can. paſtoralis officii. d. 7. q. 1.*

Translationes] Refert Socrates *lib. 7. hiſt. Eccleſ. c. 35. & 39.* apud

apud veteres indifferens fuisse, qvoties Ecclesiæ usus & necessitas poscebat, Episcopos ab aliis ad alias civitates transferre. Sed profectò indifferens ea consvetudo apud Veteres coërcita sæpè fuit & abolita. Ita enim ante Socratem Concilium Nicenum *can. 15. Placuit consvetudinem omnimodis amputari, qvæ præter regulam in qvibusdam partibus videtur admissa, ita ut de civitate ad civitatem non Episcopus, non presbyter, non diaconus transferatur.* Disertè magis Concilium Antiochenum I. *can. 21. Episcopus ab alia parochia neqvaqvam migret ad aliam, nec sponte sua prorsus insiliens, nec vi coactus à populis, nec ab Episcopis necessitate compulsus; maneat autem in Ecclesiâ, qvam primitus à Deo sortitus est, nec inde transmigret secundum priscinum de hac re terminum constitutum.* Verba hæc duriora videntur, qvàm, ut utilitatem aut necessitatem Ecclesiæ excipi patiantur. Plura talia leguntur inter canones Concilii Sardicensis, Carthaginiensis IV. Meldensis, & aliorum. Ita Eusebius Cæsareæ Episcopus, cùm habitâ solenni electione in Antiochenæ Ecclesiæ sedem traduci eum Clerus vellet, additâ etiam Imperatorii jussûs autoritate, restitit, nec in aliam Ecclesiam, dimisso contra canonem Ecclesiasticum titulo, transferri se passus est. Nicephor. *l. 8. hist. Eccles. c. 45.* Euseb. *l. 3. de vit. Const.* Socrat. *l. 1. cap. 24.* Theodor. *l. 5. c. 11.* Non nego tamen, tantam posse esse utilitatem aut necessitatem Ecclesiæ, ut mutatio talis & translatio non tolerari tantùm, sed modis omnibus etiam adjuvari debeat. Vid. Carpzov. *in Jurispr. Consistor. lib. 3. defin. ultim.* Et idcircò canones prædicti non tàm eam mutationem prohibere videntur, qvæ ex necessitate aut utilitate Ecclesiæ contingit, qvàm eam, qvæ ex cupiditate & avaritiâ Episcoporum aut inordinato plebis affectu proficiscitur. Francisc. Duaren. *de sacr. Eccles. minist. lib. 5. c. 3.* Migrationes enim Episcoporum voluntariæ prohibitæ sunt à Canonibus; translationes verò cum causæ cognitione decretæ non sunt vetitæ. Prohibetur μετάβασις, non μετάθεσις. Vid. Petrus de Marca *de concord. Sacerd. & imper. lib. 6. c. 8.* Qvod autem dixi de inordinato plebis affectu, autorem habeo Hieronymum, qvi *lib. 1. adversus Jovin.* ita scribit: *Nonnunqvam errat plebis vulgiq; judicium, & in sacerdotibus comprobandis unusqvisqve suis moribus favet, ut non tàm bonum qvàm sui similem qværat præpositum.*

princeps Apostolorum de Antiochenâ] Nihil hoc ad rem. Apostoli enim non certæ alicui particulari Ecclesiæ addicti erant, ex qvâ deinceps translatio fieri potuisset ad aliam; sed tota & universalis totius mundi Ecclesia eis fuit commissa, ut eam fundarent, & non

tàm regerent singulàs, qvàm eas regendas propriis Episcopis commendarent. Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 3. c. 6. n. 4.* Et dubium est, num copiosius profecerit Romæ, qvàm Antiochiæ, aut num ideò Romam discesserit Petrus.

Episcopos transferre, ad solum Romanum Pontificem pertinet. hoc dicit.

§. 2. Sciendum est autem, Episcoporum translationes, non etiam inferiorum, ad solum Apostolicæ sedis Antistitem certissima ratione pertinere[c], neq; super his matrimoniis qvicqvam præter ejus assensum immutari debere, aut posse. Qvod obtinet non solùm, si Episcopus est consecratus, verùm etiam si tantùm canonicè fuit electus, & confirmatus: Cùm (ut suprà diximus) post electionem & confirmationem, inter personas eligentium & electi, conjugium sit spirituale contractum.

[c] *cap. 2. & fin. extr. eodem tit. de translation. episcop.*

ad solum apostolicæ sedis antistitem] Principium hoc est pontificium ex papali monarchiâ ortum. Neqve ita obtinuit ab initio, sed ad Metropolitani & Episcoporum comprovincialium cognitionem spectabat, an ex translatione hujusmodi emersura sit utilitas Ecclesiæ, uti patet ex can. 27. Concilii Carthaginiensis IV. qvem refert Gratianus *can. Episcopus 38. caus. 7. q. 1.* In Ecclesiis nostris potestas ea Principibus secularibus, aut illis, qvi τὸ κύριον habent in Rep., adscribitur. Illis enim propter summam, qvam tenent, potestatem, etiam cura Ecclesiæ competit, & ipsa adeò potestas Ecclesiastica, externa tamen, & qvatenus ea in Principem cadere potest, qvàmq; utplurimum per Senatum Ecclesiasticum à se constitutum exercere solent.

neq; super his matrimoniis] Qvale hoc sit matrimonium, & qvid de eo sentiendum, dixi ad finem *tit. anteced.* Et communiter qvidem Canonistæ rationem prohibitæ translationis qværunt in indisolubi-

Iubilitate conjugii ſive matrimonii, qvod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam. Sed rectè obſervat Franciſcus Duarenus *de ſacr. Eccleſ. miniſt. lib. 5. c. 3.* rationem hujus prohibitionis in veteri Eccleſiâ fuiſſe iſtam, ut avaritia & ambitio Epiſcoporum coerceretur. Ita enim Concilium Sardicenſe can. 1. *Ne cui liceat Epiſcopo de civitate ſuâ ad aliam tranſire civitatem. manifeſta eſt enim cauſa, qva hoc facere tentat: cùm nullus in hac re inventus ſit Epiſcopus, qvi de majore civitate ad minorem tranſiret, unde apparet, avaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſervire, & ut dominationem agant.* Et Julius I. P. R. *in Epiſt. ad Euſebianos*, qvæ apud Athanaſium extat *apol. 2. Si igitur*, inqvit, *verè parem eundemq; honorem in omnibus Epiſcopis cenſetis eſſe, neqve ex magnitudine civitatum de Epiſcopis judicatis, oportuit eum, cui concredita eſt parva civitas, in eâ, qvæ credita eſt, permanere, & nequaqvam rejectâ concreditâ, ad eam, qvæ concredita non eſt, transvolare: ne eam, qvæ à Deo data eſt, aſpernari, illam verò, qvæ hominum ambitu conceſſa eſt, magni facere videatur.* Anteqvam verò ambitio & avaritia Sacerdotum animos corrupiſſet, non alia videtur permanentiæ iſtius fuiſſe ratio, qvam qvod turpe creditum fuerit, perſecutionis tempore Eccleſiam ſibi concreditam deſerere. Statutum igitur fuit in Eccleſiâ, ut is, qvi presbyter ordinatus aliqvam Eccleſiam ſuſceperat, Eccleſiam perſecutionis & martyrii metu non deſereret, ſed intrepidus & interritus in eâ perpetuò permanere, & perſeverare teneretur.

Qvi propriâ autoritate ſe ad aliam Eccleſiam contulerit, & habitâ carebit & ambitâ. h. d.

§. 3. Ea propter[d] qvicunq; avaritiâ ducti, aut ambitione impulſi, Eccleſiæ ſuæ mediocritate deſpecta, ad majorem ſeſe plebem propriâ authoritate transtulerint, à cathedrâ repelli debent alienâ, & carere propriâ: ut nec illis præſideant, qvos per ſuperbiam ſpreverunt: nec illis, qvos ob avaritiam vel ambitum concupiverunt. Sicut enim vir[e] non debet adulterare uxorem ſuam: ita nec Epiſcopus temerè Eccleſiam, ad qvam electus fuit, relinqvere,

[d] *cap. qvando. ext. eod. tit.*

[e] *canon. ſicut vir. 7. q. 1.*

ut alteri ſeſe conjungat, etiamſi à populo fuerit attractus.

& carere propriâ] Id aliqvando tùm demum obtinuit, ſi in ejus locum jam alius ſurrogatus fuerit, & qvamdiu is vixerit. Locum enim adhuc vacantem occupare & recuperare poterat ipſe, qvi mutaverat. Ita enim Damaſus P.R. in confeſſione fidei ad Paulinum Epiſcopum Theſſalonicenſem apud Theodoretum *lib. 5. c. 11.* *Illi autem, qvi ab Eccleſiis, in qvibus vixerunt, ad alias ſe tranſtulerint, usqve eò ſint à noſtra communione alieni, qvoad ipſas ad urbes redierint, in qvibus erant primùm ad aliqvem honoris Eccleſiaſtici gradum elati. Qvod ſi qvis in alterius locum, qvi ſedem mutavit, cooptatus ſit, tantisper à dignitate ſacerdotali vacare illum, qvi civitatem propriam deſeruerit, decet, dum, qvi ei ſucceſſerit, obdormierit in Domino.*

Qvod conſtitutum eſt in Eccleſiis Epiſcopalibus, trahitur etiam ad Eccleſias inferiores. h. d.

§. 4. Non abſimilis Juris ratio obtinet in presbyteris [f], & cæteris infra Epiſcopalem dignitatem conſtitutis. Nam, ſi vel qvalibet causâ, propriâ qvis authoritate [g] cum altero ſuum beneficium permutare voluerit, uterq; proprii beneficii jacturam faciet. Beneficiorum enim & præbendarum permutationes generaliter fieri prohibentur [h]: præſertim pactione præmiſsâ, qvæ circa ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa, ſemper labem ſimoniæ continet: licet posſitEpiſcopus de uno loco ad alium aliqvos transferre, ut, qvi uni loco minùs ſunt utiles, alibi ſe valeant utiliùs exercere.

f *can. ſicut alterius. in fin. d. 7. q. 1.*

g *cap. cùm olim magiſter. extr. de rerum permutat.*

h *cap. qvæſitum. extra. de rerum permutat.*

Non abſimilis ratio] Proteriores ſunt hodierni Canoniſtæ

niſtæ, qvi ut ambitioni ſacerdotum & ſordibus lenocinentur, neſcio qvam probabilitatem inducunt, ex qvâ Eccleſiæ leges deſvetudine abrogatas perniciosè contendunt. Diſertè Svarez *tom.3. de Relig.lib.1.c.17.n.18. Inferiores paſtores ac Curati, licet ex vi juris videantur immutabilitatem habere, nihilominus conſiderato communi uſu, qvo receptum eſt, ut facilius mutentur, & conſeqventer, ut talia beneficia non aſſumant animo permanendi in illis perpetuo, ſed vel ad alia pingviora aſcendendi, vel renunciandi cum aliqvo emolumento, vel ſimplici penſione ſine obligatione animarum: hoc, inqvam, uſu conſiderato, ſatis probabilis modus loqvendi eſt, qvod iſti non ſtatum aſſumere, ſed miniſterium pro illo tempore habere dicantur* &c. Satis impudenter & impiè.

Propriâ qvis autoritate] Cur verò propriâ autoritate, non, uti inchoari, ita etiam conſummari poteſt tractatus de permutatione? Rationem reddunt, qvia talis permutatio ſemper labem habet Simoniæ. Per conſeqvens autoritas ſuperioris, ſi accedit, ex illicito faciet licitum. Simili ratione ne qvidem coram Ordinario fieri concedunt reſignationem in favorem alterius, ſed coram Pontifice tantùm, qvia ſc. coram ordinario prohibita eſt omnis pactio & conditio in reſignatione tanqvam Simoniaca. Vallenſ. *tit. de renunc. n. 2.* Simoniaca igitur non erit, ſi coram Pontifice fiat, & ſic qvoqve Pontifex Rom. ex illicito faciet licitum. Digna ſunt, qvæ hîc legantur, notata Annæi Roberti ex *lib. 1. rer. jud. c. 7. Canoniſtæ*, inqvit, *& beneficiarii pragmatici duo reſignationum genera diſtingvunt, reſignationes puras & ſimplices & reſignationes in favorem. Illas jure permittente admitti dicunt. Solas autem reſignationes, qvæ in favorem vocantur, illicitas eſſe, contraq; Eccleſiæ inſtituta & Chriſti regulas, imò etiam admixtam habere & implicitam Simoniæ labem. Itaq; has in favorem reſignationes Papa ſolus admittit, qvia ex Canoniſtarum ſententia ſolus Papa de Simoniâ diſpenſare poteſt. Nam qvemadmodum, qvi de furto transigit, infamis eſt; ſi tamen Prætore præſente vel jubente, precio dato paciſcitur, non eſt infamis, propter Prætoris autoritatem: Sic etiam ex ſententia Canoniſtarum, reſignare in favorem, ſolo autore collatore ordinario, ſimonia eſt, ſed qvoties aliqvis ſummo Pontifice autore & adprobante reſignat in favorem, aut de penſione conſtituendâ paciſcitur, facit autoritas Pontificia, ne actus ille ullâ Simoniæ labe infametur. Dixerim, ſalvâ ſedis Apoſtolicæ veneratione, indignum eſſe, ibi demum diſciplinæ Eccleſiaſticæ regulas ullâ diſpenſatione violari, ubi puriſſimum fidei Chriſtianæ ſplendorem elucere convenies eſſet. — — Anidem dicemus de ſummo Pontifice, qvod Dionyſius Halicarnaſſeus dixit, veteres illos Reip. Rom. Pontifices fuiſſe* ἀνυπευθύνους, ἀδὲ βαλῆ λόγον ἀποδιδόντας, ἀδὲ δήμῳ, *ut nullius à ſe aut dicti aut facti rationem* redde-

reddere tenerentur ? Qvin potius admiramur ſolemne dictum Pontificis Pii qvinti, qvem ætas noſtra vidit pietatis laude inſignem, & ſanctis moribus integerrimum. Is cùm indignè ferret reſignationes iſtas in Curiâ Romanâ admitti, imò nullibi præterqvam in Romanâ Curiâ, velletq; omnes eas, qvæ in favorem vocantur, reſignationes tollere ac rejicere, accurrunt ſtatim & advolant pragmatici Curiæ Romanæ, imò tineæ ac ſorices palatii Eccleſiaſtici : Hoc erit (inqviunt) deſtruere curiam : Satius eſt, reſpondit Pontifex, deſtruere curiam & adſtruere Eccleſiam. &c. Hactenus ille. Notant verò Doctores Pontificii, poſt conſtitutionem Pauli IV. Pontificis & decreta Concilii Tridentini, nec apud Pontificem valere hodiè amplius reſignationes in favorem, niſi ſub iſtâ formâ, ut, poſtqvam fuerit nominata perſona, in qvâ fit renunciatio ſub tertiâ vel qvartâ parte fructuum pro penſione, ſtatim renuncians totum negocium committat arbitrio ſedis Apoſtolicæ, & ſic tales renunciationes admitti. Didacus Spino à Caceres *in ſpecul. teſtam. gloſſ. 3. princip. n. 26.*

Beneficiorum enim & præbendarum permutationes] Optimè ſe res Eccleſiæ haberent, ſi permutationes ejusmodi adhuc prohibitæ eſſent omninò. Priſca enim ſeveritas commercii hoc genus ferre non poterat, qvod hodiè utilitatis velamento adumbrari plerumq; ſolet.

Si permutatio beneficiorum completa eſt ex una parte, & per alteram ſtat, qvò minùs impleatur, reſtituitur pars ad ſuum beneficium. h. d.

§. 5. Subventum[a] tamen eſt ei, qvi de permutatione cum alio habito tractatu, præbendam ſuam cùm reſignaſſet, ab alio, qvi cum permutationis tractatum habuit, & qvi poſtea ſuam reſignare recuſat, deceptus eſt : cùm enim deceptis, & non decipientibus Jura ſubveniant, licet is, qvi renunciaverit, à ſe beneficium abdicaſſe videatur, tributa tamen eſt ſimplicitati venia, conſtitutumq;, ut ad reſignatum beneficium reverti poſſit.

a *c. cùm univerſorum. extra. de rerum permutat.*

Sub-

Subventum tamen est] Subveniri non debuisset tali nundinatori.

cum resignasset] Resignationem sive ejurationem beneficii Canonistæ vel simplicem statuunt, vel ex causâ permutationis. Per illam ad Episcopum redire dicunt potestatem conferendi beneficium resignatum, cuicunqve libuerit. Hâc verò tolli, ajunt, Episcopi libertatem, ut non aliis, qvàm ipsis ejurantibus conferre beneficia resignata possit. Clementin. *de rer. permut.* Qvod si igitur altero resignante, alter resignare nolit, qvia deceptus creditur ille, regressum ei concedunt ad pristinum beneficium. Qvin & si qvis extra casum permutationis, in favorem alicujus resignaverit, non tenere eam resignationem, contendunt. Vid. Augustin. Barbosa *ad c. ex parte 12. X. de offic. & potest. jud. deleg. n. 8.* nisi resignatio facta fuerit autoritate Pontificis, uti modò dictum. Euge, qvam bellè commercia sua instituit nundinatrix Roma! Satius verò esset nullos planè tractatus aut conventiones de permutatione beneficiorum permittere, qvàm novis eas legibus fovere & temperare. Utcunqve enim Episcopi interveniat autoritas, probari tamen neqvit privatorum ista circa officia divina conventio. *Meminit Tertullianus* (verba sunt supra citati Annæi Roberti *l. 1. rer. jud. c. 7.*) *Socratis Græci & Catonis Romani, qvi Uxores suas amicis communicaverunt. Sic & Ammianus Marcellinus refert, Sarracenos habuisse Uxores precarias, atq; eas datâ acceptâve mercede ad tempus conduxisse. Hos ergo neqvitiæ suæ patronos advocent isti viles, profani & simoniaci rerum divinarum negociatores, dum promiscuis resignationibus beneficia & Ecclesias, qvæ Prælatorum spirituales sunt Uxores, avarâ nundinatione mercantur, & mutuâ fide habitâ inter se communicant.*

Collatio de beneficiis causa permutationis vacantibus, facta aliis, qvàm permutantibus, non tenet. h. d.

§. 6. Et generaliter, ne concessione Juris utentibus, præsertim circa spiritualia, illudatur, si qva beneficia ex causa permutationis aliqvibus resignata, aliis, qvàm ipsis permutare volentibus, conferantur, nullius firmitatis erit ipsa collatio.

nullius

nullius firmitatis erit ipsa collatio] qvare? qvia ita deciperentur resignantes. At enim ut contractus, cæteroqvin minus honestus, autoritate tamen superioris initus consistat, modis omnibus cavet aula Romana.

Non obstantibus expectationibus, beneficiorum permutatio fieri potest. hoc dicit.

b *cap. unico. de reuñ permut. in 6.*

§. 7. Qvinimmò [b] si in diœcesi aliqva qvidam fortè authoritate Apostolica beneficia proximè vacatura expectent, illi tamen, qvi secundum formam Juris sua beneficia in eadem diœcesi ad ordinarii collationem spectantia, liberè ac sine fraude in manibus Episcopi resignaverint, non nisi ex causa permutationis resignaturi, ab hujusmodi expectantibus circa faciendam permutationem minimè impedientur.

minimè impedientur] h.e. expectativa gratia per Pontificem alicui concessa non attingit ea beneficia, qvæ ex causâ permutationis vacant, sed ea tantùm, qvæ liberè vacant, adeoq; in hæc tantùm, non in illa surrogari poterit, qvi tali expectativâ donatus est. Qvid de gratiâ ejusmodi expectativâ sentiendum sit, dicemus infra *ad tit. 27.*

DE RENUNCIATIONE,

TITULUS XIX.

Qvid sit Renunciatio, & qvibus ex causis possit renunciari. h. d.

§. 1. Per Renunciationem qvoq; qvis ab Ecclesia sua removetur. Est autem Renunciatio, juris proprii spontanea refutatio. Ea verò, propter qvæ Episcopus

Digitized by Google

pus poteſt cedendi licentiam poſtulare; hæc fermè habentur [c]: conſcientia criminis, debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, grave ſcandalum, & irregularitas perſonæ.

c *c. niſi cùm pridem. ext. eodem titul.*

ſpontanea refutatio] Refutationis vocabulum in materiis feudalibus occurrit, non aliàs. Et Feudiſtæ communiter iſtud explicant per renunciationem; Autor hîc è contrario renunciationem per refutationem, vocabulum perſpicuum per obſcurum.

Qvale debeat eſſe crimen, ob qvod renunciari poſſit. h. d.

§. 2. Propter [d] conſcientiam criminis, cedendi poteſt licentia poſtulari, non cujuslibet, ſed duntaxat illius, propter qvod ipſius officii executio poſt peractam pœnitentiam impeditur.

d *d. c. niſi. §. propter. extr. eodem. titul.*

non cujuslibet] Nam ſi, qvos cujusvis culpæ conſcientia arguit, inqvit Pontifex *c. 10. X. h. t.* omnes cederent, pauci aut etiam nulli in miniſterio remanerent.

ipſius officii executio] Exemplum dant de Simoniaco & homicidâ ex *c. inqviſitionis 21. X. de accuſat.* Integrum catalogum delictorum Clericalium ex canonibus Apoſtolicis recenſet Claudius Eſpencæus *lib. 3. digreſſ. c. 8.* Qvod ſi propter illorum conſcientiam cedere deberent Clerici ſtatione ſuâ, qvis erit, qvi remanere poſſet?

poſt peractam pœnitentiam] At ſi pœnitentia meritoria eſt, ut falsò contendunt Canoniſtæ, ſi per ſatisfactionem tantum reſtituitur, qvantum ſatis eſt ad injuriam compenſandam, qvomodo crimen per pœnitentiam extinctum impedire poterit officii executionem?

Qvæ debilitas corporis renunciandi cauſam præbeat. h. d.

§. 3. Non abſimilis [e] Juris ratio in debilitate corporis obtinet: nam non qvælibet; ſed ſolùm illa legiti-

e *d. c. niſi. §. alia verò.*

mam renunciandi præſtat cauſam, per qvam qvis ad exeqvendum officium Paſtorale redditur impotens: cùm interdum non plus hortetur ſenilis debilitas aliqvem cedere, qvàm maturitas, qvæ in ſenibus eſſe ſolet, qvem in ſuo ſvadeat officio permanere.

renunciandi præſtat cauſam] Renunciationis hoc caſu, niſi fallor, rara extiterunt exempla, & tum renunciantibus nihilominus ex reditibus Eccleſiaſticis neceſſaria ſubminiſtrata fuérunt. Plerumqve autem paſtoribus ætate aut valetudine malè affectis, eorum officium vicini interim explebant. Qvod ſi nulla ſpes erat recuperandarum virium, coadjutores dabantur utplurimum. Ad ceſſionem autem nemo compellebatur, qvod & iniqvum id videretur, & periculoſum, ne deterriti alii Eccleſiaſtica officia planè non appeterent, nec acceptarent.

qvam maturitas] Alexander III. Pontifex dimittere noluit Londonenſem Epiſcopum, etſi hic ſenectutem & inſufficientiam cauſatus fuiſſet, ſed voluit, ut Eccleſiam gubernare pergeret, qvia vergente deorſum conditione corporea, fervor ſpiritus in ſublimiora conſcendere ſoleat, *c. 1. X. h. t.*

Magnus defectus ſcientiæ tribuit legitimam cauſam renunciandi. h. d.

§. 4. Propter[a] defectum qvoq; ſcientiæ plerunq; poteſt qvis petere ceſſionem: qvia cùm illa circa ſpiritualem adminiſtrationem ſit potiſſimùm neceſſaria, & circa curam temporalium opportuna, Præſul, qvi in utrisq; commiſſam ſibi debet Eccleſiam regere ſalubriter, ei renunciat, ſi qvo modo ipſam regere debeat, ignoret. Qvanqvam autem deſideranda ſit eminens ſcientia in Paſtore, in eo tamen mediocris

[a] *d. c. niſi. §. pro defectu.*

tolerari

tolerari poteſt : qvia imperfectum ſcientiæ poteſt ſupplere perfectio charitatis.

poteſt ſupplere perfectio charitatis] Charitas nunqvam ſupplere poteſt id, qvod ad regimen Eccleſiæ conferre debet ſcientia. Nec enim voluntas hominis intellectûs munia occupat. Et refert Sozomenus *lib. 4. c. 23.* Neonem Seleuciæ Urbis Iſauriæ Epiſcopum abdicatum fuiſſe, qvod nonnullos ſacrarum literarum legumqve Eccleſiæ ignaros Epiſcopos conſtituiſſet. Charitas inſuper humana, qvantacunqve ea fuerit, tota eſt imperfecta, & modis omnibus corrupta atqve depravata. *Non opto polyhiſtoras,* inqvit Claudius Eſpencæus *l. 3. digreſſ. c. 9. vel certè non ſpero, at multo minus admitto idiotas. -- -- Qvid ergò proderit, ſi cui vel exhortandi bonos vel caſtigandi malos cura commiſſa eſt, benè vivendo bonis imitandum ſe exhibeat, & malos tacendo non corrigat? qvia ad hoc eſt Eccleſiæ DEI præpoſitus, ut non ſolùm benè vivendo alios exemplo ſuæ converſationis inſtituat, ſed etiam fiducialiter prædicando ſingulis ſua ante oculos peccata conſtituat. Et ſanctè igitur vivere debet propter exemplum & docere propter officium* &c.

Malitia plebis juſtam tribuit renunciandi cauſam, item vitatio ſcandali hoc dicit.

§. 5. Propter malitiam [b] qvoq; plebis cogitur interdum Prælatus ab ipſius regimine declinare: veluti, qvando plebs tam duræ cervicis exiſtit, ut apud ipſam amplius proficere non poſſit. Item pro gravi ſcandalo [c] vitando, cùm aliter ſedari non poteſt, licet Epiſcopo petere ceſſionem, ne plus temporalem honorem, qvàm æternam videatur affectare ſalutem.

b *cap. niſi. §. propter malitiam.*

c *d. c. niſi. §. pro gravi.*

Propter malitiam qvoq;] Non arbitror ſufficientem hanc eſſe cauſam renunciationis. Optimè Chryſoſtomus *in cap. 2. ad Gal. Noli,* inqvit, *cum Orbem Terræ ſalvum facere non poſſis, etiam parva contemnere,*

neq; majorum desiderio à parvis te abstrahas. Si centum neqvis, decem curam suscipias; si decem non possis, noli qvinq; despicere; si qvinq; vires tuas excedunt, unum ne contemnas. Qvod si ne hoc qvoqve possis, noli desperare, noli labori cedere, &c. Invenio tamen exempla factæ propter istam causam renunciationis. Et refert Theodorus Lector Martyrium Antiochenum Episcopum Ecclesiæ suæ renunciasse: *Antiochiam verò reversus*, inqvit, *cum Antiochenos tumultuationibus & seditionibus delectari cerneret, episcopatui renunciavit, dicens in Ecclesiâ: Clero immorigero & populo rebelli & Ecclesiæ contaminatæ renuncio, servatâ interim mihi sacerdotii dignitate.*

Pro gravi scandalo vitando] Neqve hæc qvidem indistinctè sufficiens causa renunciationis videtur. Debet enim præsul scandalis monendo, dehortando & qvibuscunqve aliis modis detrahere. Atqve id si fecerit, officio suo defunctus est, cætera DEO committere debet. Qvod si Episcopus ipse scandalum dederit, & ex hoc populum sibi minimè faventem aut morigerum habet, eo casu rectius fecerit, si Episcopatu cedat. Ita Maximianus Bagajensis Episcopus ex Donatistarum schismate ad Ecclesiam catholicam conversus, cum pacificè à populo haud reciperetur, bono pacis consulens, ipse Episcopatu cedendum existimavit, deq; eâ re literas ad synodum misit, qvibus annuentes Milevitani patres spontaneam illius abdicationem admiserunt atqve in ejus locum alium, Castorium fratrem ipsius, subrogárunt, ad qvem extat epistola Augustini & Alypii 238. qvæ laudes continet se abdicantis Maximiani.

Ob irregularitatem potest renunciari. h. d.

d *d. cap. misi. §. persona.*

§. 6. Item [d] ob irregularitatem: puta, si sit bigamus. Qvòd si fortè de legitimo matrimonio non sit natus, licet hujusmodi irregularitatem subticere non potuerit, si tamen & culpa latet, & causa, cum eô, qvi suum laudabiliter implevit officium, injuncta sibi competenti pœnitentia, poterit non minùs utiliter, qvàm misericorditer dispensari.

puta si bigamus] dicam infra ad tit. *qui promoveri non poss. §. item*

Digitized by Google

item repellendi sunt &c. Qvid autem sit irregularitas, explicabitur infr. *lib. ult. tit. ult.*

non sit natus] Natalibus illæsum esse debere Episcopum dixit supra *tit. 7. §. oportet autem* &c. Unde si alicui certum decerni sacerdotium rescripto Pontificio mandetur, id ita semper intelligi solet, si ex justis ortus sit natalibus, Bald. *ad l. neq; in fin. C. de probat.* Fuisse tamen identidem tùm in Episcoporum tùm in Cardinalium ordinem receptos illegitimos, imò & Pontifices creatos notat Gabriel Palæotus *de noth. spuriisq; cap. 57.* Sed nec in veteri qvidem Ecclesiâ tàm curiosè & sollicitè in natales inqvisitum fuit. Disertè Hieronymus : *Sicut Christus est verus Pontifex ex adulterinis natus conjunctionibus : ita qvalicunq; ordine natus sit aliqvis, tamen ut perfectam fidem habeat, — — neqvaqvam à sacerdotio repellitur.* ap. Gratian. *c. 8. dist. 56.*

subticere non potuerit] Hoc difficulter persvadebitur Moralistis, qvi negant, denunciare qvem semetipsum debere. Vid. Thom. Hurtado, *tr. 4. c. 8. resolut. 28.* Et qvid opus erit manifestare istud, propter qvod nullam qvis patitur officii jacturam ? cum & aliàs de occultis non judicet Ecclesia.

& culpa latet & causa] Culpa, qvod reticuit, causa, qvod spurius sit.

competenti pœnitentiâ] Id semel monuisse sufficiat, pœnitentiæ & satisfactioni humanæ ab Canonistis & Pontificiis meritorium tribui effectum, sed perperam & ex arrogantiâ minimè ferendâ.

Gratiâ laboris fugiendi non potest renunciari. h. d.

§. 7. Cæterùm [c] ob alias causas renunciationem affectantes, audiendi non sunt : dum fortè aliqvi laboris angustias declinantes, ad ocium adversus gloriosi Pontificis exemplum, aspirare contendant.

[c] *d. cap. nisi. §. verum.*

laboris angustias declinantes] Ita Bernardus ad eum rescribens, qvi Ecclesiam suam, cui præerat, relinqvere ideò volebat, ut Hierosolymam pergeret. *Qvâ ratione*, inqvit, *cunam tibi creditam animarum exponere debeas, omninò non video. Qvid enim ? blanditur depositæ sarcinæ libertas,*

tas, sed charitas non qværit, qvæ sua sunt: Fortè qvietis provocat, & ocii gustus svavior, sed evacuatur dispendio pacis. Alligatus es Uxori, noli qværere solutionem. Epist. LXXXII. Extat tamen exemplum in actis Ephesinæ Synodi III. Oecumenicæ de Eustathio Pamphyliæ provinciæ metropolitano, qvi curas molestiasqve, qvas Episcopale munus adferebat, non ferens, libello, qvo abdicationis causæ continebantur, oblato, ab Episcopatu ultrò se abdicavit, & ut legitur in Epistolâ Synodicâ Concilii Pamphyliæ, ubi à qvibusdam turbatus est, & in solicitudines inexpectatas incidit; & cum præ multo otio, pondus curarum sibi impendentium ferre non esset assvetus, nec valeret convitia insidiantium repellere, cessionis suæ obtulit libellum.

adversus glorioſi Pontificis exemplum] Refertur de Martino Pontifice, qvod, cùm cœpisset viribus corporis repentè destitui, dixerit: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.

Episcopus, qvi semel ad vitam Monachalem transivit, non potest rursus ad Episcopalem dignitatem reverti. h. d.

§. 8. Accidit autem interdum, ut Episcopus humilitatis, & pœnitentiæ causa ab Ecclesia sua removeatur. qvod tunc contingit, cùm qvis Apostolica concessione ab Episcopali sede ad Monachalem descendit subjectionem: Qvo casu alius in locum ejus subrogari poterit, ille verò resurgere, Constantinopolitano [f] concilio vetante, neqvaqvam valebit.

[f] *can. hoc neqvaqvam. 7. q. 1.*

humilitatis & pœnitentiæ causa] Hæc verba sibi invicem declaratoria esse existimo, sed qvorsum tùm opus erit Apostolicâ concessione? In pœnis inferendis concessio ista locum non habet; Sed tùm demum videtur habere, qvando Monachatus eligitur, ut qvieti qvis tradere se possit. Aliud autem est pœnitentiæ agendæ, aliud qvietis obtinendæ causâ Episcopatum dimittere.

ad monachalem deſcendit ſubjectionem] De monachis, & qvid de eorum statu sentiendum, dicemus ad *tit. ult. huj. libri.* In nostris

noſtris Eccleſiis, cùm monachos nec habeamus, nec habere velimus, qvæſtio iſta nullius eſt momenti.

neqvaqvam valebit] Si qvis ex ſtatu Monaſtico revertus noſtræ ſe Eccleſiæ addixerit, non iniqvi ſumus, ut Epiſcopatui præficiatur, dum tamen aliàs habilis fuerit & idoneus. Nec rationem video, qvare Monachus, qvi Epiſcopus nunqvam fuit, fieri poſſit Epiſcopus *c. ſtatutum eſt 18. q. 1.* Monachus autem, qvi Epiſcopus antea fuit, Epiſcopus denuò fieri neqveat. Qvod enim hîc de ſubjectione Monachali dicitur, ac ſi ex præfecto factus ſubjectus, præfici porrò neqveat, nullam video ſubjectionem magis habilem ad Epiſcopatum in monacho, qvi nunqvam fuit Epiſcopus. Nec terrere nos poteſt autoritas Concilii Conſtantinopolitani, qvod hîc citat autor, & Gratianus *c. hoc neqvaqvam 7. q. 1.* Sufficit enim ex mente ipſorum Pontificiorum regerere (κατ' ἀνθρωπον ſcilicet, cùm aliàs de autoritate ejus disputare nunc opus non ſit) conciliabulum id fuiſſe & reprobatum. Et de canone ipſo notare verba Franciſci Longi Coriolani, qvi *in ſumm. Concil. p. 435.* ita ſcribit: *Hic non prætereundum, qvod Gratianus malè conſultus Canonem hunc tanqvam ex legitimâ octavâ ſynodo deſcripſit totidem verbis in libro Decretorum, qvi planè odio Photii impoſtoris fuerat exſufflandus.* Sed canonem eundem qvoad ſenſum deſcripſit Innocentius III. Papa c. 11. X. h. t. Numqvid ergo & ille erit malè conſultus? Aut ſi Innocentius ideò reprehendi non poteſt, qvia canonem iſtum vindicavit Concilio Conſtantinopolitano alicui priori, numqvid peccàvit Concilium poſterius, qvod eundem canonem repetiit, aut Gratianus, qvod non ex priore, ſed poſteriore concilio eum adduxit, cujus tamen ſententiam nemo hactenus expungere aut negare auſus fuit Canoniſta. Planè non de Concilio tantùm ipſo nondum res deciſa eſt, ſed etiam de ſenſu & interpretatione canonis, uti id notat Claudius Eſpencæus *l. 3. digreſſ. c. 12.* cùm alii intelligant de Epiſcopo propter crimen depoſito, alii explicent de reſurrectione aut reſtitutione, ab ipſo Epiſcopo tentatâ, ita ut per ſe qvidem Epiſcopus talis reſurgere neqveat, poſſit tamen eligi & reſtitui ab aliis. Primi ad ſubjectum, ſecundi ad prædicatum canonis reſpiciunt, ne cum eo pugnent exempla Epiſcoporum, qvi ad ſtatum monaſticum & ex hoc iterum ad Epiſcopatûs tranſierunt. Nec ipſe Pontifex, qvi iſtum diſſenſum refert *c. 11. X. h. t.* rem definit, ſed in dubio relinqvit.

Impeditus adminiſtrare Epiſcopatum, & propterea factus monachus, ceſſante impedimento, poteſt reverti ad Epiſcopalem dignitatem.

§. 9. Cæterùm[g] ſpeciales qvidam caſus inveniuntur, in

[g] *c. poſt translationem.*

§. cæterùm. extra. eod. tit. de renunt.

in qvibus, prædictò concilio non obstante, is, qvi vitam monachalem elegit, rursum licitè potest ad Episcopatum assumi : Si enim qvis, persecutionis rabie sæviente, vel præpeditus adversâ valetudine corporis, cùm proficere neqveat in regimine pastorali, de superioris authoritate ad monasticam vitam descendat : persequtionis vel ægritudinis impedimento cessante, ad Episcopalem poterit resurgere dignitatem. Idem Juris est, si qvis propter literaturæ defectum, locum regiminis deserens, authoritate Apostolicâ ad ocium se contulerit monachale : nam si per exercitium lectionis, scientiæ reperit margaritam, procul dubio denuò vocatus ad Cathedram Pastoralem, redire poterit.

prædicto concilio non obstante] At si verum est, concilii canonem intelligi debere de Episcopo, qvi propter crimen renunciavit Episcopatui, uti pleriqve omnes explicant Canonistæ, & ipse mox Autor §. *seq.* nullo modo ille exemplis his obstare poterit. Nec proinde speciales hi erunt casus, qvi exceptionem facere possint regulæ. Videtur autem Pontifex, qvi in dicto *cap. 11. X. h.t.* casus istos recenset, latiorem canonis intellectum præsupposuisse, atqve hodiè admittitur, & tùm haud frustrà dicetur obstare, nisi casus hîc enarrati facerent exceptionem. Cæterùm rectè notat Aqvinas, peccare Episcopum, qvi nullo cogente impedimento ad religionem monasticam transit. Dicit, Episcopalem statum monastico multò perfectiorem esse, & uti non liceat de hoc ad seculum remigrare, ita neqve ab illo ad hunc licere ut minus perfectum transire. hoc enim esse retrò aspicere. Et hinc retrocedere Episcopum, qvi, dum pluribus utilis est, suæ tantùm vult intendere saluti.

Asse-

igitized by Google

Assecutus Episcopatum simoniacè, sed ignoranter, si fiat postea regularis, licet ad primum reverti non possit, alium tamen Episcopatum consequi potest.

§. 10. Rursus [a], si qvis inscius cupiditate parentum fuerit Episcopatum adeptus, & hoc comperto de licentia superioris illum dimittens, observantiam elegerit regularem, etsi ad Ecclesiam eandem redire neqveat, ad aliam tamen promoveri poterit, Constantinopolitani Concilii constitutione non obstante: qvam tunc obtinere oportet, cùm pœnitentiæ causa, qvam Episcopatum retinens peragere non valebat, vitam qvis elegerit monachalem.

a *d. cap. post translationē. §. rursus. eod. tit.*

cum pœnitentiæ causâ] At illi qvoqve pœnitentiâ opus est, qvi ex defectu scientiæ Episcopatum relinqvit. Et hic tamen recuperare eum poterit, ubi doctior evaserit. Ponamus verò, Episcopum in statu Episcopali pœnitentiam injunctam peragere non posse; num eâ peractâ nullus ei dabitur ad Episcopatum regressus? At supra dixi, ex mente ipsorum Canonistarum expiari prorsus crimen per pœnitentiam.

Ad eum fieri debet renunciatio, ad qvem spectat confirmatio. h.d.

§. 11. Abbas [b] qvoqve, qvi Romanæ immediatè subditus est Ecclesiæ, nisi licentia à Romano Pontifice legitimè impetrata, sui regiminis oneri renunciare minimè poterit: qvòd si Episcopo subjectus sit, cum ejusdem permissione locum suum licito jure poterit relinqvere. Et hoc generale est in præbendis, & cæteris minoribus beneficiis, ut apud eum fieri

b *cap. fin. ubi Gloss. extra. eod.*

Digitized by Google

debeat renunciatio, ad qvem pertinere dignoſcitur confirmatio: ex qvo apparere poteſt, qvòd reſignatio facta laico [c] nullam juris obtinet firmitatem.

[c] *cap. qvid in dubiis. extr. eod. tit.*

qvi Romanæ immediatè ſubditus eſt Eccleſiæ]

Exemptum aliàs vocant, qvod Epiſcopi ſubjectione ſe liberaſſet. Et antiqvitùs qvidem exemptio talis ignota prorſus erat, & hierarchiæ Eccleſiaſticæ viſa planè contraria; poſtea autem à Pontificibus rem eam maximè deſiderantibus & urgentibus peti cœpérunt privilegia, qvibus obtentum id fuit, ut & tyrannis papalis ſtabiliretur, & Epiſcoporum poteſtas tanto magis attenuaretur. Adſcribere lubet verba Petri Svavis *ex hiſtor. Concil. Trident. lib. 2. Hac adminiſtrationis forma* (inqvit, qvâ ſc. presbyter Epiſcopo, Epiſcopus Metropolitano, & hic patriarchæ ſubjectus eſt) *in Eccleſiis orientalibus ſemper obſervata, hac occaſione in Eccleſiâ Latinâ mutationem paſſa eſt, qvod multis & ſumptuoſis monaſteriis fabricatis, eorumq; cura Abbatibus, excellenti famâ, doctrinâq; Viris commiſſa, qvorum illuſtres virtutes Epiſcoporum nomini caliginem offundebãt, ortaq; inter utrosq; ob eam cauſam æmulatione, Abbates, ut ſe his incommodis ſive veris ſive fictis liberarent, ſimulq; ambitionem ſubtrahendi ſe à ſubjectione debitâ occultarent, à Pontificibus Romanis impetrárunt, ut in tutelam D. Petri admitterentur, & ſub ſcuto autoritatis Pontificiæ immediatè deliteſcerent. Id autem cum Curiæ Romanæ commodo ceſſiſſet, qvippe qvod, qvi privilegia obtinent, ad eadem conſervanda concedentis autoritatem tueri tenentur, extemplo monaſteriis omnibus datæ exemptiones. Cathedralium etiam Eccleſiarum capitula, qvæ maximam partem erant regularia, iisdem obtentibus impetrárunt immunitatem. Congregationes demum integræ Cluniacenſis & Ciſtertienſis pari exemptione donantur, magno autoritatis Pontificiæ incremento, dum Pontifices ubiq; locorum ſibi comparant clientes & ſubditos peculiariter addictos, ſolius Papatûs tutelâ ac protectione ſubnixos, iisq; viciſſim ſeſe præbent patronos ac defenſores. Hoc qvidem conſtat, D. Bernhardo, qvi tùm temporis floruit, & Ciſtertienſis ipſe ordinis erat, inventionem eam minimè probatam, imò ab eo monitum Eugenium III. Pontificem Romanum, abuſus eſſe & corruptelas, remq; malè ſe habere, cum Abbas Epiſcopo ſubjici, aut Epiſcopus Metropolitano recuſat. Eccleſiæ militanti exemplum à triumphante petendum, nullum autem angelum unqvam dixiſſe, ſe velle archangeli imperium detrectare* &c. Qvantos verò ea res in Concilio Tridentino excitaverit motûs, exponit idem Svavis *lib. 8. hiſtor.* Cæterùm, qvod de Bernhardi monitione

tione & qverelis dixit Svavis , videri ille poterit *l. 3. de consider. ad Eugenium*, ubi absurda , qvæ ex istâ exemptione nascuntur, prolixè exponit. Sed & monachis ipsis exemptionem istam , & qvæ inde jactabatur , libertatem acerbè exprobrat, *epist. 179. 180.* Post eum Johannes Sarisberiensis *Policrat. l. 7. c. 21.* & Petrus Blesensis *ep. 68.* eandem qverelam movérunt , & inversum hunc Ecclesiæ ordinem suo seculo anxiè deplorárunt. Secutus sub Clemente V. magnus ille JCtus Gulielmus Durandus, natione Vasco, Episcopus Mimatensis , Speculator aliàs dictus. Huic cum à Clemente injunctum fuisset, ut colligeret ea , in qvibus necessaria ipsi videretur reformatio, eum in finem, ut in concilio generali, qvod tùm meditabatur Pontifex, proponerentur, non omisit, exemptiones tales diu jam usitatas perstringere. Et primum qvidem probat , Pontificem non posse invertere ordinem à Conciliis antehac constitutum. Deinde ostendit , nec expedire qvidem statui universalis Ecclesiæ, nec religioni, nec ipsis personis religiosis. Videri poterit ipse in libro, qvem ad mandatum Pontificis scripsit *de modo concil. gener. celebr. tit. de Exemptionibus.*

dignoscitur confirmatio] Uti enim Clericus beneficium Ecclesiasticum neqvit impetrare sine institutione Episcopi *c. 1. de institut. in 6.* ita nec facultatem habet Clericus illud beneficium sine licentiâ dimittendi.

resignatio facta Laico] qvod ampliant Interpretes , etiamsi Laicus ille in Ducali, Regali , aut Imperiali dignitate fuerit constitutus. Sed falsò & ex principio verè AntiChristiano, qvòd Principibus nulla in Ecclesiam nec ministros Ecclesiæ competat potestas. Potest igitur & tenetur Episcopus renunciare coram Principe, aut Consistorio Ecclesiastico personam ejus sustinente.

Papa potest renunciare Papatui. h.d.

§. 12. De Romano [d] Pontifice qvæsitum est , an, qvia nullum habet superiorem in cujus manibus renunciari possit, Pontificatui ex causa cedere valeat: & super hoc Cœlestinus qvintus hæsitationis cujuslibet volens occasionem amputare , statuit & decrevit, Romanum Pontificem posse liberè resignare.

[d] *cap. 1. de renunciatio. in 6.*

Cœlestinus qvintus] Occasionem ejus constitutionis enucleatè exponit Philippus Mornayus *in myster. iniqvit. p.m. 388. In primo*, inqvit, *Consistorio* (Cœlestinus V. qvi antea fuerat Eremita) *Ecclesiam Romanam reformandam sibi proponens, se Christi exemplo asino vehi velle, ostendit, Cardinalesq; idem facere, qvod ab eorum moribus valde alienum: Exinde igitur, si qvando per inexperientiam in lapsûs pueriles incideret, ipsi gaudere & ludos facere, ut, qvàm necesse esset alium deligi, nemo non cognosceret. Ipse vero has technas subodoratus, impositi muneris tædere, eo sublevari cupere, qvanqvam Carolus, ut Pontificatum retineret, omnibus rationibus hortaretur. -- -- Ars tandem Cardinalis Benedicti pervicit: Romam enim reverso, Benedictus juris Canonici callentissimus, multas ei in animum cogitationes ingerit, qvibus muneris sui onus repræsentat: de animabus totius mundi rationem reddere qvanti sit oneris, proinde qvam periclitetur ejus salus, si per ætatis infirmitatem, aut per imperitiam Ecclesia Christiana detrimenti aliqvid accipiat; Qvin & nonnullos subornat, qvi noctu clanculum, immissâ per canaliculum in aurem ipsius voce, eum qvasi cœlitùs admoneant: Cœlestine, Cœlestine dimitte Papatum, si vis salvus fieri, negocium supra vires est: ut se ab angelo compellatum putaret. Qvare homo simplicior id tantùm cogitare, ut sibi Pontificatum abjicere liceret, eximeretur modo illi scrupulus, utrum salvâ conscientiâ possit, qvem Benedictus facilè sustulit, multisq; rationibus adductis, Decretalem sanciri pervicit: Romanum Pontificem posse liberè resignare. Sicq; Cœlestinus eo onere levatus sex tantùm menses sede potitur: Benedictus vero in ejus loco collocatur, qvi Bonifacius VIII. Et hic porro non diu moratus similem decretalem edit, qvæ habetur in sexto: Qvod Papa papatui liberè renunciare potest. Sed Cœlestino mortuo contrariam evincit: Qvod Papatui renunciare, scelus inexpiabile, Papæ papatum abdicare nefas esse, iisdem Cardinalibus idem suis suffragiis affirmantibus & negantibus.* &c. Hactenus Mornaius. Meminit etiam Platina in ejus vita, sollicitatum eum à Cardinalibus Papatui renunciasse ideò, qvod propter ejus imperitiam Ecclesiæ periculum imminere dicerent. At profectò non fuit hæc ex principiis Pontificiorum causa sufficiens. Dum enim statuunt, Papam non eligi à Cardinalibus, sed tantum designari seu nominari, Theoph. Raynaud. *de coron. p. 344.* dum statuunt porrò, etiam in umbrâ Petri, h.e. tali Pontifice, qvi à Petro moribus differt, sedem Apostolicam conservari, Fr. Long. à Coriolan. *in summ. Concil. prælud. 10. assert. 1.* iniqvè fecérunt Cardinales, qvi autores fuerunt renunciationis.

Per procuratorem renunciari potest, & qvatenus valeat renunciatio facta à procuratore revocato. h. d.

§. 13. Potest [c] autem qvis non solùm per semetipsum resignare, verùm etiam per procuratorem: qvi, si ad cedendum Pontificali aut alii cuilibet dignitati, vel beneficio, sponte ac liberè constitutus fuerit, si postmodum ignorans revocatus fuerit, tenebit cessio per eum facta, anteqvam ad ipsius procuratoris, vel illius, in cujus manibus cesso fuerat facienda, notitiam revocatio hujusmodi fuerit deducta: nisi fortè per ipsos, aut alios dolo malo factum fuerit, qvò minùs ad eos, vel eorum alterum ante cessionem revocatio perveniret.

c *clem.un. eodem tit.*

tenebit cessio] Speciale hoc esse in procuratore constituto ad resignandum beneficium, post Cravettam notat Franciscus Cardinalis Mantica *l.7. lucubrat. Vatican. tit.21. n.37.* Aliàs enim generaliter verum esse nullum actum, qvi citra consensum domini effectum sortiri neqveat, à procuratore revocato fieri posse, etiamsi ignoraverit, se fuisse revocatum. Atqve id exemplificat circa procuratorem constitutum ad translationem dominii, item, ad matrimonium contrahendum &c.

Qvi impetravit cedendi licentiam, compellitur renunciare. h.d.

§. 14. Aliud juris est, siqvi cedendi licentia cum instantia postulata, atq; ea obtenta, levitate fortè cedere prætermittant: eos enim ad cedendum compellendos esse, generali Concilio [a] statuitur.

a *cap.qvidam cedendi. ext. eod. tit.*

Aliud juris est] Non est aliud. Utrobiq; enim cessio tenet, & tàm præcedente casu, qvam hoc ipso compelli renuncians debet ad cedendum.

compellendos esse] Notat Barbosa *ad c. 12. X. h. t.* id qvidem obtinere etiamnum in Episcopis, non verò in iis, qvi habent beneficia inferiora, nisi consensus præstitus fuerit in Camerâ vel Cancellariâ. Sed enim recolendum hîc est, qvod supra dixi, non esse facilè deserendum Episcopatum, nec proinde licentiam facilè dandam. Seqvitur ergò, etiam impetratâ licentiâ relinqvendum Episcopum potius muneri suo, qvod deserere voluisse pœnitet, qvàm ut licentiæ datæ, qvæ difficulter obtenta fuit, tàm rigidè insistatur, discussâ nunc ab ipso Episcopo re haud paulo exactius & accuratius.

DE DEPOSITIONE, SEU DEGRADATIONE,

TITULUS XX.

Spirituale conjugium dissolvitur per degradationem. h. d.

§. 1. Per degradationem qvoq; conjugium Ecclesiæ & Episcopi dissolvitur. Nihil enim est aliud degradare, qvàm de gradu dejicere: qvod institutum est ad similitudinem [b] exauthorationis ejus, qvi militiæ deservit armatæ: cui tam militaris ordo, qvàm etiam insignia ob delictum detrahuntur.

[b] *cap. 2. §. actualis. de pœnit. in 6.*

Conjugium Ecclesiæ & Episcopi dissolvitur] Qvid de tali conjugio sentiendum sit, dixi *ad §. ult. supr. de Chorepisc. usf. sublat.*

exauctorationis ejus] Non omnis tamen exauctoratio est ignominiosa. Apud antiqvos sc. simplex & una honesta missio: ab Augusti ævo facta duplex: Exauctoratio & missio. Docet id Tacitus *lib. 1. annal. Placitum, ut epistolæ nomine principis scriberentur, missionem dari vicena stipendia meritis: exauctomri qvi sexdena fecissent, ac retineri sub vexillo, cæterorum immunes, nisi propulsandi hostis.* Vid. Lipsius *ad eum locum*, & Marcell. Donat. *in Sveton. August. c. 49.*

Duplex

Digitized by Google

Duplex est degradatio, verbalis & actualis. h. d.

§. 2. Est autem degradatio duplex: verbalis scilicet & actualis. Verbalis [c] degradatio est, cùm ab eo, qvi authoritatem habet, assistente certo Episcoporum numero, depositionis fertur sententia. Actualis verò, sive solennis est, cùm non solùm fertur sententia, verùm etiam ab eo, qvi degradandus est, vestes & singula insignia sui ordinis gradatim auferuntur. Cujus ordo ac series latissimè Bonifaciana constitutione [d] demonstratur.

c *d. cap. 2. §. verbalis. de pœnis. in 6.*

d *d. cap. 2.*

Verbalis degradatio est] Ea utplurimum dicitur depositio, degradationis vocabulo alteri illi, qvam actualem vocat Autor, reservato.

cum ab eo] Qvis verò est ille? Eruditè hîc de depositione Episcoporum disserit Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imp. lib. 7. per tot.* Ait, ab initio depositiones Episcoporum decretas & factas fuisse â Synodis provincialibus. Accessisse deinceps revisiones Imperatorias, sed in concilio Sardicensi revisiones istas transfusas fuisse in Pontificem Romanum, & hinc originem petendam juris istius, qvod in tali negotio sibi vindicant Pontifices, tribunal hinc instituentes. Tandem Pontifices sibi solis & qvidem jure divino potestatem deponendi Episcopos competere edixisse. Inprimis autem Innocentii III. constitutionem, qvæ habetur *c. 2. X. de transl. Episc.* exagitat, & rationes ejus perstringit Marca *d. l. 7. c. 26. n. 8.*

assistente certo Episcoporum numero] Depositio sc. Episcopi fit â duodecim Episcopis: Presbyteri â sex: Diaconi â tribus. *c. si qvis, c. felix. c. si autem 15. q. 7.* At Zephyrinus Papa tum demum reqvirit duodecim Episcopos ab ipso accusato Episcopo eligendos, si necesse fuerit. *c. accusatores 3. q. 8.* Et Gregorius M. delegavit Metropolitam Syracusanum unà cum tribus tantum aut qvatuor Episcopis ab eo eligendis, ut de causâ Lucillii Episcopi cognoscerent, eumq; deponerent. *lib. 7. Epist. 62.*

depo-si-

depositionis fertur sententia] qvæ tamen reum non eximit ordine, privilegiis & oneribus Clericalibus, neq; â jurisdictione & potestate judicis Ecclesiastici. Et volunt Canonistæ, depositioni locum esse in delictis majoribus, qvalia sunt Simonia *c. 2. X. de simoniâ*, latrocinium *c. 6. X. de pœn.* Concubinatus *c. 4. X. de cohab. Clericor.* conspiratio contra Episcopum *c. conspirationum 11. q. 1.* blasphemia *c. si qvis 22. q. 1.* furtum, homicidium &c. *c. cum non ab homine 10. X. de judic.*

Actualis verò] Eam Canonistæ in tribus casibus admittunt: 1. in crimine hæreseos *c. ad abolendam 9. X. de hæret.* 2. in crimine falsi literarum apostolicarum *c. ad falsariorum X. de crim. falsi.* 3. ob calumniam gravem & contumeliam proprio Episcopo illatam *c. si qvis sacerdotum 11. q. 1.* qvatenus scil. ea conjuncta est cum incorrigibilitate. Moderni etiam alia atrocia delicta degradationem mereri admittunt, & inprimis crimen Sodomiæ ex bullâ Pii V. ita tamen, ut degradari nolint qvemcunq; committentem hoc crimen, sed illum tantùm, qvi exercuit cum freqventiâ actuum. Vallens. *tit. de sentent. excomm. §. 14. n. 5.* Verum enimverò tanta mihi depositionem inter & degradationem primis temporibus non videtur fuisse differentia, qvin arbitror, etiam per depositionem privilegiis & ordinibus sacris exutum qvem fuisse, utcunq; solennes ejusmodi ritûs degradationis adhibiti tùm non fuerint. Qvicqvid tamen hujus sit, id penes me certum est, puriorem fuisse & in vitia severiorem primitivam Ecclesiam, qvàm ut nudâ depositione latrocinium, blasphemiam, homicidium, &c. puniret, uti qvidem hodiè fieri in papatu solet. Pleraq; ergo ista ex perniciosâ & minimè ferendâ exemptione clericorum proficiscuntur.

cujus ordo ac series] In rationes istius ordinis inqvirit Petrus Svavis *in hist. Concil. Trid. lib. 4.* Verba ejus hæc sunt: *Postqvam permissa Episcopis in Clerum judiciorum criminalium potestas, degradatio hoc solo casu permansit, ubi â capitali supplicio est periculum, qvod etiamsi Ecclesiastici propter ordinis sui dignitatem nemini suorum infligi vellent, qvia tamen, ubi delicta sunt enormia, non videbatur posse sine scandalo devitari, qvod directè fieri non poterat, id obliqvè effectum dari volebant, mortis sententiam flagitiis Clericorum merito debitam agnoscentes, sed necessariam prius esse degradationem dictitantes. Ad eam verò modo solenni perficiendam tot circumstantiis reqvisitis, factum rei difficultate, ut rarissimè eò sit perventum. &c.*

Proprius

Proprius ſolùm Epiſcopus poteſt deponere conſtitutos in minoribus ordinibus, ſecus in majoribus. h. d.

§. 3. Qvod[e] autem dictum eſt, Epiſcoporum numero aſſiſtente, ſic intelligi oportet, ſi de Epiſcopo, aut illo degradando agatur, qvi ſit in majoribus ordinibus conſtitutus. Cæterùm, ſi de iis agatur, qvi minoribus tantùm inſigniti ſint, proprii Epiſcopi ſententia, absq; ullorum Epiſcoporum[f] interventu, ſatis erit.

e *can. ſi qvis tumidus. 15. q. 7.*

f *can. ſi autè. in fin. d. 15. q. 7.*

proprii Epiſcopi ſententia] Sed num ſolius, ſine ſuffragiis capituli? Ita putant, ubi ſcilicet conſvetudine id introductum fuerit, *per c. 3. de conſvet. in 6.* In noſtris Eccleſiis rectius ea res committitur Conſiſtoriis, ita ut neq; cuſtodes, neq; Scholæ miniſtri removeri poſſint unqvam, niſi ex decreto Conſiſtorii Eccleſiaſtici, prævia accuratâ cauſæ cognitione. Carpzov. *in Jurispr. Eccleſ. l. 3. def. 109. & multis ſeqq.*

In degradatione ſacerdotum ob cauſam hæreſis poteſt procedere ſolus Epiſcopus delinqventium cum ſuis minoribus prælatis. h. d.

§. 4. Qvin immò interdum etiam ſi presbyter, vel in ſacris conſtitutus degradandus fuerit, plurium Epiſcoporum interventus neceſſarius non erit: nam tales, ſi pro hæreſi[g] ſeculari curiæ tradendi, vel perpetuò immurandi ſint, qvia Epiſcoporum numerus facilè convenire non poteſt, ſolus Epiſcopus, convocatis Abbatibus & aliis prælatis, virisq; ſuæ diœceſis pietate ac bonis artibus inſtructis, degradare poterit.

g *c. 1. de hæret. in 6.*

ſi pro hæreſi] Atqvi ut de hæreſi aliqvis convinci qveat, accuratior antecedere debet cauſæ cognitio, ut proinde maximè neceſſarius hîc

videatur Episcoporum conventus. Uti enim diversimodè se habent dogmata & qvæstiones Theologicæ, aliis sc. directè & immediatè, aliis indirectè, mediatè & reductivè fundamentum fidei petentibus, aliis nec per se, nec per necessariam consequentiam salutem hominis concernentibus: ita non omnis ille qvi â nobis aliqvando dissentit, illicò haberi debet pro hæretico. Non igitur minori cum curâ hæreseos crimen, qvam aliud qvodvis flagitium, anteqvam qvis condemnetur, erit indagandum.

immurandi sint] i. e. muris includendi, qvæ pœna jure Canonico introducta est. Jure enim civili pœna carceris perpetui interdicta est *l. 8. §. 9. ff. de pœn. l. 6. C. eod.* Et hinc ad accelerandum carceratorum judicium & adversus carcerum diuturnitatem constituit Theodosius M. Commentariensem trigesimo qvoq; die judici insinuare debere numerum, varietatem, ordinem, & ætatem incarceratorum *l. 5. C. de custod. reor.* Sed Pontifices perpetuo carceri mancipari maluerunt delinqventes, qvam vitâ privari, *c. 3. de pœnis in 6.* qvod in favorem Clericorum videtur introductum, ne scil. semper opus haberent judices, condemnatos seculari curiæ tradere. Et hinc carcer perpetuus supplicio capitali æqviparatur, cum exturbatus videatur ex numero viventium, cui in carcere est moriendum. Cæterum num pœna hæc â judice Laico decerni debeat, videri potest Menochius *de arb. jud. qvæst. cas. 89.*

Degradatus traditur curiæ seculari, & pro eo debet Ecclesia intercedere, & degradatus se miscens sacris, excommunicatur. h. d.

§. 5. Clericus igitur ob grave flagitium degradatus, cùm ab Ecclesiastico foro fuerit projectus, seculari curiæ traditur puniendus. Unde celebranda [a] erit talis degradatio seculari præsente potestate, & cùm perfecta fuerit, pronunciandum, ut secularis Judex degradatum, tanqvam clericali privilegio exutum, in forum suum recipiat puniendum: pro qvo tamen Ecclesia debet intercedere, ut citra mortis periculum in eum sententiam moderetur: & si impetra-

[a] *c. novimus. extr. de verb. signif.*

Digitized by Google

petraverit, & degradatus pœnæ ſuperſtes fuerit, ab adminiſtratione ſui ordinis debet abſtinere. Qvòd ſi cingulo militiæ cæleſtis exauthoratus, auſu temerario ſibi dudum commiſſum audebit in poſterum attractare miniſterium, etiam ab Eccleſia ex canone Apoſtolorum erit abſcindendus.

ſeculari curiæ] Nolunt ſcil. Canoniſtæ ſeculari Magiſtratui qvicqvam juris in Clericum competere, anteqvam iſte ſolenniter fuerit degradatus, & foro Eccleſiaſtico ejectus. Atqvi inter veteres Chriſtianos criminales clericorum cauſas à judicibus Laicorum diſceptari, non erat nefas, vid. *l. 23. Cod. Theodoſ. de Epiſcop. Eccleſ. & Cler.* imò verò ſtantibus hypotheſibus Pontificiorum, qvod character per ordinem impreſſus ſit indelebilis, & qvod nulla Laico in res & perſonas ſacras competat poteſtas, neq; poſt degradationem qvidem Clericus Magiſtratui civili ſubjici poterit, qvia ſcil. ſemper manet charactere ſacro ſignatus & per conſeqvens perſona Eccleſiaſtica.

eccleſia debet intercedere] Ambigo, ſi crimen tale commiſſum fuerit, qvod jure divino mortis ſupplicium meretur, utrum Eccleſia deprecari ejusmodi ſupplicium bonâ cum conſcientiâ qveat. Dicit autem Innocentius III. *c. novimus 27. X. de V. S.* Eccleſiam efficaciter debere intercedere. *Audis*, inqvit Claudius Eſpencæus *l. 2. digreſſ. c. 7. vocabulum* efficaciter? *Ne fortè putemus, matrem Catholicam fingere & veluti geſtum in ſcenâ agere. Cujus antiqvi ritûs Eccleſiaſtici veſtigium magis aut umbram, qvàm ſeriam veritatem cernere eſt, cum ſacros homines in publicis ſpectaculis reſecnutos Eccleſia manu altera ſupplex morti qvantum in ſe eſt eximit, altera judex ſeculari brachio addicit: non tam pro hujus arbitrio puniendos, qvam externæ poteſtatis gladio conficiendos. Vix enim contingit, ut clericis exaugurutis, & civili foro deditis levius qvam ultimum certò atq; citò inferatur ſupplicium. &c.*

ex canone Apoſtolorum] Canones illos non eſſe genuinos, ſed ſeqvioris ſeculi partum, dixi aliàs.

DE SACERDOTIBUS IN INFERIORI GRADU CONSTITUTIS.

TITULUS XXI.

Sacerdotes inferioris gradus, ſunt presbyteri, nec ſufficit aliqvid obiter tractatum eſſe. h. d.

§. 1. Nunc deſcendamus ad ſacerdotes in inferiore gradu conſtitutos: ſubſeqventer poſtea de iis dicturi, qvi, licet ſacerdotes non ſint, in ſacris tamen conſtituti reperiuntur: ac demum de his, qvi circa humiliora in domo Dei neceſſarium miniſterium exhibent, qvi in minoribus ordinibus dicuntur conſtituti: de qvibus omnibus ſi qvid ſuperiùs locuti fuimus, obiter potiùs, qvàm ex profeſſo loqvuti fuimus. Inferiores ſacerdotes, ſunt presbyteri.

ad Sacerdotes] vid. qvæ notamus ad §. *diximus tit. ſeq.*

Inferiores ſacerdotes ſunt presbyteri] Non improbamus ordinem iſtum in Eccleſiâ, ut inferiores Epiſcopo ſint presbyteri, negamus tamen, prælationem Epiſcopi eſſe ex jure divino. Vid. qvæ diximus *ſub init. tit. 5. ſupra.*

Sacerdotum in duas claſſes diviſio, ſumpſit originem tam à teſtamento veteri, qvàm novo. h. d.

[b] *diſtinct. 21. in ſum. & per totum.*

§. 2. Et [b] non ineleganter ſacerdotes in duos ordines diſtributi eſſe videntur: Hæc enim diſcretio, tam in veteri teſtamento à Deo per Moyſem ſumpſit exordium, qvi ex præceptis Domini Aaron in ſummum Pontificem, filios verò ejus inunxit in minores ſacerdo-

cerdotes: qvàm etiam in novo ab ipſo Chriſto, qvi duodecim Apoſtolos, tanqvam majores ſacerdotes, ſeptuaginta duos qvaſi in minores inſtituit: Petrum verò qvaſi ſummum ſacerdotem elegit, dum ei præ omnibus, & pro omnibus claves regni cœlorum tribuit.

filios verò ejus] Presbyterorum ordinem exordium ſumpſiſſe à filiis Aaron, aut hos illorum figuram præmonſtraſſe, temerè ſcribi, ordinemq; ſeu qvalitatem presbyterorum Aarone vetuſtiorem, nec qva talem ad Aaronis filios magis, qvam ad alios qvoscunqve Iſraelitas attinuiſſe, oſtendit Joh. Selden. *de ſynedr. lib. 1. c. 14. & commentar. in Eutychii orig. p. 32.*

Septuaginta duos] Ex qvo miniſtrorum Eccleſiæ gradus facti ſunt, potuit primorum cum Apoſtolis, cæterorum cum ſeptuaginta allectis aliqvatenus inſtitui comparatio, ut, qvo modo ſeptuaginta duodecim primis à Chriſto ipſo ſuccenturiati ſunt, eo presbyteri Epiſcopis ab Eccleſiâ ſuccenturiati crederentur. Sed totus ille ordo humanus eſt, & Apoſtolicæ Eccleſiæ ignotus; imò ejus hâc in parte inſtitutioni minimè congruens, qvod probari neqveat, ſeptuaginta diſcipulos, utut prioribus duodecim dignitate cederent, ab ullâ, qvæ ad primarios illos ſpectaret, functione Eccleſiaſticâ ſubmotos fuiſſe, prout nunc & à multis retro ſeculis ab ordinationibus, confirmationibus &c. presbyteri ſubmoti ſunt. Sed & ipſi Apoſtoli, qvatenus fundatam operâ ſuâ Eccleſiam verbi divini alimoniâ ſuſtentárunt & diſciplinæ virgâ rexérunt, ordinariorum omnium paſtorum (ſive Epiſcopi ſive presbyteri dicantur) formam ac primitivum exemplar expreſsérunt. Qvod igitur Apoſtoli Epiſcoporum, & ſeptuaginta duo ſecundi ordinis ſacerdotum figuram geſſerint, longè poſt Apoſtolorum tempora, & minus ex vero excogitatùm fuit. Dav. Blondell. *apol. de Epiſc. & presb. ſect. 3. n. IX.* De numero ipſo, an 70. tantùm, an verò 72. fuerint diſcipuli, controverſia eſt inter Eraſmum & Sixtum Senenſ. *l. 6. biblioth. annot. 146.* Conf. Blondell. *in Pſeudo-Iſidor. pag. 244.*

Petrum verò qvaſi ſummum ſacerdotem] At Petrus ipſe ſe vocat *συμπρεσβύτερον* Compresbyterum *1. Petr. V, 1.* reſpectu

ſc. aliorum presbyterorum, ad qvos ibi ſcribit, qvos etiam expreſsè hortatur, ut ſint ἐπισκοπῶντες i. e. Superintendentes gregi. Ergo juxta Petrum, Presbyterorum eſt Epiſcoporum officia agere in Eccleſiâ, & vicisſim Epiſcopi presbyterorum partibus funguntur.

dum ei præ omnibus & pro omnibus] Fruſtra inde conficitur, Petrum qvaſi ſummum ſacerdotem conſtitutum. Nam ſi ita Petro tribuuntur claves, ut eo ipſo ſimul tribuantur reliqvis Apoſtolis, qvod non diffitetur autor, & abunde liqvet ex *Matth. XVIII, 18.* certè ſoli Petro non primò ac principaliter tribuuntur. Sic enim peculiariter tribuerentur Petro, & ſimul etiam reliqvis Apoſtolis, qvod contradictionem implicat. eſſet enim poteſtas clavium communis & non eſſet communis.

Presbyteri & Epiſcopi olim erant iidem, ſed in remedium ſchiſmatis de presbyteris unus electus eſt, qvi Epiſcopus dicitur. h. d.

a *can. 1. §. unde & apud. 21. diſt.*

§. 3. Presbyterum [a] autem & Epiſcopum, ſunt, qvi eundem olim extitiſſe affirment, & aliud ætatis, aliud dignitatis fuiſſe nomen. Sed cùm multi in ſingulis Eccleſiis presbyteri conſtituti eſſent, in remedium ſchiſmatis [b] factum eſſe, ut per illos unus eligeretur, qvi cæteris eſſet præponendus: Electum autem Epiſcopi retinuiſſe nomen, eligentes presbyterorum: qvorum erga Epiſcopos uſq; adeò crevit honor, ut illis tanqvam filii cœperint obedire, nec jam pro ſacerdotibus habeantur, qvi ſub nullius Epiſcopi diſciplina & providentia gubernantur.

b *can. olim idem. diſt. 95. & can. legimus diſt. 93.*

qvi eundem olim extitiſſe affirment] Attigi iſtam controverſiam ſupra *tit. 5.* Hoc certum eſt, in ſacris literis vocabula iſta Epiſcopi & Presbyteri eſſe ἰσοδυναμοῦντα & ejusdem ſignificationis, ita ut alterum pro altero uſurpatum inveniatur, qvod patet ex *Act. XX, 17.* junct. *v. 28.* ex *Epiſt. ad Tit. I, 5.* junct. *v. 7.* ex *1. Petr. V, 1. 2.* Qvin & hoc certum eſt, talem diſtin-

distinctionem Episcoporum & Presbyterorum, qvalem nonnulli hodiè somniant, jure divino, seu ex speciali Christi institutione non esse profectam. Vid. *c. legimus 24. dist. 93. c. olim 5. dist. 95. c. 6. ibid. c. nullas 4. dist. 60.* conf. Gerhard. *tom. 6. L. C. de ministerio §. 236.* Invaluit tamen deinde usus, ut duæ illæ voces Episcopus & Presbyter non promiscuè qvemvis Ecclesiæ Doctorem significarent, sed illa adhiberetur ad denotandum eum, qvi inter Doctores unius particularis Ecclesiæ primus erat & præcipuæ autoritatis; hæc verò ad denotandos illos, qvi præter primum illum in eâdem Ecclesiâ docebant, qvemadmodum etiam à se distingvuntur *l. 33. l. 34. l. 50. C. de Episc. & Cler. l. 5. C. Theodos. de hæret.* Sed qvando distinctio ista primum introducta sit, acriter adhuc disceptatur. Nobis istam litem componere nunc non vacat. conf. Thom. Bilson. *de perpet. Eccles. gubern. cap. 13.* Hug. Grot. *de imp. summ. pot. circa sacr. cap. 11.*

Sed cum multi] Ignatius in *Epist. ad Trallianos* Presbyterii nomen his verbis exponit: *Qvid verò est presbyterium, nisi cœtus sacer, Consiliarii & Confessores Episcopi.* D. Hieronymus Senatum dixit in *epist. ad Rusticum: Ecclesia habet Senatum,* inqvit, *cœtum presbyterorum.*

in remedium schismatis factum] Consultum omninò fuit Ecclesiæ, præsertim postqvam fastus & φιλαυτία eam infestárunt, ut aliqvis inter ministros Ecclesiæ sive πρεσβυτερίας jure, sive ex singulari suo merito πρωτοστασίας & πρωτοκλισίας habeat, consulendo, monendo, hortando aliis præeat, suffragia in causis dubiis colligat, autoritate suâ universam actionem moderetur, & id, qvod decernitur, piè & prudenter exeqvatur.

esset præponendus] ceu Pater filiis. Ἐπίσκοπη igitur, qvatenus presbyterium ipsum ex primitivo Scripturæ usu denotat, divino: qvatenus presbyterio præcellit, Ecclesiastico: qvatenus dominatum, ac regium nescio qvod ἀξίωμα qvibusdam sonare videtur, nullo prorsus jure fulta est.

Presbyter appellatur potiùs à prudentia, qvàm ab annis. h. d.

§. 4. Presbyteri [c] verò nomen, qvanqvam à senectute sit sumptum, magis tamen sapientiæ indicat maturitatem, qvàm corporis canitiem.

[c] *can. qvisqvis. §. presbyteros. dist. 84.*

magis tamen sapientiæ] Sub eâdem qvalitate etiam apud Judæos, æstimatos & dictos fuisse Seniores, notat Joh. Selden. *l. 1. de synedr. cap. 14.*

cap.14. Nomina enim hierarchiæ Christianæ ex Judaismo traducta esse, notat idem Seldenus *in Eutychii orig. pag. 16.* Presbyter igitur in sensu Ecclesiastico non senem semper denotat, sed judicio maturum, & prudentem. Claud. Espencæ. *in epist. ad Tit. cap.1. pag.471.*

Quæ sit presbyterorum potestas, & authoritas. h. d.

§. 5. Episcopi [d] igitur ac presbyteri non penitùs est absimilis circa sacra ministeriorum dispensatio: Illorum enim, qvæ gerere potest Episcopus, qvædam presbyter suo jure, qvædam illius permissione exeqvitur, qvædam verò nullo pacto potest attingere. Proprio jure presbyter, Dominici corporis [e] ac sanguinis consecrationem, etiam Episcopo præsente, celebrat, infantes baptizat [f], sanctificato oleo infantes inungit, benedicit, & de occultis peccatis pœnitentes, vel in extremis agentes ad gratiam reconciliationis admittendi potestatem habet. Episcopo permittente [g], aut ultima cogente necessitate, & baptizatos sacro linire chrismate, & virgines Deo dicare, presbyteris conceditur. Ecclesias verò erigere, consecrare, reconciliare, sacrum chrisma conficere, Clericos ordinare, excommunicare, pœnitentes publicè reconciliare, solis Episcopis reservatur [h].

d *can. qvamvis. dist. 68.*

e *d. can. qvamvis. & can. 1. §. ad presbyt. 25. distinct.*

f *can. constat baptisma. de cõsecrat. dist. 4.*

g *can. 1. & seq. 26. q. 6. & can. presbyteris seu. de consecrat. dist. 4.*

h *d. can. qvãvis. dist. 68. & can. 1. vers. ad episcopum. 25. dist.*

non penitus est absimilis] Distingvimus nos essentialia ministerii ab accidentalibus. Ad essentialia referimus, docere verbum, administrare Sacramenta, ligare & absolvere &c. & in his Episcopum nihil præcipuum habere dicimus; in accidentalibus verò, qvalia sunt disponere res Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiasticas, regere alios pastores, curam & inspectionem aliarum Ecclesiarum habere &c. inæqvalitatem qvandam concedimus, & Episcopos suis Presbyteris superiores dicimus. Nihil est ergò, ut distingvamus ea, qvæ suo jure possunt presbyteri, & qvæ Episcopo permittente. Multa sc. qvæ in hoc paragrapho recensentur, superstitionem alunt, nulloq́; præcepto divino innituntur, de qvibus omnibus qvid sentiendum, qvantumq́; vel Episcopo vel Presbytero conveniat, speciatim infra notabimus, unumqvodq; suo loco. Illud prætereire neqveo, post alios novissimè Salmasium *de fœn. trapezit. pag. 407. seq.* duo facere genera tùm Episcoporum tùm presbyterorum. *Unum* eorum, qvi dispensationem & administrationem sacramentorum habebant, *alterum*, qvi docendi tantùm munus & prædicandi sustinebant & orationi vacabant, qvam in rem adducere solent *1. Timoth. V, 17.* Sed nihil hîc obstare, qvo minus de iisdem explicari possint verba Apostoli, notat ad eum locum Fridericus Balduinus. Et rectè observat Hugo Grotius *de imper. summ. pot. circa sacr. c. II. n. 16.* nullibi aliàs memorari novum hoc presbyterorum genus, qvi administrationem sacramentorum non haberent, sed tantùm ἀργοὶ ἐν τῷ λόγῳ essent, nullibi apparere, qvo auctore, qvâ occasione cœpisset, nec putandum esse, qvod uno tantùm hoc in loco, ubi de munerum Ecclesiasticorum generibus sermo institutus non est, Ecclesiastici regiminis pars necessaria insinuata fuerit. Simplicissima igitur ex mente Grotii loci Paulini explicatio hæc est: omnibus qvidem presbyteris stipendia deberi, ut qvi præsint Ecclesiæ, h.e. gregem dominicum pascant; sed illis præcipuè, qvi omni curâ rei familiaris neglectâ uni studio Evangelii propagandi incumbunt, nulliqve labori parcunt. Conf. Claud. Espencæus *ad eundem Pauli locum.*

DE IIS, QVI IN SACRIS SUNT CONSTITUTI,

TITULUS XXII.

In sacris constituti sunt Diaconi, & Subdiaconi, & Diaconi debent Episcopum custodire, sacerdotibus celebrantibus assistere, novum testamentum prædicare, Eucharistiam verò, præsente Episcopo vel presbytero, populo erogare non possunt. h. d.

§. 1. Sicut autem Episcopis presbyteri: ita etiam utrisq; debent obedientiam Diaconi: ad qvos Episcopum

i *can. diaconi septem. §. ut igitur. dist. 93. & can. seq.*

ſcopum prædicantem ab inſidiis cuſtodire, pertinet, ne aut ipſe qvoqvo modo lædatur, aut divina verba per detractores polluantur. Sacerdotibus qvoq; celebrantibus [k] in omnibus aſſiſtent, Evangelium ad populum prædicabunt. Sed nec baptizare [a] præſente Epiſcopo, aut presbytero, nec Dominici corporis Euchariſtiam populo erogare audere debent, niſi prædictis omnibus longiùs fortaſſe conſtitutis, neceſsitas ad id extrema eos compellat.

k *can. 1. ver. ad diaconũ. diſt. 25.*

a *can. conſtat. baptiſma. de conſecrat. diſt. 4.*

debent obedientiam] Eam plurima inculcant conciliorum decreta, qvibus occaſionem præbuiſſe videtur diaconorum ſeculo qvarto affectata ſuperbia. Erant ſanè ſuo cum Epiſcopis & presbyteris inter Eccleſiæ ſummitates loco, uti loqvitur Felix III. *epiſt. ad univerſ. Epiſc.* ne tamen adverſus presbyteros, qvi ipſi etiam ab Epiſcopis jam ſubacti erant, criſtas erigerent, ubiq; infra ſubſidere iisdemq; non ſecus ac Epiſcopis miniſtrare juſſi ſunt.

Diaconi] Diaconorum officium cœpit poſt plantatam jam Eccleſiam, cum ea numero fidelium creviſſet & unus omnibus miniſterii officiis obeundis amplius non ſufficeret. Apoſtoli enim ab initio non verbi tantum miniſterium & Sacramentorum curárunt ipſi, ſed eleemoſynarum etiam collectionem & diſpenſationem. Poſtea verò creſcente numero diſcipulorum, partem illam miniſterii, qvæ ad eleemoſynas pertinet, aliis, qvos diaconos nominárunt, commendárunt. Ex qvibus tamen ſucceſſu temporis eos, qvi probati erant, aſſumpsérunt ad miniſterium docendi, & graviora illis officia deinceps credidérunt. Primâ igitur ſui origine Diaconi præfecti erant theſauris Eccleſiæ, ut inde pauperum & præcipuè miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem curarent. Poſtea Diaconi etiam ad ſublevandam partem aliqvam miniſterii Epiſcopi & presbyterorum adhiberi cœpérunt, ut ad prælegendum aliqvid ex Scripturâ, ad docendum, exhortandum &c. Solebant etiam monere populum, ut intenti eſſent, & corda haberent ad Dominum, item pacem annunciare, parare ea, qvæ pertinent ad admini-

miniſtrationem Sacramentorum, diſtribuere populo Sacramenta, ordinandos deferre ad Epiſcopum, de iis, qvæ ad diſciplinam pertinent, monere Epiſcopos &c.

Sed nec baptizare] Poſtqvam in conſortium operarum aſſumti fuére Diaconi, etiam hoc ipſis communicatum eſt, ut baptizare & ſacramentum cœnæ diſtribuere liceret, non tamen aliter, niſi cum autoritate Epiſcopi, ne ſc. id fieret Epiſcopo invito, aut ſine ejus præſcitu, vel qvod verēdum eſſet, ne indignis Sacramentum conferretur, vel etiam, ut hac ratione presbyterorum ἀλαζονεία comprimeretur, ne qvando animos reſumerent adverſus Epiſcopos. Tertullianus *de baptiſm. c. 17. Dandi* (baptiſmum) *jus habet ſummus Sacerdos, qvi eſt Epiſcopus, dehinc presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi autoritate propter Eccleſiæ honorem. Qvo ſalvo ſalva pax eſt.* Et Hieronymus *dialog. adverſ. Luciferian. Sine chriſmate & Epiſcopi juſſione neq; Presbyter, neq; diaconus jus habent baptizandi.* Qvod igitur præſente Epiſcopo aut presbytero non liceat diaconis Sacramenta adminiſtrare, novioris Eccleſiæ videtur inventum.

Primitiva Eccleſia non habuit Subdiaconos, & apud antiqvos Subdiaconatus non reponebatur inter ſacros ordines, ſed poſtea & is ordo inter ſacros cœptus eſt haberi, & Subdiaconus poteſt eligi in Epiſcopum. hoc dicit.

§. 2. Subdiaconos[b] licet & Eccleſia primitiva legatur habuiſſe, talis tamen ordo apud antiqvos inter ſacros non annumerabatur: paulatim tamen poſt aliqvot temporum curricula cœptus eſt & ſubdiaconatus inter ſacros ordines reponi. Eisq; ad ſimilitudinem tam presbyterorum, qvàm diaconorum continentia[c] fuit imperata. Cùmq; à multis, an in Epiſcopum ſubdiaconus eligi valeret, hæſitaretur: noviſſimè[d] poſt Urbanum Innocentii proceſſit

b *c. à multis. extr. de ætate & qvalit.*

c *can. 1. diſt. 28.*

d *d. cap. à multis. extr. de ætate & qval.*

constitutio, qvæ, ut is qvoq; in Episcopum liberè eligi valeat, declaravit ac statuit.

Subdiaconos] Conqveritur Hieronymus ad Rusticum Narbonensem, talia multa diaconis in Romanâ præsertim Ecclesiâ imposita fuisse, præter Apostolicam disciplinam, & præter morem aliarum Ecclesiarum: ut ita primum & verum diaconorum officium in diaconis fermè obliteratum fuerit. Qvia enim novis illis officiis diaconi occupabantur, substituti fuérunt illis subdiaconi, qvi oblationes fidelium, qvæ pro sustentatione pauperum & ministrorum contribuebantur, colligebant. De aliis eorum conditionibus videri possunt Claudius Espencæus *l. 1. digress. c. 7.* Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. l. 2. c. 4. n. 59. seq.* Et qvos allegat Augustinus Barbosa *ad c. nullus dist. 60. n. 4.*

intra sacros non annumerabatur] Ordinem definiunt Canonistæ, qvod sit Sacramentum à Christo institutum, qvo qvibusdam ceremoniis & rebus traditur potestas spiritualis ordinando conficiendi Eucharistiæ Sacramentum, vel administrandi in ordine ad illud. Navarr. *in Manual. c. 22. n. 17.* Eos vel majores faciunt vel minores. Majores peculiari ratione vocant sacros, qvod versentur proximè circa materiam consecratam seu res sacras contingant. Subdiaconatum igitur ideò inter sacros olim non fuisse numeratum volunt, qvia olim non fuit concessum Subdiacono tangere vasa sacra; hodiè verò numerari, qvia circa vasa consecrata nunc occupetur. At enim qvod Ordo sit Sacramentum, gratis dicitur, & sine fundamento, ut dicemus libro secundo. Et posito, esse Sacramentum & qvidem à Christo institutum, qvomodo hoc competet subdiaconatui, qvi post Christi demum ascensionem cœpit? aut certè in Ecclesiæ erit potestate Sacramenta condere. Sed neqve istud satis convenit, sacramentum esse, nec tamen sacrum esse. Si enim à primis suis initiis Subdiaconatus fuit sacramentum, qvidni & ordo sacer fuisse dicatur. Nec enim eo tempore, qvo subdiaconatus primum institutus est, vel ordines in majores & minores distincti, vel qvidam eorum peculiari ratione sacri dicti fuérunt, sed omnis ea distinctio inventum est Ecclesiæ seqvioris. Fateor tamen prohibitos fuisse subdiaconos in Concilio Laodiceno habere locum in Diaconio & dominica vasa contingere, prohibitos etiam fuisse uti orario & ostia, vel ut legit Gratianus *c. ministrum 28. dist. 23*, hostias relinqvere, prohibitos itidem fuisse panem dare vel Calicem benedicere, uti ea omnia legi possunt *c. 21. 22. & 25.* Con-

25. Concil. Laodicen. Subdiaconatum autem eo tempore pro ſacro habitum non fuiſſe nullibi legitur.

continentia fuit imperata] impiè & contra præceptum divinum ex inſtinctu planè diabolico *1. Tim. IV, 3.* Et verè tyrannicum eſt, ob ſolam hujus interdicti non obſervationem, non eccleſiaſticis tantum pœnis, ſed corporis etiam afflictivis clericos punire, qvibus ab Hildebrando, aliisq; præſulibus plurimos ſubjectos, qvin & vivos combuſtos, teſtatur Claudius Eſpencæus *lib. 1. de continent. c. 12. fol. 696.* Illud verò Anti-Chriſtianum hoc interdictum magis aggravat, qvod non Paſtores tantùm in officio conſtitutos matrimonio prohibeant, ſed clericos etiam alios, ſi maximè per univerſam vitam ad nullum officium Eccleſiaſticum adhibeantur, ſed titulares tantùm & larvati obambulent, ordinem dehoneſtantes magis qvàm decorantes. Cùm tamen rationem prohibitionis potiſſimum reddant iſtam, qvòd mundos eſſe conveniat eos, qvi ſancta & ſacra contrectant. Atqvi hæc non contrectant Presbyteri & Epiſcopi titulares. Add. qvæ dixi infr. *ad lib. 2. tit. 12. §. item voti* &c. Sed nec illud prætereundum eſt circa id, qvod de diaconis hic dicitur, in ſynodo Ancyranâ conſtitutum fuiſſe, ut diaconis, ſi in ipsâ ordinatione proteſtati fuiſſent, ſe velle matrimoniũ contrahere, nec poſſe ſe continere, poſtea uxorem ducere & hihilominus in miniſterio manere liceret *c. diaconi diſt. 28.* Laxiores igitur eo tempore fuerunt continentiæ leges, qvàm inter hodiernos pontificios. add. *c. ſi qvis 15. diſt. 28. c. 13. diſt. 56.*

poſt Urbanum] ſcil. ſecundum, qvi vitiosè primus dicitur *c. 9. X. de ætat. & qval.* Factum autem fuit hoc decretum in concilio Beneventano, & refertur id â Gratiano *c. nullus 4. diſt. 60.* Canones iſtius concilii primus nuperè edidit Stephanus Baluzius *in addit. ad Petr. de Marca lib. 8. c. 13.*

Circa qvæ verſetur officium Subdiaconi. hoc dicit.

§. 3. Diaconum [c] igitur ſubdiaconus ſubſeqvitur: ad qvem calicem & patinam ad altare deferre pertinet, & Levitis tradere, eisq; miniſtrare. Urceolum qvoq; & aqvam, manile, & manutergium tenere, Epiſco-

[c] *can. 1. verſ. ad ſubdiaconũ. diſt. 25.*

po, presbyteris, & Levitis pro lavandis ante altare manibus aqvam præbere.

Diaconum igitur ſubdiaconus ſeqvitur] Supra ad initium hujus tituli mentionem feci obedientiæ â diaconis ſuis presbyteris & Epiſcopis debitæ, qvam ideò ſeverè præcipi ab Eccleſiâ oportebat, qvod eſſent, qvi diaconos presbyteris anteponendos, nedum exæqvandos eſſe contenderent, adverſus qvos acriter invehuntur Hieronymus & Auguſtinus. Et Hieronymus cauſam ejus rei memorat, qvia diaconos paucitas honorabiles, presbyteros multitudo contemptibiles faciebat. Auguſtinus autem faſtum eum inprimis Romanæ Eccleſiæ Diaconis tribuit, qvod ſc. propter magnificentiam Urbis Romanæ honorabiliores cæteris haberi voluerint, ſed qvo ipſo etiam presbyterorum ejusdem Eccleſiæ dignitatem augeri debere contendit. *qvæſt. 101.* Qvemadmodum igitur non in Eccleſiâ minus, qvàm in Rep. ut ordo obſervetur, naturalis jubet ratio, ita poſtqvam Diacono ſuccenturiatus eſt alius, illum huic anteponi, & hujus munus certis limitibus includi juſtum fuit. In noſtris tamen Eccleſiis hodiè Subdiaconos ejusmodi haberi non memini.

& Levitis] i. e. Diaconis, qvi ita qvandoq; â Patribus dicti fuerunt. Qvia enim presbyteri in N. T. ἱερουργοῦσι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, Rom. XV, 16. i. e. Evangelio tanqvam ſacro cuidam operantur, populo precanti in cœtu publico verba præeunt, imò ad presbyterorum preces, ut Hieronymus loqvitur, Chriſti corpus ſangvisq; conficitur, i. e. materia panis & vini propoſita talis efficitur, ut ſumpta ſit κοινωνία corporis & ſangvinis Chriſti, qvalis non eſſet, niſi presbyterorum benedictio, gratiarum actio & preces præcederent; hinc factum, ut priſci Eccleſiaſtici, qvi aliàs amârunt vocabula ſub V. T. uſurpata rebus in novo uſitatis accommodare, presbyteros ſecundum analogiam aliqvam appellarent ſacerdotes; qvemadmodum etiã Diaconos Levitas vocare ſoliti fuerunt. Sed ab his in alia omnia abeunt Pontificii & Canoniſtæ, qvi ſacrificium & ſacerdotium propriè dictum adhuc hodiè ſtatuunt, uti mox audiemus.

Urceolum qvoq;] Iſta omnia inventa ſunt humana, ut ſcil. hiſtrionicus miſſæ apparatus eo ſolennior ſit, & magis in oculos incurrat.

Subdiaconus poteſt qvis ordinari in decimo octavo anno, Diaconus in vigeſimo, Presbyter in vigeſimo qvinto. h.d.

§. 4. Sicut autem ſubdiacono minus creditur, qvàm diaco-

diacono: & diacono minus, qvàm presbytero committitur: ita ad ſubdiaconatum minor ætas, qvàm ad diaconatum: & ad diaconatum minor, qvàm ad presbyteratum ſuffragatur. Poterit igitur hodie f qvis, niſi aliud Canonicum obſiſtat impedimentum, decimo octavo natus anno ad primum ſacrum ordinem, vigeſimo ad ſecundum, ad presbyteratum vigeſimo qvinto, promoveri.

f *clem. fin. de ætate & qvalit.*

decimo octavo natus anno] Ita qvidem ex conſtitutione Clementis. Sed Eccleſia antiqvior maturum magis ætate volebat, uti patet ex *Novellâ Juſtiniani 123. c. 13. Presbyterum*, inqvit, *minorem triginta qvinq; annorum fieri non permittimus. Sed neq; Diaconum aut ſubdiaconum minorem viginti qvinq;, neq; minorem lectorem decem & octo annorum.* Synodus VI. in Trullo habita *can. 14.* ut & Agathenſis *can. 17.* & ante eas NeoCæſarienſis *can. 11.* ad Epiſcopatum & Presbyteratum admittunt, qvi triginta annorum ætatem habet. Apoſtoli ipſi non usq; adeò de ætate ſolliciti fuerunt, dum cætera adeſſent, qvæ Epiſcopatum decent. Timothei juvenilem ætatem contemni vetat Paulus *1. Tim. IV, 12.* Et Eleutherius vigeſimum tantùm agens annum Illyrici Epiſcopus ordinatus eſt, referente Nicephoro *l. 3. c. 29.*

Propriè ſacerdotes appellantur, qvi Euchariſtiam conficiunt, impropriè etiam diaconus & ſubdiaconus.

§. 5. Diximus autem diaconum & ſubdiaconum non eſſe ſacerdotes, proprietatem ſermonis attendentes: Propriè g enim ſacerdos is eſt appellandus, cui ſacrificium corporis & ſangvinis Dominici in altari conficere permittitur. Cæterùm & ipſi interdum ſacerdotes appellantur, ſed per abuſionem. Vidimus

g *can. 1. verſ. Sacerdos. diſtinct. 21.*

Digitized by Google

mus hactenus de iis, qvi in majoribus sunt ordinibus constituti: nunc videamus de iis, qvi in Ecclesia Dei minoribus sunt ordinibus insigniti.

Propriè enim sacerdos] Talis, qvalis hîc definitur, propriè sacerdos non est. Ut autem sciatur, qvis propriè dicendus sit sacerdos, necesse est, ut videamus ante omnia, qvid in Scripturâ propriè dicatur sacrificium. Sacrificium autem ibi nominatur, qvando res viva, vel animal vivum exanimatur, & qvidem ad honorem DEO exhibendum. Sacerdotium igitur erit officium divinitus institutum ad peragenda & celebranda sacrificia propriè dicta. Et sacerdos, persona, qvæ animal vivum ad honorem DEO exhibendum exanimat. Vid. Rainold. *in colloq. cum Hart. c. 8. sect. 4.* Cùm autem in Novo Testamento nullum sit sacrificium propriè dictum, nisi qvod in arâ crucis Christus obtulit, id verò secundum esse suum, vel ita ut idem specie habeatur, repeti neqveat, qvia videlicet Christus occidi & mori amplius non potest, inde efficitur, nullum esse Novi Testamenti sacerdotem, vocabulo strictè ac propriè accepto, præter Christum. Sed videntur, qvi Sacerdotes propriè dici volunt, titulum istum ideò affectare, ut præ cæteris fidelibus, qvibus aliàs nomen istud latius acceptum tribuitur, eximium aliqvid haberent, sicut paulatim contactum τὸν ἐυχαριστηθέντα olim omnibus permissum & haustum calicis dominici non permissum modo sed præceptum, sibi solis vindicârunt, ut sc. seorsim qvid sibi arrogarent, suamq; dignitatem extra reliqvos fideles conspicuam redderent. Observant autem eruditi, in Novi Testamenti libris, qvi ejus ministerio dicati sunt, nusquam nominari sacerdotes. Sed & in primitivâ post Apostolos Ecclesiâ, non adeò freqventer id nomen occurrit. Obtinuit tamen & consvetudine receptum est, ut ministri Ecclesiæ Christianæ non solùm in generali illâ significatione, secundum qvam omnes pii dicuntur Sacerdotes, sed etiam speciali qvodam respectu, qvat. sc. prædicatione Evangelii sacrificant, & in eam rem peculiariter sese DEO consecrant, Sacerdotes dicantur. Non igitur hîc sacrificium propriè sic dictum, seu novus sacrificialis actus cogitandus; sed Sacerdotis appellatio ex Vet. Testamento transsumta ad Novi Testamenti naturam intelligenda est. Vid. Gerhard. *LL. de minister. c. 1. §. 14. 15. 16.* Dorsch. *Mysar. miss. c. 9. 10. 11.*

in altari conficere permittitur] Non conficitur verum sacrificium. Rectiùs Magister sententiarum sive Petrus Lombardus Epi-

scopus

Digitized by Google

ſcopus Pariſienſis, poſtqvam qvæſtionem moviſſet lib. 4. diſtinct. 12. Si, qvod gerit Sacerdos, propriè dicatur ſacrificium vel immolatio? & ſi Chriſtus qvotidiè immoletur, vel ſemel tantùm immolatus ſit? reſpondet: illud, qvod offertur & conſecratur â ſacerdote, vocari ſacrificium & oblationem, qvia memoria eſt & repræſentatio veri ſacrificii & ſanctæ immolationis factæ in arâ crucis. *Et ſemel* (inqvit) *Chriſtus mortuus eſt in cruce, ibiq; immolatus eſt in ſemetipſo: qvotidiè autem immolatur in Sacramento, qvia in ſacramento recordatio fit illius, qvod factum eſt ſemel.* Ita etiam phraſin *corpus Chriſti facere ſeu conficere* explicat Ekbertus Schönaugienſis Monachus *ſerm. 11. adv. Catharos. Qvod dicitur*, inqvit, *Sacerdos corpus Domini facere ſeu conficere, non ita intelligimus, qvod ipſi corpus domini qvaſi de novo creent, & ei eſſentiam dent, ſed eorum facere nihil aliud ibi eſt, niſi qvod ſuper illud viſibile ſacrificium, qvod in altari eſt, faciunt officium ſuum & dicunt orationes & benedictiones & ſtatum ſigna faciunt, & tunc virtute divinâ præſtatur, ut ſit ibi verum corpus domini & verus ſangvis ejus, ubi prius nihil aliud erat, niſi panis & vinum* &c. Sanè vocatur qvandoq; Sacra Cœna â ſanctis patribus ſacrificium, verum non alio ſenſu, qvam eo, qvem expoſuit Lombardus. At iſto modo ſumptum ſacrificium ſpecie diverſum eſt ab eo, qvod in cruce oblatum fuit. Illud autem, qvod Pontificii ſeſe in miſsâ conficere nugantur, & honori Salvatoris & merito ejus detrahit. Vid. Chemnit. *exam. Concil. Trid. p. m. 333. ſeqq.*

DE IIS, QVI SUNT IN MINORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTI.

TITULUS XXIII.

Minores ordines ſunt acolytatus, exorciſtatus, lectoratus, & oſtiariatus. h. d.

§. 1. Sunt igitur in Eccleſia alii minores ordines, qvi ſine ſacramentali unctione, ſola Epiſcopi benedictione, cum qvadam vaſorum, vel indumentorum diſtributione, præſtantur: ut ſunt, Acolytus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius. Acolytus [a] eſt is, ad qvem præparatio luminum, & qvi cereum (à qvo nomen

[a] *can. 1. §. ad acolytum. diſtinct. 25.*

T qvo-

qvoqve ducit) deferre debet, qviqve ſuggeſta pro Euchariſtia ſubdiaconis præparat. Exorciſta [b] is eſt, qvi exorciſmos memoriter retinere debet, manusq; ſuper energumenos, & catechumenos in exorcizando imponere. Lector [c] autem is appellatur, qvi lectiones debet pronunciare, & ea, qvæ Prophetæ vaticinati ſunt, populis prædicare. Ad Oſtiarium [d] pertinent claves Eccleſiæ, ut claudat & aperiat templum Dei, & omnia, qvæ ſunt intùs extraq;, cuſtodiat, fideles recipiat, excommunicatos & infideles provido judicio repellat.

b *d. can. 1. §. ad exorciſtam.*

c *d. can. 1. §. ad lectorem.*

d *d. can. 1. §. ad oſtiarium.*

Sunt igitur in Eccleſiâ] Si verba iſta ita intelligit autor, ut neceſſarium eſſe putet, ut tot ordines ſint in ſingulis Eccleſiis, qvod faciunt qvidam Pontificii, illicò falſum eſſe id aſſertum dicam. Non enim verbo DEI mandatum eſt, qvi vel qvot tales gradus ſeu ordines eſſe debeant, nec tempore Apoſtolorum in omnibus Eccleſiis iidem ſemper & totidem gradus ſeu ordines fuere, qvin ſæpius unus & idem omnia illa officia, qvæ ad miniſterium pertinent, ſuſtinuit & executus eſt. Lepidum igitur figmentum eſt, Chriſtum ipſum per omnes illos ordines tranſiiſſe, fuiſſe oſtiarium, qvando ementes & vendentes templo expulit: Lectorē cùm in Iſaiâ legeret ex libro: Exorciſtam, qvando dæmones expulit: Acoluthum, qvando dixit: Ego ſum lux mundi: ſubdiaconum, qvando diſcipulorum pedes lavit? diaconum, qvando diſtribuit Euchariſtiam: Presbyterum, qvando in arâ crucis ſe obtulit, & Euchariſtiam conſecravit. Non nego autem ſucceſſu temporis pro amplitudine Eccleſiæ maximum ſæpè fuiſſe clericorum numerum, & fortè plerosq; ejusmodi ordines in majoribus Eccleſiis habitos. Ita de Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ conſtituit Juſtinianus Imp. *Nov. 3. c. 1. Qvapropter*, inqvit, *ſancimus, non ultra ſexaginta qvidem presbyteros in ſanctiſſimâ majore Eccleſiâ eſſe, diaconos autem maſculos centum, & qvadraginta fœminas, ſubdiaconos verò nonaginta, lectores autem centum & decem, Cantores viginti qving, & inſuper centum exiſtentibus iis, qvi vocantur oſtiarii* &c.

rii &c. Ubi id notandum, qvod nulla ibi fiat mentio Exorciſtarum, fortè qvod in eâ Eccleſiâ uſitatum non eſſet hoc miniſterii genus. Qvando autem & â qvo introducta fuerit ordinum iſta diſtinctio, non ſatis patet, niſi qvod Cajum Pontificem autorem ejus rei faciant Platina & alii. Et videtur nata occaſio exinde, qvod in majoribus Eccleſiis aleretur ſeminarium aliqvod juvenum Eccleſiæ miniſterio conſecratorum, qvi aliqvando ſuccedere poſſent diaconis & presbyteris. Atq; illis interim, dum in bonis artibus inſtituerentur, portio aliqva munerum Eccleſiaſticorum leviorum qvidem & minoris momenti committebatur, ut his veluti rudimentis ad graviora præpararentur. Franc. Duaren. *de ſacr. Eccleſ. miniſt. l. 1. c. 14.*

ſine ſacramentali Unctione] Certum eſt, nec Chriſtum nec Apoſtolos externam unctionem adhibuiſſe in ordinatione miniſtrorum verbi & Sacramentorum, nec ullibi in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ mentio fit adhibitæ in ordinationibus unctionis. Qvæ enim ex Cypriani *ſermone de Chrismate*, & Anacleti *Epiſtola 2.* proferuntur, confutari nullo negocio poterunt, qvod ſcripta iſta genuina non ſint, ſed ſeqvioris ætatis impoſturæ & commenta. Qvod igitur Epiſcopus chrismate, ſacerdos oleo benedicto, Epiſcopus in capite & manibus, Sacerdos in brachio ſolùm, humero vel armo inungatur, & qvod in reliqvis ordinibus conferendis unctionis hic ritus non adhibeatur, Pontificiæ hoc eſt & verè judaizantis Eccleſiæ inventum. Add. qvæ dixi *ad §. ult. tit. 10.*

Acoluthus] Epiſcopi, presbyteri & diaconi ſuos olim habebant famulos, miniſtros, comites ſeu aſſectatores, qvorum opera, ſi neceſſitas exigebat, utebantur, ſicut Paulus Oneſimi opera uſus fuit. Illos nominârunt ἀκολούθους. Pontificii ex his fecerunt cereoferarios. Qvia enim veteres alicubi dicunt fuiſſe miniſtros luminarium in nocturnis conventibus, Pontificii finxerunt, acoluthum Latinis ſignificare cereoferarium, ſolem in mediâ luce facibus illuminantem: interpretatione prorſus falsâ, ineptâ & barbarâ. Imò verò miniſtri Epiſcoporum & presbyterorum hodiè eqvites ſunt & milites in papatu. Fatetur autem ingenuè Petrus Arcudius Corcyræus *de concord. occid. & orientl. Eccleſ. in Sacram. l. 6. c. 9. p. 464.* antiqvos Patres, qvi prope tempora apoſtolorum floruerunt, Acoluthi ut peculiaris ordinis nullam prorſus mentionem facere. Imò Iſidorum *l. 2. de Eccleſ. Offic.* & autorem iſtius Epiſtolæ ad Ruſticum Narbonenſem apud Hieronymum, qvi ex inſtituto de omnibus ordinibus diſſerunt, de Acolutho nihil habere. Sic & Ludovicus Cellotius *l. 6. de hierarch. c. 15.* ait: *Notatum eſt, iſtud*

istud ordinis & ministerii Ecclesiastici nomen in S. Ignatii catalogo locum non habere, ut neg; in Constitutionibus. Certum tamen ex Concilio Tridentino, ab ipso Ecclesiæ initio cum cæteris in usu fuisse. Sed vicissim hoc negat Urbanus Papa *c. nullus dist. 60.* cum ait: *Sacros ordines dicimus, diaconatum & presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse.*

Exorcista] Exorcistæ olim dicebantur, qvi peculiare donum habebant ejiciendi aut compescendi dæmonia; atq; id donum usq; ad seculum qvartum viguisse, amplificatâ autem Ecclesiâ paulatim imminutum, tandem planè desiisse, ex Patrum scriptis ostendi potest. Qvàm ineptum igitur est, ex dono illo extraordinario, qvod diu desiit in Ecclesiâ, officium aliqvod ordinarium instituere, qvod hodiè superstitiosis exorcismis & magicis verius incantationibus absolvitur. Vid. Gisbert. Voët. *peculiar. disp. de exorcismo.* Fuit qvidem in veteri Ecclesiâ etiam istis temporibus, qvibus non amplius viguit potestas dæmoniorum ejiciendorum, aliqvod exorcistarum officium, ut scil. catechumenos instituerent, & baptismo intervenirent, Spiritui immundo depellendo. Sed cum in papatu prius desierit, posteriori certum ordinem destinare necessarium non est. Add. Jac. Gothofred. *ad l. 24. Cod. Theodos. de Episc.*

Lector autem is appellatur] Lectores ex Scripturâ, præsertim ex Veteri Testamento, publicè populo prælegebant: & anteqvam legendi initium facerent, elatâ voce proferebant *Pax vobis*, perinde atq; hodierno die Diaconus dicit: *Dominus vobiscum.* Hunc autem salutandi ritum (istam enim ceremoniam seu usum dicendi *pax vobis*, vocabant divinam salutationem) qvod Episcopo magis convenire videretur, Lectoribus interdixit Concilium Carthaginiense III. *can. 4.* Vid. Gabriel Albaspinæus *not. ad istum can.* Cæterum etsi adhuc pontificii suos habeant Lectores, dum tamen isti non ita legunt, ut populus intelligat, multum recessisse eos ab officio Lectorum antiqvæ Ecclesiæ nemo non videt.

Ad ostiarium] Ostiarii olim seu janitores tempore mysteriorum post denuntiationem diaconi templo ejiciebant gentiles, catechumenos, pœnitentes, energumenos, hæreticos & excommunicatos. At collapsa est jamdudum illa disciplina. Qvis igitur usus est ostiariorum? ut enim fores templi occludantur, ut canes expellantur, ut pavimentum purgetur, ad illud non est opus peculiari ordinis Sacramento.

Psal-

Digitized by Google

Pſalmiſtatus eſt minor ordo, & poteſt conferri à ſolo presbytero. h.d.

§. 2. Eſt & Pſalmiſta, id eſt, Cantor, qvi abſq; ſcientia Epiſcopi [c], presbytero ſolùm jubente, officium ſuſcipit cantandi: qvi & ipſe, licet apud antiqvos dubitatum fuerit, inter minores ordines cœptus eſt annumerari. [f]

[c] *can. Pſalmiſta. diſt. 23.*

[f] *gloſſ. in ver. Pſalmiſta. can. 1. 21. diſt. & can. 1. verſ. ad Pſalmiſtã. 25. diſt.*

Eſt & pſalmiſta] Pſalmiſtæ ſeu Cantores olim præcinebant, qvæ totus populus canere ſolebat. Priſcos enim Chriſtianos pſalmos qvosdam & hymnos in DEUM componere ac decantare ſolitos fuiſſe teſtatur Euſebius *l. 2. hiſt. Eccleſ. c. 17. & l. 5. c. 28.* At hodiè in pontificiâ Eccleſiâ Cantores non præcinunt, ut populus ſimul canat. Utrum autem Cantores propriam claſſem ordinemq; à cæteris diſtinctum habuerint, nec ne, ſubdubitat Franc. Duarenus, *de ſacr. Eccleſ. miniſt. l. 1. c. 14.* qvi videri poteſt. Cœpit iſte canendi ritus inter Chriſtianos Apoſtolorum ſtatim tempore, cavebant tamen illi à minuritionibus, atq; hinc pronunciantibus, qvam canentibus viciniores erant. Vid. Voſſius *de ſcient. mathemat. p. 89. 90.*

cœptus eſt annumerari] Ergo in Eccleſiæ eſt poteſtate ordines facere, & Sacramenta inſtituere, qvod ultimum impium eſt aſſerere. Primum autem oſtendit, ordines illos in Eccleſiâ pontificiâ uſitatos non eſſe à Chriſto nec ab Apoſtolis inſtitutos, ſed ab Eccleſiâ ſeqviore inventos, qvò pertinet, qvod præter presbyteratum & diaconatum nulli alii recenſeantur in *d. c. nullus diſt. 60. c. in novo 3, diſt. 21.* add. Petr. Lombard. *l. 4. ſent. d. 24.* Barth. Carranz. *ſumm. concil. fol. 15.*

Conſtituti in majoribus ordinibus nullo pacto matrimonium contrahere poſſunt, ſed conſtituti in minoribus poſſunt. ſed ſi contrahant, privantur beneficiis & dignitatibus Eccleſiaſticis. h. d.

§. 3. Horum autem & ſacrorum valde diſpar eſt conditio: ſiqvidem illis ita eſt continentia imperata [g], ut nunqvàm ad matrimonium aſpirare valeant: his autem, ſi ad ſuperiores ordines provehi noluerint,

[g] *diſt. 26. & 32. per totum.*

Digitized by Google

matrimonium contrahere minimè interdicitur: ſed eo caſu non ſolùm ad ſacros ordines, & Eccleſiaſticas dignitates, & adminiſtrationes admittendi non ſunt: ſed etiam [h] beneficiis, qvæcunq; fortè habuerint, privandi erunt: nam nec ea ſine pravo exemplo poſſunt & gravi ſcandalo retinere [i]: & tales bona Eccleſiaſtica dilapidare ſolent. Hucuſq; ſingulariter tam de majoribus ordinibus, qvàm de minoribus breviter tractatum fuit: exponamus nunc aliqva, qvæ tam majorum ordinum, qvàm minorum, ſunt communia.

h *cap. 1. c. qvod ad. & cap. diverſis. extra. de cleri. conjuga.*

i *cap. cum de corem. extr. de cleri. conjuga.*

continentia eſt imperata] Dixi ſupra ad *tit. anteced. §. Subdiaconos* &c.

provehi noluerint] Sed hîc digladiari inter ſe patiamur Canoniſtas circa qvæſtionem: an ſuſcipiens primam tonſuram aut minores ordines cum animo nunqvam ſuſcipiendi majores (talem autem animum ſine dubio habere debet, qvi matrimonium contrahit) aut ſolùm ut declinet forum ſeculare, & Epiſcopus ſcienter talem ordinans, peccent mortaliter. Vid. Barboſa *in remiſſion. ad Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. de reform.*

ſine pravo exemplo] Pravum eſſe neqvit, qvod fit autore DEO. At DEUS eſt autor matrimonii. Et iſtud prohibere eſt ex doctrinâ dæmoniorum.

dilapidare ſolent] At huic rei optimâ ratione medela qværi & fibula injici poteſt.

COMMUNIA TAM MAJORUM, QVAM MINORUM ORDINUM,

TITULUS XXIV.

Minores debent majoribus exhibere reverentiam, majores verò minoribus amorem & charitatem. h. d. §. 1. In

§. 1. In primis admonendi ſunt ii, qvi minori ſub ordine conſtituti ſunt & officio, ut iis, qvi aut ordine præcellunt, aut officio, reverentiam, & obedientiam [a] exhibeant: nec per temeritatem alter alterius partes ſibi vindicet. Majores qvoq; meminerint, ſe majores eſſe, non dominos: & ob id inferioribus non tanqvam ſubditis dominentur, ſed qvaſi clericos honorent, & diligant: & tales ſint, qvi non ſolùm præſint, verùm etiam proſint.

a *cã. à ſubdiacono. diſt. 93. gloſſ. 2. cap. ad aures. extra. de temp. ordinat.*

& obedientiam] non tamen cæcam illam, qvam vovere ſolent Jeſuitæ, qvippe qvæ propriæ voluntatis & proprii judicii abnegationem, mancipationem & in poteſtatem ſuperioris plenam deditionem includit, ita ſc. ut obedire teneatur inferior, etſi id, qvod mandatum fuerit, planè abſurdum & ab omni ratione alienum videatur. Vid. Davenant. *qvæſt. 6.*

non dominos] Epiſcopum officio ſuo fungi ait Chryſoſtomus οὐ βιαζόμενον, ἀλλὰ πείθοντα, non cogendo, ſed ſvadendo. Hieronymus Regem & Epiſcopum comparans, *ille*, inqvit, *nolentibus præeſt, hic volentibus.* Elegantia ſunt verba Bernhardi ad Eugenium Pontificem *lib. 2. de conſid. c. 6. Nec enim*, inqvit, *tibi ille* (Petrus) *dare, qvod non habuit, potuit: qvod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem, ut dixi, ſuper Eccleſias. Numqvid dominationem? audi ipſum: non dominantes in Clero, ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſolá humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qvi poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur, & infert, vos autem non ſic. Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. Ergo tu, & tibi uſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis, ſi utrumq; ſimiliter habere velis, perdes utrumq;.* &c.

Ordinatores debent inſtruere ordinandos in divinis. h. d.

§. 2. Item ſub gravis ultionis comminatione ex ordina-

c. cum ſit ars 14. X. de aetat. & qual.

dinatione generalis concilii debent Epiſcopi promovendos in ſacerdotes per ſe ipſos, vel alios idoneos viros ſuper divinis officiis, Eccleſiaſticisq; ſacramentis diligenter inſtruere, & informare: *Sanctius* b *enim* (inqvit) *eſt, paucos bonos, qvàm multos malos habere miniſtros: qvia, ſi cæcus cæcum ducet, ambo in foveam dilabentur.*

b can. tales. diſt. 23.

ſuper divinis officiis] ut omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fiant, & ut λειτουργία ubiqve ſe rectè habeat. Cumq; legibus Eccleſiaſticis ceremoniæ, qvibus ſacra carere neqveunt, præſcribantur, Epiſcopi eſt diſpicere, ut illæ obſerventur, neve in illis mutatio aliqva privatâ miniſtri alicujus autoritate fiat.

& informare] Sed & hoc Epiſcopi munus eſt, facere, ut erigantur Collegia, in qvibus adoleſcentes & pueri à teneris annis ad pietatem & religionem informentur, doceanturq; in his, qvæ ſpectant ad diſciplinam Eccleſiaſticam, qvaſi in DEI obſeqvium & in Eccleſiæ atqve divini cultûs miniſterium perpetuo inſervituri. Vid. Auguſtin. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 77.*

Ordinationem præcedere debet diligens ſcrutinium. h. d.

§. 3. Præcedet autem ordinationem diligens ſcrutinium c, nec, niſi qvi d tam verbo fidei, qvàm rectæ converſationis exemplo, Epiſcoporum vel populari teſtimonio probantur, ad ordines admittēdi erunt. Ordinaturus e itaq; accipiat ſecum divinæ legis peritos ſacerdotes, & in Eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatos, qvi ordinandorum genus, patriam, ætatem, locum ubi ordinati ſunt, ſi literas callent, ſi inſtructi in lege Dei, & ante omnia diligenter inveſtigent, ſi fidem Catholicam diligenter teneant.

c ext. de ſcrutinio in ord. faciend.

d can. 2. & can. epiſcopi. diſt. 24.

e can. qvando epiſcopus. d. diſt. 24.

nec

nec niſi qvi tàm verbo fidei] Elegans hoc eſt & Eccleſiæ maximè ſalutare monitum, ſed minus obſervatum in Papatu. Deſcribit presbyteros ſui temporis Petrus Damiani *lib. 4. Epiſt. 14.* Epiſcopum qvendam compellans in hunc modum: *Qvia te ſacerdotii culmen in Eccleſia tenere conſpicio, & ineſſe qvoq; tibi ſacerdotalem animum fiducialiter credo, dolorem cordis mei, qvi me de ſacerdotibus cruciat, tibi potiſſimum communicare decerno. Per epiſcopalis enim torporis ignaviam ita nunc presbyteri literarum reperiuntur expertes, ut non modo eorum, qvæ legerint, intelligentiam non attingant, ſed ſyllabatim qvoqve vix ipſa decurrentis articuli elementa balbutiant.* Et porrò: *Per pſeudoſacerdotum ignorantiam, qvi docere Dei populum neſciant, fieri, ut alii, qvorum DEUS venter eſt, & terrena ſapiunt, luxuriam colant: alii avaritiam, qvæ eſt idolorum ſervitus, venerentur, alii rapinis, alii perjuriis, alii homicidiis, alii veneficiis ſacrilegâ devotione deſerviant: & ſic diverſis criminibus, tanqvam ſimulacris & ſculptilibus, obſeqvium ſervitutis impendant.* Eandem qverelam ante hos centum annos prolixè repetiit Claudius Eſpencæus *in epiſt. ad Cardinal. Borbonium præfixâ libris digreſſ. in 1. epiſt. Pauli ad Timoth: Ignorantiæ teſtes ſunt cathedræ,* inqvit, *à paſtoribus jam olim relictæ, & ad fraterculos mendicantes relegatæ, qvædam qvaſi viduæ miſerabiles vel ſponſæ potius à Viris repudiatæ, & mercenariis paſſim ſub annuo cenſu, contra juris præſcriptum locatæ ac veluti proſtitutæ. Veſtra enim, veſtra erat, ô ſanctiſſimi Epiſcopi, ea diſciplina doctrinæq; poſſeſſio, in qvam qvaſi caducam atq; vacuam h. e. à vobis ceu vobis indignam, relictam, fraterculi (qvod de Græculis ait Tullius) & otio & literis abundantes, vobis aliò diſtentis & occupatis, aliaq; multo curantibus involavérunt. Nam qvo qvæſo modo in paſcua divinorum educet eloqviorum paſtor idiota? Sed & ſi doctus qvidem fuerit, non item bonus, verendum, ne non tam nutriat ubere doctrina, qvam ſterili vitâ noceat.* &c.

Examen debet præcedere collationem beneficiorum. h. d.

§. 4. Qvod[f] & in beneficiorum collationibus obſervandum erit: qvi enim beneficiis Eccleſiaſticis præficiendi fuerint, à ſuo priùs archidiacono examinari debent, & per ipſum poſtmodùm Epiſcopo præſentari.

[f] *cap. ad hæc nos. verſ. & hoc idem. ex. de offic. archidiac.*

â ſuo prius ArchiDiacono] qvi propter hoc officium Epiſcopi oculus dicitur. Et hinc ipſe non tantum Clericis ad ſacros ordines promovendis, examinandis & promotos regendis præfuit, ut illi baptiſmatis verba & ritè proferrent & ſanè intelligerent; ſed etiam in qvibuscunq; beneficiis Eccleſiaſticis conferendis ſedulam navavit operam, ne indigni promoverentur. Vix arbitror, cum beneficiatis hodiè tale inſtitui examen, aut certè nimis rude illud erit, & minus rigoroſum, cum ipſi ArchiDiaconi inter Pontificios literis ſæpenumero parum inſtructi ſint, & verendum illis ſit, ne doctiores ſint examinandi, ſuamqve hinc prodant ruditatem.

Tam ſimoniacè ordinatus, qvàm ordinans, ſunt puniendi. h.d.

g can. qvando epiſcopus. §. ipſi autem. diſt. 24.

§. 5. Ipſi[g] verò qvibus talis cura committitur, cavere debent, ne aut cujusqvam gratia, aut cujuscunqve muneris cupiditate illecti, à vero devient, ut indignum, & minùs idoneum, aut non examinatum ad ſacros gradus ſuſcipiendos Epiſcopo præſentent. Qvod ſi aliter fecerint: &, qvi indignè acceſſerit, ab altari removebitur, & qvi donum Sancti Spiritus vendere conati ſunt, coram Deo jam condemnati, Eccleſiaſtica dignitate carebunt.

aut cujuscunq; muneris cupiditate illecti] Pertinet huc elegantiſſimus textus *in l. 31. C. de Epiſcop. & Cler. item Novell. 6. cap. 1.* De Simoniâ autē, qvatenus ea committatur & qvam mereatur pœnam, dicendi erit locus *libro IV.* Cæterùm obiter hîc noto, fuiſſe aliqvando creditum in Romanâ Eccleſiâ, ſacros ordines ab improbo Epiſcopo conceſſos, irritos eſſe nullarumqve virium. Ex Sigeberto enim, Martino Polono, & Sigonio conſtat, Stephanum VI. Pontificem in concilio decreviſſe, *eos qvi ordinati ſunt à Formoſo Pontifice Epiſcopi, non legitimè ordinatos fuiſſe, qvod impius fuerit, qvi illos ordinavit.* Et Luitprandus qvanqvam in nomine Pontificis lapſus Sergium pro Stephano appellet, poſt commemoratum facinus, *cunctos ſc. ipſum, qvos Formoſus ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterum ordinaſſe:*

Digitized by Google

nasse: quod quam malè egerit, inqvit, *in hoc animadvertere poteris, qvoniam & hi, qvi à Juda Domini nostri Jesu Christi proditore, ante proditionem, salutem seu benedictionem Apostolicam perceperant, eâ post proditionem, propriique corporis suspensionem, minimè sunt privati. Benedictio siqvidem, qvæ ministris Christi impenditur, non per eum, qvi videtur, sed qvi non videtur, sacerdotem infunditur &c.*

Qvæ tempora in ordinationibus servari debeant. h.d.

§. 6. Igitur[h] per tres continuos dies diligenter examinentur, & demùm sabbato, qvi probati sunt, Episcopo præsententur: Qvi tamen secundum diversitatem ordinum, temporis qvoq; servabit diversitatem: non enim[a] omnes ordines qvibuslibet temporibus conferri possunt: nam Dominicis & aliis festivis diebus unum, aut duos ad minores licebit promovere, sed ad subdiaconatum, nisi in qvatuor temporibus, & una & altera statuta die, nulli Episcoporum, præterqvàm Romano Pontifici, licet aliqvos ordinare, nec alicujus loci contraria est admittenda consvetudo. Qvòd si[b] fortè secus factum fuerit, ordinans qvidem potestate privandus est ordinandi: & ordinatus cùm characterem[c] minimè dubitetur recepisse, pœnitentia tantùm prævia in susceptis ordinibus ministrare substinendus erit.

h *d.can.qvando episcopus. §. igitur.*

a *cap.1.2.& 3. ext. de tempor.ordin.*

b *cap. dilectus filius. ext. de temp.ordin.*

c *cap.pen.eod. tit.*

& demum sabbatho] Tota hæc materia de tempore Ordinum conferendorum ex pietate primùm habuit initium, declinavit autem in necessitatem Christianæ libertati prorsus adversam. Fundamentum ejus primum est istud, qvod jejunis & à jejunis aut jejunantibus potius ordines con-

conferri debeant, exemplo Apostolorum *Act. XIII, 3.* Secundum, qvia certa qvædam & stata observantur jejunia, qvod in his, & non in aliis, qvæ repentina sunt, aut etiam privatim observantur, conferri debeant ordines. Qvod primum attinet, negari neqvit, inter causas impulsivas jejunii in primitivâ Ecclesiâ fuisse etiam directionem consiliorum & actuum in arduis negociis à DEO flagitatam. Ita namqve Apostoli, cùm Ecclesias fundare vellent, jejunio se & precibus præparant, *dict. c. 13. Act. v. 3.* & Hieronymus de Johanne scribit, *in præfat. ad ejus Evang.* qvod scriptionem Evangelii aggressurus expetierit communes Ecclesiæ preces, jejunio conjunctas. Sic Cyprianus *in serm. de jejunio* scribit, Sanctos olim res magnas gesturos & oraturos jejuniis se præparasse: & idem cognosci potest ex integris tractatibus de jejunio scriptis à Basilio, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, &c. At qvod illi ex liberâ voluntate suscepérunt jejunium, ut in similibus actibus eodem modo, semper & ubiq; observetur, nunqvam leguntur præcepisse. Nec antiqvius qvidem jejunii circa ordinationes præceptum allegari potest, qvam Leonis I. qvod habetur *c. qvod à patribus 4. dist. 75.* At primò autoritas Epistolæ esset asserenda. non enim omne, qvod in illis epistolis habetur, ab Leone profectum fuisse, ostendit David Blondellus *in prolegom. Pseudolsidori cap. 13. circ. fin.* Deinde posito, Leonem id scripsisse, ex ipsis verbis apparet per modum conventionis, & consilii, non legis aut præcepti, scripsisse eum ad Episcopum Alexandrinum, qvod posthac velint ita uterq; in suâ Ecclesiâ observari & custodiri. Nec enim affectavit eo tempore Leo Episcopatum Oecumenicum aut dominatum in reliqvos Patriarchas, ut proinde Episcopus Alexandrinus, ad qvem ea epistola exarata est, haud magis obligatus fuerit Pontificis Romani legibus, qvam Japonensium Imperator legibus Regis Hispaniæ. Optimâ tamen ratione id etiam in nostris Ecclesiis observatur, ut horis matutinis peragantur ordinationes, ut, si non à jejunantibus, qvod cuiqve integrum est, saltem à jejunis potestas ea conferatur. Jejunium enim in se ratione finis sui spectatum non est cultus Dei, sed adminiculum tantùm pietatis. Qvod secundum attinet, ipsa nempe tempora jejuniis, adeoqve ordinationibus destinata, necesse est, ut altius repetamus, qvid de indictivis ejusmodi jejuniis sentiendum. Ante omnia autem hîc memorandus est locus Augustini ex epist. 86. ad Casulanum: *Qvibus diebus non oporteat jejunare, & qvibus oporteat, præcepto domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Idem habet Socrates lib. 5. c. 22. *qvoniam nemo de eo præceptum literarum monumentis proditum potest ostendere: perspicuum est, Apostolos liberam potestatem in eodem cujusq; menti & arbitrio permisisse, ut qvisq; nec metu nec necessitate inductus, qvod bonum sit, ageret.* Cæterùm

rùm jejuniorum leges primus inſtituiſſe dicitur Montanus, uti patet ex Euſeb. *lib.5. c. 16.* Nec tamen cum legibus illa res terminaretur, una illicò extitit lex communis, ſed variæ à variis conſvetudines in jejunii ratione obſervatæ ſunt, uti patet ex Irenæo *epiſt. ad Victor.* Caſſiano *collat. 21. c. 24. 27. 30.* Sozomeno *lib.7. c.19.* & Socrate *lib.5. c.22.* qvi ejusmodi in ritibus varietates ab iſtâ repetit origine: *Cauſæ ejusmodi diſcrepantiæ fuérunt Epiſcopi, qvi variis temporibus Eccleſiis præerant. Qvi autem iſta accepérunt, tanqvam legem ad poſteros transmiſérunt.* Videamus, qvid hîc illîc obſervatum fuerit, paulo accuratius. Et qvidem qvod ſabbathum concernit, maxima inter Orientales & Occidentales Eccleſias fuit diſcrepantia, Græci enim jejunium non magis admittebant ſabbatho, qvam die dominicò. Antiqvus canon inter falsò cognominatos Apoſtolicos LXVI. *Si qvis Clericus deprehenſus fuerit die dominico jejunare, aut ſabbatho, uno ſolo excepto,* nempe eo, qvod ſanctum dicitur & paſchæ contiguum eſt, *deponitor.* Anaſtaſius Epiſcopus Nicænus *qvæſt. 77. Sabbathum & dies dominicus ſunt dies ſancti & feſti, neq; licet in eis jejunare.* Apud Latinos variatum fuit. In Eccleſiis Africanis ſabbatho nunqvam niſi in paſchate jejunabatur, uti docet Tertullianus, ſabbatha & dies dominicos à jejuniis qvadrageſimæ diſertè eximens *libr. de jejuniis adverſus Pſychicos c.14. & 15.* Nec aliud obſervatum Mediolani, uti diſcimus ab Ambroſio *ex lib. de Elia & jejun. c.10. Qvadrageſima*, inqvit, *totis præter ſabbathum & dominicam jejunatur diebus.* Romæ verò diverſa planè erat conſvetudo. Hinc ille ipſe Ambroſius reſpondet Auguſtino: *qvando hîc Mediolani ſum, non jejuno ſabbatho, qvando Romæ ſum, jejuno ſabbatho*; ut refert Auguſtinus *epiſt. 86. ad Caſulanum.* Qvâ oſtendit varietatem, qvod alii ſabbatho non jejunent, ſicut maximè populi Orientis, alii jejunent, ſicut Romana & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ. Addit, contingere maximè in Africâ, ut una Eccleſia vel unius regionis Eccleſiæ alios habeant ſabbatho prandentes, alios jejunantes. Non vult autem à qvoqvam Romam ſic laudari ſabbatho jejunantem, ut orbem Chriſtianum damnet prandentem. Orbem opponit Urbi. Conſvetudo itaq; non jejunandi ſabbatho latiùs diffuſa, qvàm altera: illa videlicet per omnes orientales & multos etiam occidentales populos Chriſtianos, ut ibidem loqvitur Auguſtinus, iſta verò non niſi Romanis & adhuc paucis occidentalibus recepta. Qvam, cum hactenus conſvetudinis locum tenuiſſet, primus in occidente ſanctioni incluſit, deqve jejunio ſingulis ſabbathis inſtituendo circa annum Chriſti 406. legem tulit Innocentius I. eâ de re videndus *epiſt. ad Decentium c. 4.* Iſta conſtitutio, exacto poſt eam editam ſeculo, ab Agathenſi ſynodo repetitur: *cap. 12.* & iterum poſt annos 40. ab Aurelianenſi IV. *cap.2.* Has autem Lati-

norum constitutiones & innovationem ægrè tulérunt Græci, qvi proinde in synodo Trullanâ πὶ ἕκτῃ canonem edidérunt, qvo Romanos ad Canonis Apostolici LXVI. supra memorati, observationem adigere conati sunt. Vicissim vero Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus adversus Nicetam Pectoratum declamans Græcos, qvod sabbathis non jejunarent & conventûs agerent, Sabbatianos appellat. Et tantum de Sabbatho, qvibus addi potest Gabr. Albaspinæus *lib. 1. observat. 13.* Qvadragesimale jejunium, ut imitationem Christi Salvatoris commendant nobis Pontificii. At longè aliter Johannes Chrysostomus in *Matth. 11. homil. 46. al. 47. Discite à me*, inqvit, *qvia mitis sum & humilis corde. Non dixit, qvia jenunavi, qvamvis qvadraginta illos dies posset proponere. Verùm illud non dicit, sed, qvia mitis sum & humilis corde.* Et qvanqvam qvadragesimale istud jejunium solenne qvasi deinceps habitum fuerit in Ecclesiâ, non ubiqve tamen uniformiter observatum fuisse, docet Socrates *lib. 5. c. 22.* & Sozom. *lib. 7. c. 19. Roma tres tantum*, inqvit, *septimanas ante pascha jejunabant: in Illyriâ, Græciâ, Alexandriæ sex septimanas; alii septem septimanas, sed qvindecim per intervalla: omnes tamen tempus illud qvadragesimam vocabant, rationem appellationis alii aliam à se ipsis excogitatam reddentes.* Ipsa vero illa in universum jejunia veterum seqvioribus temporibus omninò fuérunt collapsa, & qvæ Papatus deinceps usurpavit, partim ludibria sunt jejunii, partim superstitionis idololatriæ ac hypocriseos multiplicis instrumenta, ut adeò facilè dijudicari possit, prægnantissimas nobis fuisse rationes, qvod in nostris Ecclesiis jejunium qvadragesimale non ita ut priùs observetur. Leges enim Ecclesiæ tamdiu servari possunt, dum fidei & charitati, qvâ regitur conscientia, non officiant, & opinio necessitatis absolutæ non stabiliatur. Qvod deniqve jejunia qvatuor temporum attinet, ab Calixto Papa primum introducta ea memorat *c. 1. dist. 76.* sed falsò, uti docet David Blondellus *in Pseudo Isidoro, pag. 256.* Rectius enim eorum origo refertur ad Leonem, qvem Magnum vocant, qvi circa annum Christi CCCCLX. solennia jejunia qvater in anno publicè indixit, jejunium sc. qvadragesimæ, pentecostes, septimi mensis & decimi, de qvibꝰ videri possunt canones, qvi habentur *dict. dist. 76.* Nec dissimulare tamen potest Leo, jejunium septimi & decimi mensis Judaismũ qvodammodo fovere, dicit tamen: *Qvando vos ad qvædam, qvæ in V. T. instituta fuérunt, cohortamur, non Judaicæ observantiæ jugo vos subdimus. licet enim in temporibus conveniat, non tamen concordat in moribus.* At eo ipso non liberat institutum suum à Judaismo. Chrysostomus enim annotat, Paulum ideò dixisse (in parte diei festi) ut ostenderet, se arguere eos, qvi etiamsi non per omnia, sed tantùm in parte aliqvâ, observationes V. T. conscientius in N. T. impo-

Digitized by Google

imponere volebant. Qvadrageſimæ vero & Pentecoſtes jejunia Leo dicit Apoſtolorum traditione, de Paracleti magiſterio inſtituta. Sed gratis hoc dicit, & ſine fundamento; qvemadmodum & illud, qvod jejunio tribuit reconciliationem & propitiationem Dei, culparum redemptionem & peccatorum remiſſionem. Cæterùm Rabanus Maurus *de inſtitut. Clericor. l. 2. c. 24.* ideò tam ſtrictè deinceps qvatuor illa jejunia obſervata fuiſſe memorat, qvod Gelaſius conſtituerit, illis diebus ordinationes presbyterorum & diaconorum fieri debere, manſiſſe igitur eam obſervationem, etiam cum non celebrarentur ordinationes. Sed nec eadem, qvæ in veteri Eccleſiâ obſervata olim fuére tempora, in Romanâ hodiè retinentur. Iſidorus enim Hiſpalenſis *de offic. l. 1. c. 37. 38. 39.* ſcribit, ſuo tempore ſecundum jejunium alio poſt Pentecoſten die inchoari ſolitum: Tertium 8. calend. Octobr. Qvartum in ipſis Kalendis Novembribus. At mutata ea hodiè ſunt & alia prorſus definita tempora.

Non enim omnes ordines qvibuslibet temporibus] Totum id eſt ex ſeqvioris & jam in ſuperſtitionem proclivis Eccleſiæ placitis.

Dominicis] niſi conferantur ſabbathis illis, qvibus aliàs conferuntur ordines majores, qvo tamen caſu receptam dicit conſvetudinem Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 11. n. 21.* ut feriâ ſextâ veſpere præcedente ſabbathum, in qvo de jure ordines ſacri conferuntur, Epiſcopis fas ſit ordines minores dare, qvaſi in hoc officio cenſeatur incipere dies ſabbathi pridiè veſperi.

unum aut duos] Cur non plures? cùm utiq; ad majores ordines plures uno die promoveri poſſint.

ad minores] imò etiam ad majores ex ſententiâ Leonis I. qvæ habetur in *c. qvod die dominico, diſt. 75.* Sed volunt ſcilicet Canoniſtæ hodierni, ordines minores, qvia ſcil. ſacri non ſunt (de qvo dixi *tit. 22. §. ſubdiaconos)* qvando & ubi Epiſcopo libuerit, etiam absq; miſſâ, & â non jejuno Epiſcopo conferri. Piaſec. *p. 1. cap. 1. art. 8. n. 5.*

ſed ad diaconatum] & multo magis ad reliqvos ſacros ordines.

& unâ & alterâ ſtatutâ die] i. e. in Sabbatho ſancto, & in ſabbatho ante dominicam de paſſione. Sed cur non in omnibus Sabbathis

norum constitutiones & innovationem ægrè tulérunt Græci, qvi proinde in synodo Trullanâ πενθέκτῃ canonem edidérunt, qvo Romanos ad Canonis Apostolici LXVI. supra memorati, observationem adigere conati sunt. Vicissim vero Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus adversus Nicetam Pectoratum declamans Græcos, qvod sabbathis non jejunarent & conventûs agerent, Sabbatianos appellat. Et tantum de Sabbatho, qvibus addi potest Gabr. Albaspinæus *lib. 1. observat. 13.* Qvadragesimale jejunium, ut imitationem Christi Salvatoris commendant nobis Pontificii. At longè aliter Johannes Chrysostomus in *Matth. 11. homil. 46. al. 47. Discite à me*, inqvit, *qvia mitis sum & humilis corde. Non dixit, qvia jenunavi, qvamvis qvadraginta illos dies posset proponere. Verùm illud non dicit, sed, qvia mitis sum & humilis corde.* Et qvanqvam qvadragesimale istud jejunium solenne qvasi deinceps habitum fuerit in Ecclesiâ, non ubiqve tamen uniformiter observatum fuisse, docet Socrates *lib. 5. c. 22.* & Sozom. *lib. 7. c. 19. Romæ tres tantum*, inqvit, *septimanas ante pascha jejunabant: in Illyriâ, Græciâ, Alexandriâ sex septimanas; alii septem septimanas, sed qvindecim per intervalla: omnes tamen tempus illud qvadragesimam vocabant, rationem appellationis alii aliam à se ipsis excogitatam reddentes.* Ipsa vero illa in universum jejunia veterum seqvioribus temporibus omninò fuérunt collapsa, & qvæ Papatus deinceps usurpavit, partim ludibria sunt jejunii, partim superstitionis idololatriæ ac hypocriseos multiplicis instrumenta, ut adeò facilè dijudicari possit, prægnantissimas nobis fuisse rationes, qvod in nostris Ecclesiis jejunium qvadragesimale non ita ut priùs observetur. Leges enim Ecclesiæ tamdiu servari possunt, dum fidei & charitati, qvâ regitur conscientia, non officiant, & opinio necessitatis absolutæ non stabiliatur. Qvod deniqve jejunia qvatuor temporum attinet, ab Calixto Papa primum introducta ea memorat *c. 1. dist. 76.* sed falsò, uti docet David Blondellus *in Pseudo Isidoro, pag. 256.* Rectius enim eorum origo refertur ad Leonem, qvem Magnum vocant, qvi circa annum Christi CCCCLX. solennia jejunia qvater in anno publicè indixit, jejunium sc. qvadragesimæ, pentecostes, septimi mensis & decimi, de qvibꝰ videri possunt canones, qvi habentur *dict. dist. 76.* Nec dissimulare tamen potest Leo, jejunium septimi & decimi mensis Judaismũ qvodammodo fovere, dicit tamen: *Qvando vos ad qvædam, qvæ in V. T. institutæ fuérunt, cohortamur, non Judaicæ observantiæ jugo vos subdimus. licet enim in temporibus conveniat, non tamen concordat in moribus.* At eo ipso non liberat institutum suum à Judaismo. Chrysostomus enim annotat, Paulum ideò dixisse (in parte diei festi) ut ostenderet, se arguere eos, qvi etiamsi non per omnia, sed tantùm in parte aliqvâ, observationes V. T. conscientius in N. T. impo-

imponere volebant. Qvadrageſimæ vero & Pentecoſtes jejunia Leo dicit Apoſtolorum traditione, de Paracleti magiſterio inſtituta. Sed gratis hoc dicit, & ſine fundamento; qvemadmodum & illud, qvod jejunio tribuit reconciliationem & propitiationem Dei, culparum redemptionem & peccatorum remiſſionem. Cæterùm Rabanus Maurus *de inſtitut. Clericor. l. 2. c. 24.* ideò tam ſtrictè deinceps qvatuor illa jejunia obſervata fuiſſe memorat, qvod Gelaſius conſtituerit, illis diebus ordinationes presbyterorum & diaconorum fieri debere, manſiſſe igitur eam obſervationem, etiam cum non celebrarentur ordinationes. Sed nec eadem, qvæ in veteri Eccleſiâ obſervata olim fuére tempora, in Romanâ hodiè retinentur. Iſidorus enim Hiſpalenſis *de offic. l. 1. c. 37. 38. 39.* ſcribit, ſuo tempore ſecundum jejunium alio poſt Pentecoſten die inchoari ſolitum: Tertium 8. calend. Octobr. Qvartum in ipſis Kalendis Novembribus. At mutata ea hodiè ſunt & alia prorſus definita tempora.

Non enim omnes ordines qvibuslibet temporibus] Totum id eſt ex ſeqvioris & jam in ſuperſtitionem proclivis Eccleſiæ placitis.

Dominicis] niſi conferantur ſabbathis illis, qvibus aliàs conferuntur ordines majores, qvo tamen caſu receptam dicit conſvetudinem Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 11. n. 21.* ut feriâ ſextâ veſpere præcedente ſabbathum, in qvo de jure ordines ſacri conferuntur, Epiſcopis fas ſit ordines minores dare, qvaſi in hoc officio cenſeatur incipere dies ſabbathi pridiè veſperi.

unum aut duos] Cur non plures? cùm utiq; ad majores ordines plures uno die promoveri poſſint.

ad minores] imò etiam ad majores ex ſententiâ Leonis I. qvæ habetur in *c. qvod die dominico, diſt. 75.* Sed volunt ſcilicet Canoniſtæ hodierni, ordines minores, qvia ſcil. ſacri non ſunt (de qvo dixi *tit. 22. §. ſubdiaconos)* qvando & ubi Epiſcopo libuerit, etiam absq; miſſâ, & â non jejuno Epiſcopo conferri. Piaſec. *p. 1. cap. 1. art. 8. n. 5.*

ſed ad diaconatum] & multo magis ad reliqvos ſacros ordines.

& unâ & alterâ ſtatutâ die] i. e. in Sabbatho ſancto, & in ſabbatho ante dominicam de paſſione. Sed cur non in omnibus Sabbathis

bathis ordines isti conferuntur? Utiq; enim in omnibus jejunia olim Romæ fuerunt imperata. Illud festivum est, qvod Andreas Vallensis ideò in Sabbatho potius qvam aliis diebus ordines conferri scribit, qvia dies sabbathi consecrata sit Spiritui S. cujus dona in ordinibus recipiantur. *ad tit. de temp. ordinat. §. 5. n. 2.*

præterqvam Romano Pontifici] Illi scil. tanqvam supremo Legislatori dispensandi jus tribuunt, etiam circa leges à Conciliis latas, si Diis placet. Atq; ita ordinandi potestatem fratribus minoribus & Jesuitis laxiorem à Pontifice concessam, scribit August. Barbosa *de jur. Eccles. lib. 1. c. 33. n. 179. seq. & de potest. Episcop. part. 2. allegat. 17. n. 6. 7.*

cum characterem] de charactere dicam infr. *lib. 2.*

pœnitentiâ prævia] per eam utplurimum intelligunt Pontificii satisfactionem impositam pro delictis, de qvâ etiam dicendum erit *lib. 2.*

Nec uno, nec duobus diebus continuato jejunio duo sacri ordines conferri possunt. h. d.

d *cap. literas. ext. de temp. ordin.*

§. 7. Sed[d] nec uno die, nec duobus continuato jejunio ad duos qvis potest sacros ordines promoveri, arbitrariè ordinanti suspensionis imminente pœna.

ad duos qvis potest sacros ordines] rationem video nullam, nisi qvod instrui magis & ad res gerendas aptior fieri possit, si permanendum aliqvandiu fuerit in ordine suscepto.

Minores ordines omnes simul conferri possunt. h. d.

e *cap. de eo. ext. de temp. ordin.*

§. 8. Diversum[e] statuitur de minoribus, qvi omnes vel unica die conferri possunt.

vel unicâ die] Diversum tamen statuit Concilium Tridentinum, ut etiam minores ordines per temporum interstitia conferantur, nisi aliud Episcopo magis expedire videbitur, & in unoqvoqve munere juxta præscriptum Episcopi se exerceant, priusqvam ad altiorem gradum adscendant.

Cum

Digitized by Google

Cum promotus per saltum potest, prætermisso ordine repetito, dispensari. hoc dicit.

§. 9. Per[f] saltum verò si promotus fuerit qvis, solenniter ordine prætermisso repetito, ex misericordia ministrare permittendus erit.

[f] *can. 1. dist. 52. & cap. un. de cler. per salt. prom.*

Per saltum verò] Notari hîc velim, qvæ in Concilio Tridentino disseruit Hieronymus Bravo Dominicanus, ex relatione Petri Svavis *in hist. Conc. Trid. lib. 7. Qvod ad illud pervulgatum attinet*, inqvit, *qvod ordines inferiores, gradus sint ad superiores, affirmare S. Thomam in Ecclesiâ primitivâ, multos immediatè ordinatos presbyteros, per inferiores ordines conscensione nunqvam factâ: Ecclesiamq; transitum hunc per omnes ordines ad sacerdotium non aliâ fini constituisse, nisi ad homines humiliandos. Satis constare ex Actis Apostolorum, Matthiam immediatè ordinatum fuisse Apostolum, neq; per ordines minores & subdiaconatum septem Diaconos transisse. De se narrare S. Paulinum, cum apud animum suum constituisset sese cultui divino in Clero mancipare & humilitatis affectu per omnes gradus Ecclesiasticos ire, principio ab ostiario facto, dum Laicus adhuc tempus opportunum caperet, derepente Barcinone à populo raptum & tractum ad Episcopum presbyterum per saltum ordinatum, qvod minimè contigisset, nisi id temporis fuisset usitatum* &c. Simili modo Nectarius, cum nondum baptizatus esset, electus est in Episcopum Constantinopolitanum, ut habet Nicephorus *lib. 12. c. 12.* & Ambrosius Mediolanensis refert de se ipso *lib. 10. epist. 82.* qvod Episcopus factus fuerit, cum adhuc esset Catechumenus. Qvicqvid igitur hic disponitur de repetitione ordinis prætermissi, id ex nimiâ & enixâ septem ordinum assertione profectum videtur. De praxi tamen pontificiâ videri potest Franciscus Duarenus *de sacr. Eccles. minist. c. 16.* Nos interim non improbamus, sed imò constitutionibus Saxonicis adstringimur, ut minus exercitatus diaconatûs munere fungatur prius, qvam pastoris partes suscipiat. Vid. Ordinat. Eccles. *pag. 98.* & adde, qvæ remissivè diximus supra *l. 1. tit. 7. §. igitur is, ad verb. qvi in sacris ordinib. non sunt.*

Promotus ad sacros ordines furtivè contra prohibitionem prælati, non potest fieri sacerdos, nisi prius fuerit monasterium ingressus: secus, si non contra prohibitionem, qvia tunc potest Episcopus pro arbitrio dispensare & qvi non ordinatus se miscuit divinis, nunqvam poterit ordinari. h. d.

§. 10. Qvòdſi [g] furtivè ad ſacros ordines qvis irrepſerit, diſpiciendum erit, an prælati ſub anathemate præceſſerit interminatio: tunc enim nulla ratione ad ſacerdotalem poterit ordinem promoveri, niſi regulari habitu ſuſcepto laudabilem aliqvandiu duxerit vitam: qvo caſu ſecum miſericorditer diſpenſari poterit: alioqvin nulla præcedente inhibitione, condigna ſatisfactione impoſita, pro ſuo arbitrio cum illo poterit Epiſcopus diſpenſare. Qvòd ſi is, qvi nullum adhuc penitùs attigit ordinem [h], divinum aliqvod officium exercuerit, & ab Eccleſia erit abjiciendus, & nunqvam ordinandus.

[g] *cap. 1. & ſeq. extr. de eo qvi furt. ordin. ſuſcep.*

[h] *cap. 1. & ſeq. extr. de cler. non ordin. miniſtrant.*

Qvòd ſi furtivè] Furtivè ſuſcipere ordinem dicitur (1) qvando qvis ſine ordinatione & conſenſu Epiſcopi vel ſine examine in multitudinem ordinandorum irrepit. (2) qvando admiſſus ad minores tantùm ordines unâ & eâdem die etiam ſubdiaconatum ſuſcipit. (3) qvando qvis contra inhibitionem ſuperioris eodem tempore ad duos ſacros ordines ſuſcipiendos ſeſe ingerit. (4) qvando per ſaltum ordinatur. Andr. Vallenſ. *tit. de eo qvi furtiv. ord. ſuſcep. n. 1.*

tunc enim nullâ ratione] Ad qvid ergo faciet character impreſſus?

regulari habitu ſuſcepto] Sed tùm in Abbatis ſui diſcedit poteſtatem, ut ſine ejus voluntate ad Eccleſiaſtica officia non poſſit promoveri. *c. ad aures 5. X. de temp. ordinat.* Qvis ergo deinceps diſpenſabit? Non ſanè Epiſcopus, qvanqvam id ſcriptum inveniatur in *c. 1. & 3. X. de eo qvi furtiv. ord. ſuſc.* Non enim, qvi regularem habitum ſuſcepit, Epiſcopi arbitrio amplius ſubeſt, præſertim ſi Abbas fuerit exemptus, qvales plures inveniri dixi ſupra. Cæterum qvid de monaſticâ vitâ ſentiendum, dicam infra *tit. 30.*

qvi

qvi nullum adhuc penitus attigit ordinem] Num ergo prohibendi erunt Laici, necesſitatis tempore conferre baptiſmum? Ita vult *cap.1. X. de cleric. non ordin.miniſtr.* At contrarium habetur *c. 19. & 20. de conſecrat. diſt.4.* Et acerbum hoc nimis eſt, atqve rigidum, ex Eccleſiâ illicò ejicere eum, qvi non ordinatus divinum aliqvod officium exercuerit. Qvid ergo, ſi qvis Oſtiarii partes involaverit & templi januas occluſerit, aut Cantoris munere functus fuerit, num excommunicandus fuerit ille? Argumentum certè hoc eſſet tyrannidis papalis.

Qvi nondum baptizatus ordinatus eſt, debet baptizari & rurſus ordinari. hoc dicit.

§. 11. De[i] eo, qvi non baptizatus ordines ſuſceperit, valde dubitatum eſt: de qvo poſt multam tandem diſcuſſionem obtentum & conſtitutum fuit, ut baptizetur, atq; iterum ordinetur: & meritò. cùm enim baptiſmus[k] omnium ſacramentorum janua ſit & fundamentum, ſuperædificari non potuit, ubi fundamentum defuit.

i *cap. 1. extr. de presbyt. non baptiz.*

k *gloſſ. 2. d. cap.1.*

omnium ſacramentorum janua ſit] Eſt qvidem baptiſmus janua Eccleſiæ & porta gratiæ, uti eum appellat Auguſtinus, per qvam ſc. cœli nobis aperiuntur, & Deus nos ad ſupernam vocat patriam, uti loqvitur Chryſoſtomus *Homil.13. in Matth.* Plura tamen cum non dentur in Novo Teſtamento Sacramenta, qvam baptiſmus & Euchariſtia, papiſmus eſt dicere, baptiſmum eſſe januam omnium ſacramentorum, cum non niſi unius eſſe poſsit, nempe Euchariſtiæ, qvippe qvæ non baptizatis non communicatur.

ſuperædificari non potuit] Nullus ergo tùm imprimetur character, qvem tamen individuum comitem & appropriatum effectum ordinationis ſtatuunt Pontificii.

Sacros ordines tantùm Epiſcopus confert, minores interdum & alii, & Epiſcopus qvi loco, non dignitati renunciavit, ſacros ordines conferre poteſt. ſecus ſi etiam dignitati, qvia tunc ſolùm minores confert. h.d.

a *t. unico de Ordinatis ab Epiſc. qui renunciavit Epiſcopatui.*

b *d. cap. unico extr. de ord. ab Epiſcopo.*

§. 12. Illud [a] poſtremò omittendum non eſt, qvòd inter minores & ſacros ordines illa eſt differentia: qvia majores ab Epiſcopis, minores verò etiam ab aliis qvandoq; conferuntur. Unde de eo qvæſitum eſt [b], qvi Epiſcopatui renunciaſſet, an & qvales ordines conferre poſſet? in qva ſpecie obtinuit diſtinctio, ut ſi qvidem loco tantùm qvis renunciaſſet, eos qvos ante renunciationem poterat, rogatus conferre poſſit. Qvòd ſi non ſolùm loco, verùm etiam dignitati renunciavit, minores tantùm qvis ab eo recipere, & in illis deſervire, & ad majores, ſi reperiatur idoneus, poterit promoveri. Sanè ſi ab eodem ſacros ordines ſcienter qvis receperit, qvia indignum ſe fecit, officii non habebit executionem: ubi autem non ſcienter (niſi craſſa & ſupina fuerit ignorantia) diſcretus Pontifex diſpenſare poterit.

majores ab Epiſcopis] Vid. qvæ dixi ſupr. *tit. de conſecratione.*

diſtinctio] rationem diſtinctionis petunt ex eo, qvod jus dignitatis Epiſcopalis cohæreat perſonæ, jus adminiſtrationis vero cohæreat loco. Reſidere igitur dicunt poteſtatem conferendi ordines qvoad habitum in dignitate, qvoad exercitium vero in loco. & poſſe hinc Epiſcopum, qvi renunciavit, qvoad habitum illa qvæ ſunt ordinis, non vero qvoad exercitium, eò qvod careat objectis. Nihilominus, ſi ordinet, imprimere illum ordinando characterem, executionem tamen officii dare non poſſe. Joh. Bapt. Vivian. *in ration. ad tit. de ordin. ab Epiſc.* In noſtris Eccleſiis diſtinctio iſta nullum planè habet uſum, nec admitti poteſt; qvod characterem

ex

ex ordinatione impressum præsupponat, qvem tamen, ut omni fundamento destitutum, merito rejicimus.

QVI PROMOVERI NON POSSUNT,

TITULUS XXV.

Ponit qvatuor causas sive respectus, ob qvos prohibentur homines ordinari. hoc dicit.

§. 1. Qvoniam verò præcaveri debet, qvod vel infirmari, vel vituperari potest: sciendum est, qvosdam esse, qvi non sunt ad Ecclesiasticos ordines admittendi, qvod fieri contingit qvatuor ex causis: aut enim qvis promoveri impeditur ratione subjectionis, aut ratione delicti jam patrati, aut suspicione futuri lapsus, aut ob corporis læsionem.

qvi non sunt] Decet ministros Ecclesiæ præ cæteris ornatos esse virtutibus, graves moribus, inculpatos in conversatione, & si fieri potest, etiam corpore integros, nec mutilatos, idqve tùm, ne per eos sacra profanentur, tùm ne scandalum auditoribus præbeatur, tùm etiam, ne ludibrio sint plebi. Joh. Aloys. Ricc. *decis. Neapol. 133.* Nec tamen hinc statuendum est, dignitatem ministerii dependere à dignitate personæ administrantis.

Servus & libertus non possunt ordinari, & servus ordinatus sciente domino fit ex hoc liber & ingenuus. h. d.

§. 2. Ratione subjectionis[a] promoveri impediuntur servi: eos enim, nisi à dominis libertatem consecuti fuerint, nullo debet ordine Episcopus[b] insignire: liber enim esse debet, qvi divinæ aggregandus est militiæ. Qvapropter non solùm servi, sed nec, qvi

a *cap. 1. & seq. extr. de servis non ord.*

b *c. nulli, & c. nullus, & c. qvis, & c. de rebus, & c. generalis dist. 54.*

retento obſeqvio, manumiſſi ſunt, cum adhuc ſervitutem qvandam ſervire videantur, ſunt ad clericatus ordinem promovendi. qvæ, ſi contrà factum fuerit, tam ordinantis, qvàm ejus, qvi ſacro præcinctus eſt cingulo, Canonicis pœnis coërcenda eſt audacia. Si tamen ſervus, ſciente Domino, fuerit ordinatus, ex hoc liber erit & ingenuus.

niſi à dominis libertatem conſecuti] At eo ipſo, dum in Epiſcopum aliqvis ordinabatur, libertatem conſeqvebatur, uti patet ex *Novell. 123. c. 4.*

Liber enim eſſe debet] At Concilium Aurelianenſe V. habitum anno 552. *cap. 6.* jubet ſervum invito domino ordinatum vel à domino revocari, vel ſervatâ benedictione honeſtum in ordine domino impendere obſeqvium, ita tamen, ut ſi herus per obſeqvia ordini ſacro injuriam inferre videatur, ordinator duos ſervos ei reſtituat, & ſervum ordinatum Eccleſiæ retineat. Cæterùm ideò fere prohibita fuit ordinatio ſervorum, non qvod ſervus Clericus eſſe non poſſet, ſed ne fides Chriſtiana malè audiret, ac ſi dominorum jura per eam interverterentur. Vid. Claud. Eſpencæus *lib. 2. digreſſ. 18.*

retento obſeqvio] Si operas tantùm prohiberet jus Canonicum, qvas Patrono debet libertus, nihil eſſet qvod improbari poſſet. At profectò obſeqvia prohibere, qvæ in amore, reverentiâ & pietate conſiſtunt, bonis moribus videtur adverſum, & minus juſtum.

Manumiſſus ab Eccleſia, ut eidem ſerviat in divinis, non poteſt ſe transferre ad aliam Eccleſiam. ſecus, ſi ſimpliciter fuerit manumiſſus. h. d.

c cap. eò libentiùs. extr. de ſerv. n oõrd.

§. 3. Qvòd ſi c qvis Eccleſiæ ſervili conditione obnoxius, ab eadem manumittatur, ut inſignitus ordine clericali in ea perpetuò ſerviat in divinis, liber factus & ordinatus, ad aliam ſe transferre non poterit: ſed, ſi ab-

si absolutè manumissus fuerit, ad aliam transeundi non erit licentia deneganda.

Ecclesiæ servili conditione] Utrum Ecclesiam deceat habere servos, dicendum erit infr. *lib. 2. tit. 27. §. illud etiam* &c. Observandum autem hîc, malè præferri publicæ Ecclesiæ saluti jura manumissionis ex jure Romanorum assumpta. Utiq; enim si qvalitercunqve manumissus plus prodesse poterit alii, qvam manumittenti Ecclesiæ, non debet utilitas ista impediri propter factam manumisionem.

Monachi non ordinantur, nisi de licentia Abbatis.

§. 4. Monachi [a] qvoq;, nisi de sui fuerint Abbatis voluntate præpositi, ad Ecclesiastica non sunt officia promovendi.

[a] *can. 1. dist. 58. cap. ad aures. extr. de temp. ordin.*

Monachi qvoq;] A servis autor transit ad Monachos, qvi & ipsi servilis ferè conditionis sunt, cum voluntatibus propriis in ipsâ ordinis susceptione renunciaverint, & semper promissam obedientiam penitus aliorum potestati & imperiis subdiderint *c. non dicatis 12. q. 1.* Non videò autem, cur præcisè abbatis consensus necessarius sit, sicubi monachus in Episcopalem sedem fuerit elevandus, nisi fortè ideò necessarium feceris, qvia eâ ratione transit monachus ex jurisdictione abbatis, ut scil. id fiat abbate non invito. Posset verò etiam eum in finem abbatis consensus necessarius videri, ut monachus voluntatem suam, qvam per professionem amisit, reciperet, cùm aliàs non videatur commodè posse in cathedram Episcopalem evehi. Id obiter noto, â Canonistis doceri, monachum factum Episcopum nec à delatione habitûs, nec à tribus votis substantialibus liberum esse, qvin & alligari adhuc omnibus religionis regulis & statutis, qvæ officium Episcopale minimè impediunt. Didac. Covarruv. *tom. 1. ad c. 1. de testam. n. 26.* De qvâ re, & qvid de statu monachali in genere sentiendum sit, dicam infr. *ad tit. ult. hujus libri.*

Licentia concessa à superiore religioso, ut possit consentire provisioni de se factæ, non valet. h. d.

§. 5. Strictiùs [b] adhuc agitur cum religiosis, non solùm circa ordines, sed etiam circa electionem, vel pro-

[b] *clem. fin. de elect.*

proviſionem qvamlibet: ſicui enim à ſuperiore ſuo licentia concedatur, ut electioni, vel proviſioni, ſi qvam de ipſo fieri contigerit, ſuum accommodare poſſit conſenſum, qvia ambitionis vitio viam parat talis licentia, nullius firmitatis exiſtet.

Strictiùs adhuc] Non ſatis cohæret hic §. cum præcedente. Ut enim verba jacent, videntur diſtingvere religioſos à monachis, qvi tamen coincidunt. Vid. Barthol. Carthagena *in expoſit. tit. jur. Can. lib. 3. tit. 31. obſ. 3.* Imò nomen Religioſi generale dicit Auguſtinus Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 43. n. 17.* qvod omnes omninò comprehendat, qvi ſub regula aliqva communiter perpetuò vivunt. Sed ita generaliter nomen iſtud ab autore hîc non videtur acceptum. Et ut puto, per religioſos intelligendi hîc ſunt Franciſcani & Dominicani, qvi ſe religioſos κατ' ἐξοχὴν, non monachos appellari volunt. Jacob Cujac. *ad c. 51. X. de teſtib.*

vel proviſioni] Proviſionis appellatione veniunt omnes modi, per qvos Eccleſiæ providetur, ſc. nominatio, poſtulatio, electio, præſentatio, confirmatio, inſtitutio & collatio. Aug. Barboſa *de appell. verb. jur. ſignif. num. 228.*

qvia ambitionis vitio] Ambitionem definit Ariſtoteles, qvod ſit vitium, qvo honores mediocres nimium & præter rectam rationem expetimus. At ſi licentiam habeam aut libertati reſtituar (uti contingit in Monachis per talem concesſionem ſuperioris) ut qvæſitus ne refrager, vel ut munus, qvod mihi planè inſcio & non petenti offertur, acceptem, qvæ hæc eſſe poterit ambitio?

Non poteſt qvis ab extraneo Epiſcopo ordinari, niſi de licentia ſui ordinarii, qvam concedere poterit etiam Vicarius & capitulum, ſi ſedes vacet, vel qvi adminiſtrat. h. d.

c *cap. 2. & ſeq. de tempor. ordin. in 6.*

§. 6. Pari[c] ratione conſtitutum eſt, ne qvis alienæ diœceſis virum præter proprii ſuperioris licentiam ordinare audeat, qvam tamen Epiſcopo in remotis agen-

agente, dare poterit ipsius in spiritualibus Vicarius generalis, vel sede vacante Capitulum, seu is, ad qvem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere.

ne qvis alienæ diœcesis virum] Id qvidem integrum est cuilibet Ecclesiæ ita constituere, qvatenus sc. utile visum fuerit & proficuum. In nostris tamen Ecclesiis Saxonicis id non observatur, propter rationes, qvæ habentur in *articul. general. n. 1.*

Itali Episcopi non debent ordinare Ultramontanum, nisi de licentia Papæ, vel sui ordinarii. h. d.

§. 7. Et[d] hoc qvidem non solùm obtinet Italis ordinari flagitantibus, verùm etiam exteris. Etenim illos nullus Italicus Episcopus ordinare debet, nisi vel à summo Pontifice specialem habeat licentiam: vel ab Episcopo, de cujus diœcesi traxerit originem ordinandus: vel in cujus diœcesi beneficiatus existit, per ejus patentes literas causam rationabilem continentes, qvare ipsum nolit vel neqveat ordinare. & ii qvi contravenerint, censuris canonicis coërcentur, prout latiùs ex Clementis IIII. constitutione apparet.

d *cap. 1. de temp. ordin. in 6.*

Clementis IV. constitutione] Vid. *c. 1. de temp. ordinat. in 6.* Ego rationem constitutionis hujus Clementinæ non improbo, qvia, inqvit, sæpè contingit, qvod nonnulli Clerici vinculo excommunicationis adstricti seu apostatæ, seu irregulares, vel aliàs ordinum sacrorum susceptione indigni suam patriam, in qvâ de his habetur notitia, fugientes, se in remotis partibus faciunt ad hujusmodi ordines promoveri &c. Sed enim

tota hæc ratio facit tantùm ad id, ne temerè qvis ordinetur, nisi probè exploratâ prius ejus conditione, non etiam, ut præcisè alterius Episcopi licentia impetranda sit, adeò ut ordinari neqveat, nisi ille Episcopus consenserit.

Homicida voluntarius non potest promoveri, & promotus est deponendus, secus de necessario. h. d.

§. 8. Patrati delicti ratione qvis ordinari prohibetur, ut cùm homicidium, aut aliud capitale crimen [c] facto, aut præcepto, aut consilio perpetraverit: & per surreptionem promotus, dejiciendus erit, dicente Domino, *Si qvis per industriam* [f], *aut per insidias hominem occiderit, ab altari meo evelles eum.* De eo itaq; homicida intelligendum est, qvi voluntate committit homicidium. Cæterùm si qvi necessitate maxima arctati, effugere nullo pacto valentes, homicidium admiserint, nullam ex hoc irregularitatem incurrunt.

[c] *can. si qvis viduam. 50. dist. & per totũ. & extr. de homic.*

[f] *Exod. 21. 14. cap. 1. extr. de homic.*

facto aut præcepto aut consilio] Tutius esset, omnes istos per pœnam ordinariam ex oculis hominum removerè, ne deinceps controversia moveri posset circa promotiones Ecclesiasticas. Illud dubio non caret, qvod movet Alvarus Valascus *consultat. 48.* circa Laicum, qvi cùm condemnatus esset in exilium decennale, & post condemnationem factus est Clericus, utrum sententia condemnationis adhuc teneat? Negat Valascus & concludit, causam in foro Ecclesiastico esse ex integro agitandam. Sed meo judicio parum justè. Nec enim tollit dubium Valascus, qvod maximum sit inconveniens, ut in nihilum resolvatur sententia lata in foro seculari antehac competente, & ut ejus vigor sic evanescat. Ut maximè enim per susceptionem ordinis jurisdictione Laici se in futurum eximat, iniqvum tamen est, sententiam antea justè latam facto condemnati annullari. Et satius esset talem non promovere, qvàm sententiam evertere. Qvemadmodum igitur

igitur mutatio fori post sententiam vel litis contestationem prioris judicis jurisdictionem non impedit, *l.19. ff. de jurisdict. l.7.ff.de judic.* ita nec Clerici privilegium impediet, si justè in eum adhuc laicum sententia lata est. Alàs enim in arbitrio esset delinqventium, judicia facere elusoria. Et propterea haud paulo justiores sunt constitutiones, qvas in tali materiâ anno 1587. & 1588. edidit Sixtus V. Pontifex, referente Thoma Hurtado *tr. 1. resol. 49.*

dicente Domino] Elegàns, si diis placet, est hæc probatio. Loqvitur enim ibi dominus non de clerico, sed de qvocunqve homicida, studiosè & datâ operâ crimen perpetrante & deinceps ad altare, tanqvam ad asylum confugiente. Hunc enim asyli jure non gaudere, sed ab altari avelli debere dicit Dominus. Vid. Selden. *de jur. nat. & gent. secund. doctrin. Hebraor. l.4. c.2.*

nullam ex hoc irregularitatem] Sed aliud rescripsit Nicolaus Papa, uti habetur *c.7. dist.50. De his clericis,* inqvit, *pro qvibus consuluistis, scilicet, qvi se defendendo, paganum occiderunt: si postea per pœnitentiam emendati possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem conscendere: scito nos nullam occasionem dare, nec ullam tribuere eis licentiam qvemlibet hominum qvolibet modo* (hæc verba attentè considerat Claudius Espencæus *l.2. digress.c.4.*) *occidendi. Veruntamen si contigerit, ut Clericus sacer dotalis ordinis saltem paganum occiderit, multum sibi consulit, si ab officio sacerdotali recesserit: satius ei est illi in hâc vitâ domino sub inferiori habitu irreprehensibiliter famulari, qvàm alta indebitè appetendo damnabiliter in profundum inferni demergi.* Cæterùm utcunq; concedamus, non incurrere irregularitatem Clericum ex moderamine inculpatæ tutelæ occidentem, si tamen ille in defensione modum excesserit, & occiderit aut mutilaverit, irregularem eum fieri docet Petrus Binsfeldius *de injur. & damn. dat. cap.1. qv.5. conclus. 12.*

Fortuitum homicidium commissum, dum dabatur opera rei illicitæ, impedit qvem promoveri. h.d.

§. 9. Qvòd si neq; voluntarium fuerit neq; necessarium, sed fortuitum, distingvendum est, num is, cujus occasione perpetratum fuerit, illicitæ rei daret

operam, an licitæ. Si illicitæ [a] rei dans operam, ut putà, vetito ludo incumbens, casu homicidium perpetraverit, vel bello etiam contra infideles sese immiscens, volens Christiani nominis hostem interfecerit, nec [b] ad sacrōs ordines promovendus est, & promotus non solùm ad superiores ascendere prohibendus est, verùm etiam in suo ministrare: planè [c] ex dispensatione in inferiore ministrare substinendus erit.

a *ap. continebatur. extr. de homic.*

b *can. clericū qui. & can. seq. dist. 50.*

c *d. cap. continebatur. in fin.*

illicitæ rei daret operam, an licitæ] Utroqve casu culposum fieri potest homicidium. Primo qvidem simpliciter; secundo, si qvis in re licitâ ac permissâ non adhibuerit omnem diligentiam. Vid. Carpzov. *in prax. crim. part. 1. qv. 27. n. 16.*

vel bello etiam] Hæc ex disciplina vetere, qvam prolixè exponit Claudius Espencæus *lib. 2. digress. c. 6.* Et deplorat ibi statum Ecclesiæ hodiernum, qvòd dum Abbates, Episcopi, & Archi-Episcopi, simul comites hodiè sint, Duces, atqve Principes, ea potius ab illis suscipiantur, qvæ ad ampliandam provinciam spectant, qvàm qvæ Ecclesiæ possint esse utilia. *Sint*, inqvit, *hæc per me licet omnia Ecclesiastici, & sive ex hæreditate, sive principum liberalitate merum imperium habeant, omnemq; jurisdictionem sive ipsi, sive eorum nomine alii exerceant,* — — *sed optandum, ea ne gubernatio à spirituali eos procuratione avertat; duplicem gerunt personam, sed ne neglectâ propriâ functione, profana, multo minus vel potius omnium minimè cruenta & bellica tractent.* Et post aliqvammulta cum enumerasset, in priore Ecclesiâ non armis, sed precibus pugnatum fuisse, ita concludit: *Et tales qvidem fuérunt in utroq; DEI populo sacerdotum inermium & pacificorum erga seculi dominos fideles & infideles, mites & barbaros victoriæ non minus gloriosæ, qvàm incruentæ, qvibus non contenta posteritas veteris gentilismi ritu togas in saga mutavit. Postqvam enim ex lex semel necessitas Clero ad prælia non tantùm animum, sed manum etiam exeruit, factum est, ut cum tempore omnia deterente eundem ludum exercerent, simul atq; receptum est, ut profanas cum sacris ministeriis dimi-*

mes

nes & tenerent & gererent. Nec tantum contra barbaros & incredulos, sed ejusdem qvoq; nunc sanguinis, nunc patriæ aut certè fidei principes, Domini nostri Dei pacis qvidam minus pacifici vicarii bella indicerent & gererent, exemplo scandalis infinitis gravido & nullâ scripturarum aut canonum autoritate probato. Subjungit deinde historiam Pontificum Romanorum, qvi bella vel ipsi gessérunt, vel hortatu suo aliis, ut gererent, autores fuérunt. Et certè Leonis IX. proterviam atq; bellicosum animum gravi censurâ notavit Hermannus Contractus *in Chronic.* & post eum Petrus Damiani *in epist. ad Firmum*; Vir Bellarmini judicio *de Scriptor. Eccles.* valdè sanctus & devotus, sed qvi propterea à Baronio *ad ann. 1053. n. 14.* hæreseos notâ inuritur. Sed & in privatas hominum neces sæpissimè Pontificum Romanorum intervenire jussûs, scribit Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 5. c. 9. n. 21.* Ipsos igitur eos irregularitatem per ejusmodi crimina incurrere, & propterea gradu dejiciendos esse, ex Canonistarum principiis non ineptè colligimus. Sed enim uti Papa bellum indicere & gerere potest, salvâ cathedrâ ita & Cardinales, Episcopos & reliqvum clerum militiam affectare & præliis interesse posse, salvâ purpurâ, salvis sedibus, salvo deniq; ordine, & hujus & superioris seculi historia multis exemplis comprobavit. Nam, ut in veteri versu est:

Præsul ut amptruat, inde & volgu redemptruat olli.

Nihil est igitur, qvod tam acerbè insultet Cardinali Gvisio Gabr. Barth. Gramondus *hist. Gall. l. 8. circ. fin.* Benè tamen, qvod perversos istos Episcoporum mores reprehendit Baronius *ann. 888. n. 2. Videri potuit*, inqvit, *planè monstrosum, qvod tàm Episcopi, qvàm Abbates armati ad bella procederent, in hostes irruerent, caderent ipsos & caderentur ab ipsis, tanqvam sacrorum canonum violatores & muneris pastoralis & nominis desertores detestandi.*

Si dans operam rei licitæ, ex negligentia homicidium commisit, irregularitatem incurrit: secùs, si non ex negligentia, sed mero casu. h. d.

§. 10. Sed[d] & si licitæ rei opera dabatur, nec tamen debitam qvis operi suo adhibuit diligentiam, ex qvo homicidium sequtum est, ab omni ministerio altaris excludendus erit: qvod in eo responsum est, qvi puerum[e] intuitu disciplinæ ita percussit, ut ex per-

d *cap. continebatur. ext. de homic.*

e *cap. presbyt. extr. de hom.*

cusſione expiraverit, vel ex ea in aliam infirmitatem incidit, ex qva compertum fuit expiraſſe. Præceptoris enim nimia ſævitia culpæ aſſignatur. Diverſum ſtatuitur, ſi nulla culpa ſubſit, ut in eo accidit, qvo campanas [f] pulſante, ut ſigno dato conveniret populus ad divina, tintinabulum cadens, ita ſubjectum puerum percuſſit, ut ex vulnere deceſſerit: nam cùm is culpæ penitùs expers fuerit, nullam incurriſſe noſcitur irregularitatem, etiamſi de homicidio veniam poſtulaverit. Bonarum enim mentium eſt, ibi etiam culpas agnoſcere, ubi culpa non eſt.

[f] *cap. Joannes ſacerdos. d. tit. de homic.*

qvi puerum intuitu diſciplinæ] Præceptori licet diſcipulum etiam flagris caſtigare, (qvanqvam id displiceat Qvintiliano *lib. 1. c. 4.*) dum tamen abſit ſævitia. Nec enim homicidæ pœnam effugit, qvi nimium ſæviens homicidio cauſam dederit.

Infantes, furioſi, dormientes, ex commiſſo homicidio non incurrunt irregularitatem. h. d.

§. 11. Idem [g] conſtitutum eſt de infantibus, furioſis, & de dormientibus, qvi ſi hominem mutilent, vel occidant, nullam ex hoc irregularitatem contrahunt.

[g] *clem. 1. de homic.*

de infantibus] & infantiæ proximis, qvamdiu ſcil. doli nondum fuerint capaces, qvod prudentis judicis arbitrio relinqvitur. Vid. Anton. Matthæus *de criminib. in prolegom. cap. 2. n. 2.* Coler. *deciſ. 162.*

furioſis] qvia ob continuam mentis alienationem intellectu, ſenſu, affectu ac voluntate deſtituti dicuntur, ita ut ſi qvod crimen committant, infelicitate fati excuſentur. *l. 12. ff. ad L. Corn. de ſicar.* Anton. Fab. *Cod. lib. 9. tit. 10. def. 1.* Menoch. *de arbitr. jud. qvæſt. caſ. 325.*

& de

& de dormientibus] qvia eadem eorum est causa, qvæ furiosorum & infantium, comparaturq; disertè dormiens infanti in *l. 1. §. 3. ff. de acq. vel amitt. possess.* & furioso in *c. majores X. de baptism.* Unde mulierem dormientem, qvæ infantem sibi adjacentem oppresit, extraordinariâ tantùm pœnâ puniri debere, statuunt Doctores. Gomez *lib. 3. resol. c. 3. num. 19.* Qvirin. Kubach *cent. 1. dec. 8. q. 5. & q. 6.* ubi de noctambulonibus agit, Georg. Mund. *de diffamat. c. 3. n. 76, seqq.*

Clerici facientes qverelam de suis malefactoribus, non fiunt irregulares, etiamsi Judex mortem illis inferat. b. d.

§. 12. Idem & de clericis[h], qvi de injuriis sibi illatis apud Judicem conqveruntur, protestantes, qvòd ad vindictam, seu sangvinis pœnam non intendunt. Nam si Judex Justitia exigente mortem delinqventibus inferat, accusatoribus imputari non debet: alioqvi si propter hujusmodi metum, quia scilicet Judex ad pœnam sangvinis posset procedere, sic conqveri non auderent, daretur plerisq; materia trucidandi eos, & ipsorum bona passim invadendi.

h *cap. 2. de homic. in 6.*

sangvinis pœnam non intendunt] Clericos neqve præesse neqve interesse vel qvæstionibus vel judiciis vel suppliciis, neqve consilium dare debere, constans est Canonistarum doctrina, adeò ut nec Chirurgiæ qvidem artem eis exercere liceat, qvatenus sc. vel adustionem vel incisionem eligere necesse fuerit. *c. sententiam 9. X. ne Clerici vel monachi &c.* Sed extat tamen decretum Hadriani Papæ *c. delatori 5. q. 6.* his verbis: *Delatori autem lingva capuletur, aut convicto caput amputetur.* Et *c. 1. X. de depos.* memorat Alexander III. Pontifex, se judicibus dedisse in mandatis, ut futem sub qvæstionibus ad rationem ponant, etiam vinculis alligatum, ut pecuniam reddere compellatur. Annum ergo exemptus hîc erit Papa, Ecclesiæ Romanæ caput, ut ipsi torturam & mortis supplicium decernere liceat, cum Episcopis non liceat? Et qvid verò illis Clericis facias, qvi temporal-

porales ipſimet domini cum ſint, merum in ſuos habent imperium? Hic verò, ut ne impunia maneant delicta, conſtitutione opus fuit Bonifacii VIII, qvi *c. fin. ne clerici vel monachi, in 6.* talibus ſine periculo irregularitatis per alios facere permiſit, qvod ipſi facere prohibiti fuerant. Ita ſcil. Pontifices, prout cujusq; rei fert occaſio, modo irregulares facere, modo impedire, ne fiant, conſtitutionibus ſuis poſſunt. Qvod cùm non placeret Hoſtienſi ad *c. clericis X. ne clerici vel monachi &c.* ita ſubjicit, *Aut Clericis concedendum jus, ubi jurisdictionem habent temporalem, per ſe dicere & juſtitiam facere ita, ut non fierent irregulares: aut talem temporalem jurisdictionem eis omninò eſſe ſubtrahendam.*

Publicè pœnitentes non poſſunt promoveri, poſſunt tamen ex neceſſitate deputari in aliqvo minorum ordinum. h. d.

a *can. canones apud. diſtinct. 50.*

§. 13. Pœnitentes[a] qvoq; tam ad ſacros ordines, qvàm etiam infimos promoveri non debent: qvod utiqve non de omni pœnitente intelligendum eſt, ſed de eo tantùm, qvem publicè, ac ſolenniter pœnituit: qvæ pœnitentia ſemel tantùm in Eccleſia conceditur[b]. Placuit tamen Toletano Concilio[c], ſi neceſſitas aut uſus exegerit, inter oſtiarios, vel lectores hujusmodi pœnitentes poſſe collocari.

b *can. ſi qvis poſt. §. poteſt. d. diſt. 50.*

c *can. placuit. d. diſtin. 50.*

promoveri non debent] Promoti autem removeri debent. Conceditur enim & injungitur etiam Clericis pœnitentia, ſed ita ut eâ exactâ laici omninò judicentur, neq; unqvam ad ordinem, curationesqve ejus ordinis, qvas ante pœnitentiam obierant, exercendas revocentur. Sic enim Cyprianus *lib. 1. epiſt. 4. & epiſt. 7.* Aſſuritanæ plebi ſvadet, ne Fortunianum, qvi idolis ſacrificaverat, ad Epiſcopatum admittant. *Et lib. 4. epiſt. 2.* memorat, Trophimum pœnitentiam agentem admiſſum eſſe, ut laicus communicaret, non ut locum Sacerdotis uſurparet. Qvare autem promoveri pœnitentes in Clerum, aut eidem reduniri nõ poſſint, ex ſingulis pœnitentiæ gradibus rationes conqvirit Gabriel Albaſpinæus *lib. 2. obſerv. 34.* Potiſſima mihi videtur ratio, ut evitetur ſcandalum, qvod inde ſibi populus ſumit, propter qvod

qvod etiam renunciari posse Episcopatui dixit autor *supr. §. 5. de renunciat.*

qvem publicè ac solenniter pœnituit] de hâc pœnitentiâ dicendi locus erit *lib. 2. tit. 5.* Qvod si igitur Clerico pœnitentia tantum privata peragenda fuerat, qvod factum non unis vicibus, non ejiciebatur Clero, nec ab officio removebatur.

inter ostiarios vel Lectores] qvod scil. illi sacra non attingerent. Vid. Albaspin. *d. l.*

Qvi exercuerunt officia secularia, si honesti sunt, post reddita ratiocinia possunt ordinari, secus est de usurariis. h. d.

§. 14. Iis[d] illi similes sunt, qvi negotiis & officiis secularibus serviunt: qvorum tamen vita si post deposita onera, & reddita ratiocinia deprehensa fuerit inculpata, omnibus possunt muneribus honestari. Qvòd si qvis usuras[e], dum negotiaretur, exercuisse compertus fuerit, non solùm ordinandus non est, verùm etiam ordinatus deponendus[f]. Mens enim avida, nec abstinere novit vetitis, nec gaudere concessis[g].

d *cap. un. ext. de oblig. ad ratioc. ord. vel non.*

e *can. 2. dist. 33.*

f *can. si qvis clericorum. dist. 47.*

g *can. virum. in fin. d. dist. 47.*

& officiis secularibus serviunt] Fieri enim posset, ut hujusmodi homines alienis negociis implicati, ideò ad sacros ordines properarent, ut hâc ratione laicorum jurisdictioni subtracti, non nisi coram judice Ecclesiastico conveniantur: non sine detrimento eorum, qvibus sunt obligati, qvibus propterea redditur persecutio difficilior. Qvæ res reprehensioni obnoxiam faceret ipsam Ecclesiam; qvæ tale genus hominum suscipiendo videretur fovere eorum neqvitiam. Præterea condemnatio talium, propter malè peractum officium eos notaret infamiâ, qvæ redundaret in ipsam Ecclesiam. Ita Zoësius *ad tit. de obligatis ad ratioc. ord.* At enim non aliter qvis notatur infamiâ, nisi propter dolum disertè fuerit condemnatus. Nec eo tamen casu in alium, qvam ipsum illum condemnatum infamia redundat.

dundat. Et qvod de mutatione judicii differit Zoësius, vereor, ut locum invenire possit. Est enim generale hoc axioma, qvod administratores apud judicem loci administrationis conveniri & ibi rationes reddere debeant. Et ab hoc axiomate non audet eximere clericum, administrationem rei secularis affectantem Munoz de Escobar *de ratiocin. administr. c. 7. n. 25.* multo minus igitur excipietur ille, qvi ante, qvam ordinem susceperit, administrationem talem gessit.

Qvod si qvis usuras] De usuris dicendi locus erit infra *libr. IV.*

Simoniaci, seditiosi, & injuriarum ultores ordinari non possunt. h. d.

§. 15. Idem statuendum est de eo, qvi qvasi dona Dei empturus, pecuniam ad imitationem Simonis [h] obtulerit. Idem & de seditiosis [i], & his, qvi propriarum injuriarum pertinaces fuerint ultores.

[h] *can. 2. in fi. dist. 33. & 1. q. 1. per totum.*

[i] *can. seditionarios. dist. 46.*

ad imitationem Simonis obtulerit] De Simonia agetur infra *libr. IV.*

Idem & de seditiosis] Abeat ergo cathedrâ suâ Episcopus Romanus, cui solenne est Reges dejicere, & subditos in eos concitare, maximisq; seditionibus integras provincias inter se collidere.

Fur occultus potest post restitutionem, & pœnitentiam ad sacros ordines promoveri. hoc dicit.

§. 16. De [k] fure, an ad sacros ordines promoveri possit, qværi potest. & si qvidem sponte furtum confessus, damnum passo satisfecerit, & pœnitentiam peregerit, si alioqvi idoneus fuerit, nec super furto manifesta respersus sit infamia, ad sacros ordines procul dubio promoveri poterit.

[k] *cap. ex literis. extr. de furt.*

mani-

Digitized by Google

manifestâ respersus sit infamiâ] Qvid hîc manifesta? An qvæ per sententiam infertur? Ita videtur sediſſe menti autoris. Aliàs enim non tantùm damnatus sententiâ, sed etiam confeſſus crimen, & non confeſſus tantùm apertè, sed & depectus, i. e. qvi transactione se liberaverit, ne tum ipso agatur, infamiam incurrit. Marq. Freher. *de infam. lib. 3. c. 9. n. 8.* Add. Joh. Aloyſ. Ricc. *decis. 133.*

procul dubio promoveri poterit] Loqvitur Pontifex in *c. ult. X. de furt.* de fure sacrilego, qvem adeò â pœnâ liberat, ut ipsi etiam aditum ad sacros ordines patefaciat. Sanè ex commodo Reip. & societatis humanæ est, ut scelera inqvirantur, non occultentur & supprimantur, puniantur, non subleventur ex obtentu pœnitentiæ, *l. 65. ff. de furt. l. 3. C. de Epiſc. aud. l. 4. §. 2. C. de his qvi ad Eccleſ. confug. 2. Feud. 27. §. 2. & 9.* Sed ita tamen constitutionem suam limitat Pontifex, & tales conditiones reqvirit, ut tolerari ea utcunq; possit.

Baptizatus in ægritudine non debet ordinari regulariter, & rebaptizati nunqvam ordinantur. h. d.

§. 17. Sed etsi nullum qvis delictum perpetrasse deprehendatur, qvod illum à sacris excludere valeat ministeriis, adhuc tamen, si vel de fide ejus, vel continentia suspicio sit, promovendus non erit. Ut ecce, si qvis in ægritudine [l] constitutus, baptizatus fuerit, qvia fides ejus non ex voluntate, sed ex necessitate videtur esse, presbyter ordinari non debet: nisi fortè postea ipsius studium & fides emicuerit, aut hominum raritas hoc exegerit. Scienter autem rebaptizatis[m], ut ad clericatus gradum promoveantur, permittendum non erit.

[l] *canon. 1. & seq. dist. 57.*

[m] *can. confirmandū est. in fi. dist. 50. c. qvi bis. & c. seq. de Conſec. dist. 4.*

vel continentiâ suspicio sit] Ecqvando verò qvis certus esse poterit de ordinandi continentiâ? qvippe qvæ peculiare Dei donum

est, pauciſſimis omninò conceſſum. Aut qvis deniqve ordinandos juſſit ejurare matrimonium, niſi AntiChriſtus? Neqve enim bona temporalia ad ſalutem acqvirendam â DEO non ordinata (ex qvorum numero eſt abſentia cupiditatis Venereæ in ſtatu viæ) poſſunt ſperari infallibiliter, qvia nullam habent abſolutam promiſſionem. Multo minus per votum renunciari poteſt illi, qvod incertum eſt, an DEUS velit ſupplere. Qvomodo cibo & potui non poteſt renunciari ſpe manna cœlitus pluituræ.

ſcienter autem rebaptizatis] qvia ſc. hi ipſum totum Chriſtianæ fidei principium & fundamentum concutiunt, & ſe iterato baptiſmate non purificant, ſed inceſtant lavacri nomine polluentes, *l. 1. C. Ne ſanct. baptiſm. iteret.* ſive uti dicitur in *l. 5. C. Theodoſ. de hæret.* qvia redempta venerabili lavacro corpora reparata morte tabificant, id auferendo qvod geminant.

Filii presbyterorum non poſſunt ordinari, niſi fiant regulares, vel monachi, vel niſi ſint nati ex legitimo matrimonio, vel ſint valde monati. hoc dicit.

a *can. 1. diſt. 56. & can. 1. extr. de filiis presbyt.*

§. 18. Presbyterorum [a] qvoqve filii à ſacris miniſteriis arcendi ſunt, niſi aut monachi fiant, vel in congregatione Canonica regulariter viventes, religiosè probati fuerint converſari. Sed hoc [b] de iis intelligere nos oportet, ad qvos adulterio natos paterna flagitia hæreditaria ſucceſſione deſcendunt: unde ſi vel ex legitimo nati ſunt matrimonio [c], vel morum honeſtas eos commendabiles fecerit exemplis & authoritatibus, non ſolùm ſacerdotes fieri poſſunt, ſed etiam ſummi ſacerdotes.

b *d. can. 1. §. ſed hoc. diſt. 56.*

c *cap. adhæc ex. extr. de filiis presb.*

niſi aut Monachi fiant] qvia tum omnem ſuam vitam penitus innovaſſe videntur, & omnis illicò macula exemplo natalium reſtitutionis aboletur, ſi credere fas eſt Gabrieli Palæoto *lib. de nothis ſpuriisq; c. 57. n. 4.* De ratione autem, qvare, qvi ex juſtis nuptiis procreati non ſunt, ad mi-

Digitized by Google

ad ministerium Ecclesiasticum non admittantur, vid. Franc. Duaren. *de sacr. Eccles. minist. lib. 4. c. 5.*

vel ex legitimo nati sunt matrimonio] qvod sacerdotibus ante prohibitionem ubiq; licitum erat, & in Orientali Ecclesiâ usq; hodiè eis licere probatur. Ita Gratianus *ad c. 13. dist. 56.* Malè autem & impiè in occidentali Ecclesiâ sacerdotibus matrimonium fuisse prohibitum, dixi aliàs.

summi sacerdotes] qvales referuntur *can. 2. dist. 56.* Add. Palæot. *d. l.*

Bigamus, & qvi uxorem duxit viduam, ejectam, vel meretricem, ordinari non possunt. h. d.

§. 19. Item [d] repellendi sunt, bigamus, & qvi viduam, vel ejectam, vel meretricem, vel ancillam uxorem duxerit. Vidua est, cujus cognitæ maritus mortuus est: Unde [e] is, qvi ab alio qvidem ductam, sed minimè cognitam duxit uxorem, propter hoc impediri non debet, qvin possit ad sacerdotium promoveri, cùm neuter carnem suam diviserit in plures. Ejecta est, qvæ vivente marito ejicitur. Meretrix, qvæ multorum libidini patet, & cujus turpitudo publicè venalis est. Qvod non de iis intelligendum est, qvi tales adhuc uxores retinent (nam in iis alia ratio est: qvia scilicet conjugati non possunt in sacris esse constituti) sed de iis, qvorum uxores defunctæ sunt.

d *can. expœnitentibus. & seq. & can. si qvis viduã. dist. 50. can. 2. dist. 33. cap. 1. & 3. per totum titul. extr. de bigamis.*

e *cap. debitũ. extr. de bigamis in fin.*

bigamus] Ortum hoc est ex pravo intellectu loci Paulini *1. Tim. III, 2.* cum tamen ibi Paulus non prohibeat secundas nuptias post mortem Con-

Conjugis contractas, ſed vel polygamiam ſimultaneam, vel qvando qvis repudiatâ adhuc vivente alteram duxit, vel qvando qvis concubinarum & ſcortorum Vir fuit. qvæ ipſiſſima eſt interpretatio Theodoreti. Conf. Chriſtoph. Juſtell. *ad Cod. can. Eccleſ. univerſ. p. 190. ſeq.* Et fuére qvidem aliqvando Patres Eccleſiæ antiqvioris minus æqvi nuptiis ſecundis, ſed obtinere tamen eorum ſententia ideò non potuit, qvia Apoſtolus diſertè Maritum dicit eſſe liberum à lege Uxoris defunctæ, ut aliam ducere poſſit, Rom. VII. & alibi, à viduis ſecundas nuptias poſſe contrahi in domino, 1. Cor. VII. Ex ſolo igitur jure poſitivo & oneroſo qvidem atq; libertati conſcientiarum maximè adverſo eſt, qvod, qvi ſecundas nuptias contrahunt, ita conſtringantur, & tanqvam ignominiâ notati ab ordine Eccleſiaſtico excludantur.

& qvi viduam] Etiam hoc à Judæis κακοζηλίᾳ qvâdam acceptum videtur, qvippe apud qvos Pontifici viduam & repudiatam atq; meretricem ducere prohibitum erat. *Levit. XXI, 14.* qvod tamen Judæi (in hoc ſc. æqviores & conjugio & ſacerdotio) intelligunt de Pontifice, dum dignitate gaudet pontificiâ; nam ſi, anteqvam in eam dignitatem evectus fuiſſet, viduam ſeu vitiatam duxiſſet, aut cum eâ ſponſalia iniviſſet, retinendam eam fuiſſe docent. Vid. Selden. *de Uxor. Hebr. lib. 1. c. 7.* Ratio tamen Canoniſtarum hæc eſſe videtur, qvia, qvi ducit viduam, digamiam ejus probat & digamiæ occaſionem præbet, atqve facit, ut ea carnem ſuam dividat in plures. Qvod tamen prohibitum non eſſe, ſed imò ab Apoſtolo in Domino fieri poſſe, aſſertum, modo dixi.

vel ejectam] i. e. repudiatam, qvam qvi ducit, mœchatur, *Matth. XIX, v. 9.*

vel meretricem] At ſi caſtè ea in conjugio vixerit, non video, cur prohiberi debeat officio Eccleſiaſtico, qvi talem habuerit in matrimonio. Ratio enim qvod ea carnem ſuam diviſerit in plures, vel ideò applicari hîc neqvit, qvia in caſu inverſo, ubi vir pluribus concubinis adhærendo carnem ſuam in plures diviſit, ille non incurrit irregularitatem, *§. ſeq. aliud juris &c.*

vel ancillam] Cum ancillâ ſeu ſervâ (talem enim intelligere videtur autor) nullum jure Romano erat matrimonium. Injurium tamen id videtur in genus humanum, uti vel ex eo perſpicere licet, qvod ſerviles etiam cognationes nuptiis impedimento eſſe voluit *§. 10. Inſtit. de nupt.* Cumq; deinceps ſervitus omnis deſierit, qvid prohibet, eum officio fungi Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiastico, qvi ancillam habuit in matrimonio? imò verò cur prohibeatur, qvi servam habuit?

Vidua est] Propriè sc. Aliàs enim Viduam non solùm eam, qvæ aliqvando nupta fuit, sed eam qvoqve mulierem, qvæ Virum non habuit, appellari, ait Labeo *l. malum ff. de V. S.*

qvæ multorum libidini patet] Qvæ igitur cum uno aut altero se miscuit, meretricis appellatione non continetur *l. palàm ff. de rit. nupt.* Et hanc tamen qvi duxerit, à sacro ministerio nihilominus arcetur, qvandoqvidem virginem in Uxorem duxisse necesse est, qvi ad sacros ordines adspirat *c. curandum & c. præcipimus dist. 34.*

non possunt in sacris esse constituti] qvippini? cum nullibi jus divinum obliget sacerdotes ad cœlibatum, sed conjugium his æqvè ac aliis permisit liberum. Et jam supra dixi, jugum hoc cœlibatûs sacerdotibus impositum esse intolerabile, provenire ex doctrinâ dæmoniorum, & repugnare tùm divinæ conjugii institutioni, tùm humanæ in universum naturæ.

Bigamus est, qvi duas duxit uxores, & qvi secundas nuptias tantùm de facto contraxit, reputatur bigamus. Item, si cum vidua de facto contraxerit. h. d.

§. 20. Est autem bigamus [f], qvi duas habuit uxores, sive baptizatus ambas, sive etiam ante baptismum alteram. Si [g] qvis tamen laicus primam duxerit, in sacris constitutus alteram, an sit inter bigamos reputandus, hæsitatum est. Ex facto autem responsum est, hunc qvidem nec bigamum esse, nec maritum viduæ: qvia tamen, qvantum in ipso fuit, secundas nuptias contraxit, & viduam duxit, tanqvam de bigamo, fore constituendum.

f *Gloss. pen. cā. pen. dist. 26.*

g *cap. nuper. & cap. fin. extr. de big.*

ante

ante baptismum alteram] Ita etiam disputat Augustinus, talem non esse ad ministerium admittendum. Hieronymus verò *in tit. 1.* falsè hoc refutans qværit, qvo privilegio illi, qvi ante baptismum cum aliqvot concubinis inqvinati fuerunt, (Augustinum notans, qvi ante baptismum duas habuit concubinas) ad ipsum Episcopatus solium adscendant. Et *in Epist. ad Ocean.* dicit: *Cauterius Hispaniæ Episcopus & ætate vetus & sacerdotio, unam anteqvam baptizaretur, alteram post lavacrum, priore mortuâ, duxit Uxorem, & arbitraris eum contra Apostoli feciſſe sententiam, qvi in catalogo virtutum Episcopi unius Uxoris virum præcipit ordinandum? Miror autem te unum protraxiſſe in medium, cum omnis mundus his ordinationibus plenus sit, non dico de presbyteris, non de inferiore gradu. Ad Episcopos venio, qvos si sigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminensis synodi multitudo superetur. &c.*

hunc qvidem nec bigamum esse] qvia sc. matrimonium ab eo, qvi in sacris constitutus est, contractum non consistit, eò qvod secundum Canones pontificios (ex doctrinâ dæmoniorum *1. Tim. IV, v. 1. & 3.* concinnatos) contrahere non potuit.

nec maritum viduæ] Duo hîc proponuntur casus, alter, utrum bigamus sit, qvi laicus unam, in sacris constitutus alteram duxit. Alter: utrum bigamus sit, qvi, dum in sacris constitutus esset, duxit viduam.

Fornicatus cum pluribus concubinis, non incurrit irregularitatem bigamiæ. h. d.

h *cap. pen. ext. de bigamis.*

§. 21. Aliud Juris est de concubinis [h], qvas si plures qvis habuerit, irregularitatem bigamiæ non incurrit, sed cum eo, tanqvam simpliciter fornicatus sit, qvoad executionem sacerdotalis officii, dispensari poterit.

Aliud juris est de concubinis] Perversa prorsus ratio est, virtutes, qvas Scriptura expressè in Episcopo reqvirit, qvæqve ad ædificationem Ecclesiæ faciunt, negligere, reqvirere autem alia, qvæ non sunt præscripta nec utilia. Si qvis enim Uxore defunctâ aliam legitimè duxerit, vel si vi-

Digitized by Google

si viduam duxerit, is etiamsi reliqvis donis ad ædificationem Ecclesiæ utilibus & necessariis ad miraculum usq; à DEO ordinatus sit, à ministerio Ecclesiastico arcetur & removetur. Qvi verò centum adulteriis vel mille stupris se prostituit, illi, si modo legitimum conjugium fugerit, etiamsi stipes vel asinus sit, nullâ prorsus inhabilitas obstat, qvo minus ad sacros ordines promoveri, imò ad apicem, non Episcopalem tantùm, sed pontificium etiam, cum solenni acclamatione, Dignus & justus est, evehi possit. Sed sepositâ habilitate aut inhabilitate subjecti, ipsa tota hæc doctrina, qvod sacerdos fornicator minus peccet, qvàm sacerdos maritus, non verbo DEI tantùm, sed etiam antiqvis canonibus è diametro adversatur. Disertè enim dicitur *can. apostol. 7.* qvod is, qvi post acceptum sacrum baptisma concubinam habuerit, non possit esse ex numero eorum, qvi in ministerio sacro deserviunt. Sic Gratianus *c. 9. dist. 28.* adducit ex concilio Neocæsariensi ista verba: *Presbyter si Uxorem duxerit, ab ordine illum deponi debere. Qvod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abjici, & ad pœnitentiam inter Laicos redigi oportet.* AB ORDINE, ait hic glossa, i. e. ab officio & non beneficio. Et secundum hoc magis punitur sacerdos qvi fornicatur, qvàm qvi legitimè contrahit: & hoc ideò, qvia facit contra sacrum ordinem, & etiam contra legem: & ideò minus peccat ducendo uxorem, qvia credit hoc sibi licere. Planè diversum hîc sentit Glossa, qvam circa initia reformationis Cardinalis Campegius, qvi, ut autor est Sleidanus *lib. 4.* contendit, multo gravius esse peccatum, qvod Sacerdotes fiant mariti, qvàm si plurimas domi meretrices alant; nam illos habere persvasum, qvasi rectè faciant, hos autem scire & peccatum agnoscere. Miror autem asserere debere JCtos pontificios, accusari posse mulierem, qvæ adulterium commisit cũ papa, licet papa ipse accusari neqveat, uti post alios statuit Nicol. Boër. *decis. 72. n. 5.* & Pileus Modicensis *qv. 44.* Et elegans est dictus Pileus in rationibo suis pro sententiâ negativâ, ubi inter alia sic scribit: *Sed adhuc est fortior ratio pro Rosellâ*, (qvæ cum Romano Pontifice adulterium commisisse dicebatur) *Non potest probari adultera. ergo nec damnari. Qvod non possit convenire, subtili ratione probatur: Impossibile est, Rosellam cum Pontifice adulterium commisisse, qvod Pontifex idem non commiserit cum Rosellâ: Ergo non potest probari adulterium commisisse Rosellam cum pontifice, qvin probetur pontificem commisisse cum Rosellâ; sed hoc probari est impossibile. Ergo & illud.* Qvis verò Pileo non gratularetur, & aulæ simul Romanæ, de tàm subtili invento? Purpuram meruisset, si nostro vixisset seculo. Et majorem adhuc gratiam sibi comparasset, si concubinarios simul omnes declinandi opprobrii rationem docuisset, ne Henrici Cuyckii Ruræmundensis Episcopi cen-

ſuram & reprehenſionem, qvam in ſpeculo concubinariorum exponit, audire neceſſe haberent, præſertim cùm tanta ubiq; eorum ſit freqventia, ut circa initium hujus ſeculi in totâ Stiriâ, Carinthiâ, & Carniolâ ſex tantùm reperirentur, qvi non eſſent concubinarii. Alfonſ. de Vargas *de ſtratagem. Jeſuitar. cap. 20.*

Corpore vitiatus, niſi modica ſit læſio, ordinari non poteſt. h. d.

§. 22. Cavenda ſunt autem iis, qvi Eccleſiaſticis mancipandi ſunt officiis, non ſolùm animi, verùm etiam corporis vitia. Unde aliqva parte corporis [a] læſi, ad ſacerdotium aſcendere non valent. Hoc tamen tunc obtinet, cùm evidens & notabilis eſt læſio: cæterùm, ſi modica ſit [b], utputa, qvi exiguam partem digiti, vel ungvem nolentes amiſerint, ita ut ſine ſcandalo poſſint celebrare, à ſacerdotio repellendi non erunt.

a *diſtin. 55. in fum. & per totum.*

b *cap. 1. & fin. extr. de corp. vitiat.*

adſcendere non valent] non qvia læſi ſunt, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur, ut habet canon apoſtol. 78. Utcunq; ergo etiam evidens & notabilis fuerit læſio, ſi tamen expediri Eccleſiaſtica poſſint, & perſona digna fuerit Epiſcopatu, per antiqvos canones munere eo non prohibetur.

Abſciſſi ex neceſſitate promoveri poſſunt, ſecus ſi ex voluntate. h. d.

§. 23. Idem juris eſt [c] de eo, cui vel vi, vel in cunabulis, vel de medicorum conſilio metu imminentis periculi virilia fuerint amputata: qvòd ſi volentes, & carnali vitio repugnare fortè cupientes, ſe ipſos abſciderint, qvia ſui homicidæ ſunt, ad clerum pervenire non poſſunt [d]. Corpore enim vitiati, non caſu,

c *can. ſi qvis à medicis. cum duob. ſeq. diſtin. 55. cap. 3. & 5. extr. de corp. vitiat.*

d *can. ſi qvis abſciderit. d. diſtin. 55.*

Digitized by

casu, sed propria voluntate sunt intelligendi [e]: & sicut in illis veniam casus impetrat, ita vindictam in iis voluntas postulat.

[e] *can. pœnit. S. corpor. d. distin. 55.*

ad clerum pervenire non possunt] In priscâ Ecclesiâ veri continentes & dono continentiæ divinitùs instructi magno in honore fuérunt. Eam gloriam, ut sunt humana ingenia ad æmulationem proclivia, affectárunt multi tali dono continentiæ non instructi. Alii itaq; cum libidini mederi non possent, semetipsos castrárunt, alii singulas, alii etiam plures fœmellas adscivérunt, non qvidem ut Uxores essent, vel carnali copulâ miscerentur; sed ut in solitariæ vitæ solatium sociarum, contubernalium, & sororum, sicut videri volebant, spiritualium vicem præstarent. De ultimis his alibi dicendi locus erit commodior. De illis pauca hîc attexere non erit alienum. Habuérunt autem illi auctorem Origenem Adamantium, qvi ex pravo intellectu verborum Christi *Matth. XIX, 12.* sibi ipsi virilia amputavit, Euseb. *lib. 6. c. 7.* Id factum imitati sunt Valesii in regione Philadelphicâ ultra Jordanem habitantes, qvi autore Epiphanio *hæres. 58.* & se & hospites suos castrárunt, ut ita secum introducerent in regnum cœlorum. De Leontio, qvi deinceps ab Arianis Episcopus Antiochenus factus fuit, simile refert Athanasius, qvod ideò semetipsum exsecuerit, ut liberè ipsi cum Eustolio fœminâ juvenculâ versari imò & dormire licéret. Errorem igitur hunc invalescentem ut compesceret Ecclesia, synodo Nicænâ & Arelatensi canones fuére compositi in eam sententiam, qvæ hoc paragrapho refertur. Nempe duo hîc recensentur Eunuchorum genera: exectorum à se ipsis, & exsectorum ab aliis. Illi autem ab aliis exsecti duplices sunt: ὑπ' ἰατρῶν propter morbum, & violenter. De thlibiis & thlasiis hîc nihil, qvemadmodum nec in canonibus, qvi dicuntur Apostolici, in qvibus tamen ratio redditur exclusionis ac depositionis, qvia sc. est sui ipsius homicida & DEI conditionis sive potius opificii, inimicus. *can. 22.* Addi potest, qvia res est odiosa. Nam Eunuchus est δυσειώνυμον & δυσάντητον θήλυμα, sacris & ἀπὸ κοινῶν συλλόγων ἀποκλειθεὶς; ut ait Lucianus, ἀμφίβιόν τι ζῷον & κορωνάις simile, αἱ μήτε περιστεραῖς μήτε κόραξιν ἐναριθμοῦνται, unde viros non viros in grypho vocat Athenæus. Balsamon *ad canones Apostolicos* errat, qvi eos clero movendos vult, qvi ob morbum execti sunt, qvod utiq; refellitur per Nicænum Canonem. Et in seqventibus errat ejus Interpres, qvi vertit: *similiter & eos, qvi ante sacerdotium absq; morbo genitalia*

exacti sunt. Nimis laxè. Contra enim statuit canon de exsectis per barbaros aut dominos. Balsamon rectè locutus est ἀφῃτημένους. Interpres ergo vertere debuit, qvi à se ipsis exsecti sunt. Notatu autem digna est Balsamonis annotatio ad illum Canonem Apostolicum: πλείους τῶν ἀνθρώπων φρονηματικώτεροι, διὰ τόσον μέλλοντες εἰσαγαγεῖν παῖδας ἑαυτῶν, Ecclesiam adire jusserunt, & ἔκκοπὴν illam suam notam facere, ne ab Ordinibus deinde sacris fortassis excluderentur. Conf. Christoph. Justell. *in cod. Can. Eccles. univ. p. 131.*

Oculo privatus indistinctè promoveri non potest, licet retineat ordines, si postea talis privatio contingat.

§. 24. Hæc autem distinctio non in omnibus membris sibi locum vendicat. Cui enim oculum [f] abstulit casus, licet voluntas desit, sacerdotium tamen consequi non potest. Cæterùm si sacerdotali in ordine constituto tale qvid acciderit, qvod olim integer acceperit, non amittet.

f *can. fin. distinct. 55.*

Oculum abstulit casus] Contrarium habet Canon Apostol. 76. qvia sc. à tali Ecclesiasticum adhuc fieri potest officium. Videtur autem, qvod hîc dicitur, profectum ex cacozeliâ legis Mosaicæ *Levit. 21. v. 18.* qvam ipsam tamen allegoricè interpretatur *c. hinc etenim 2. dist. 49.*

Olim furiosus, vel aliter vexatus, non potest ordinari. Clerici qvi aliqvando fuerunt dæmoniaci, non possunt ad ulteriores ordines promoveri. hoc dicit.

§. 25. Is [g] qvoq;, qvi in furorem aliqvando versus insanivit, aut qvolibet modo vexationis incursibus effertur, aut, qvod propè furorem accedit, in scena luserit, vel afflictione diabolica vexatus fuerit, ordinari non poterit. Clerici etiam [h], qvi in adolescentia à dæmo-

g *can. 2. & 3. distinct. 33.*

h *can. clerici. d. distin. 33.*

Digitized by Google

dæmonibus cognoſcuntur obſeſſi, ad ſuperiorem gradum aſcendere non poſſunt.

qui in furorem aliquando verſus] Durum hoc eſt, qvod prohibitio facta propter morbum animi, durare debeat perpetuo, morbo licet profligato.

DE PRÆBENDIS, ET ALIIS BENEFICIIS,

TITULUS XXVI.

Connexa & dependentia ſunt ſimul tractanda. h.d.

§. 1. Poſt hæc videamus de præbendis, & illarum conceſſione: qvæ pars Juris extra propoſitam qvidem materiam fortaſſe videri poterit: loqvimur enim in præſenti de jure perſonarum. Sed cùm ſuprà de dignitatibus Eccleſiaſticis, qvibus præbendæ videntur annexæ, locuti fuerimus, non ſine cauſa, ſeqventi loco poteſt hæc Juris materia tractari.

qvibus præbendæ videntur annexæ] Olim non erant annexæ. *Prælaturæ & ſacerdotia*, inqvit Annæus Robertus *rer. judicatar. lib. 1. c. 7. & qvæ nunc vocamus beneficia, olim martyria erant, qvin & primis Eccleſiæ temporibus ordinarii beneficiorum proventus & annui dignitatum Eccleſiaſticarum reditus non alii fuérunt, qvàm perſecutiones, flagella, fidiculæ, cruces, ſupplicia, membrorum lacerationes. At nunc Eccleſiæ prælati cœleſtes illos proventûs abnuunt, & pro tormentis, cruce & culeo, delicati martyres, magno Eccleſiaſticorum beneficiorum reditu ſuperbiunt, & pingvi fructuum abundantiâ ſaginantur. — — Sacerdotia & prælaturæ, dum viguit incorrupta Eccleſiæ antiqvitas, nec annuos nec ſtatos reditûs habebant. Unde convenire videbatur, ut plebs Chriſtiana ſacerdotes ſuos in unaqvâq; Eccleſiâ alere teneretur. Magnam & ſollicitam adhiberi operam hoc ſeculo videmus ab iis, qvi*

Digitized by Google

fructuum & redituum occaſione beneficia venantur. — — Vanæ ſunt & ſuperfluæ hoc tempore illæ canonum Conſtitutiones, qvibus ſub gravi pœnâ interdicitur, ne qvis ad ſacerdotia, ſacros ordines aut dignitates Eccleſiaſticas invitus promoveatur. Neq; enim corvos aut cæteras aves, qvæ lacerationе corporum aluntur, tàm rapido volatu ad cadavera per aerem ferri videmus, qvàm ægrotante Clerico beneficii opimi poſſeſſore corvos beneficiarios cernimus aut ad extorqvendã à langvente reſignationem & ſpolia adhuc ſpiranti detrahenda, aut deſperatâ reſignatione ad Regis aulam curiamve Romanã incredibili celeritate advolare. Hactenus Roberto. Qvibus addo, qvæ eruditè obſervat Petrus Svavis *in Exam. Concil. Trid. lib. 6. Canonici*, inqvit, *olim bis uno è qvatuor modis gaudebant. Vel n. omnes una ſolum menſa ſumptu communi inſtar monachorũ regularium alebat, vel ſua cuiq; ſeorſim portio præbebatur, præbenda inde denominata, vel poſt præſtitum â ſingulis Eccleſiæ debitum miniſterium, dimenſum ſuum in annonâ aut pecuniâ numeratâ capere conſveverant. Diſciplina ea vivendi in commune exiguo tempore viguit, plerisq; diviſionem vel in præbendas vel in qvotidianas diſtributiones ſingulis faciendas flagitantibus, tùm aliis, qvi vel ob invaletudinem vel ob exercitium aliqvod ſpirituale ſacris officiis intereſſe non poſſent, excuſari cupientibus. Neq; erat difficile aliqvid cauſari, cur ſacris non interverirent, unde in re divinâ parum frequentes præbendæ tamẽ fructum perciperent. Ubi verò non niſi opere peracto ſua cuiq; menſura tribuebatur, non adeò proclive erat excuſationem obtendere, adeoq; diſciplina ſanctior & in frequentandis officiis divinis aſſiduitas in ſecundo genere, qvam in primo diligentius culta, factumq; inde, ut Viri pii ex eo tempore Eccleſiis qvidpiam donantes aut legantes id in qvotidianas diſtributiones conferri præciperent, experimentisq; comprobatum, qvo majores eſſent diſtributiones, hoc Canonicos ad Eccleſias itaſſe frequentius.* &c.

Qvi in altari laborat, de altari debet & vivere. h.d.

Hoſt. in ſumma Tit. de præbend.

§. 2. Præbenda nihil eſt aliud, qvàm Jus percipiendi proventus Eccleſiaſticos, tanqvam uni de collegio competens, & ex canonia procedens. Cùm enim, ut lex divina præcipit[a], qvi altari ſervit, de altari debeat & vivere: dignum eſt, ut, qvi divinis aſſcribuntur obſeqviis, Eccleſiæ ſubſtententur ſtipendiis. Et

[a] *cap. cùm ſecundum. ext. eodem. tit.*

ideò

ideò inſtitutum olim fuerat[b], ut ordinationes eorum, qvi ſine certo titulo ordinati eſſent, in injuriam ordinantium inanes eſſent. Paulatim tamen benigniùs agi cœptum. Conſtitutum eſt enim[c], ut, ſi Epiſcopus aliqvem ſine certo titulo, unde vitæ neceſſaria percipiat, ordinaverit, tamdiu ipſe aut ejus ſucceſſor, ordinato neceſſaria ſubminiſtret, donec ei in aliqva Eccleſia convenientia clericalis militiæ ſtipendia aſſignentur.

b *can. 1. diſtinct. 70.*

c *cap. epiſcopus. extra. eod. tit.*

Præbenda nihil eſt] Præbenda πλημμελῶς rectius & latinius dici, notat Franc. Duarenus *de ſacr. Eccleſ. miniſt. l. 3. c. 8.* Barboſ. *ad rubric. de præbend. n. 3.* Differre à beneficio ut ſpeciem à genere, idem Barboſ. *de Canonic. & dignitatib. c. 12. n. 24.*

qvam jus percipiendi] Hâc definitione poſitâ præbenda non poteſt conſiſtere ſine Canonicatu, & proinde diſtinctio præbendæ in temporalem & ſpiritualem mera erit explicatio & enodatio vocabuli æqvivoci. Temporalem enim præbendam appellant illam, qvæ non eſt annexa canonicatui ſeu beneficio Eccleſiaſtico, ſed conſiſtit in merâ temporalitate, & laico conceditur pro labore temporali. Barboſa *ad rubr. tit. de præbend. n. 8.* E contrario autem Canonicatus poteſt conſiſtere ſine præbendâ. Nam & olim Canonici fuerunt absq; ullo præbendarum diſtincto numero. Qvod cùm diffiteri neqveat Barboſa *de Canon. & dignitatib. c. 12. n. 22.* non debuiſſet eos nomine tantùm, non re, vocare Canonicos. Nec enim ideò qvis dicitur Canonicus, qvod præbendam habeat, ſed qvod habeat ſedem in choro ad cantandum & legendum ac vocem in capitulo, ut ipſe idem paulo ante ſub *num. 19.* definit Barboſa. At enim Canoniſtæ hodierni, ut beneficium ipſum faciant rem ſacram, ex officio ſacro & ejus beneficio ſive utili temporali, conflant neſcio qvid unum, & hoc conflatum vocant Eccleſiaſticum beneficium. cumq; olim utile iſtud temporale fuerit conſecutivum & acceſſorium officii Eccleſiaſtici, inductâ deinceps proprietate factum id ut præcipuum & principale: ita ut beneficium à beneficio non Eccleſiaſticus

cus ordo aut munus & officiū diſcernat, ſed tèmporalis qvæſtus, copia aut inopia, & Canonicū non amplius faciat officium ſed præbenda. Et qvia, uti ante diximus, beneficium deinceps habitum fuit pro re ſacrâ, utiq; illi, qvi non in officiis ſacris verſantur, ſed in rebus merè corporeis, ut pulſatione campanarum, villicatione aut patrocinio, utcunq; ex bonis Eccleſiaſticis tàm reditibus qvàm oblationibus & decimis mercedem accipiant, nō poſſunt dici habere beneficium Eccleſiaſticum. Sic igitur retinuit qvidem beneficium aliqvem officii reſpectum, ſed eum admodum tenuem & penè nullum. Qvam verò inverſus hic ordo ſit, optimè exponit M. A. de Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 9. c. 1. n. 27. Eccleſiaſtico Viro*, inqvit, *olim finis fuit Evangelium, ſuſtentatio verò Eccleſiaſtica medium: nunc finis noſter eſt ſuſtentatio ex bonis Eccleſiæ, medium verò officium Eccleſiaſticum.*

& ex canonicâ procedens] Definiunt nonnulli Canoniam, (ſeu canonicatum) qvod ſit jus percipiendi fructûs, reditûs & obventiones rei Eccleſiaſticæ, ex electione capituli vel collatione Patronorum acqviſitum. Qvæ definitio explicat qvidem definitum, qvaliter id hodiè ſeſe habet; ſed qvaliter olim id ſeſe habuit, & habere ex primâ inſtitutione debet, adplicari ei hæc definitio planè neqvit. Sanè primam Canonicorum originem pleriq; omnes referunt ad tempora Auguſtini: *Factus enim is presbyter* (verba ſunt Poſſidii *in vit. S. Auguſtin. c. 5.*) *monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum DEI ſervis vivere cæpit, ſecundum modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam: maximè ut nemo qvidqvam proprium in illâ ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia & diſtribueretur unicuiq;, prout cuiq; opus erat. Qvod jam ipſe prior fecerat, dum de transmarinis ad ſua remeaſſet*, &c. Factum iſtud Auguſtini imitantibus Epiſcopis aliis increbuit paulatim monachorum iſtud genus Epiſcopalibus ſedibus adjacentium, qvos ab obſervato ſingulari vivendi canone Canonicos aut regulares nominavérunt. Seculo nono ſub temporibus ſtirpis Carolinæ nulla ferè Epiſcopalis cathedra conſtituebatur, niſi adjuncto ſtatim canonicorum Collegio, cui ex præſcripto S. Auguſtini fuerat vivendum. In tali Collegio bonæ literæ & ſimul qvoq; ſacræ ſcripturæ docebantur, ab initio tamen vix aliis, qvam clericæ vitæ addictis auſcultantibus. Neq; tum ſeorſim cuiq; ſua aſſignata erat præbenda, ſed vivendi inſtituto nihilo à monachis ferè differebant, viventes ſc. in uno clauſtro, habentesq; commune dormitorium, refectorium, lectorium, & ſimilia, qvò facit *c. neceſſaria 12. q. 1.* Seqvioribus temporibus docendi iſta provincia non Canonicis amplius ipſis, ſed alii alicui extraneo & qvidem mercede conſtitutâ imponebatur, uti patet ex integro titulo X.

de

Digitized by Google

de magistris, & ne aliqvid exigatur pro licentiâ docendi. Et ipsi tandem Canonici disciplinæ & regulæ, cui paruerant hactenus, pertæsi, ad liberiorem vitam disciplinamq; adspirare cœpérunt. Itaq; dein luxui vestium illi indulgere & dissolutius vivere. Sed nèc nomine contenti, qvo regulares appellabantur, à regulâ nimirum & certâ statâq; vivendi normâ sibi præscriptâ, Canonici seculares appellari voluérunt. Qvâ de re ita Albertus Cranzius *metrop. l. 4. c. 1. Fratres licentius de claustro egressi, mulierum consortia primo petebant absconsè, inde in majorem dissolutionem abiérunt. Paulatim ergo defervescente in clero religione apud Ecclesias ex monachis regulares canonici, & ex his seculares, ut nunc vocantur, Canonici prodiérunt. Qvid autem ex hâc deinceps resolutione sit oriturum, qvis novit? Interpretemur, oro, vocabulum. Si canon est regula, canonici sunt regulares. Qvid fiet de canonico seculari, nisi ut regularis sit irregularis? aut, si id malumus, regularis sine regulâ. Erat is devotionis fervor sub sanctis patribus, ut inter fratres ipsi etiam pontifices victitarent, qvod de hujus proximo legimus successore Libentio. Jam ventum est ad regulares, ut canonici dicerentur & essent: utinamq; ibi perdurassent. Inferior inventus est gradus, canonicus secularis: h. e. monstrum sine exemplo, regularis sine regulâ, canonicus sine canone.* &c. Nolo hîc ingeminare qverelam de ocio & luxu Canonicorum sæpè antehac motam. Ex ipsis Pontificiis Hadr. Barlandus in dialogis ann. 1524. editis satis contemptim de iis loqvitur; tacitè etiam eos pungit Centzen *lib. 6. polit. c. 41.* Apertius & liberius Grotius *in not. ad Cassandrum tit. de Canonicis p. 48.* Huic igitur hominum generi definitio canoniæ seu Canonicatûs superiùs aduucta competit, qvippe qvorum totum officium in acceptione & fruitione redituum Ecclesiasticorum consistit. At ex mente saniorum Canonistarum Canonicatus est jus habendi sedem in choro ad cantandum & legendum, ac vocem in capitulo. Barbosa *ad rubr. tit. de præbend. n. 11.* Imò vero antiqvioribus temporibus, tùm presbyterorum tùm aliorum inferiorum ministrorum eidem Ecclesiæ necessariorum eiq; inservientium Collegium vocabatur Collegium seu capitulum Canonicorum. Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 2. c. 9. n. 6.* Cæterùm appellationem canonicorum regularium à stricturis Ludovici Vivis ita vindicat Martinus ab Azpilcueta Navarrus *commentar. 1. de regular. n. 2.* qvod regulares dicantur illi, qvi non habent nec habere possunt patrimonia à communi Ecclesiæ patrimonio separata, cum reliqvi, qvi talia patrimonia habent, simpliciter dicantur Canonici. Sed enim seqvioris ævi hæc est distinctio, dumq; nunc cum additamento aliqvi dicuntur Canonici, facilè patet, à veteri canone eos discessisse, & hinc meritò canonicos irregulares dici debere.

qvi divinis adscribuntur obseqviis] Sed enim canonici officia ministerii verbi & Sacramentorum ex suis amplisimis templis ad angustas & humiles parochiarum ædiculas, ubi unus vel duo omnia ministerii officia obire coguntur, rejecérunt, retinuérunt vero ipsi ociosos qvidem titulos in ministerii officiis, non tamen inanes titulos, propter pingves præbendas illis annexas. Salsè Erasmus *in Encom. Moriæ: Sacerdotes, qvi sese vocant seculares, qvasi mundo initiati, in regulares onus hoc* (pietatis studium) *devolvunt, regulares in monachos, monachi laxiores in arctiores, omnes simul in mendicantes, mendicantes in Carthusienses, apud qvos solos sepultæ latet pietas, & adeò latet, ut vix unqvam liceat conspicere.*

inanes essent] Causa fuit, ne presbyterorum numerus major, qvàm usus reqvireret, oneri esset Ecclesiæ, aut si honestè vivendi ratio non suppeteret, hoc ipso vilesceret presbyterii dignitas. Et hoc ita primùm constitutum fuit in Concilio Chalcedonensi. Nihilominus tamen adhuc post istud Concilium Justinianus Imp. meminit periodeutarum, *l. 42. C. de Episc. & Cler.* qvos ita dictos ait Zonaras, Διὰ τὸ περιέχειν καὶ καταρίζειν τὰς πόλεις, μὴ ἔχοντας καθέδραν οἰκείαν. Erant scil. περιοδευταὶ in Ecclesiâ, circuitores, sive visitatores, qvi veluti Episcoporum vicarii regiones civitatibus subjectas visitabant, ac circumibant, nullamq; propriam sedem habebant. Qvemadmodum & medici περιοδευταὶ dicuntur, *l. 6. §. 1. ff. de excusat. tutor.* qvi circumeunt urbem causâ sanitatis hominibus reddendæ. Christoph. Justell. *ad Cod. can. Eccles. univers. p. 216.*

Ordinato necessaria subministret] Sed unde? non certè ex bonis propriis, qvorsum enim obligaretur successor? Ergo intelligitur id fieri debere ex bonis Ecclesiæ. Atqvi damnum & dedecus Ecclesiæ inde emergens suo jam seculo animadvertit & acerbè notavit Justinianus *Novell. 3.*

Mandatum suscipiens de ordinibus conferendis certis personis, non tenetur eisdem providere de beneficio, sed mandans: secùs, si sit mandatum generale, vel ordinandi licentiam concedens.

d *c. si episcopus. eod. tit. in 6.*

§. 3. Qvòd si Episcopus [d] mandato alterius in aliena diœcesi ordines celebret, distinguendum est, an de certis personis mandatum susceperit, an generale, &

& expresso nomine. Primo enim casu mandans, secundo mandatum suscipiens, inopi ordinato vitæ tenebitur necessaria ministrare: eis autem, qvibus à diœcesano datur licentia, ut à qvo voluerint Episcopo, ad sacros ordines promoveri possint, ad præmissa non qvi ordinant, sed qvi licentiam tradunt, obligantur, nisi [e] tamen ordinatus de paterna hæreditate vitæ possit habere subsidium.

[e] *cap. episcopi in fin. extra. eod. tit.*

Primo enim casu] qvia tùm culpa est penes ipsum mandantem; altero autem casu penes mandatarium, qvi mandatum indefinitè acceptum interpretari debuisset de ordinandis iis, qvi jam titulum habent.

de paternâ hæreditate] Prolixus est Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccles. l. 9. c. 1.* in probatione thematis, Ecclesiasticos, si voluissent bonis Ecclesiæ sustentari, debuisse cedere suis, aut si voluissent propria retinere, omninò solitos fuisse ab Ecclesiasticis bonis abstinere. Ego, qvid factum olim fuerit, suo loco relinqvo; non arbitror tamen regulam hinc construendam esse, clericum renunciare debere bonis suis patrimonialibus, aut si ea retinere velit, abstinere debere bonis Ecclesiasticis.

Præbendæ conceduntur per collationem, & per institutionem, & singulis rebus singula sunt imponenda nomina. h. d.

§. 4. Conceduntur autem Præbendæ, vel beneficia duobus modis: per Collationem, & per Institutionem. Collatio [f] est libera qvædam præbendæ concessio. Institutio est præbendalis juris ad præsentationem patroni facta translatio: qvæ licet & ipsa collatio possit appellari, commodius tamen est in

[f] *cap. 1. de reg. jur. in 6.*

præsenti singulas causas singulis appellationibus distingui.

per collationem] Ad collationem pertinet jus Imperatoris, qvo integra est Cæsari in Ecclesiis primi vacantis beneficii conferendi potestas. Primarias id vocant preces, qvod consvetudo esset Imperatorum, ut hilariter & promptè beneficia seu Ecclesias primò petentibus conferrent, ut ait Abbas Ursperg. *in vit. Otton. IV.* Atqve id Imperatoribus ex privilegio & indultu Pontificis competere perperam contendunt Pontificii, cùm potiùs in provinciis iis, in qvibus jus religionis habent, jure summi competat imperii.

DE COLLATIONIBUS,

TITULUS XXVII.

Ex tribus capitibus conferuntur præbendæ, & ordinarium Collatorem facit lex vel consvetudo. h. d.

§. 1. Conferuntur autem præbendæ, vel beneficia, aut ab ordinario, aut ex mandato legati sedis Apostolicæ, aut Pontificio rescripto. Ordinarius collator is est, qvem aut consvetudo approbavit, aut Juris designavit authoritas: ut, Episcopus, capitulum.

Conferuntur autem] Collatoris & Collationis nomen insolitum esse in veteri Ecclesiâ, & per mille à Christo nato annos atqve ultra prorsus inauditum, ostendit Marcus Anton. de Dominis *l. 9. de rep. Eccles. c. 8.* Et certè cum antiqvitus nec præbendæ nec beneficia eo modo, qvo nunc ubiq; prostant, sese habuerint, uti *ad tit. anteced.* diximus, sine dubio etiam collationem eorum novum qvid esse consequitur. Ordinati fuérunt Ecclesiæ ministri & deputati ad certum certæ Ecclesiæ officium, atq; deinceps ex bonis Ecclesiasticis sustentabantur, beneficia autem talia, tamq; opima tùm nondum habebant. Adscribere hîc lubet verba Petri de Marca *ex lib. 3. cap. 6. de concord. sacerd. & imp. num. 4.* postqvam qvæstionem for-

Digitized by Google

mâſſet, qvâ ratione effectum ſit, ut Jus Canonicum in tantam molem excreverit, inter alia ſic ſcribit: *Ex alio deinde capite nova Eccleſiaſticæ Politiæ facies obortæ eſt, ſcilicet ex beneficiorum ab ordinationibus discretione. Antiqvo jure, qvod canone Concilii Chalcedonenſis probatum erat, nullus ad Clerum adſciſcebatur, qvin ad certam Eccleſiam ſub Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi & cæterorum ordinum gradu adſcriberetur, adeò ut manûs impoſitionem ſeqveretur adſcriptio in canonem ſeu latericulum & matriculam Eccleſiæ. Hoc obtinet adhuc in Epiſcopis, ſed in cæteris gradibus ordinationes ἀπολελυμμένως & abſolutè fiant, & absqve titulo Eccleſiæ, contra præſcriptum Concilii Chalcedonenſis. Conſtitutum qvidem fuit in Concilio Lateranenſi, ne Clerici ordinarentur absqve titulo ſaltem patrimonii, ſcilicet, ne in opprobrium Cleri mendicare cogerentur: ſed hoc Decreto non eſt reſtituta vetus diſciplina, qvæ Clericos per manuum impoſitionem ſuis Eccleſiis addicebat. Separatio iſta & discretio ordinationis ab Eccleſia ſeu beneficii collatione & pingviſſimorum redituum copia, novas in jus Canonicum regulas invexit antiqvo juri prorſus incognitas, de beneficiis acqvirendis, conſervandis & amittendis, qvæ ferè utramqve paginam novi juris faciunt.*

Epiſcopus, capitulum.] De Epiſcopo dubium non eſt, qvippe qvi ordinat, & ad officium ſive miniſterium Eccleſiaſticum ex antiqviſſima conſvetudine deputat. Deputatio autem talem collationem includit. Unde qvi poteſt ordinare, poteſt etiam beneficium conferre. De capitulo autem non fruſtrà qvis dubitaverit, eò qvòd poteſtas ordinandi ei non competat. Nec igitur qvenqvam poterit in Cleri Canonici numerum recipere, qvod tamen hodiè plerumqve etiam invito qvandoqve Epiſcopo fieri ſolet. Qværes unde ortum traxerit, vid. Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 9. c. 8. n. 12.*

Si Epiſcopus & capitulum habeant poteſtatem conferendi conjunctim, non poteſt unus ſine altero, niſi in uno ſubſit impedimentum, conferre, & ſi Epiſcopus poſſit conferre, tamen de conſilio capituli, etiam qvod ſit impeditus, capitulum non poteſt ſe in collatione intromittere, niſi Epiſcopus ſit negligens in removendo impedimentum, & mortuo vel abſente eo, cujus conſilio interver[illegible] conferendum, non eſt ob id differenda collatio. h. d.

§. 2. Qvam confere[illegible]ip[illegible]opus & capitulum interd[illegible], interdum dis-

disjunctim : si communiter[a], alter sine altero illam exercere non poterit, nisi vel mortis, vel suspensionis, vel majoris excommunicationis impedimentum in altero adesse contigerit. Cùm[b] verò ad solum Episcopum cum consilio sui capituli, vel assensu, præbendarum spectat collatio, eo defuncto, vel suspenso, nisi Episcopus in petenda relaxatione suspensionis sit in mora, capitulum se non potest intromittere. Ubi verò[c] collatio ad aliqvem cum consilio Episcopi pertinet, si qvid illi humanitùs contigerit, non erit ob hoc vacantis beneficii collatio differenda.[d] Idem Juris est Episcopo adeò in remotis agente, ut brevi non possit illius haberi præsentia: qvia in petendi, vel expectandi mora vacanti beneficio posset imminere periculum.

a *c. 1. in princip. ne sede vacant. in 6.*

b *d. cap. 1. §. cùm verò.*

c *d. cap. 1. §. ubi verò.*

d *d. §. vers. nec etiam.*

alter sine altero] qvod enim ad utrumqve pertinet conjunctim, id non pertinet ad alterutrum. Aliàs non communiter haberent. Qvando igitur æqvale jus qvælibet pars habet in actu, qvod est communiter habere, neutra pars sine altera actum exercere potest.

in altero esse contigerit] Tùm enim locum habet jus qvoddam accrescendi, idq; ideò, ne ministeria Ecclesiastica diutiùs vacent. Neqve tùm, qvi inhabilis est, contradicere poterit, cùm salus Ecclesiæ prævalere debeat, & supremam hîc legem faciat.

non potest intromittere] Qvi enim tantùm ad consilia admittitur, δύναμιν qvidem habet eligendi idoneum, cui beneficium conferri possit, non tamen habet ἐξουσίαν conferendi. Sic enim etiam in legibus ferendis alius habere potest δύναμιν sive potentiam, alius ἐξουσίαν sive

sive potestatem. Potentiam Vir prudens & legum formandarum peritus, potestatem ille, qvi habet τὸ κύριον. Vir prudens igitur consiliis adhibetur, & legem etiam componit aut scribit, sed eam non fert aut proponit. Et sic etiam capitulum consilium dat, beneficium autem ipsum conferre nequit. Nisi, qvod additur, Episcopus in morâ sit, tùm enim ἐξουσία Episcopo competens conceditur capitulo.

si qvid illi] scil. Episcopo, qvia tunc consilium ab eo peti nequit, ut habet *c. un. ne sed. vac. in 6.*

Si Ecclesia steterit vacans per sex menses, ad capitulum beneficium devolvitur. h. d.

§. 3. Eâdem ratione, ubi ad solum Episcopum spectat collatio, si per sex menses [e] conferre distulerit, ad capitulum devolvitur. Ex contrario, si ad solum capitulum pertinuerit, & infra præscriptum terminum hoc non fecerit, Episcopus cum religiosorum virorum consilio exeqvetur: qvòd si omnes fortè neglexerint, Metropolitanus absq; contradictione disponet.

[e] *cap. 2. in fin. extr. de conces. prab.*

si per sex menses] Antiqvæ patrum sanctiones ultra tres menses Ecclesiam vacare prohibuerunt *c. obeuntibus 35. dist. 63.* ne scil. Ecclesia pastore viduata diutiùs patiatur. Canonicorum tamen hodiernorum vacantes dignitates ut certo tempore præcisè suppleantur, nulla fortè ratio svadet, cùm Ecclesiæ nihil interfit, sive absint sive adsint inertia ejusmodi terræ pondera.

devolvitur] Devolutiones istæ non sunt reprehendendæ, præsertim si propter nimiam & supinam negligentiam collatoris ordinarii res protrahatur.

religiosorum virorum] Per viros religiosos Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccles. l. 3. c. 3. n. 46.* non in his qvidem verbis auto-

autoris, qvi ſine dubio ejus non fuit ſententiæ, ſed in canone, unde autor iſta deprompſit, intelligit laicos pios & prudentes, qvòd Monachi eo tempore nondum vocati fuerint religioſi, neqve excluſi antiqvitùs fuerint Laici ab electionibus miniſtrorum Eccleſiæ.

Regularibus prælatis non conferentibus intra ſex menſes, fit devolutio ad ordinarium. h. d.

c. un. de ſuppl. negl. præl. in Clem. c. ſicut nobis eod. tit. extr.

§. 4. Idem ſtatuitur in regularibus prælatis: ſi enim qvævis beneficia ad illorum diſpoſitionem ſpectantia intra conſtitutum tempus conferre negligant, locorum diœceſani in non exemptis propria, in exemptis verò Apoſtolicâ authoritate eorundem negligentiam juxta præſcriptum in Viennenſi Concilio modum ſupplebunt.

in non exemptis] De exemptione abbatum dixi ſupr. *ad tit. 9. §. abbas.*

propriâ] cur verò hic non, uti in cathedralibus Eccleſiis defectus Epiſcopi ſuppletur per capitulum, ita etiam in conventualibus defectus prælati ſuppletur per conventum? Reſpondet Joh. Bapt. Vivianus *in ration. ad c. un. de ſuppl. negl. præl. in Clem.* qvia non eſt tanta conjunctio inter cæteros prælatos & eorum conventus, qvanta eſt inter Epiſcopum & ſuum capitulum. Ego verò non minorem, imò fortè majorem exiſtimo eſſe conjunctionem Abbatis & monachorum, qvàm eſt Epiſcopi & capituli, ſi qvidem ex conjunctione res decidenda fuerit. Monachi enim totam ſuam voluntatem prælato ſuo communicant, & qvaſi in ſervitutem ei addicuntur, qvod de capitulo dici neqvit. Ratio igitur potiùs ex defectu & privatione voluntatis, qvàm ex conjunctione petenda eſſet, dum ſaltem reſignatio iſta voluntatis ſuperſtitione & prava ἐθελοθρησκείᾳ non eſſet infecta.

Apoſtolicâ autoritate] h. e. pontificiâ, ne, ſi Epiſcopali fieret autoritate, qvam regulariter Epiſcopus haberet, exemptionis privilegia violentur. Difficile enim eſt, vel tantillum reſtituere de re, qvæ incon-

Digitized by Google

inconsultò ablata est. Sed enim & Ecclesiæ & Reip. utilius esset, si exemptiones istæ revocarentur, & ordinaria Episcoporum restitueretur jurisdictio. Vid. Principum German. *gravam. XIII.*

Tempus devolutionis currit solùm non impeditis, & à die notitiæ. h. d.

§. 5. Tempus[f] autem sex mensium nec currit legitimè impeditis, & à die notitiæ, non à tempore vacationis erit computandum.

f *cap. qvia diversitate & Gloss. in cap. 2. extra. de concess. præbend. & c. licet. extra. de suppl. negl. pral.*

legitimè impeditis] Qvia enim negligentia punienda est, non potest negligens dici, qvi impeditur aut qvi ignorat. In omni enim præscriptione, qvæ ex negligentia alicujus inducitur, necesse est, ut initio ponantur ea, qvæ negligentiam inducunt. Ignoranti autem & legitimè impedito, nulla negligentia imputari debet, & per consequens non currit ei præscriptio: qvare ubi nulla est negligentia, ibi præscriptio initium sumere neqvit. Andr. Gail. *l. 2. obs. 105. n. 5. 6.*

Devolutio non habet locum in Ecclesia non numerata, vel qvando dignitas est suppressa. h. d.

§. 6. Hæc[g] autem ita demum obtinent, si in Ecclesia erat distinctio præbendarum, & certus Canonicorum numerus. Cæterùm, si neq; distinctæ præbendæ, nec certus sit Canonicorum numerus, Lateranensi concilio de beneficiis ultra sex menses vacantibus locus non erit. Idem etiam obtinet, si per capitulum vacans dignitas legitimè fuerit sublata.

g *cap. ex parte. extra de concess. prab.*

distinctio præbendarum] Igitur non tàm periculum Ecclesiæ dignitatem vacantem restitui jubet, qvàm ne præbenda sine canonico maneat, adeoqve non tàm canonici officium, qvàm lucrum attenditur. Disqviri autem hìc posset, utrum incertus iste Canonicorum, sive (ut in principia sua rem resolvamus) ministrorum Ecclesiæ numerus to-

lerari debeat? Qvia enim in avaritiam proclives sunt animi hominum, & hinc ex paucitate suâ opimiores reditûs sperare possunt Canonici, facilè hinc fiet, ut vacantia ministeria supplere illi omninò desinant, & sic tandem Ecclesia ministeriis suis destituatur. Id qvidem certum est, in Ecclesia, in qva non est certus numerus præbendarum, non posse dari vacationem alicujus præbendæ, qvam rationem constitutionis hujus reddit Vivianus *ad c. 10. X. de concess. præb.* sed id vicissim negari neqvit, dari tum vacationem ministerii, qvod antehac à pluribus, nunc à pauciori-bus sustinetur. Sed uti jam sæpè dixi, Canonistæ ministerium præbendæ applicant, non præbendam ministerio; perverso planè modo, & contra instituta majorum.

fuerit sublata] Fieri id potest, sicubi cedat in emolumentum Ecclesiæ, qvemadmodum & Justinianus Imp. in Ecclesia Constantinopolitana numerum Clericorum imminuit. *Novell. 3.*

Sede vacante capitulum non fungitur vice Episcopi in conferendo, & cessante causa cessat & effectus. h. d.

§. 7. Licet autem ob negligentiam Episcopi conferendi potestas ad capitulum devolvatur, sede tamen vacante [a] in collationibus præbendarum Episcopi vice non fungitur: cùm eo casu nullius superioris possit argui negligentia.

a *cap. 2. ext. ne sede vacante.*

Episcopi vice non fungitur] qvippini? Sufficit enim collegium presbyterorum potestatem habere universalem circa regimen suæ Ecclesiæ, deficiente Episcopo. Conferre igitur etiam poterit beneficia, h. e. personas eligere & deputare ad munus Ecclesiasticum, & facere, ut more Ecclesiastico ordinentur à Metropolitano vel vicino Episcopo. Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. l. 9. c. 8. n. 12.* Cæterùm, qvid & qvantum possit capitulum sede vacante, vid. Gail. *l. 1. obs. 30.* Joh. Aloys. Ricc. *decis. 880.*

Circa collationem factam post devolutionem, dispensari potest. hoc dicit.

b *cap. literat. extr. de sup-*

§. 8. Is [b] qvoq;, qvi nimium cessando conferendi Jus ami-

Digitized by Google

amiserit, si post Jus collationis devolutum, nihilominùs viris idoneis de beneficio providere voluerit, qvanqvam ob temporis lapsum collatio mero Jure non teneat, ex dispensatione tamen & benignitate tolerari poterit. *plend. neglig. prælat.*

providere voluerit] Hoc non dicitur in textu, ex qvo hic paragraphus desumptus est, *c. literas 4. extr. de suppl. negl. prælat.* Sed præsupponitur ibi jam collatio facta, non obstante, qvod jus conferendi amissum fuerit, & ambigitur hinc, utrum collatio illa teneat. Et respondet Pontifex, tolerari debere istam collationem, dum ea tantùm idoneis facta fuerit. Ratio est, qvia facta multa tenent, qvæ à principio fieri prohibentur. Non ergò ibi agitur de casu, qvando qvis jure suo privatus adhuc conferre vult de futuro, qvanqvam non negem, posse etiam tunc superiorem jure ad se devoluto non uti, & permittere, ut inferior, qvi jure summo non posset, Ecclesiæ adhuc provideat.

Legati missi vel nati vigore suæ legationis non conferunt, nisi sibi specialiter concedatur: secus est in legatis de latere, qvi conferunt, & sine mandato speciali, etiam invito patrono Ecclesiastico. h. d.

§. 9. Ex[c] legationis qvoq; munere conferendi competit facultas, qvod tamen non indistinctè obtinet: nam sive missi fuerint, sive suarum prætextu Ecclesiarum aliqvi legationis sibi vendicant authoritatem, ex ipsa legatione nullam habent conferendi potestatem, nisi hoc alicui specialiter indultum fuerit. His autem, qvos Romani Pontificis latus & comitatus illustrat, legatione fungentibus, sine speciali concessione, etiam Ecclesiastico patrono invito, *c cap. 1. de offic. leg. in 6.*

qvi divinis adscribuntur obseqviis] Sed enim canonici officia ministerii verbi & Sacramentorum ex suis amplissimis templis ad angustas & humiles parochiarum ædiculas, ubi unus vel duo omnia ministerii officia obire coguntur, rejecérunt, retinuérunt vero ipsi ociosos qvidem titulos in ministerii officiis, non tamen inanes titulos, propter pingves præbendas illis annexas. Salsè Erasmus *in Encom. Moriæ: Sacerdotes, qvi sese vocant seculares, qvasi mundo initiati, in regulares onus hoc* (pietatis studium) *devolvunt, regulares in monachos, monachi laxiores in arctiores, omnes simul in mendicantes, mendicantes in Carthusienses, apud qvos solos sepulta latet pietas, & adeò latet, ut vix unqvam liceat conspicere.*

inanes essent] Causa fuit, ne presbyterorum numerus major, qvàm usus reqvireret, oneri esset Ecclesiæ, aut si honestè vivendi ratio non suppeteret, hoc ipso vilesceret presbyterii dignitas. Et hoc ita primùm constitutum fuit in Concilio Chalcedonensi. Nihilominus tamen adhuc post istud Concilium Justinianus Imp. meminit periodeutarum, *l. 42. C. de Episc. & Cler.* qvos ita dictos ait Zonaras, Διὰ τὸ περιέρχεσθαι καὶ καταρτίζειν τὰς πίστεις, μὴ ἔχοντας καθίδρας οἰκείων. Erant scil. περιοδευταὶ in Ecclesiâ, circuitores, sive visitatores, qvi veluti Episcoporum vicarii regiones civitatibus subjectas visitabant, ac circumibant, nullamq; propriam sedem habebant. Qvemadmodum & medici περιοδευταὶ dicuntur, *l. 6. §. 1. ff. de excusat. tutor.* qvi circumeunt urbem causâ sanitatis hominibus reddendæ. Christoph. Justell. *ad Cod. can. Eccles. univers. p. 216.*

Ordinato necessaria subministret] Sed unde? non certè ex bonis propriis, qvorsum enim obligaretur successor? Ergo intelligitur id fieri debere ex bonis Ecclesiæ. Atqvi damnum & dedecus Ecclesiæ inde emergens suo jam seculo animadvertit & acerbè notavit Justinianus *Novell. 3.*

Mandatum suscipiens de ordinibus conferendis certis personis, non tenetur eisdem providere de beneficio, sed mandans: secùs, si sit mandatum generale, vel ordinandi licentiam concedens.

d *c. si episcopus. eod. tit. in 6.*

§. 3. Qvòd si Episcopus[d] mandato alterius in aliena diœcesi ordines celebret, distinguendum est, an de certis personis mandatum susceperit, an generale;

&

Digitized by Google

& expreſſo nomine. Primo enim caſu mandans, ſecundo mandatum ſuſcipiens, inopi ordinato vitæ tenebitur neceſſaria miniſtrare: eis autem, qvibus à diœceſano datur licentia, ut à qvo voluerint Epiſcopo, ad ſacros ordines promoveri poſſint, ad præmiſſa non qvi ordinant, ſed qvi licentiam tradunt, obligantur, niſi [e] tamen ordinatus de paterna hæreditate vitæ poſſit habere ſubſidium.

e *cap. epiſcopi in fin. extra. eod. tit.*

Primo enim caſu] qvia tùm culpa eſt penes ipſum mandantem; altero autem caſu penes mandatarium, qvi mandatum indefinitè acceptum interpretari debuiſſet de ordinandis iis, qvi jam titulum habent.

de paternâ hæreditate] Prolixus eſt Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 9. c. 1.* in probatione thematis, Eccleſiaſticos, ſi voluiſſent bonis Eccleſiæ ſuſtentari, debuiſſe cedere ſuis, aut ſi voluiſſent propria retinere, omninò ſolitos fuiſſe ab Eccleſiaſticis bonis abſtinere. Ego, qvid factum olim fuerit, ſuo loco relinqvo; non arbitror tamen regulam hinc conſtruendam eſſe, clericum renunciare debere bonis ſuis patrimonialibus, aut ſi ea retinere velit, abſtinere debere bonis Eccleſiaſticis.

Præbendæ conceduntur per collationem, & per inſtitutionem, & ſingulis rebus ſingula ſunt imponenda nomina. h. d.

§. 4. Conceduntur autem Præbendæ, vel beneficia duobus modis: per Collationem, & per Inſtitutionem. Collatio [f] eſt libera qvædam præbendæ conceſſio. Inſtitutio eſt præbendalis juris ad præſentationem patroni facta translatio: qvæ licet & ipſa collatio poſſit appellari, commodius tamen eſt in

f *cap. 1. de reg. jur. in 6.*

præsenti singulas causas singulis appellationibus distingui.

per collationem] Ad collationem pertinet jus Imperatoris, qvo integra est Cæsari in Ecclesiis primi vacantis beneficii conferendi potestas. Primarias id vocant preces, qvod consvetudo esset Imperatorum, ut hilariter & promptè beneficia seu Ecclesias primò petentibus conferrent, ùt ait Abbas Ursperg. *in vit. Otton. IV.* Atqve id Imperatoribus ex privilegio & indultu Pontificis competere perperam contendunt Pontificii, cùm potiùs in provinciis iis, in qvibus jus religionis habent, jure summi competat imperii.

DE COLLATIONIBUS,

TITULUS XXVII.

Ex tribus capitibus conferuntur præbendæ, & ordinarium Collatorem facit lex vel consvetudo. h. d.

§. 1. Conferuntur autem præbendæ, vel beneficia, aut ab ordinario, aut ex mandato legati sedis Apostolicæ, aut Pontificio rescripto. Ordinarius collator is est, qvem aut consvetudo approbavit, aut Juris designavit authoritas: ut, Episcopus, capitulum.

Conferuntur autem] Collatoris & Collationis nomen insolitum esse in veteri Ecclesiâ, & per mille à Christo nato annos atqve ultra prorsus inauditum, ostendit Marcus Anton. de Dominis *l. 9. de rep. Eccles. c. 8.* Et certè cum antiqvitus nec præbendæ nec beneficia eo modo, qvo nunc ubiq; prostant, sese habuerint, uti *ad tit. anteced.* diximus, sine dubio etiam collationem eorum novum qvid esse consequitur. Ordinati fuérunt Ecclesiæ ministri & deputati ad certum certæ Ecclesiæ officium, atq; deinceps ex bonis Ecclesiasticis sustentabantur, beneficia autem talia, tamq; opima tùm nondum habebant. Adscribere hîc lubet verba Petri de Marca *ex lib. 3. cap. 6. de concord. sacerd. & imp. num. 4.* postqvam qvæstionem formâs-

mâſſet, qvâ ratione effectum ſit, ut Jus Canonicum in tantam molem excreverit, inter alia ſic ſcribit: *Ex alio deinde capite nova Eccleſiaſticæ Politiæ facies obortæ eſt, ſcilicet ex beneficiorum ab ordinationibus discretione. Antiqvo jure, qvod canone Concilii Chalcedonenſis probatum erat, nullus ad Clerum adſciſcebatur, qvin ad certam Eccleſiam ſub Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi & cæterorum ordinum gradu adſcriberetur, adeò ut manûs impoſitionem ſeqveretur adſcriptio in canonem ſeu laterculum & matriculam Eccleſiæ. Hoc obtinet adhuc in Epiſcopis, ſed in cæteris gradibus ordinationes* ἀπολελυμμένως *& abſolutè fiunt, & absqve titulo Eccleſiæ, contra præſcriptum Concilii Chalcedonenſis. Conſtitutum qvidem fuit in Concilio Lateranenſi, ne Clerici ordinarentur absqve titulo ſaltem patrimonii, ſcilicet, ne in opprobrium Cleri mendicare cogerentur: ſed hoc Decreto non eſt reſtituta vetus diſciplina, qvæ Clericos per manuum impoſitionem ſuis Eccleſiis addicebat. Separatio iſta & discretio ordinationis ab Eccleſiæ ſeu beneficii collatione & pingviſſimorum redituum copia, novas in jus Canonicum regulas invexit antiqvo juri prorſus incognitas, de beneficiis acqvirendis, conſervandis & amittendis, qvæ ferè utramqve paginam novi juris faciunt.*

Epiſcopus, capitulum.] De Epiſcopo dubium non eſt, qvippe qvi ordinat, & ad officium ſive miniſterium Eccleſiaſticum ex antiqviſſima conſvetudine deputat. Deputatio autem talem collationem includit. Unde qvi poteſt ordinare, poteſt etiam beneficium conferre. De capitulo autem non fruſtrà qvis dubitaverit, eò qvòd poteſtas ordinandi ei non competat. Nec igitur qvenqvam poterit in Cleri Canonici numerum recipere, qvod tamen hodiè plerumqve etiam invito qvandoqve Epiſcopo fieri ſolet. Qværes unde ortum traxerit, vid. Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 9. c. 8. n. 12.*

Si Epiſcopus & capitulum habeant poteſtatem conferendi conjunctim, non poteſt unus ſine altero, niſi in uno ſubſit impedimentum, conferre, & ſi Epiſcopus poſſit conferre, tamen de conſilio capituli, etiam qvòd ſit impeditus, capitulum non poteſt ſe in collatione intromittere, niſi Epiſcopus ſit negligens in removendo impedimentum, & mortuo vel abſente eo, cujus conſilio interveniente eſt conferendum, non eſt ob id differenda collatio. h. d.

§. 2. Qvam conferendi poteſtatem Epiſcopus & capitulum interdum habent communiter, interdum dis-

disjunctim : si communiter[a], alter sine altero illam exercere non poterit, nisi vel mortis, vel suspensionis, vel majoris excommunicationis impedimentum in altero adesse contigerit. Cùm[b] verò ad solum Episcopum cum consilio sui capituli, vel assensu, præbendarum spectat collatio, eo defuncto, vel suspenso, nisi Episcopus in petenda relaxatione suspensionis sit in mora, capitulum se non potest intromittere. Ubi verò[c] collatio ad aliqvem cum consilio Episcopi pertinet, si qvid illi humanitùs contigerit, non erit ob hoc vacantis beneficii collatio differenda.[d] Idem Juris est Episcopo adeò in remotis agente, ut brevi non possit illius haberi præsentia: qvia in petendi, vel expectandi mora vacanti beneficio posset imminere periculum.

a *c. 1. in princip. ne sede vacant. in 6.*

b *d. cap. 1. §. cùm verò.*

c *d. cap. 1. §. ubi verò.*

d *d. §. vers. nec etiam.*

alter sine altero] qvod enim ad utrumqve pertinet conjunctim, id non pertinet ad alterutrum. Aliàs non communiter haberent. Qvando igitur æqvale jus qvælibet pars habet in actu, qvod est communiter habere, neutra pars sine altera actum exercere potest.

in altero esse contigerit] Tùm enim locum habet jus qvoddam accrescendi, idq; ideò, ne ministeria Ecclesiastica diutiùs vacent. Neqve tùm, qvi inhabilis est, contradicere poterit, cùm salus Ecclesiæ prævalere debeat, & supremam hîc legem faciat.

non potest intromittere] Qvi enim tantùm ad consilia admittitur, δυνάμιν qvidem habet eligendi idoneum, cui beneficium conferri possit, non tamen habet ἐξουσίαν conferendi. Sic enim etiam in legibus ferendis alius habere potest δυνάμιν sive potentiam, alius ἐξουσίαν sive

Digitized by Google

ſive poteſtatem. Potentiam Vir prudens & legum formandarum peritus, poteſtatem ille, qvi habet τὸ κύριον. Vir prudens igitur conſiliis adhibetur, & legem etiam componit aut ſcribit, ſed eam non fert aut proponit. Et ſic etiam capitulum conſilium dat, beneficium autem ipſum conferre neqvit. Niſi, qvod additur, Epiſcopus in morâ ſit, tùm enim ἐξουσία Epiſcopo competens conceditur capitulo.

ſi qvid illi] ſcil. Epiſcopo, qvia tunc conſilium ab eo peti neqvit, ut habet *c. un. ne ſed. vac. in 6.*

Si Eccleſia ſteterit vacans per ſex menſes, ad capitulum beneficium devolvitur. h. d.

§. 3. Eâdem ratione, ubi ad ſolum Epiſcopum ſpectat collatio, ſi per ſex menſes [e] conferre diſtulerit, ad capitulum devolvitur. Ex contrario, ſi ad ſolum capitulum pertinuerit, & infra præſcriptum terminum hoc non fecerit, Epiſcopus cum religioſorum virorum conſilio exeqvetur: qvòd ſi omnes fortè neglexerint, Metropolitanus absq; contradictione disponet.

[e] *cap. 2. in fin. extr. de conceſs. prab.*

ſi per ſex menſes] Antiqvæ patrum ſanctiones ultra tres menſes Eccleſiam vacare prohibuerunt *c. obeuntibus 35. diſt. 63.* ne ſcil. Eccleſia paſtore viduata diutiùs patiatur. Canonicorum tamen hodiernorum vacantes dignitates ut certo tempore præcisè ſuppleantur, nulla fortè ratio ſvadet, cùm Eccleſiæ nihil interſit, ſive abſint ſive adſint inertia ejusmodi terræ pondera.

devolvitur] Devolutiones iſtæ non ſunt reprehendendæ, præſertim ſi propter nimiam & ſupinam negligentiam collatoris ordinarii res protrahatur.

religioſorum virorum] Per viros religioſos Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 3. c. 3. n. 46.* non in his qvidem verbis auto-

autoris, qvi ſine dubio ejus non fuit ſententiæ, ſed in canone, unde autor iſta deprompſit, intelligit laicos pios & prudentes, qvòd Monachi eo tempore nondum vocati fuerint religioſi, neqve excluſi antiqvitùs fuerint Laici ab electionibus miniſtrorum Eccleſiæ.

Regularibus prælatis non conferentibus intra ſex menſes, fit devolutio ad ordinarium. h. d.

c. un. de ſuppl. negl. præl. in Clem. c. ſicut nobis eod. tit. extr.

§. 4. Idem ſtatuitur in regularibus prælatis: ſi enim qvævis beneficia ad illorum diſpoſitionem ſpectantia intra conſtitutum tempus conferre negligant, locorum diœceſani in non exemptis propria, in exemptis verò Apoſtolicâ authoritate eorundem negligentiam juxta præſcriptum in Viennenſi Concilio modum ſupplebunt.

in non exemptis] De exemptione abbatum dixi ſupr. *ad tit. 9. §. abbas.*

propriâ] cur verò hic non, uti in cathedralibus Eccleſiis defectus Epiſcopi ſuppletur per capitulum, ita etiam in conventualibus defectus prælati ſuppletur per conventum? Reſpondet Joh. Bapt. Vivianus *in ration. ad c. un. de ſuppl. negl. præl. in Clem.* qvia non eſt tanta conjunctio inter cæteros prælatos & eorum conventus, qvanta eſt inter Epiſcopum & ſuum capitulum. Ego verò non minorem, imò fortè majorem exiſtimo eſſe conjunctionem Abbatis & monachorum, qvàm eſt Epiſcopi & capituli, ſi qvidem ex conjunctione res decidenda fuerit. Monachi enim totam ſuam voluntatem prælato ſuo communicant, & qvaſi in ſervitutem ei addicuntur, qvod de capitulo dici neqvit. Ratio igitur potiùs ex defectu & privatione voluntatis, qvàm ex conjunctione petenda eſſet, dum ſaltem reſignatio iſta voluntatis ſuperſtitione & prava ἐθελοθρησκείᾳ non eſſet infecta.

Apoſtolicâ autoritate] h. e. pontificiâ, ne, ſi Epiſcopali fieret autoritate, qvam regulariter Epiſcopus haberet, exemptionis privilegia violentur. Difficile enim eſt, vel tantillum reſtituere de re, qvæ incon-

inconsultò ablata est. Sed enim & Ecclesiæ & Reip. utilius esset, si exemptiones istæ revocarentur, & ordinaria Episcoporum restitueretur jurisdictio. Vid. Principum German. *gravam. XIII.*

Tempus devolutionis currit solum non impeditis, & à die notitiæ. h. d.

§. 5. Tempus[f] autem sex mensium nec currit legitimè impeditis, & à die notitiæ, non à tempore vacationis erit computandum.

f *cap qvia diversitate & Gloss. in cap. 2. extra. de concess. præbend. & c. licet. extra. de suppl. negl. præl.*

legitimè impeditis] Qvia enim negligentia punienda est, non potest negligens dici, qvi impeditur aut qvi ignorat. In omni enim præscriptione, qvæ ex negligentia alicujus inducitur, necesse est, ut initio ponantur ea, qvæ negligentiam inducunt. Ignoranti autem & legitimè impedito, nulla negligentia imputari debet, & per consequens non currit ei præscriptio: qvare ubi nulla est negligentia, ibi præscriptio initium sumere neqvit. Andr. Gail. *l. 2. obs. 105. n. 5. 6.*

Devolutio non habet locum in Ecclesia non numerata, vel qvando dignitas est suppressa. h. d.

§. 6. Hæc[g] autem ita demum obtinent, si in Ecclesia erat distinctio præbendarum, & certus Canonicorum numerus. Cæterùm, si neq; distinctæ præbendæ, nec certus sit Canonicorum numerus, Lateranensi concilio de beneficiis ultra sex menses vacantibus locus non erit. Idem etiam obtinet, si per capitulum vacans dignitas legitimè fuerit sublata.

g *cap. ex parte. extra de concess. præb.*

distinctio præbendarum] Igitur non tàm periculum Ecclesiæ dignitatem vacantem restitui jubet, qvàm ne præbenda sine canonico maneat, adeoqve non tàm canonici officium, qvàm lucrum attenditur. Disqviri autem hîc posset, utrum incertus iste Canonicorum, sive (ut in principia sua rem resolvamus) ministrorum Ecclesiæ numerus to-

lerari debeat? Qvia enim in avaritiam proclives ſunt animi hominum, & hinc ex paucitate ſuâ opimiores reditûs ſperare poſſunt Canonici, facilè hinc fiet, ut vacantia miniſteria ſupplere illi omninò deſinant, & ſic tandem Eccleſia miniſteriis ſuis deſtituatur. Id qvidem certum eſt, in Eccleſia, in qva non eſt certus numerus præbendarum, non poſſe dari vacationem alicujus præbendæ, qvam rationem conſtitutionis hujus reddit Vivianus *ad c. 10. X. de conceſs. præb.* ſed id vicisſim negari neqvit, dari tum vacationem miniſterii, qvod antehac à pluribus, nunc à pauciori-bus ſuſtinetur. Sed uti jam ſæpè dixi, Canoniſtæ miniſterium præbendæ applicant, non præbendam miniſterio; perverſo planè modo, & contra inſtituta majorum.

fuerit ſublata] Fieri id poteſt, ſicubi cedat in emolumentum Eccleſiæ, qvemadmodum & Juſtinianus Imp. in Eccleſia Conſtantinopolitana numerum Clericorum imminuit. *Novell. 3.*

Sede vacante capitulum non fungitur vice Epiſcopi in conferendo, & ceſſante cauſa ceſſat & effectus. h. d.

§. 7. Licet autem ob negligentiam Epiſcopi conferendi poteſtas ad capitulum devolvatur, ſede tamen vacante [a] in collationibus præbendarum Epiſcopi vice non fungitur: cùm eo caſu nullius ſuperioris poſsit argui negligentia.

a *cap. 2. ext. ne ſede vacante.*

Epiſcopi vice non fungitur] qvippinî? Sufficit enim collegium presbyterorum poteſtatem habere univerſalem circa regimen ſuæ Eccleſiæ, deficiente Epiſcopo. Conferre igitur etiam poterit beneficia, h. e. perſonas eligere & deputare ad munus Eccleſiaſticum, & facere, ut more Eccleſiaſtico ordinentur à Metropolitano vel vicino Epiſcopo. Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 9. c. 8. n. 12.* Cæterùm, qvid & qvantum poſsit capitulum ſede vacante, vid. Gail. *l. 1. obſ. 30.* Joh. Aloyſ. Ricc. *deciſ. 880.*

Circa collationem factam poſt devolutionem, diſpenſari poteſt. hoc dicit.

b *cap. literas, extr. de ſup-*

§. 8. Is [b] qvoq; qvi nimium ceſſando conferendi Jus ami-

amiserit, si post Jus collationis devolutum, nihilominùs viris idoneis de beneficio providere voluerit, qvanqvam ob temporis lapsum collatio mero Jure non teneat, ex dispensatione tamen & benignitate tolerari poterit. *plend. neglig. prælat.*

providere voluerit] Hoc non dicitur in textu, ex qvo hic paragraphus desumptus est, *c. literas 4. extr. de suppl. negl. prælat.* Sed præsupponitur ibi jam collatio facta, non obstante, qvod jus conferendi amissum fuerit, & ambigitur hinc, utrum collatio illa teneat. Et respondet Pontifex, tolerari debere istam collationem, dum ea tantùm idoneis facta fuerit. Ratio est, qvia facta multa tenent, qvæ à principio fieri prohibentur. Non ergò ibi agitur de casu, qvando qvis jure suo privatus adhuc conferre vult de futuro, qvanqvam non negem, posse etiam tunc superiorem jure ad se devoluto non uti, & permittere, ut inferior, qvi jure summo non posset, Ecclesiæ adhuc provideat.

Legati missi vel nati vigore suæ legationis non conferunt, nisi sibi specialiter concedatur: secus est in legatis de latere, qvi conferunt, & sine mandato speciali, etiam invito patrono Ecclesiastico. h. d.

§. 9. Ex[c] legationis qvoq; munere conferendi competit facultas, qvod tamen non indistinctè obtinet: nam sive missi fuerint, sive suarum prætextu Ecclesiarum aliqvi legationis sibi vendicant authoritatem, ex ipsa legatione nullam habent conferendi potestatem, nisi hoc alicui specialiter indultum fuerit. His autem, qvos Romani Pontificis latus & comitatus illustrat, legatione fungentibus, sine speciali concessione, etiam Ecclesiastico patrono invito, con- c *cap. 1. de offic. leg. in 6.*

conferendi facultas competit. Sicut enim honoris prærogativa lætantur, sic eos authoritate fungi congruit ampliori.

nam sive missi fuerint] Nemo legatorum suorum classes tàm accuratè distingvit, qvam Pontifex Romanus. Alios vocat Legatos à latere, alios legatos natos, alios verò nuncios apostolicos, qvi ipsi hoc loco missi dicuntur. Legati à latere nō alii sunt, qvā Cardinales, qvos ex Urbe & Curiâ Rom. mittit vel ad certam provinciam administrandam, vel ad negocia cum Regibus, Principibus aut cum aliqvâ rep. tractanda. Non tn. omnes illi, qvi ad reges & principes mittuntur, tales sunt. aliqvi n. dicuntur Legati de latere, alii cum potestate legati de latere, alii simpliciter legati. Legati nati appellantur Antistites, qvi ratione Ecclesiarū, qvibus præsunt, legati apostolici munus & officium habent, & ideò nati dicuntur, qvia statim ut Ecclesiis suis præficiuntur præsules, id muneris & officii nanciscuntur. Imò verò hæreditaria qvandoqve fuisse videtur dignitas legati nati. Sic qvidam per Rogerium Siciliæ comitem atqve ejus heredes legatos à latere constitutos, omnes Reges Siciliæ Legatos natos sedis apostolicæ esse contendunt. Vid. Baron. *ad ann. 1097.* qvod jus Hadrianus Pontifex à Wilhelmo Siciliæ Rege Beneventi obsessus confirmare coactus fuit. Baronius *ad ann. 1156.* Nuncii deniqve Apostolici communi vocabulo dicuntur, qvi Cardinales non sunt, sed Antistites missi à Pontifice, tanqvam legati. Solis igitur legatis à latere potestatem conferendi largitur jus Pontificium. Id obiter addo, in Gallia adstrictè admodùm haberi legatos Pontificios, & ante abitum suum edere teneri non regesta tantum seu acta eorum, qvæ tempore legationis gesserunt, sed ipsum etiam sigillum. Vid. Joh. Papon. *lib 1. tit. 5. arest. 6. & 7.* qvi & porrò *arest. 30.* refert decretum curiæ, uti sese Nuncius Papalis in personâ sisteret, eò qvod sibi electionem custodis Franciscanorum vindicâsset. Qvin nec ab initio qvidem Legatus apostolicus legationis suæ munus expedire potest, nisi consensu Regis, & si qvid ab illo tentatum fuerit adversus canones & vetustam consvetudinem, infringi id intercessione Regiâ solet, notante Petro de Marca *de concord. sacerdot. & imp. l. 6. c. 31.*

etiam Ecclesiastico patrono invito] At de hoc conqveruntur principes Germaniæ in Comitiis Norinbergensibus *gravam. 97.* idq; aboleri volunt.

Lega-

Legatus de latere non confert cathedrales Ecclesias, nec regulares, nec dignitates post Pontificalem majores, nec potest eodem tempore in eadem Ecclesia plures reservationes facere. h. d.

§. 10. Sed tamen nec cathedrales [d], nec regulares, aut collegiatas Ecclesias, nec Ecclesiarum cathedralium dignitates, ad qvas per electionem promoti, primum post Episcopum obtinent locum, veluti Archidiaconatum, suæ dispensationi, aut provisioni reservare possunt. Nec plures beneficiorum reservationes [e] eodem tempore, in eadem cathedrali, vel collegiata Ecclesia, vel ad ejusdem collationem pertinentium faciet.

d *cap. deliberatione de officio leg. in 6.*

e *c. præsenti. §. cæterùm. de offic. leg. in 6.*

nec cathedrales] De distinctione hâc Ecclesiarum dicam infr. *lib. 2. tit. 18. §. constituuntur.*

reservare possunt] De reservationibus tùm ipsius Pontificis Romani, tùm legatorum ejus, diu est, qvod qverelas instituit & fibulam injicere exoptavit Ecclesia. De avisamentis Constantiensibus, uti vulgo vocantur, jam nihil dicam, cum per ea nihil omninò impetraverit Natio Germanica. Avisamenta autem Moguntina, qvæ Principes Germaniæ Moguntiæ coacti qvatuor annis ante, qvàm concilium Basileense coiret, conscripsérunt, feliciorem habuérunt exitum. Constituunt in iis Principes exorandum Pontificem, ut in singulare privilegium relevamen gravaminum concedat. Ecce privilegium petunt adversus id, qvod Pontifices sibi præter omne jus fasq; usurpavérant. Inter gravamina primum ita se habet: *Inprimis Pontifex annullet & irritet omnes & singulas reservationes tàm generales, qvam speciales, sive particulares Ecclesiarum metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, Monasteriorum, dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum qvorumcunq;, qvibus pro electione provideri consvevit, sive per extravagantes*, &c: Succesit ea res ex voto in concilio Basileensi, cujus autoritatem, præsertim in iis, qvæ beneficia Ecclesiastica concernunt, Pontificii reprobare semper non audent. Vid. Bellarm. *l. 1. de concil. c. 7.* In isto concilio

publicato decreto abrogatæ sunt reservationes, & Eugenius IV. papa, *qvod electionibus obsisteret, reservationibus contrariis utendo* (sunt verba concilii) graviter increpitus & tandem, cum judicium concilii nullatenus admitteret, in eodem damnatus est. Sed Germania, seu id factum Æneæ Sylvii artibus, sive culpâ Friderici III. Imperatoris, qvod graviter conqveritur Carolus Molinæus, tàm optatâ occasione excutiendi jugum Pontificium usa non est. Gallicana autem Ecclesia melius sibi consulens editâ pragmaticâ sanctione decretis Basileensis Concilii magno cum emolumento robur addidit. Vid. Petrus de Marca *de concord. sacerdot. & imp. l. 6. cap. 9.* Et ex hoc fundamento à Curiis supremis, provisiones, dispensationes, & alia privilegia Papæ adversus jus tributa annullantur, & via appellationum tanqvam ab abusu ad jus commune reducuntur. Vid. Joh. Papon. *lib. 19, tit. 2. arest. 3.* Qvæ aliàs decreta facta fuerint, de non transferendis Romam pecuniis, refert idem Paponius *l. 1. tit. 5. arest. 28.* Addantur M.A. de Dominis *de Rep. Eccles. l. 9. c. 8. n. 28.* Franc. Duaren. *de sacr. Eccles. minister. l. 5. c. 11.* Joh. Hoornbek *ad bull. Innocent. X. pag. 220.* Fatentur autem ipsimet Canonistæ, reservationes esse odiosas duobus ex capitibus, & qvia per eas datur via ad vacatura, & qvia præjudicant ordinariæ potestati.

Reservationes legatorum expirant finitâ legatione. b. d.

f *d. cap. præsenti. de offic. leg. in 6.*

§. 11. Illæ qvoq;[f], qvas jure fecerint, dum modò ad beneficiorum jam vacantium collationem non sit processum, eo ipso, qvòd illorum finitur legatio, penitùs evanescent, nec executores dati amplius ea conferre poterunt.

nec executores dati] qvia finitâ legatione omnis finitur potestas ex legatione competens. Ægid. Bellemer. *conclus. 542.* Nec dicere poteris, morte non finiri mandatum, si res non sit integra *l. 17. §. ejus ff. de instit. act. l. 8. C. de O. & A. l. 27. §. morte ff. mandat.* morti autem optimè comparari posse finem & interitum legationis, tum qvia res nondum desiit esse integra, (præsupponitur namq; ad beneficiorum jam vacantium collationem nondum esse processum) tum qvia tota ea res, qvæ in se odiosa est, ex ipsâ qvalitate legationis pendet. Demptâ igitur eâ, nihil restat, cui inniti possit executio.

Tacitur-

Digitized by Google

Taciturnitas habiti beneficii invalidat provisionem legati non ordinarii. hoc dicit.

§. 12. Sed [a] nec aliter beneficium obtinenti ab Apostolicæ sedis legato facta collatio valebit, qvàm si de eo, qvod tunc provisus obtinet, mentio facta sit specialis, [b] licet id in aliorum ordinariorum collationibus minimè reqviratur.

a *cap. fin. de offic. leg. in 6.*

b *c. fin. de offic. Ordin. in Clem.*

beneficium obtinenti] Regulariter nemo duo beneficia obtinere potest, eò qvod impossibile sit, ut utrobiq; qvis inservire possit. Nec proinde licet possidere unum beneficium & unam Vicariam, maximè perpetuam, nec duos vicariatus *c. 1. X. de offic. Vicar.* Duabus enim Ecclesiis nemo commodè inservire potest, & dum utramq; curare properat, neutri fidem reddere valebit. Petr. Gregor. *de benefic. c. 7. n. 1.* Dispensatio vero, qvæ bono ordini plerumq; adversa est, impossibilitatem istam sustulit, & possibile reddidit, qvod antehac impossibile creditum fuit, tollendo scil. necessitatem residentiæ, & inducendo, ut minister qvis dicatur, & pro ministerio salarium accipiat, nec tamen ad ministrandum adstrictus sit.

licet id in aliorum ordinariorum] Rationem differentiæ reddunt istam, qvod Ordinarii magis informati sint & certi in beneficiis, qvæ ad dispensationem suam spectant, qvàm Legatus respectu totius provinciæ suæ, ac proinde in ordinariis subreptio non præsumitur, sicut in Legato, qvi majoribus negociis implicatus non potest omnes subditos notos habere.

Licet ante acceptionem beneficii qvis nullum habeat in eo jus; tamen collator de eo alteri, primo non consentiente, providere non potest, tamen primo proviso præfigi terminus ad acceptandum, qvo lapso poterit beneficium alteri conferri, nisi primus etiam lapso termino acceptaverit. ibid.

§. 13. Illud autem tam in ordinario, qvàm etiam in legato statutum est, qvòd sicui beneficium contulerint,

c *cap. si tibi. de præben. in 6.*

rint, licet is [c], donec collationem ratam non habuerit, nullum jus in eo acqviſiverit, in perſona tamen alterius, primo non conſentiente, de beneficio non libero ab ipſis facta proviſio non ſubſiſtet: planè notificata collatione, & ad conſentiendum termino competenti præſtito, ſi primus non conſenſerit, eo lapſo beneficium liberè, cui viderint expedire, conferre poterunt. Anteqvam tamen ipſum alii contulerint, non obſtante lapſu termini, ſuum primus collationi poterit accommodare conſenſum.

nullum jus in eo acqviſiverit] Non aliter enim volunt jus in re acqviri, qvam ubi is cui collatum eſt beneficium, collationem iſtam acceptaverit & ratam habuerit; & ex hoc illico ipſius proprium dici beneficium. At enim malè ſtatuitur acqviri jus in re, ubi res ipſa non eſt in commercio. Nec enim decet miniſteria ſacra ita uſibus hominum deſtinare, ut propria eorum dici poſſint. Sed uti ſæpè dixi, miniſteria apud Pontificios ex præbendâ æſtimantur, qvæ ipſa facit, ut illa beneficia dicantur, & hinc facilè hominum commerciis exponantur.

primo non conſentiente] At qvi abſenti donationis causâ rem aliqvam mittit, pœnitere poteſt, ante abſentis acceptationem, *l. 2. §. 6. & l. 10. ff. de donat.* Reſpondet poſt alios Didacus Covarruvias *l. 3. var. reſolut. c. 16. n. 1.* verum id eſſe in donatione liberâ, & qvia donator minimè teneatur donare; diverſum verò obtinere in collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum, qvod teneatur collator ratione officii conferre beneficia. Etſi enim videatur collatio illa donatio qvædam impropria reſpectu illius, cui fit, cum ei non teneatur præcisè prælatus beneficium concedere, eſſe tamen collatorem hactenus obſtrictum, ut alicui conferat, & talem obligationem in donatore non inveniri. Nos, uti dixi, ſacerdotia & miniſteria Eccleſiaſtica ad jura, qvæ hominum commercia modificant, haudqvaqvam referimus, atq; hinc ulli jus aliqvod acqviri nullo modo concedimus. Nec tamen pro-

propterea irritandam putamus vocationem ministri ex eo solo, qvod aliqvis nunc existat alius, à qvo majus expectari possit emolumentum.

Anteqvam tamen] Poterat his omnibus, sed & pluribus aliis in hoc titulo abstinere autor, si qvidem institutiones tantùm conscribere constitutum fuisset. Faciunt autem hæc verba, ut terminus præfixus non intelligatur præclusivus, anteqvam alii beneficium collatum fuerit. Cùm tamen regulariter, ubi terminus constituitur, non audiatur deinceps, qvi terminum istum neglexerit. Joh. Bapt. Asinius *in pmx. §. 15. c. 3. n. 2.* Nec dicere poteris, non esse hîc alium, cui jus elapso termino acqviri possit. Qvid enim si sub conditione, si prior non acceptaverit, alteri alicui promissio facta fuerit? Sed & ipsius collatoris jus subest, ut liberè deinceps alii conferre beneficium possit.

Per rescriptum Apostolicum præbenda confertur purè in diem, & sub conditione, & pura collatio est, cùm alicui simpliciter de beneficio providetur. hoc dicit.

§. 14. Per rescriptum Apostolicum mandatur fieri collatio, aut purè, aut adjecto die, aut sub conditione. Purè, ut cùm mandatur simpliciter, ut alicui de beneficio, aut præbenda provideatur.

Per rescriptum apostolicum mandatur] Hæc ratio conferendorum ministeriorum Ecclesiasticorum veteribus planè fuit incognita, & ex αἰχροκερδείᾳ curiæ Romanæ orta. Eruditè autem observatum fuit tùm ab Francisco Duareno, tùm à Marco Antonio de Dominis, qvibus artibus methodum eam primum introduxerint, & successu temporis perfecerint Pontifices Romani. Videri potest ille *lib. 5. de sacr. Eccles. minist. c. 8.* hic *lib. 9. de Rep. Eccles. c. 8.* Nonnulla Duareni adscribam: *Animadvertendum est*, inqvit, *Romanos Pontifices parcè admodum ac modestè ab initio potestate eâ usos fuisse. Non enim imperiosis istis diplomatis terrebant statim Episcopos, & ad sibi parendum cogebant, sed ut leviter primùm tentarent eorum patientiam, literis monere eos ac rogare solebant. Sed cum preces & monita gravatè ab Episcopis reciperentur, ac plerumq; ea contemnerent, mox in præcepta conversa sunt. Verum ne ea qvidem satis nervorum habuére, cum beneficium interim collatum alii adimendum non videretur, sed contumacia tantùm*

non obtemperantis plectenda. Itaq; ratio tandem excogitata est, qvâ beneficiorum dispensatio ad pontificis Romani potestatem & arbitrium omninò revocaretur: datis nempe per diplomata executoribus, qvi aut Episcopos ad parendum cogerent, aut eis imperium detrectantibus ipsi conferrent. Sic precibus primum usi Pontifices Romani, deinde jussu ac minis, postremo vi apertâ hanc sibi potestatem comparvérunt. — — Ac fuit tempus, cum hic ritus observabatur, ut trinas literas ejusdem beneficii nomine ad Episcopos mitteret Pontifex, qvarum una monita tantùm, altera præcepta, postrema legis actionem atq; executionem complecterentur. &c. Eandem originem & successum mandatorum Apostolicorum, qvibus ordinariorum potestas impedita fuit, refert Petrus Gregorius *in Syntagm. jur. lib. 17. c. 11. n. 1. 2. 3.* ubi porrò dicit, semel tantùm cuilibet Pontifici tempore sui Pontificatûs licere hoc jure in qvâlibet Ecclesiâ nti, eò qvod odiosa sint talia mandata, & votum captandæ mortis inducere qveant. Addam insuper verba Claudii Espencæi, qvi Episcoporum partes per Pontificem Romanum involari & infringi ingenuè profitetur. Sic enim scribit *in Epist. ad Tit. cap. 1. pag. 483. In nostrâ Galliâ nusqvam pejus habent Ecclesiæ, nusqvam iniqvior bonorum sacrorum usus aut dispensatio, qvam in patriis, qvas vocant, obedientiæ, Episcopis earum à Papa, h. e. à Petri successore, plenitudine potestatis non contentô, Apostolorum successoribus, fratribus suis & coëpiscopis nulla vel certè admodum parva solicitudinis parte relictâ. tam multis S. A. juribus summis h. e. injuriis summis, privilegiis h. e. abusibus, consvetudinibus h. e. corruptelis, expectativis nimirum, regressibus, mandatis, reservationibus, præventionibus, & id genus inventiunculis gravari se qviritantur locorum ordinarii, ut præter pedum & mitram nihil eis penè reliqvum sit.* &c.

aut præbenda provideatur] Iniqvum certè est, obtrudere Ecclesiæ hominem qvandoq; ignotum, exterum, cuiq; nullâ planè Ecclesiæ illius notitiâ. Et tamen id multis modis freqventatum semper fuit in Ecclesiâ Pontificiâ. De Johanne XXII. refert Henricus Rebdorff *in annalib.* his verbis: *Johannes XXII. prius vocatus Jacobus de Cathurio de Wasconiâ, multas gratias de Ecclesiasticis beneficiis fecit, & ita pingves clausulas formis gratiarum suarum apposuit generaliter, qvales antea ab aliqvo Papâ non emanavérunt & dispositioni suæ tot prælaturas reservavit, qvod ante ipsum ita communiter consvetum non erat.* Hæc vero corruptela ita deinceps invaluit, ut Bremensi ArchiEpiscopo defuncto, nemo esset in Ecclesiâ Bremensi, qvi ad Pontificatum adspiraret, *scientibus cunctis*, ut ait Crantzius Metr. *lib. 9. c. 17. qvod frustra niterentur, cum Apostolicâ provisione sedes implenda putaretur. Jam enim inoleverat*, ait idem Crantzius *lib. 9. c. 23. ut apostolicâ provisione darentur*

rentur Episcopi, posthabitâ capitulorum legitimâ electione. Cum igitur tàm frequentes essent provisiones & gratiæ expectativæ, sæpiùs accidit, ut alium eligerent Episcopum capitulares Ecclesiæ cathedralis, alium Româ vel Avinione multis munitum bullis mitteret Pontifex. Quibus ipsis si locus daretur, publica quidem intemerata manebat tranquillitas, sed patiebatur Ecclesia, præsertim ubi ignoto ea, sæpè etiam minus digno commissa fuisset. At ubi bullis ejusmodi nulla præstabatur obedientia, non in turbas tantùm, sed in contentiones etiam, & in bellum sæpè erupérunt ejusmodi contradictiones, magno tùm Ecclesiæ tùm Reip. detrimento. Supra citatus Rebdorff *in anno 1333.* hæc refert: *In Alemanniâ magnum schisma est in clero & populo ex provisionibus sedis Apostolicæ ad Episcopatus, solennes prælaturas & alia beneficia, quæ idem Ludovicus in odium sedis Apostolicæ fortiter impedivit, multos etiam provisos à sede dejecit.* Episcopi ipsi, quibus providebatur, quo animo ad regendam Ecclesiam accesserint, vel ex unico eo constare potest, quod refert Crantzius, Nicolaum quendam provisione Apostolicâ Lubecensem Episcopum creatum, ubi comperisset, Lubecam ad temporale dominium illius Ecclesiæ non pertinere, graviter sibimet ipsi indignatum, quod non ante perquisivisset rerum qualitatem, ut non tanti laboris & sumptuum impendia fecisset.

Collatio Apostolici in diem facta accedente decreto irritante ligat manus ordinarii. h.d.

§. 15. Dies adjicitur collationi, ut cùm præbenda confertur, quam quis intra mensem [d], aut alio tempore à vacationis notitia duxerit acceptandam: quo casu, cùm temporis appositio favorem afferat impetranti, si decretum irritans fuerit appositum, collatio per ordinarium alteri facta, intra præfixum tempus nullius obtinebit roboris firmitatem [e]. Decreti enim appositio, reservatio, executoris inhibitio, & lis mota, beneficium affectum reddunt.

d *clem. unic. §. secùs. de conc. præb.*

e *c. tibi. de Rescript. c. dudum. de præb. in 6.*

Dies adjicitur] Postquam semel beneficia Ecclesiastica in com-

mercio esse cœpérunt, varia deinceps jura in negociis hominum observata illis applicata sunt. Dies adjicitur contractibus: pari modo & collationibus beneficiorum. Posset id tolerari, nisi omnia tàm rigidè ad normam negociorum civilium exigerentur. Exclusit Justinianus catalogo rerum, qvæ in dominio esse possint, sacra, sancta & religiosa. Pontifex reponit, & de hoc facinore multum sibi blanditur. Uter horum pietate præstet, non erit difficile definire.

si decretum irritans] De clausulâ decreti irritantis vid. D. Marta *tract. de claus. part. 1. claus. 255.* Potissimus ejus effectus est, qvod irritet seu annullet omnia, qvæ in contrarium fiunt. August. Barbos. *clausul. 40.*

affectum reddunt] ut sc. interim durante tali impedimento conferri alii alicui neqveat. Qvâ ratione autem beneficium fiat litigiosum, prolixè exponit Petrus Gregorius *de benef. c. 40.* ubi pleraq; omnia, qvæ in foro seculari inventa sunt, sacerdotiis applicat, & veluti mercatum Ecclesiasticum instituit. Nec verò tolerari debet in Ecclesiâ collatio beneficii, qvod qvis acceptandum duxerit, uti in hoc disponitur paragrapho. Sic enim indefinitè qvalecunq; alicui destinatur ministerium, non attento, an idoneus ei fuerit, an minus. Et qvis vero tùm non eligeret inter plura vacatura maximè opimum & longè optimum? Ut jam taceam, facilè inqvinari posse talem collationem per votum captandæ mortis, & accelerari ita expectationem futuræ successionis, id qvod & civilibus & Ecclesiasticis constitutionibus, ut bonis moribus adversum severè semper fuit interdictum.

Publicè notum, præsumitur notum etiam privatis. h. d.

§. 16. Interpretamur autem qvem prædictæ vacationis habere notitiam[f], ex qvo ipsa vacatio in loco, vel Ecclesia hujusmodi beneficii publicè nota erit. Imputet enim sibi, si hoc casu, qvo de ipsius commodo agitur, id qvod per se, vel per alium scire potuerit, ignoraverit.

[f] *d. elem. unic. in fin. de conc. sess. præben.*

publicè nota erit] Notorium enim tollit ignorantiæ præsumtionem, qvam si qvis prætexere velit, tam crassa ea, supina & affectata erit, ut scientiæ comparetur.

de ipsius

de ipsius commodo] circa qvod unusqvisqve præsumitur esse attentus & assiduus. Id igitûr negligens & ignaviam suam prætendens, propriam allegat turpitudinem, qvæ ipsi haudqvaqvam debet esse emolumento.

Collatio conditionalis, & concurrente decreto non impletis conditionibus, non ligat manus ordinarii. h. d.

§. 17. Sub conditione mandatur fieri collatio, ut [a] cùm alicui si per exeqvutoris inqvisitionem repertus fuerit vitæ laudabilis, vel si consensus accesserit Capituli, vel aliâ adjectâ conditione, de beneficio provideri committitur: & eo casu etiam appositio irritante decreto, non impletis adhuc conditionibus, vacans beneficium per ordinarium, aut per executorem ad providendum de tali beneficio datum, liberè conferri potent.

a *clem. un. in princ. de concess. præbend. cap. si pro te. de Rescript. in 6.*

repertus fuerit vitæ laudabilis] Propriè dicta hæc conditio non est. Primarium enim conditionis reqvisitum est, ut conferatur in tempus futurum, *l. 39 ff. de R. C.* Præsens autem & præteritum tempus non suspendunt actum, *l. 37. ff. eod. l. 34. §. 1. ff. de condit. & demonstr. l. 3. §. 13. ff. de bon. lib.* nec morantur negocium, sed aut statim infirmant istud, aut omninò non differunt, *§. 6. J. de V. O. l. 100. ff. eod.* utut rei veritas ignoretur, *l. 120. ff. de V. O.* Et propterea si qvid in præteritum aut præsens tempus conferatur, propriè dicta conditio non est, nec vim, sed figuram tantùm conditionis habet, uti loqvitur Proculus *l. 69. ff. de ber. inst. l. 10. §. 1. ff. de condit. inst.* Qvandoqvidem igitur non per executoris primùm inqvisitionem aliqvis fit vitæ laudabilis, sed ante eam talis extitit, non erit vera conditionalis hæc collatio.

liberè conferri poterit] Minùs juridicè hoc videtur asseri. Hoc enim certum est, per decretum irritans ligari manûs Ordinarii & aliorum inferiorum. Qvanqvam verò per provisionem conditionalem

non omninò adſtrictus ſit Ordinarius, adſtrictus tamen eſt ſub conditione. Et fruſtrà aliàs omnis fieret proviſio conditionalis, cùm eâ non obſtante integrum ſit Ordinario beneficium conferre, cuicunqve voluerit. Qvemadmodum igitur in contractibus ſub conditione celebratis non qvidem illicò præſens aut nata eſſe dici poteſt obligatio, poteſt tamen dici concepta in eum finem, ut negocium interim vivificetur & ſuſtentetur, & ut contrahentium alter invito altero pœnitere neqveat, *l. 78. ff. de V. O. l. 26. ff. de ſtip. ſerv.* Ita Epiſcopum qvoqve aut alium inferiorem per reſcriptum Pontificis conditionale obligari tantiſper verius videtur, donec de conditione vel exiſtente vel deficiente conſtare poſſit, & ſufficit in caſum conditionis deficientis libertatem Epiſcopo reſtitui.

Obſtat taciturnitas obtenti beneficii etiam modici, niſi proviſio ſit facta motu proprio. h. d.

§. 18. Sed multum intereſt, motúne proprio, an ad alterius petitionem de beneficio provideri mandetur.[a] Si enim proprio motu[b], longè pingvius erit mandatum: nam etiam de beneficiis, qvæ impetrans obtinet, nullâ habitâ mentione, erit hujusmodi proviſio valida, qvaliacunq; fuerint beneficia, & in numero qvantocunq; qvæ habebat impetrans, cùm ſibi proviſio facta fuerit. Qvòd ſi ad petitionem gratia hujusmodi facta ſit, qvantumcunq; modicum beneficium ſcienter taceatur, veluti ſurreptitia non valebit.

a *Si Roman. Pont. de prab. in Clem.*

b *cap. ſi motu proprio. de prab. in 6. it. §. ſecus.*

motúne proprio] De clauſulâ iſtâ vid. Marta *de clauſul. part. 1. cl. 73.* Aug. Barboſ. *clauſ. 79.* Obſervant autem Doctores, Reſcriptum aut privilegium etiam contra jus elicitum valere, ſi princeps in eo exprimat, ſe concedere id motu proprio & ex certâ ſcientiâ. Notatq; Johannes Petrus de Ferrariis, ſolere eam clauſulam adponi in privilegiis & Reſcriptis

ptis papalibus contra Deum & justitiam & in animarum suarum perpetuum detrimentum ac infamiam sempiternam. *tit.15. prax. glos.9. n.3.*

qualiacunq; fuerint beneficia]. Contrarium statuit Didacus Covarruvias *ad c. alma mater de excomm. in 6. part.1.* §. 7. clausulam, *motu proprio*, non inducere dispensationem ad obtinendum duo beneficia, quæ simul non possunt obtineri.

& in numero quantocunq;] Valdè absurdum est, uni duo munera committi in Ecclesia, nisi necessitas aut alia gravis causa id fieri cogat. Itaque canonibus quibusdam severè prohibitum legitur, ne quis in duabus Ecclesiis ordinetur. Quod si quando diversum quid institutum fuit, factum id non in gratiam personarum, uti hodiè in papatu fieri solet, sed in gratiam Ecclesiarum. Vid. Duaren. *de sacr. Eccles. ministr. l 8. cap.4.*

Quod si ad petitionem] Etiamsi tùm rescripto addantur verba: *motu proprio*, quia tùm adhuc nihilominus attendendæ sunt preces, quæ præ[illegible],an veritate nitantur. Joh.Bapt.Leonell. *de subrept. rescript. q.5. a.1.*

Collatio facta motu proprio, pluribus beneficiis in eadem Ecclesia simul vacantibus, intelligitur facta de pingviori, si beneficia sint æqualia, ad eum spectat electio, cui gratia est concessa. Collatio verò facta ad petitionem alterius, ad minus beneficium restringitur: si sint æqualia, eligit, qui aliàs conferebat, & motu proprio tunc censetur gratia fieri, cùm id exprimitur. h. d.

§. 19. Item si pluribus [c] in aliqua Ecclesia vacantibus dignitatibus, vel præbendis, Rom. Pontifex de hac vacatione incertus, dignitatem vel præbendam, si qua nulli debita in ipsa vacat Ecclesia, cuiquam motu proprio conferat, fiet interpretatio plenissima, & ad illam dignitatem, seu præbendam erit habenda relatio, quæ inter illas majoris censeatur esse valoris:

[c] *cap. si pluribus. de præb. in 6.*

loris : qvòd ſi forſan æqvales ſint, ad eam, qvam is, cui confertur, infra decem dies poſt habitam de dicta vacatione notitiam, duxerit eligendam : ſi verò ad petitionem alterius gratia hujusmodi facta fuerit, ad illam erit habenda relatio, qvæ minoris valoris extitit : & ſi ſit æqvalitas, ad eam, qvam is, ad qvem ipſarum ſpectat collatio, infra dictum tempus elegerit, poſtqvam ſibi hujusmodi gratia erit nota. Motu [d] autem proprio tunc ſolùm gratia fieri cenſetur, cùm hoc expreſsè cautum fuerit.

d *cap. ſi motu. in fin. eodem tit. in 6.*

Item ſi pluribus] Totus hic paragra[illegible]oſtendit, qvid in muneribus Eccleſiaſticis principaliter ſpectent pa[illegible]oriæ. Non ſcil. id, qvod in Eccleſiæ commodum vergere poſsit, ſed qvod ſuam explere qveat avaritiam, cùm præbenda majoris valoris ea demum dicatur, qvæ reditibus cæteras exſuperet. Sed & in iſto nimius videtur autor, qvod prolixior in hâc materia exiſtat, qvam compendii aut Inſtitutionum leges patiantur.

qvæ minoris valoris extitit] cur ita? cùm tamen aliàs concesſiones principum latisſimam patiantur interpretationem, Carol. Tapia *de conſtitut. Princip. p. 1. cap. 1. ſeq.* Reſpondet Vivianus *in Rational. ad c. 24. de præbend. in 6.* reſcripta talia ad alterius inſtantiam data eſſe odioſa, cum in eis notetur ambitio impetrantis. At multò major eſt ambitio dantis, ſicubi Papa confert motu proprio, eò qvod ab eo tùm committatur ἀλλοτριεπισκοπία. Et qvæ verò in modeſtè petente notari poterit ambitio? cùm nec illicita ſit talis petitio, nec infreqvens. Videtur autem Bonifacius VIII. qvi autor eſt dictæ Decretalis in *c. 24. de præbend. in 6.* eam ad ſua tantùm reſcripta reſtringere, ut eâ ratione ſtylum curiæ ſuæ, & qvatenus verba explicari velit, declararet, non ut jus faceret, qvod Succeſſores etiam obſervare tenerentur.

cùm hoc expreſsè cautum fuerit] Aliàs enim per impor-

portunitatem petentis obtentam censetur, *l. quisquis 1. C. de petition. bon. sublat. lib. 10.* Rheinking *de regim. secul. l. 2. cl. 3. c. 8.* nisi sub schemate legis generalis concedatur, vel corpori juris inseratur, Tapia *ad l. fin. C. de const. princ. p. 2. c. 9. n. 129.* Enenkel *de privileg. l. 1. c. 5. n. 12.* Dispescitur autem motus proprius ex sententia Dd. in verum & simulatum. Verus est, cum libertimâ voluntate, sponte ad nullius petitionem Princeps aut Papa ad collationem movetur, *l. si quis 13. C. de offic. Rect. provinc. l. si imperialis 23. §. similes 4. C. de nupt.* Et habent hæc privilegia & rescripta id peculiare, qvod nullo obreptionis aut simili crimine vitientur, *l. 1. C. de petit. bon. sublat. lib. 10.* Excipit tamen Enenkelius *l. 1. c. 5. n. 10.* casum, qvo motu proprio concessum est, qvod concedens vel non potuit vel non voluit, *l. pen. C. de offic. Rector. provinc. l. imperialis 23. §. similes verò tale 4. Cod. de nupt.* Motus proprius affectatus est, cum reverà ad preces supplicantis rescriptum datur, veruntamen literis inseritur, sponte factum esse, & nullas preces interveniisse. Eundem qvidem effectum habet hoc modo concessum privilegium aut jus, ejusdemqve dignitatis & notæ æstimatur cum prioris modi collatione, nisi qvod ex sententia Dd. obreptionis exceptio semper con[illegible]lud locum habeat. *l. pen. C. de off. Rect. prov.* Menoch. *de A. J. Q. l. 2. c[illegible] casu 201. n. 79.*

Solus Papa tribuit jus in beneficiis vacaturis. h. d.

§. 20. Sed sive motu proprio, sive ad alterius petitionem per Apostolicum rescriptum fiat provisio [e], cæteris longè præstat. Nam cùm ex Lateranensi Concilio [f], ministeria & beneficia Ecclesiæ tribui, aut promitti non debeant, anteqvàm vacent, Romanus Pontifex etiam in ipsis jus potest tribuere vacaturis.

e *cap. 2. ubi Glos. de præb. in 6.*

f *c. 2. de Concess. prabend.*

Romanus Pontifex etiam] *Sed aqvius erat*, inqvit Franciscus Duarenus *l. 6. de sacr. Eccles. minist. c. 1. ac longè decentius, eum non imperio tantùm, sed etiam exemplo cæteros Episcopos in officio continere. Nam in tanto fastigio collocatus, si leges, canones, ac majorum instituta contemnat, exemplo magis qvàm peccato nocet Reip. Christiana.* Et certè antiqvi canones gravissimâ hâc ratione nituntur, qvod omnis amputanda sit occasio

affectandæ captandæqve mortis alienæ. Unde nec ea qvidem promissio beneficii locum habet, qvæ concepta est sermone generali, qvando scil. qvis tunc beneficium se daturum promittit, cùm ejus dandi se facultas obtulerit, *c. 2. de concess. præb. in 6.* Rectius igitur censuerunt alii, prohibitionem de non promittendis officiis vacaturis non tantùm ad inferiores prælatos pertinere, sed etiam ad ipsum Pontificem; qvod & ipse nullâ omninò formâ, neqve generaliter, neqve indefinitè beneficium incertum vacaturum, multò minùs hoc aut illud promittere qveat. Vid. Didacus Spino à Caceres *in specul. testam. gloss. 4. pr. n. 102. seq.*

Ponit gradus qvosdam circa potestatem conferendi inter ordinarium, legatum & summum Pontificem. h. d.

§. 21. Est ergò inter ordinarium Legatum, ac summum Pontificem circa collationis potestatem, qvasi per gradus ascensus qvidam. Nam ad Episcopum [a] omnium qvidem basilicarum, qvæ in ejus territorio positæ sunt, collatio regulariter pertinet: vacaturam tamen præbendam suæ dispositioni reservare non potest, & longè minùs in eadem alicui jus tribuere. [b] Legatus autem non modò vacantes intra suæ legationis terminos Ecclesias conferre, verùm etiam vacaturas (juxta ea, qvæ suprà diximus) reservare poterit, licet eidem in vacaturis alicui jus tribuendi nulla sit facultas. [c] At Apostolicus & ubiqve vacantes donare, & vacaturas suæ provisioni reservare [d], & in vacaturis jus tribuere potest, cùm in ipso plenitudo resideat potestatis.

[a] *can. omnes basilicæ. 16. q. 7. c. exsecrab. de prabend. in Extrav.*

[b] *c. præs. de Offic. Leg. in 6.*

[c] *c. licet Ecclesiarum d. t. in 6.*

[d] *cap. 2. in gloss. de præbend. in 6.*

in ejus territorio] i. e. diœcesi, qvæ κατ' ἐξοχὴν dicitur territorium, *cap. omnes basilicæ 16. q. 7. c. monasteria 18. q. 2.*

reser-

reſervare non poteſt] ne concurrat cum Legato & Papa, horumqve reſervationes intervertat. Per reſervationem enim hoc obtinetur, ut alii, qvam reſervans voluerit, conferri beneficium non poſſit.

jus tribuendi nulla ſit facultas] Mandata enim, qvibus hoc jus tribuitur, odoſiora ſunt reſervationibus & majorem captandæ mortis alienæ præbent occaſionem. Reſervatio enim non impedit, qvo minus vacans poſteà beneficium, ab eo, qvi reſervavit, cuivis pro ipſius arbitrio conferatur.

At Apoſtolicus] Scil. ſucceſſor, per qvem κατ' ἐξοχὴν intelligunt Pontificem Romanum. Sed enim à bonitate Apoſtolicâ Pontifices Romanos commendare non audet Gvicciardinus *in hiſtor. Ital. lib. 16.* Laudat ibi Leonem X. & commendat, ut principem optimum. addit autem: *Non loqvor de bonitate apoſtolicâ, qvoniam corrupto hoc ſeculo Paparum probata eſt bonitas, qvando aliorum hominum non ſuperet malignitatem.* Apoſtolici igitur titulus Pontifici Romano falsò tribuitur, cùm ab Apoſtolis, eorumq; vitâ planè ſit alienus, & ex ſe apoſtolicum oſtendat omninò nihil. Cæterùm appellatio Apoſtolici non Epiſcopo tantùm Romano olim tributa fuit, ſed aliis etiam Epiſcopis, uti oſtendit Caſaub. *exerc. 14. n. 4.* donec tandem ἀντωνυμικῶς Pontifici Romano adhæſit.

plenitudo reſideat poteſtatis] Tyrannica & vi metuve principibus extorta. Plenitudo autem illa qvalis ſit, & in qvo Petri Apoſtoli poteſtas reliqvorum Apoſtolorum poteſtatem transgreſſa fuerit, ut & in illâ reliqvis Epiſcopis potior ſit Pontifex Romanus, intricatè & perplexè explicant Pontificii. Dicunt Petro datam eſſe poteſtatem præceptivam ſeu regiminis, Apoſtolis autem tantùm executivam ſeu gubernationis. Thom. Stapleton. *princ. doctr. l. 6. cap. 7.* Id ridiculum eſſe & inſulſum oſtendit Joh. Rainoldus *in colloq. cum Hart. cap. 3. ſect. 1.* præſertim cùm à Stapletono negari neqveat, omnes Apoſtolos æqvalem poteſtatem à Chriſto accepiſſe. Ego inſuper, in qvo gubernationis & regiminis differentia conſiſtat, nullibi reperio. Cæterùm cùm de Principe ſeculari dubitet Fernandus Vaſqvius *l. 1. c. 26. n. 22.* utrum aptè dicatur, eum aliqvo caſu plenitudine poteſtatis uti, multò magis dubitare licebit de Pontifice Romano, cum ea haudqvaqvam porrigi debeat ad iniqva, nec eâ pro libidine uti poſſit, uthinc magis ordinaria dicenda ſit poteſtas, ſi qvid agat Pontifex, qvod ſibi licet. Qvod ſi ſecus fecerit, erit extra terminos

plenitudinis poteſtatis legitimæ & in terminis plenitudinis poteſtatis diabolicæ & tempeſtatis. Petr. Ant. de Petra *de poteſt. princ. c. 24. n. 58.*

Si clericus, cùm mandatur provideri ei de beneficio vacaturo, negligat petere præbendam, non poterit poſteà aliam petere, niſi fuerit in Canonicum receptus. h. d.

e *cap. ſi clericus. de præb. in 6.*

§. 22. Quo [e] tamen caſu ſummus Pontifex de vacatura præbenda alicui provideri mandat, ſi is, in cujus gratiam mandatum obtentum eſt, præbendam, qvando vacat, negligenter omittit, non poterit poſtmodum prætextu dicti mandati, niſi anteà in Canonicum fuerit receptus, aliam in ipſa Eccleſia vacaturam petere.

niſi anteà in Canonicum fuerit receptus] Si igitur Papa confert alicui jus canoniæ, (qvi propterea dicitur fieri Canonicus autoritate Apoſtolicâ) & mandat Canonicis, ut conferant præbendam primò vacaturam, & ille fuit negligens in eâ petendâ, poteſt adhuc aliam petere, qvia gratia non eſt extincta. Canonicatus ergò præcedens ſuſtinet & conſervat gratiam ex eâ fortè ratione, qvòd Canonicatus non debeat eſſe ſine præbendâ.

Habens expectativam, poteſt acceptare beneficium vacaturum primum, vel ſecundum, vel alterius, certum tamen acceptare non poteſt. hoc dicit.

f *cap. ne captandæ. de cõceſſion. præb. in 6.*

§. 23. Poterit [f] tamen is, cui certis ſuper hoc executoribus deputatis ab Apoſtolicâ ſede hujusmodi gratia conceſſa fuerit, non ſolùm primum in genere vacaturum beneficium, vel præbendam: verùm etiam, ſi rationabilis cauſa ſubſit, ſecundum & ulterius acceptare: certum tamen & expreſſum, priusqvàm vacet,

vacet, acceptare non poterit, ne captandæ alienæ mortis occasio ex benignitate gratiarum sedis Apostolicæ tribuatur. qvòd si de certo acceptatio secuta fuerit, nullam obtinebit roboris firmitatem: ut Bonifacianæ constitutionis tenore latiùs continetur.

si rationabilis causa subsit] Deficiente ergo tali causâ, locum habet id, qvod in antecedente §. fuit constitutum. Rationabilis autem causa subesse putatur, si collatio beneficii primò vacantis non teneat, aut si non possit effectum sortiri. Petr. Gregor. *in syntagm. jur. l. 17. c. 11. n. 13.* tum enim non extingvitur mandatum Apostolicum.

ne captandæ] At hæc eadem ratio potest mandatis talibus in genere objici. Potest enim mandatarius captare & accelerare mortem ejus, cujus præbendam maximè expetit, utcunq; eam nondum vacantem non acceptaverit. Id enim certum est, ex præbendis vacaturis maximè appeti eam, qvæ omnium est pingvissima & lucrosa. Agnovit id Didacus Spino à Caceres *in spec. testam. gloss. 4. n. 101. seq.* ubi *n. 106. in fin.* disertè concludit, prohibitionem conciliorum de non promittendis beneficiis vacaturis non solum ad inferiores prælatos pertinere, sed ad ipsum etiam Pontificem, ut nullâ formâ neqve generaliter, neq; incertè beneficium viventis promitti possit.

Rescripto Apostolico dispensatur super pluralitate beneficiorum, maximè circa literatas personas. h.d.

§. 24. Inde g etiam licet beneficiatæ personæ de alio beneficio, nisi primò illud, qvod obtinet, omninò dimittat, provideri non possit, nisi aut Cardinales sint, aut Regum filii: per tale tamen rescriptum, maximè circa literatas personas, super hac pluralitate dispensari poterit.

g *c. de multi. extra. de præben. extrav. Joann. un. eod. tit. & extrav. com. execrabilis.*

omninò dimittat] qvia vix potest qvis uni officio, ut decet, præesse. Et sic uni personæ duo officia Ecclesiastica simul committi non debent, eò qvod singula assiduitatem reqvirant. In qvam rem plurimæ exant constitutiones Ecclesiasticæ, qvas ponderat Didacus Spino à Caceres *in specul. testam. gloss. 3. n. 75.*

nisi aut Cardinales sint] Olim presbyteri titulati sive ministerio certæ Ecclesiæ addicti, cujuscunq; parochiæ fuerint, pro Cardinalibus habebantur. Ita enim Gregorius Cardinalem parochialem, proprium in Ecclesiâ peculiari incardinatum, ejus ministerio affixum interpretatus est, *l. 1. epist. 51. l. 2. epist. 24. & 25.* Eorum vero Cardinalium, qvi nunc sunt, originem refert Marcus Zuerius Boxhornius *in histor. univers. ad ann. 101.* ad Notarios, inter qvos septem Urbis regiones divisit Clemens Papa, ut gesta martyrum sollicitè & curiosè, unusqvisq; per regionem suam diligenter perqvirerent. Id verò, uti divinatorium est, ita eâdem facilitate, qvâ asseritur, negari potest. Qvin videtur nomen illud rei jam tùm existenti applicatum, neq; ab initio certam aliqvam & specialem dignitatem denotasse; sed, uti prolixè id docet Jacobus Gothofredus *ad l. 7. Cod. Theodos. de suscepter.* Cardinales dicti fuérunt illi, qvi matrici Ecclesiæ operam navabant, & illi immoti atq; fixi adhærebant. Qvemadmodum & ille aliqvando, qvi obsequiis Principis ejusq; lateri adhærebat, aliqvando Princeps Cardinalis dictus fuit. Ejusmodi Cardinales Ecclesiæ usq; ad seculum undecimum infra Episcopos qvoscunq; sedérunt, imò presbyteris, diaconis & subdiaconis Episcoporum suorum legatis honore cessérunt. David Blondell. *apol. de Episc. & presb. sect. 3. pag. 226.* Sub Benedicto IX. (qvem ut ignavum & nullius precii, Platina & Stella, probrosum & infamem Volaterranus, hominem nefarium perstringit Baronius) Cardinalium nomen in precio esse cœpit. Genebrard. *Chronogr. lib. 4.* Balæus *lib. 5. n. 87.* De iis deinceps Leo IX. *epist. 1. c. 5. & 32.* ita meminit: *Sicut cardo immobilis permanens, ducit & reducit ostium, sic Petrus & sui successores liberum de omni Ecclesiâ habent judicium, cùm nemo debeat eorum dimovere statum, (qvia summa sedes à nemine judicatur) unde clerici ejus Cardinales dicuntur; cardini utiq; illi, qvo cæteræ moventur, piciniùs adhærentes* &c. Succesit Nicolaus II. qvi in Concilio Lateranensi de Romani Pontificis electione constitutionem edidit, qvâ Cardinalibus Episcopis in eodem eligendo primas detulit partes. Statutum enim, ut obeunte Romanæ Ecclesiæ universalis Pontifice, inprimis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de electione tractarent, ipsi deinde cæteros Cardi-

Digitized by Google

Cardinales adhiberent, sicq; reliqvus clerus & populus ad consensum novæ electionis accederet. Fuit eo tempore circa electionem Pontificis adhùc salvum & integrum jus Imperatoris. Tandem vero excluso tùm Imperatore, tùm populo Romano, ad solos Cardinales tota res rediit, novusq; non Episcoporum modo, sed presbyterorum etiam atq; diaconorum Cardinalium exortus est principatus. Ita enim primos à se creatos Cardinales affatus legitur Pius II. papa: *sacrar. ceremoniar. Rom. Eccles. lib. 1. sect. 8. c. 3. Maximâ, dilectissimi Filii, & excellentissimâ dignitate donati estis: ad Collegium apostolicum vocati, consiliarii nostri & conjudices orbis terrarum eritis:* (unde pleræqve olim constitutiones de consensu Cardinalium promulgatæ sunt. Hodiè vero eo jure utitur Pontifex Romanus, ut eos qvidèm in consilium adhibeat, sed eorum adsensu non indigeat, uti ex Baronio & Azorio notat Petrus de Marcâ *de concord. sacerd. & imp. l. 1. c. 9. n. 7. 8.*) *inter causam & causam, inter sanguinem & sanguinem, inter lepram & lepram discernere vos oportebit: successores Apostolorum circa thronum sedebitis. Vos Senatores Urbis & Regum similes eritis veri mundi cardines, super qvos militantis ostium Ecclesiæ volvendum ac regendum est.* Eos deinceps tantus incessit fastus, ut non alio nisi regio honore se jactarent, ipsâ Curiâ Romanâ sermone qvotidiano eos Regibus æqviparante. Unde nec apparatus aut reditus iis nimius videtur, nisi qvi regium exsuperet. Nec sanè jactura ea pro levi Romæ habita fuit, qvod in comitiis Gallicis ad Esiæ pontem continuatis, controversia de honoratiori loco inter Cardinales & Principes regii sanguinis orta, à sanctiori Concilio pro his contra illos esset pronunciatum. Petr. Svav. *hist. concil. Trid. lib. 5.* Digna sunt, qvæ hic legantur, verba Nicolai Clemangii Archidiaconi Bajocensis ex *libr. de corrupt. Eccles. stat. Cardinalium*, inqvit, *qvi Papæ assident, spiritus, verba tumentia, gestus tam insolentes, ut si artifex qvisqve vellet superbiæ simulacrum effingere, nulla congruentius ratione id facere posset, qvam Cardinalis effigiem oculis intuentium objiciendo, ex sortis tamen infimæ clericatu in hanc elationem cum sedis apostolicæ incremento pervenerunt: qvippe qvibus id olim erat negocii, ut efferendis mortuis, sepulturæq; mandandis inservirent. Nunc verò phylacteria sua in tantum dilatavérunt, ut non modo Episcopos (qvos Episcopellos solent passim vocare) sed patriarchas, primates, sed Archipræsules velut infra se positos despiciant, imò se jam ab illis supplicibus propemodum adorari sinant, qvin etiam Reges ipsos æqviparare contendant.* Hos igitur, qvia tanto in culmine & fastigio resident, excipit autor, ab lege eâ, qvâ beneficiatus novo beneficio auctus, pristinum istud suum dimittere obligatus est. Et tamen præsules Hispani etiam Cardinales legi

huic

huic ſubjectos volunt in Concilio Tridentino apud Petr. Svav. *in hiſtor. lib. 2.* Sed enim exceptio hæc autoris Canoniſtarum vulgari juvatur declaratione, qvâ volunt, Cardinales nullis verbis generalibus comprehendi, niſi ſigillatim nominentur. qvòd qvàm ambitioſum aut adulatorium ſit, nemo non videt.

aut Regum filii] Nobiliſſimas & præpotentes familias ad Eccleſiaſticas dignitates adſpiraſſe, vel illuſtris ille Arnolphus Metenſis Epiſcopus, è cujus familiâ Carolus M. ortum trahit, exemplo nobis eſſe poteſt, ut nihil nunc dicam de illâ qverelâ Procerum apud Theganum *in vitâ Ludovici Pii*, plebejos ad Epiſcopatûs promoveri indignantium. Videtur autem factum id ab initio ideò, qvod utile viſum fuiſſet Eccleſiæ, ut ei præeſſent Viri fortes & potentiâ validi, qvi hoſtibus ejus cum terrore reſiſtere poſſent.

diſpenſari poterit] Ut rectè ſe habeat diſpenſatio, juſta cauſa, neceſſe eſt, ut ſubſit. Sola enim Pontificis diſpenſatio pro juſtâ causâ non habetur, nec per ſolam diſpenſationem ſine juſtâ causâ, ſecurus eſſe poteſt in conſcientiâ, qvi diſpenſationem obtinuit. Imò ipſa tùm diſpenſatio inutilis eſt. Cauſa autem qvâ diſpenſatio talis juſtificari poteſt, eſt vel generis nobilitas, vel literarum peritia. Ita Didacus Spinò à Caceres *in ſpecul. teſtam. gloſſ. 3. n. 76.* Sed enim generis nobilitas nihil omninò facit ad obeundum officium Eccleſiaſticum. Sed nec erudito qvidem duplex officium permittendum erit, niſi utriq; ille ſufficiens fuerit.

Ubi de prioritate beneficii pluribus collati non conſtat, primò poſſeſſor, deinde major prærogativa præfertur. h. d.

a *cap. ſi à ſede. de præben. in 6.*

§. 25. Item ſi à ſede[a] Apoſtolica, aut legato, & ab ordinario eôdem die idem beneficium conferatur, &, qvæ fuerit primò facta collatio, non appareat, nemine poſſidente is erit cæteris præferendus, cujus conferens ampliore gaudet prærogativâ. Hâc b ratione & ii, qvi in aliqva Eccleſia in Canonicos ſunt recepti, debent in præbendarũ aſſecutione cæteris, ſive

b *cap. hi qvi. d. tit. in 6.*

ſive legatorum, ſive aliorum qvorumcunq; authoritate anteà fuerint admiſſi, anteferri.

ampliore gaudet prærogativâ] Supra dixi, qvantas ea res turbas identidem dederit in Eccleſia, ſicubi ab Ordinario alius, alius à Pontifice aut legato ejus electus fuerit. Hîc verò dolendum adhuc iſtud eſt, qvod in concurſu duorum non præferatur is, qvi dignior fuerit, ſed cujus collator majores habet prærogativas. Ita ſc. non tàm Eccleſiæ commodum, qvam autoritas prælatorum attenditur, contra mentem Chriſti & Apoſtolorum.

ſunt recepti] autoritate ſc. apoſtolicâ, qvod ſupplendum eſt. Ratio eſt, qvia Legatorum reſervatio non impedit collationem Pontificis. Papa enim illis privilegia adverſus ſe valitura conceſsiſſe non intelligitur. Atqve ideò reſervationes legatorum ſemper explicandæ ſunt, ſalvâ autoritate & reſervatione Pontificiâ.

Qvi dicatur receptus authoritate Apoſtolica. h. d.

§. 26. Authoritate[c] autem Apoſtolica receptus & is intelligitur, qvi legati, vel alterius mandato, cui ſpecialiter in ea re authoritas Apoſtolica conceſſa fuerit, recipitur. Sed & ſi mandatum[d] legati ratum habeat Rom. Pontifex, atq; id authoritate ſua muniat, ex eo receptus non legati, ſed Apoſtolica intelligitur authoritate receptus: atq; ideò eſt in aſſecutione præbendæ omnibus poſt eum receptis in Eccleſia dicta præferendus.

c *cap. hi qui. de præben. in 6.*

c. ſi Apoſt.

d *cap. ſi eum ſuper. d. tit. in 6. §. fin.*

atq; id auctoritate ſuâ muniat] Unde etiam ratihabitione ſuâ confirmare poteſt dominus, qvæ à falſo procuratore geſta ſunt. *l. 56. ff. de judic.* Ubi enim actus propter ſolum conſenſûs defectum non ſubſiſtit, illo ſupervenientę retrò validatur *l. fin. C. ad SCt. Maced.* Sed ex

his ipsis exemplis intelligi potest, in ratihabitionibus retrotractionem tùm ferè locum habere, qvando actus ipse citra ratihabitionem subsistere neqvit, cui & istud addendum est, non retrotrahi ratihabitionem aut confirmationem, qvando agitur de jure tertii. Sic enim consensus Domini non retrotrahitur ad hypothecam Titio à Sejo constitutam, ut Cajo, qvi tempore intermedio consensum in similem hypothecam impetravit, inde præjudicium inferatur. Pone ergo hîc etiam, Titium à Legato mandatum provisionale accepisse, Cajum vero ab ipso Pontifice, sed posterius, Titii deinde mandatum à Pontifice confirmari, numqvid præferendus tùm erit Cajo Titius, & num statuenda hinc erit retrotractio? Non arbitror, eò qvod Cajo præjudicare neqveat actus posterior, Titii autem mandatum ante Caji interventionem ex solâ Legati autoritate robur suum habeat. Sed ita mores sunt in Ecclesiâ Romana, ut in gratiam sui Pontificis sursum deorsum omnia vertant.

Expressio ejus, qvod tacitè inest, nihil operatur, nisi per alium modum, qvàm qvo tacitè inest, fuerit facta expressio. h. d.

§. 27. Aliud Juris est, si iis, ad qvos aliàs pertinebit Canonicorum receptio, facultas concedatur ab Apostolico, ut aliqvem recipiant in Canonicum ejusdem Ecclesiæ, ordinationibus fortè certum numerum Canonicorum præfigentibus non obstantibus: hoc enim casu non Apostolica, sed recipientiū censetur authoritate receptus, nisi qvòd eum authoritate Apostolica recipiant, in literis caveatur expresse. Qvòd si ad eos aliàs talis receptio non pertinebat, Apostolica dicetur authoritate receptus. Aliàs verò, si literæ impetratæ certi numeri Canonicorum nullam fecerint mentionem, qvod illarum occasione factum fuerit, nullam obtinebit firmitatem.

cap. 4. de rescript. in 6.

non

ized by Google

non apoſtolicâ, ſed recipientium] Sed profectò apoſtolicâ id magis videtur autoritate fieri, cùm ſupernumerarios ſine dubio inviti ſæpè recipiant capitulares. nec reciperent, niſi autoritate pontificiâ adigerentur.

nullam obtinebit firmitatem] Qvî ſic? num ergò, qvi ita Eccleſiæ addicitur, inter Laicos adhuc erit connumerandus? At profectò mentio numeri Canonicorum non eſt de partibus eſſentialibus canoniæ, ut ea omiſſa Canonia planè fruſtra collata dici qveat.

Papa non onerat aliqvem pluribus proviſionibus, niſi id exprimat. h. d.

§. 28. Illud etiam omittendum non eſt, non ſolere Apoſtolicum eundem collatorem pluribus onerare proviſionibus, niſi id velle ſe ſuis literis expreſsè fuerit complexus.

non ſolere Apoſtolicum] Hoc ſuo tempore non habere locum, ſed gravari ſæpiſsimè ordinarios conqveritur Abbas *in c. mandatum X. de reſcript.* Regulariter vero ordinarium non poteſt gravare Pontifex etiam uno mandato, niſi habeat collationem decem beneficiorum: habentem autem collationem qvinqvaginta & ultra, in duobus duntaxat, ſed & hoc limitatè, ut in eâdem Eccleſiâ cathedrali vel collegiatâ unum collatorem pro tempore in duabus præbendis non gravet. Petr. Gregor. *in Syntagm. jur. l. 17. c. 11. num. 6.*

Mandati Apoſtolici fines ſunt diligenter cuſtodiendi, nec extenduntur, niſi ad caſus expreſſos, etiam de conſenſu, & in præjudicium proviſi. h. d.

§. 29. Sunt[e] autem Apoſtolici mandati fines diligenter cuſtodiendi, ideoq; non debent ad caſus alios, qvàm expreſſos, extendi. Unde cùm injungitur, ut alicui de præbenda certi valoris provideatur, in præ-

[e] *cap. cui de non ſacerdotali. §. idem. de præben. in 6.*

benda minoris valoris, etiam impetrante volente, mandatum impleri non poterit.

diligenter custodiendi] qvod in omni mandato necesse est *l. 5. ff. mandat.* Foppius *2. differt. 27.*

impleri non poterit] At summa minor inest majori, & per consequens, cùm qvis minorem summam spondet, qvàm de qvâ interrogatus est, non in totum vitiatur stipulatio, sed valet in summam istam minorem *l. 1. §. 4. ff. de V. O.* & qvi mandat, ut sibi centum aureorum fundus emeretur, is utiq; mandasse intelligitur, ut minoris, si posset, emeretur. §. *6. Inst. de mand.* Verùm, cum odiosa sint ejusmodi mandata papalia, strictè ea, & prout litera jacet, sunt explicanda. Ita enim jus est, ut in odiosis, qvod expressum non est, nunqvam attendatur. Qvemadmodum & aliàs in contractibus onerosis, veluti in emptione aut locatione, si qvis qvinq; promittat reqvirenti decem, summa minor non validat contractum, sed talis promissor in totum habetur pro dissentiente *l. si decem 52. ff. locat.* Gomez *2. resol. c. 10. n. 4.* Joh. Goedd. *de contr. stipul. c. 4. n. 71.*

Mandatum faciens mentionem de collatione, non potest tmbi ad præsentationem, vel institutionem. h. d.

a *cap. cum in illis. §. cũ autem. de præben. in 6.*

§. 30. Idem [a] observari oportet, sicui de beneficio, qvod ad alicujus collationem spectat, provideri mandatur: hoc enim casu de eo, qvod ad ejusdem præsentationem, vel institutionem pertinet, provideri minimè poterit, nec etiam è converso.

provideri minimè poterit] Non enim mutandum est genus negocii. qvemadmodum habens mandatum ad vendendas merces, non adimplet illud, si permutet merces, utcunq; utrobiq; dominii titulus translativus interveniat. Rota Genuens. *decis. 9.* Et generaliter hoc observare debet mandatarius, ut observet fines non tantum circa substantiam actus mandati, sed etiam circa omnes ejus qvalitates. Petr. Paul. Paris. *consil. 47. n. 42. 43.* Qvo ipso sufficienter tueri se poterit mandatarius in re sibi odiosâ & damno-

Digitized by Google

damnosâ, ne latius extendatur mandantis, cui resisti non potest, injusta usurpatio.

nec etiam è converso] In Hispaniæ Regno non admittuntur reservationes Pontificis, qvas facit de beneficiis ad jus patronatûs Laicorum pertinentibus, uti notat Didacus Spino à Caceres *in spec. testam. glos. 4. n. 44. 45.*

Casus resignationis non includitur, nec verificatur in casu mortis. h. d.

§. 31. Eodem spectat[b], si qvis ab Apostolica sede mandatum suscipiat, ut ab aliqvo beneficii resignatione recepta, idem beneficium alteri conferat. Si enim is, qvi resignaturus erat, rebus eximatur humanis, mandato locus non erit, cùm non per resignationem vacaverit, sed per mortem.

b *cap. susceptum. de rescript. in 6.*

mandato locus non erit] Tradunt Doctores, si mandatum in formâ suâ adimpleri impossibile sit, posse mandatarium pro re natâ fines mandati excedere. Gail. *de pac. publ. l. 1. c. 4. n. 29.* Rota Genuens. *decis. 64. n. 2.* & per æqvipollens implere, *l. ult. §. ult. ff. mandat.* Mantica *lucubrat. Vatican. lib. 7. tit. 15. n. 40.* Qvi enim facit æqvipollens, videtur in finib. mandati perstitisse, *d. l. ult.* cùm nihil interfit mandantis, qvomodocunqve mandatum perficiatur, *l. 12. §. 3. ff. mand.* Sed & media ad illum finem ducentia mandatarius pro usu negocii potest eligere, qvasi hæc ipsa ex bonâ fide insint mandato. Roman. *consil. 94. n. 8. & 9.* At verò utcunqve in casu hic posito consulatur illi, cui provisum fuit, sive resignet alter præbendam, sive morte præventus eam vacuam relinqvat, non tamen utrobiqve locum invenit mandatum in alterutrum tantùm casum conceptum. Mandata enim ejusmodi odiosa sunt, vel qvia derogant potestati ordinarii, vel, uti Canonistæ volunt, qvia ambitiosa sunt ex parte impetrantis, *c. qvamvis 4. de præbend. in 6.* & ideò strictissimè accipienda.

Casus futuræ vacationis non verificatur in casu novæ creationis. hoc dicit.

Clem. fin. de reſcript.

§. 32. Idem obtinet, ſi literæ Apoſtolicæ ſuper conferendo beneficio proximè vacaturo fuerint impetratæ. Nam ad illud, qvod poſt illarum impetrationem fuerit creatum, non extenditur.

qvod poſt illarum impetrationem] Qvia, qvod noviter creatum eſt, dici neqvit, qvod vacet. Etſi aliqvando contrarium ſtatuerit Jacobus Simoneta, qvem refert & refutat Petrus Gregorius *de benefic. c.17. n.1.* Et ubiqve ſcil. mandata talia ſtrictè & præcisè obſervanda ſunt, ne & odium & ambitio latiores faciat progreſſus.

Appellatione beneficii non venit penſio. h.d.

c *cap. qvamvis. de præb. in 6.*

§. 33. Et c ſi qvis literas ſuper obtinendis beneficiis usqve ad certam ſummam impetraverit, eidem non in penſione, ſed in beneficiis Eccleſiaſticis erit providendum, niſi de penſione in literis mentio habeatur.

non in penſione] Penſionem definiunt, qvod ſit certa portio ex aliqvo beneficio vel menſa ex cauſa ad tempus, non autem in perpetuum ſeparata, pendens à proprietate beneficii, à qvo extrahitur. Auguſtin. Barboſ. *de jur. Eccleſ. l.3. c 11. n.3.* ubi deinceps de differentia portionis & beneficii prolixè agit. Et fatetur idem *n.53.* antiqvioribus Eccleſiæ temporibus non adeò in uſu fuiſſe tales penſiones, cùm nec præbendæ qvidem aut beneficia iis temporibus in uſu fuerint. Sanè qvæ primitùs inſtitutæ fuerunt penſiones, vel meritorum de Eccleſiâ, vel inopiæ, vel infirmæ valetudinis videntur habuiſſe cauſam, neqve tùm improbari tales poſſunt; At qvæ deinceps in papatu invaluere, dum ſcil. qvis absq; juſta & legitimâ cauſa reſignat, & ideò tantùm, ut ſe liberet à reſidentia, & onera vitet perſonalia, miniſtrandiq; labores effugiat, penſiones autem interim ſibi reſervat, ut genio indulgere & ventrem curare qveat, iſtæ ſanè penſiones ſunt mera ſacrilegia & turpes rapinæ. Vid. prolixè Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccleſ. l.9. c.11. n.18. ſeqqq.* Annæus Robertus

l.1.

l 1. rer. judicatar. c.7. Et agnoscit Petrus Gregorius *de benefic. c.29. n.2.* divisionem beneficiorum, qvæ fit per pensiones, prohibitam esse; eò qvod simoniacum sit, prioratus & alias Ecclesias annuâ distractione vendere. Ideoqve ut pensiones vitio simoniæ purgentur, autoritatem reqvirit vel summi Pontificis, si nulla allegetur causa, vel superioris in genere, Papâ tamen inferioris, si causa aliqva subsit.

sed in beneficiis] Pensio enim super beneficio imitatur beneficium, sed non est, qvia & non clericis dari potest ob mercedem, vel ob aliam causam, & non amittitur per contractum matrimonium, sicuti amittitur beneficium, uti ex suis principiis volunt Canonistæ.

Dispositio regulariter restringitur ad tempus præsens, & mentio potentiæ intelligitur de præsenti. h. d.

§. 34. Eòdem etiam spectat, qvòd si de conferendo [d] alicui beneficio ad Episcopi collationem spectante rescribatur, illud ei conferri non poterit, cujus collatio ex negligentia ipsius Episcopi ad ejusdem Capitulum devoluta fuit: qvanqvam ex contrario de eo, cujus ad Episcopum ex Capituli, vel alterius cujuscunq;, sive ad sedem Apostolicam ex ipsius Episcopi, vel aliorum in hoc eidem succedentium negligentia collatio fuerit devoluta, hoc casu provideri poterit.

d *clem. si de beneficio. de præbend.*

qvanqvam ex contrario] In priori enim casu collatio non amplius ad Episcopum spectat; In posteriori hoc propter factam devolutionem spectat. atqve sic utrobiqve tenori literarum strictè inhærere oportet.

ex ipsius Episcopi] Hic verò deficit ratio modò data, qvia jam non videtur conferri beneficium ad Episcopi collationem spectans. Sed enim succedit hîc ratio alia. Qvia scil. literarum explicatio fieri debet adver-

adversus ipsum concedentem. Ex qvo igitur collatio de personâ gravatâ derivatur in Papam, literæ tales per extensivam interpretationem ita explicantur, ut possit per executorem illius beneficii collatio fieri,

Mandatum Apostolicum restrictionem recipit ex persona provisi. hoc dicit.

§. 35. Interdum tamen, licet mandatum generale sit, ex persona impetrantis recipit restrictionem: ut, sicui [e] de præbenda proximè vacatura simpliciter provideri mandatur: nam si talis nondum in ea ætate existat, ut ad sacerdotium promoveri possit, sacerdotalis sibi præbenda conferri non poterit.

e *cap. ei cui. de præb. in 6.*

nondum in eâ ætate] Vid. supr. *tit. 22. §. sicut autem subdiacono &c. & tit. 7. §. igitur is &c.*

sacerdotalis præbenda] Canonicorum corpus & sodalitium ex variis Ecclesiæ ministris conflatum est, qvorum alii sacerdotes, alii inferiorum ordinum clerici. Atqve hinc sacerdotalis præbenda dicitur, cujus nemo capax est, nisi sacerdos. Nec tamen præcisè, ut ipso actu sit sacerdos, reqviritur, dum saltem in subdiaconatu sit constitutus, uti dicetur *tit. seq. §. 19.*

conferri non poterit] Qvidnî? cùm in papatu præbenda non amplius detur propter officium, & plerumqve per alios, veluti substitutos, ministeria Ecclesiastica peragantur? Nihil igitur absurdum erit, conferre præbendam sacerdotalem ei, qvi sacerdos propter ætatem esse prohibetur.

Ex loco sumitur rescripti interpretatio. b. d.

§. 36. Ex loci qvoq; expressione rescripti sumitur declaratio, & ideò [f], qvanqvam sub nomine Ecclesiarum Civitatis etiam Ecclesia Cathedralis comprehen-

f *cap. qvamvis §. qvanqvam. d. tit. in 6. de præbend.*

hendatur, cùm tamen alicui de beneficio mandatur in aliqva Ecclesiarum civitatis, vel diœcesis provideri, ad Cathedralem Ecclesiam mandatum hujusmodi non extenditur: secùs est, si in aliqva Ecclesiarum provinciæ provideri mandatur: tunc enim & Metropolitana, & cæteræ Cathedrales Ecclesiæ tali mandato includuntur.

tunc enim & metropolitana] At qvæ est ratio differentiæ, qvod mentione factâ diœceseos non includatur Ecclesia cathedralis, mentione autem provinciæ includatur Ecclesia metropolitana? Utiqve enim qvod in diœcesi Ecclesia est cathedralis, id in provinciâ est metropolitana. Hîc ergò deficit ratio, & necesse est, ut confugiant Canonistæ ad commune illud, qvia lex ita scripta est. Dicit qvidem Joh. Bapt. Vivianus *in Ration. ad c. 4. de præbend. in 6.* ubi provinciæ facta fuerit mentio, qvod tùm uberiorem gratiam Papa præsumatur facere voluisse impetranti, qvam cùm diœceseos faciat mentionem. Ego id non nego, cùm in provinciâ citiùs vacare possit beneficium, qvàm in diœcesi; sed hoc non facit, ut mentione diœceseos excluſa dici debeat Ecclesia cathedralis, mentione autem provinciæ inclusa intelligatur Ecclesia metropolitana.

Ordo scripturæ declarat mandatum. h. d.

§. 37. Ex ordine[a] qvoq; scripturæ rescripti interpretatio sumitur, veluti cùm Joanni de beneficio ad collationem suam, vel Pauli, pertinente; ut alicui provideat, mandatur. Nam si plura simul beneficia vacare contigerit ad utriusq; collationem separatim spectantia, tunc ordo scripturæ servandus est, &

[a] *cap. mandato. de præb. in 6.*

Digitized by Google

de illo beneficio providendum erit, qvod ad Joannem noſcitur pertinere.

Ex ordine qvoq; Scripturæ] Ordo Scripturæ ſæpiſſimè attendendus eſt, uti obſervant Doctores, maximè Jaſon *in l. ſi ſervus plurium 50. ff. de leg. 1.* ita ut dignior cenſeatur, qvi primo nominatur, ut latè per Felinum *in c. cum dilecta col. 4. de reſcript.* & Decium *conſ. 609. vol. 4.* Sic igitur hic etiam, qvi primo loco nominatus eſt, conferre debet, qvia ipſe præcipuè gravatus intelligitur, nec per conſeqvens in alterius & ſecundo nominati damnum exonerare ſe hoc mandato poteſt.

Cum mandatur provideri de beneficio ſpectante ad proviſionem plurium, intelligitur conjunctim. h. d.

b *cap. cùm in illis. §. fin. de prab. in 6.*

§. 38. Si verò [b] de béneficio ad aliqvorum collationem, vel præſentationem ſpectante, non adjecto communiter vel diviſim, proviſio injungitur facienda in beneficio, qvod ad collationem vel præſentationem alterius tantùm pertinet, adimpleri non poterit.

adimpleri non poterit] Eo enim qvod ad plures ſpectat, unum aliqvem ſolum gravari, iniqvum eſt. Etſi enim, qvod commune eſt, id meum dicere posſim, *l. 46. ff. de R.N. l. 2. ff. de cond. inſt. l. 25. de V.S.* Gœdd. *ad l. 239. §. 9. ff. de V. S.* Rota Genuenſ. *deciſ. 14. n. 69.* non tamen vice versâ qvod meum eſt, id commune dici poteſt. Et hinc igitur ſi de communi beneficio mandatum conceptum fuerit, non debet onerari id, qvod ad alterius ſolius collationem ſpectat.

Ex inſertione cauſæ elicitur interpretatio reſcripti. h. d.

c *cap. ſi pauper. de prab. in 6.*

§. 39. Item inſertio cauſæ declarat reſcriptum: ſicut accidit [c], cum clerico nullum beneficium obtinenti ob

Digitized by Google

ti ob paupertatem per Episcopum de beneficio provideri mandatur. Nam si antequam ei provisum sit, beneficium fuerit assecutus, cessante causâ mandati, providere sibi Episcopus in posterum non tenetur.

cessante causâ] potissimùm finali, omnium aliarum causarum directrice, *arg. l. in omni, ubi Bartol. ff. de adopt. l. licet, §. ea obligatio. ff. de procurat. c. post translationem X. de renunciat.* qvia ratio finalis dicitur anima cujusqve dispositionis. Pet. Paul. Paris. *consil. 78. n. 13.* Andr. Gail. *de pign. observ. 10. n. 3.*

Ex simplici mandato de providendo, non potest provideri obtinenti aliud beneficium, nisi fuerit id expressum: qvo casu solùm unicum & non curatum beneficium obtinenti provideri poterit: &, pluralis locutio restringitur ad duo. h. d.

§. 40. Nam [d] & is, cui conceditur, ut idoneo possit in sua vel aliena Ecclesia providere beneficium, aliud obtinenti providere non potest, nisi vel primò ille beneficium, qvod obtinet, omninò dimittat, vel in concessione hujusmodi sit expressum, qvòd etiam beneficiatæ valeat providere personæ: qvo casu unicum duntaxat beneficium, atq; illud non curatum obtinenti, provideri poterit. Sed si concessum fuerit, ut providere illi valeat, qvi & alia beneficia noscitur obtinere, hujusmodi pluralitas debet solùm ad duo beneficia non curata restringi.

d *cap. 1, cui. de prab. in 6.*

qvod obtinet omninò dimittat] Supra dixi, antiqvis Ecclesiæ canonibus pluralitatem beneficiorum planè fuisse interdictam. Qvâ verò occasione combinationes & conjunctiones deinceps invaluerint, necesse est hîc exponere, & qvidem verbis Petri Svavis *ex histor. Concil. Trid. lib. 2.* Ita autem ille: *Vigentibus etiamnum Canonibus antiqvis, qvibus minimè licebat unum aliqvem in duos titulos ordinari, nemo unus poterat, nisi unicum beneficium obtinere. Cum autem bellorum & inundationum calamitatibus obventiones Ecclesiastica adeò essent attritæ, ut ad victum ministrorum non suppeterent, factum inde, ut beneficium qvandoq; conferretur in eum, qvi alterum jam tenebat; sed eum tamen qvi utrique commodè posset attendere. Qvod qvidem non tùm factum in favorem ejus, qvi beneficio fruebatur, sed illius Ecclesiæ bona, ut qvæ proprio ministro destituebatur, gauderet saltem aliqvo ministerio, qvâ mensurâ convenienter potent præstari. Hoc deinceps colore qvod unicum beneficium ad alendum ministrum non sufficiebat, neq; facile reperiebatur, qvi in se curam reciperet, porrò itum est ad plura beneficia uni concedenda, etiam tùm temporis, cùm an necessitas Ecclesiæ id postularet, planè non constabat. tandemq; positâ pedetentim larvâ non puditum est, in gratiam ejus, qvi sacerdotium tenebat, id ipsum facere, qvod bono Ecclesiæ antea fiebat. Verùm cum ea beneficiorum multiplicatio maximo apud populum offendiculo esset, necesse fuit eam moderari, & honestis nominibus obvelare. Unde qvod jam invaluisset distinctio beneficiorum in ea, ad residendum in qvibus ministri erant obligati, & alia in qvibus non tenebantur residere, addita mox altera compatibilium & incompatibilium, atq; incompatibilia dicta beneficia, in qvibus erat residendum, compatibilia verò alia omnia, qvæ & cum his & seorsim inter se retineri poterant. Sed in his omnibus semper honesto colori locus præcipuè qvæsitus subserviente glossâ Canonistarum: plura uni beneficia deferenda non esse, nisi qvando unum ministro alendo non sufficit. Qvantum autem esset satis cuiq;, largo pede metiebantur, non personam, sed qualitatem personæ respicientes, neq; id reputantes satis esse Sacerdoti gregario, qvod non ipsi familiæqve è consangvineis, tribus famulis, & eqvo alendo sufficeret. qvod si nobilis esset, aut benè doctus, eo plus illi largiendum. Neq; est credibile, qvàm largâ manu Episcopo portionem suam assignarint, dignitatem & decorum loci ejus contemplati. &c.* Refert ibi porro, qvàm invaluerit deinceps potestas pontificia dispensandi circa incompatibilia, item qvomodo commendæ & uniones Ecclesiarum in abusûs degenerarint, qvibus omnibus pluralitatem beneficiorum utcunq; velare hactenus contenderunt Canonistæ. Obiter addo, ab Canonistis doceri, per adeptionem beneficii secundi, prius vacare ipso jure,

jure, sed tùm demum, qvando beneficiarius nactus fuerit pacificam possessionem secundi, cum liberâ fructuum perceptione, fraude cessante: non censeri autem vacare primum, qvando fructûs secundi ex aliqvâ causâ alteri ad tempus debeantur *c. si tibi absenti, de præbend. in 6. & ibi Dd.* Ex qvo iterum patet, munera Ecclesiastica inter Pontificios tantùm ex reditibus æstimari. Qvod autem de sufficientiâ beneficii & qvæ in eâ definiendâ attendi solent, dixit Petrus Svavis, optimè intelliguntur ex determinatione factâ à Martino ab Azpilcuetâ Navarr. *tom. 3. miscell. 62. num. 7.* cujus verba hæc sunt: *Ut beneficium dicatur sufficiens alicui Clerico, qvamlibet simplici & sano, requiritur ut valeat ad minus tantum, qvantum est necessarium ad alendum mediocriter, sive modestè se, & unum ministrum & unum coqvum focarium, & ad conducendam habitationem sibi necessariam. Ut autem dicatur sufficiens nobili etiam inferioris gradus, & magistro Theologiæ & Doctori juriun mediocris literaturæ, oportet ut valeat tantum, qvantum requiritur ad alendum se & duos ministros, & unam equitaturam, & unum coqvum focarium & ad conducendum habitationem digniorem eâ, qvâ eget Clericus simplex. Ad hoc autem ut sit sufficiens nobili mediocris ordinis puta filio vel fratri Baronum & Vicecomitum vel Magistro & Doctori præcellenti debet esse tanti valoris, ut possit alere se & unum coqvum & unam equitaturam & qvatuor ministros & conducere habitationem digniorem eâ, qvâ eget Clericus nobilis & literatus ordinis inferioris &c.* Et sic progreditur ad gradûs altiores in proportione duplâ. Cumq; vidisset, obstare sibi veterum Doctorum tradita inprimis, qvod determinatum aliqvando fuit, beneficium valoris qvindecim librarum Parisiensium esse sufficiens, rem componit distinctione, ponendo se differentiam inter posse vivere honestè & posse vivere decenter. Ad illud sufficere, si qvis ita vivat, ut non cogatur mendicare; sed ad posterius plura reqviri, & ad hoc ultimum pertinere suam, qvam fecit, determinationem.

atq; illud non curatum obtinenti] Multa est, uti dixi, disputatio de beneficiis compatibilibus & incompatibilibus. Et incompatibilia dicunt e. g. duo beneficia curata, (i. e. qvæ curam animarum annexam habent) duas dignitates, duos personatûs, duo officia sive in eâdem Ecclesiâ sive in diversis, & pleraq; alia personalem residentiam reqvirentia. Et in his tamen nihilominus dispensari posse à Pontifice Romano. Qvæ omnia prolixius exponere nostri nunc non est instituti.

Mandatum simplex de providendo, non extenditur ad beneficium curatum, vel electivum. h. d.

§. 41. Ex natura qvoq; & beneficii qvalitate Apostoli-

cum reſcriptum reſtrictionem recipit: nam [a] ſi de qvibuscunq; beneficiis provideri mandatum fuerit, de animarum cura mentione non habita, de iis providendum non erit, qvibus hujusmodi cura noſcitur imminere. Illis qvoq;, pro qvibus ſcribitur ut de perſonatibus & dignitatibus ad collationem, proviſionem, præſentationem, vel diſpoſitionem pertinentibus qvorumcunq; provideatur, de iis provideri non poterit, ad qvos per electionem præficiendi aſſumuntur.

a *cap. cùm in illis. in princip. & §. 11. de præbend. in 6.*

de iis providendum non erit] Ratio eſt in textu *c. 16. de præbend. in 6.* qvia in illis, qvibus beneficia curam animarum habentia committuntur, major, qvam in iis, qvi ad alia promoventur, idoneitas reqviritur. In dubio autem beneficium cenſetur non curatum, ac proinde aſſerenti curatum, incumbit illius probatio. Andr. Vallenſ. *tit. de præbend. & dign. §. 2. n. 2.*

perſonatibus] Dignitas Canoniſtis dicitur adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum cum jurisdictione. Perſonatus verò eſt qvædam prærogativa in Eccleſiâ ſine jurisdictione, ut qvia habet ſtallum in choro præ aliis honorificum aut qvid ſimile. Vid. Gulielm. Redoan. *de Simon. part. 1. c. 13. n. 6.* Perſonatûs autem vocabulum barbarum eſt, & poſt Alexandrum demum invaluiſſe, & ex Gallico idiomate petitum fuiſſe videtur, qvod clerici honeſtiori nomine perſonæ vocentur, qvam homines. Cujac. *ad rubr. de præbend. & dignit.* Ab his ergo honoratioribus Clericorum perſonis dicti perſonatûs, qvi ſunt functiones Eccleſiaſticæ, dignitatibus inferiores, ut Diaconorum, hypodiaconorum atqve Clericorum vulgarium. *c. qvæſitum 4. cauſ. 1. q. 3.* Add. Nicol. Boër. *deciſ. 286.* Graviter autem invehitur in ejusmodi perſonatuum perſonas Henricus Cuykius *in ſpecul. concubinar. cap. 8.* qvod ſcil. animarum curatoribus ſubducantur decimæ atqve emolumenta & in perſonas inutiles conferantur; nec ſervari eos poſſe contendit, niſi faciant ea, qvæ Clericis incumbunt.

Gratia

Digitized by Google

Gratia alicui concessa, ut providere possit personis idoneis in certa Ecclesia, personis non expressis, non expirat re integra per obitum concedentis; secus, si personæ essent expressæ. hoc dicit.

§. 42. Illud qvoq; omittendum non est. Qvòd, sicui [b] nulla facta personarum expressione sit gratiosè concessa facultas, ut authoritate Apostolica aliqvibus personis idoneis in certa Ecclesia providere possit, vel beneficia, qvorum collatio est ad sedem Apostolicam legitimè devoluta, conferre: hujusmodi concessio etiam re integra, per obitum concedentis non expirat: secùs, si super provisione certæ personæ facienda eidem sit data potestas, non ob suam, sed ejus, cui providetur, gratiam vel favorem. Illa enim expirat omninò, si concedens re integra moriatur.

[b] *capit. si cui nulla. de præb. in 6.*

per obitum concedentis non expirat] qvia gratiæ rescriptum refertur ad mandatarium, cui gratia fit. Qvando verò rescriptum gratiæ non refertur ad mandatarium nec in ejus favorem gratia fit, mortuo concedente exspirat, si res integra sit. Ita si qvis mandat servum in genere emi, inspicitur scientia mentis, si in specie, inspicitur mandantis. Et exinde conficiunt Doctores, mandatum solius mandatarii causa emissum non expirare morte mandantis.

certæ personæ facienda] Qvod si datus sit executor non super provisione faciendâ, sed super gratiâ factâ, potestas ista executoribus data, morte concedentis non perimitur, *c. 9. de off. & pot. jud. del. in 6.*

Mandatarius, cujus non est electa industria, potest alteri mandare. h. d.

§. 43. Illud etiam interest, utrùm, cui ab Apostolica sede provisio de beneficio in certa Ecclesia, diœcesi,

vel

vel provincia certæ perſonæ facienda committatur, an de certa Eccleſia incertæ tamen perſonæ? Primo enim caſu licitè qvis vices ſuas alteri committere poterit: ſecundo verò, cùm in eligenda perſona mandatarii electa videatur induſtria, proviſionem ſibi commiſſam alteri demandare non poterit, niſi forma commiſſionis id habeat, ut per ſe, vel per alium hoc expedire valeat.

e. is cui 12. de off. jud. deleg. in 6.

alteri committere poterit] An & qvatenus Procurator & mandatarius ſubſtituere poſſit, tractant Dd. *ad l. 8. ff. mandat.* Succinctè Petrus Coſtalius *ibid.* Generaliter tenendum eſt, non licere ſubſtituere, ſi negocium tale fuerit, qvod induſtriam perſonæ reqvirat. Johann. Emeric. à Rosbach *in proceſs. tit. 19. num. 27.* Oſwald. Hillig. *in Donell. enucl. l. 18. c. 12. lit. s.*

Beneficia Eccleſiaſtica debent ſine diminutione conferri. h. d.

§. 44. Poſtremò illud ſciendum eſt, tam Turonenſi c Concilio cautum eſſe, ne præbendæ aliqvam ſectionem patiantur: qvàm ex Lateranenſi, neqvis conferens beneficium Eccleſiaſticum, partem proventuum ſuis uſibus retinere audeat, cùm ſine ulla debeant diminutione conferri.

c *cap. majoribus. extr. de præb. c. ut noſtrũ. ut Eccl. benef. ſine dimin. conferantur.*

diminutione conferri] Non igitur ſubſiſtere poſſunt penſiones inter Pontificios freqventatæ, qvales ſupra deſcripſimus. Ut tamen ſubſiſtant, penſiones nec beneficii appellatione contineri, nec beneficii partem facere contendunt Canoniſtæ c. qvamvis, de præbend. in 6. Certè dicendum eſt cum Divo Hieronymo *ad Ruſtic. lib. 2. ep. 13. Nunc ſub religionis titulo exercentur injuſta compendia, & honor nominis Chriſtiani fraudem magis facit, qvàm patitur.*

DE

Digitized by Google

DE INSTITUTIONIBUS, ET JURE PATRONATUS,

TITULUS XXIIX.

Qvando dicatur provideri per Institutionem, qvid sit Jus patronatus, &, qvibus modis constituatur. h. d.

§. 1. Accidit autem interdum, ut prælati liberam de vacantibus beneficiis disponendi facultatem non habeant: qvod tunc evenit, cùm ea vacare contigerit, in qvibus aliqvis Jus obtinet patronatus: tunc enim strictè sumpto vocabulo, non conferre, sed instituere dicentur eos, qvibus præsentante patrono providendum erit. Est igitur[a] jus patronatus, potestas præsentandi instituendum ad beneficium vacans. Constituitur autem tale Jus variis modis: veluti, Ecclesiæ ædificatione, dotatione, & similib9.

a *gloss. 1. can. piæ mentis. 16. q. 7.*

ut Prælati] Prælati propriè dicuntur omnes illi, qvi ordinariam in Ecclesiâ jurisdictionem habent, sive Episcopi illi fuerint, sive alii inferiores. Latè & minus propriè etiam illi, qvi in Ecclesiâ sine jurisdictione prærogativam & honorificum gradum habent.

Jus obtinet patronatûs] Ratio nominis extat in *c. filiis, & c. decernimus 16. q. 7.* ubi patroni ideò tales dicuntur, qvia ipsis defensio & cura Ecclesiæ incumbit solicita. Alii patronum dici volunt ad similitudinem patris. Sicut enim pater filium, ita patronus Ecclesiam ducit à non esse ad esse, uti loqvitur Cæsar Lambertin. *de jur. patr. l. 3. qv. pr. art. 1. n. 14.* Faciunt huc verba Franciſci Duareni *ex lib. 5. de sacr. Eccles. minist. c. 4. Qvamvis*, inqvit, *dominus sit ejus soli, in qvo basilicam ædificat, aut earum rerum, qvas Ecclesiæ constitutæ donat: tamen ratio juris non patitur, ut post consecrationem dedicationemq; is locus aut aliæ res Deo consecratæ, in ejus dominio manere di-*

re dicantur, qvamvis eo verbo qvidam abusi fuerint. Itaq; patroni appellatio magis, qvàm domini ei convenire credita est, qvasi Ecclesiæ defensor propugnatorq; tantùm sit. Potest & idcircò patronus appellatus videri, qvod cum eo qui servum suum manumisit, aliqvam similitudinem habeat. Is enim etsi dominus servi manumissi esse desinat, tamen jus, qvod dicitur patronatûs, in eum perpetuo obtinet.

sed instituere dicentur] Institutio igitur nihil aliud est, qvàm beneficii translatio facta ad præsentationem patroni, ab Episcopo vel Ordinario in Clerum, ut officium seu liturgiam in Ecclesiâ ritè peragat. Et in hoc sc. differt à collatione, qvod in collatione jus patronatus nullum sit, ut in institutione, sed præbenda libera. Unde dicunt Canonistæ, qvod collatio beneficii facta à prælato contineat gratiam & liberalitatem non in dando, sed in cui dando, qvia sc. teneatur beneficium conferre, sed non præcisè huic aut illi; Institutio autem neq; in dando, neq; in cui dando contineat gratiam ex parte instituentis, cum prælatus etiam invitus præsentatum idoneum instituere teneatur. Didac. Spino à Caceres *in spec. testam. gloss. 27. n. 61.* Cæterùm, qvibus ritibus olim in Orientali Ecclesiâ Patriarchæ instituti fuerint, exponit Joachimus Stephan. *in Institut. jur. Canon. lib. 2. c. 10. num. 3.* in occidentali autem Ecclesiâ postqvam sacerdotia cum feudis regalibus connexa fuissent, distinctio institutionis & collationis valdè enervata fuit, qvod Pontifex Romanus sua hæc esse feuda, ac suos vasallos, qvi ea possiderent, contra Imperatorem contenderet. Id. *n. 8.*

potestas præsentandi] Potestas hîc denotat eam facultatem, qvam ex gratiâ & tolerantiâ Canones concesserunt, cum jure strictο & vi veterum canonum jus præsentandi soli Episcopo competat. *c. omnes basilicæ 16. q. 7. c. qvacung. 10. q. 1.* Præsentatio autem nihil aliud est, qvam personæ instituendæ ad officium vel beneficium vacans per Patronum Episcopo facta exhibitio. Alibi dicitur nominatio. *Novell. 123. c. 18.*

ad beneficium vacans] qvemadmodum enim concessio muneris seu beneficii Ecclesiastici non vacantis facta in specie nullius est momenti *c. illud. 8. X. de jur. patr. c. ex tenore 13. X. de conces. præb.* & bonis moribus adversa: ita & talem in casum facta præsentatio. Beneficium autem istud restringendum est ex mente Canonistarum ad Ecclesias parochiales, vel capellas aut altaria. In Ecclesiâ enim cathedrali vel collegiali nullum relinqvunt Patronis aut præsentationi locum, sed electionem tantum

& col-

& collationem in illis admittunt. Didacus Spino à Caceres *in ſpecul. teſtam. gloſſ. 4. princip. n. 11.*

& ſimilibus] Modi, qvibus acqviritur jus patronatûs, ſunt vel regulares vel irregulares. Regulares ſunt, fundatio, dotatio & ædificatio. Alii addunt ditationem, qvam definiunt inſignem ad dotem jam conſtitutam additionem. Irregulares ſunt præſcriptio & privilegium.

Ædificans ritè, vel dotans, acqvirit jus patronatus: & cum ſeqvi debent commoda, qvem ſeqvuntur incommoda. h.d.

§. 2. Ædificatione [b] acqviritur jus patronatus, cùm qvis Eccleſiam de conſenſu dioecesani, Juris ordine ſervato, conſtruxit. Dotatione acqviritur, ut cùm is, qvi non fundavit, Eccleſiæ pro dote certa bona aſſignavit. Sicut enim in carnali matrimonio ad onera ſubſtinenda dos aſſignari debet, ita etiam concedenda ſunt Eccleſiæ, qvæ ad luminaria, & ad cuſtodiam, & ad ſtipendia cuſtodum, & ad cætera ſacræ domui neceſſaria, ſufficiant. Inſtitutum eſt igitur, ut qvaſi cujusdam loco remunerationis ad præſentationem patronorum in fundatis, vel dotatis Eccleſiis ſacerdotes inſtituantur, nullo profeſſionis vel ſexus habito diſcrimine.

b *d. gloſſ. l. c. pia mentis. & can. filiis. eod. cauſa. & cap. nobis fuit, extr. de jur. patron.*

de conſenſu diœceſani] Vid. infr. *lib. 2. tit. 18. §. qvacunq; ſumen.*

conſtruxit] Ædificatio eſt vel novi operis, & propriè extructionis nomine venit; aut eſt Eccleſiæ collapſæ & deſtructæ & dicitur propriè reædificatio ſeu redintegratio. Utroq; modo jus patronatus acqviritur. Si tamen ruinoſa tantùm fuerit Eccleſia, ita ut pro parte tantùm, vel etiam

iam integra, diversis tamen vicibus ex eâdem vel diversâ materiâ refecta sit, tùm neq; prior patronus jus suum amittit, nec reficiens ullum jus exinde consequitur. Sed nec ille semper, qvi construxit opus, efficitur patronus. Si enim aliqvis te inscio, in tuo fundo Basilicam ædificet, juri patronatus locus non est, per tradita ab Anton. de Butrio *ad c. nobiscum 25. n. 5. X. de jur. patron.* Cæterùm vocabula ædificationis & fundationis qvandoq; ita usurpantur, ut alterum altero includatur. *arg. Novell. 5. c. 1. Novell. 67. c. 1. Novell. 131. c. 7. c. nos qvidem 3. X. de Testam.* qvemadmodum & hîc sub ædificatione fundationem comprehendisse videtur autor; utplurimùm tamen inter se distingvuntur, poteritq; alius esse patronus ratione fundationis, alius ratione ædificationis.

qvi non fundavit] Regulariter & tanqvam ex debito Ecclesiam dotare tenetur is, qvi eam fundavit *c. cum sicut 8. X. de consecr. Eccles. & c. piæ mentis 16. q. 7.* Ecclesia enim non est, nisi de dote ei provisum fuerit. Unde qvi ædificat Ecclesiam, tacitâ qvâdam obligatione ad dotationem obstringitur, *arg. l. 38. ff. de acq. vel omitt. hæred.* Si tamen alius fundavit, alius dotavit, utriq; jus patronatus competit. Nec tamen ex qvolibet liberalitatis actu hoc jus oritur, sed reqviritur, ut dos sit congrua, & sufficiens ad sustentationem, *c. nemo 9. de consecrat. dist. 1.* cum modica dos pro dote non habeatur, Gail. *2. obs. 88. n. 10.* Qvanta autem dos in specie assignanda sit monasterio, qvanta Ecclesiæ Collegiatæ, parochiali, vel etiam Capellæ, disqvirit Paulus de Citadin. *part. 3. c. 2. n. 11.* Roch. *in verb. dotavit. n. 15.*

certa bona assignavit] sive mobilia ea fuerint, sive immobilia, æstimata sive inæstimata. Hâc ratione autem sæpiusculè fit, ut ille, qvi fundavit Ecclesiam & dotem non constituit, perdat jus patronatus, & hoc alteri acqviratur, qvi dotem constituit. Moribusq; receptum est, ut illius arma & insignia radantur & ejiciâtur, tùm & sepulchra ex destinato loco tollantur. Didac. Spino à Caceres *in spec. testam. gloss. 4. n. 33. 34.* Hinc etiam si plures concurrant in acqvirendo jure patronatus, non habetur ratio fundatoris vel ædificatoris, nisi vel ipse vel alius Ecclesiam ædificatam dotet, qvia in tali acqvisitione ultimus actus dotantis attendi debet. Idem *n. 35.*

Sicut enim in carnali matrimonio] Non eadem utriusqve est ratio. Carnale enim matrimonium potest consistere absq; dote. Sed Ecclesia sine dote diu consistere neqvit.

qvæ ad luminaria] Vid. qvæ dixi infr. *lib. 2. tit. 18. §. qvacunq; tamen.*

qvasi

Digitized by Google

qvasi cujusdam loco remunerationis] Jus Patronatûs Canoniſtæ dicunt eſſe gratioſum, qvippe ex æqvitate primum & tolerantiâ, nullo juſtitiæ debito introductum. Cùm enim poſt ſeculum tertium non Principes tantùm in ſuis territoriis, ſed privati etiam in ſuis fundis templa exædificarent, eademq; magnificis dotibus locupletarent, æqvum viſum fuit, eos aliqvid juris inde retinere, qvod ipſorum pietatis & ſingularis in Eccleſiam voluntatis perpetuum eſſe poſſet monumentum, ut loqvitur Franciſcꝰ Duarenus *de ſacr. Eccleſ. miniſt. l. 5. c. 4.* & ut magis incitarentur homines ad ædificandas & dotandas Eccleſias *c. nobis 25. X. de jur. patron.* Acceſsérunt deinceps confirmationes Juſtiniani *Novell. 57. c. 2. Novell. 67. c. 2. Novell. 123. c. 18.* Concilii Toletani IX: *c. decernimus 32. cauſ. 16. q. 7.* Caroli Magni, Ludovici pii & aliorum. Carpzov. *in jurispr. Conſiſt. l. 1. def. 13.* Finkelthaus *de jur. patron. c. 1. n. 5. ſeq.* Et certè, ſi rectè novi Canoniſtas modernos, nec hoc qvidem jus Laicis permiſiſſent, niſi id marſupiis ipſorum proficuum eſſet, & bona Clericorum ampliaret. Cùm enim Laicis regulariter nullum omninò in bonis Eccleſiaſticis jus relinqvant, nec ut iis ſeſe immiſceant, patiantur, *c. benè 1. diſt. 96. c. noverint 6. cauſ. 10. q. 1. & c. cum Laicis 12. X. de reb. Eccleſ. alien.* non ſanè aliunde profectum jus hoc patronatus dicere poſſunt, qvam de gratiâ Eccleſiæ & Pontificis. *c. qvoniam 3. X. de jur. patr.* & ibi Hoſtienſ. atqve Petrus de Ancharano *n. 1.* Reges Hiſpaniæ utiq; longo jam tempore in ipſis Eccleſiis cathedralibus jus patronatus habuérunt. Id vero ſummis Pontificibus acceptum ferendum eſſe, profitentur Canoniſtæ. Franc. Long. à Coriolan. *in ſumm. Concil. ad can. 6. Concil. Toletan. XII.* Didac. Covarruv. *ad c. poſſeſſor de R. J. in 6. part. 2. §. 10. num. 5. 6.* Didac. Spino à Caceres *in ſpec. teſtam. gloſſ. 4. n. 13.* qvi duo tamen in hoc diſſentiunt, qvod hic non ut ille præſcriptionem iſtius juris admittat. Qvod vero non illi tantùm, ſed alii etiam originem iſtius juris ex allegato Concilio Toletano XII. petunt, minus accuratum mihi videtur; qvandoqvidem illic non tam de jure Regio, qvàm de privilegiis Archi Epiſcopi Toletani agitur, & in eum transfertur poteſtas confirmandi, qvæ antea penes Concilium Generale fuit. Attendantur ipſa verba diſpoſitiva, atq; id, qvod dixi, manifeſtum erit.

nullo profeſſionis] Lege tamen prohibentur jus patronatûs aeqvirere, qvos vel religio notat vel culpa, ut infidelis, Judæus, excommunicatus, hæreticus, deportatus, ſervus pœnæ &c.

Eccleſiaſticus patronus habet ad præſentandum menſes ſex, laicus qvatuor. Eccleſiaſticus non poteſt variare, laicus poteſt. h. d.

§. 3. Sunt tamen inter Ecclesiasticos & laicos patronos pleræq; differentiæ. Nam [c] Ecclesiastico ad præsentandum sex mensium conceditur spatium, Laico qvadrimestre tempus datur. Et videtur optima ratione inductum, ut longius præfigatur tempus Ecclesiasticis, qvippe [d] qvibus semel facta præsentatione, amplius variare minimè licet: qvod in laicis diversum statuitur.

c *cap. unic. §. fin. de jur. patron. in 6.*

d *cap. pastoralis. ext. d. tit. & d. c. unic. in gloss.*

Ecclesiasticos & Laicos Patronos] Jus ipsum patronatûs distingvitur in Ecclesiasticum seu Clericale & seculare sive Laicum. Hoc dicitur, qvando qvis sive Clericus sive Laicus ex proprio patrimonio Ecclesiam extruit aut dotat. Illud verò, qvando ex bonis Ecclesiasticis alia Ecclesia ædificatur, vel collapsa penitus in pristinum melioremve statum deducitur. Etenim in hâc distinctione non qvalitas personæ fundantis aut dotantis attenditur, sed bonorum conditio, ex qvibus fundatur Ecclesia. Per consequens, etsi patronus sit Clericus, si tamen ex ipsius bonis jus patronatûs acqvisitum sit, laicum seu laicale dicitur, non Ecclesiasticum, Covarruv. *c. 36. pract. obs. n. 2.* Si vero initio qvidem ex bonis laici acqvisitus fuerit patronatus, postea autem in Ecclesiam justo titulo translatus, censebitur Ecclesiasticus *c. un. §. ult. de jur. patr. in 6.* Lambert. *l. 1. qv. 1. art. 8.* Covarruv. *d. l. n. 5.* Statuunt vero recentiores Doctores inter Ecclesiasticum & Laicum jus patronatus etiam in præsentando aliqvam differentiam, qvod scil. patronus Ecclesiasticus teneatur præsentare digniorem, patronus autem Laicus officio suo defunctus sit, si dignum saltem & idoneum præsentet. Thom. Hurtado *tract. 12. c. 1. n. 1631. seq.* Qvasi vero non unusqvisq; pro virili salutem Ecclesiæ procurare obstrictus sit. Atq; hoc cum negare neqveant Canonistæ, restringunt tantùm ad forum conscientiæ; in foro autem externo etiã ab Episcopo præferri posse dignũ, prætermisso digniore statuunt. Didac. Spino à Caceres *d. l. n. 83. 84.* At putabam ego, forum Episcopi externum qvàm proximè accedere foro conscientiæ interno, nec diversum qvid facilè admittere, cui committendo conscientiæ dictamen repugnet.

qvadrimestre tempus datur] Qvid si Ecclesia sive Clericus

Digitized by Google

eus nomine Ecclesiæ & Laicus simul ex pari causâ jus patronatûs teneat? Ecclesiasticum id censetur jus patronatûs, & idcirco laicus præsentando non ut aliàs qvatuor, sed sex mensès habet. Qvippe privilegium Ecclesiæ hîc transit ad Laicum in modum ejus, qvi rem communem habet cum pupillo, de qvo elegans exemplum est in *l. 10. ff. qvemadm. serv. amitt.* Qvia igitur jus patronatus, tanqvam servituti consimile, divisionem non recipit, sacrum tanqvam dignius ad se trahit minus sacrum. Cæterum tempus istud lege definitum non currit à tempore vacationis, sed à tempore notitiæ *arg. l. 6. ff. de calumniator. & c. biduum 29. caus. 2. q. 6.* Roch. de Curte *c. honorificum 3. n. 57. h. t.* Camill. Borell. *decis. tom. 1. tit. 32. n. 69.* Didacus Spino à Caceres *in spec. testam. glos. 4. n. 21.*

variare minimè licet] qvia variatio in clerico levitatis aliqvod argumentum præbet, sive qvia præsentatio facta à Clerico vim habet electionis: ab Laico non item. Mart. Mager. à Schönberg *tr. de advocat. armat. cap. 9. num. 556.* Francisc. Zabarell. *c. 1. de jure patr. in Clement. n. 6.*

diversum statuitur] Diversitatis rationem modo datam, qvod videlicet præsentatio à Clerico facta vim electionis habeat, qvam non habeat præsentatio Laici, rejicit Didacus Spino à Caceres *in spec. test. glos. 4. n. 76.* eò qvod nullo modo præsentatio vim electionis habere possit, cùm per electionem acqviratur jus in re, non verò per præsentationem. Ipse verò hanc potius reddit diversitatis rationem, qvia patronus Laicus ex ignorantiâ suâ in præsentando idoneo errare potest, qvod non præsumitur de patrono Ecclesiastico propter majorem qvæ in eo reqviritur scientiam. At enim si verum est, qvod idem dixit Spino *n. 75.* Clerico etiam, qvi habet jus patronatus Laicum, non minus atq; Laico variationem permitti, facilè hinc colligere licebit, nihil omninò facere scientiam præsentantis, ut hinc diversitas aliqva induci debeat. Dè clerico namq; qvi habet jus Patronatus Laicum, non minor præsumenda est scientia, atqve de Clerico qvi habet jus patronatus Ecclesiasticum. Qvin & inter Laicos sæpè inveniuntur Viri scientiâ & rerum peritiâ insignes, qvibus tamen haudqvaqvam denegatur variatio. Est ergò hoc ex numero eorum, qvæ in jure Canonico non satis cohærent. Cæterùm variatio, qvæ hîc permittitur Laicis tùm demum obtinet, si variet Laicus cumulando, non omninò à nominatione recedendo. Panorm. *ad c. cum dilectus 28. n. 1. X. h. t.* Aymo Cravetta *consil. 63. num. 3.* etsi variatio diversis vicibus & aliqvoties facta fuerit. Neq; etiam ex hoc, qvod secunda & tertia aut etiam qvarta aut qvinta intra qvadrimestre spatium fit præsentatio, per ultimam à prioribus receditur, sed adhuc cumulativè

tivè factæ intelliguntur omnes, nisi de contrariâ mente præsentantis apertè constet. Didac. Spino â Caceres *in spec. testam. glos. 4. n. 73.* (2.) si fiat illa variatio ante institutionem Episcopi, post eam enim primo præsentato Canonistæ dicunt jus esse acqvisitum. *c. qvod autem 5. vers. qvoniam. X. h. t. c. si tibi absenti 17. de præbend. in 6.* Sed & si concurrat Clericus & Laicus in jure patronatus, Laicus variare neqvit, cum & hîc dignius ad se trahat minus dignum.

Episcopus qvi instituit secundo loco præsentatum, in pœnam tenetur providere etiam primo præsentato. h. d.

c *cap. pastoralis officii. extr. de jur. patron.*

§. 4. Sed [c] si laicus, cui plures præsentandi tributa est facultas, primo Joannem instituendum offerat, secundo loco Paulum, utrumq; idoneum, Ordinarius autem secundo loco præsentatum instituat: videamus, an primus appellare valeat? [f] & statutum est de secundo factam institutionem infringi non posse: Episcopum tamen, qvi primo loco præsentatum dolo recusavit admittere, recusato ut in competenti beneficio provideat, compellendum: ut in eo puniatur, in qvo eum deliqvisse constat.

f *c. qvod autem. c. cum autem. d. tit.*

Sed si laicus] Obscurior hîc est autor, qvâm *cap. pastoralis 29. X. h. t.* ex qvo totus hic paragr. desumptus est. Enimverò si eo casu, qvo ab Laico duo idonei simul præsentati sunt, judicio Episcopi relinqvendum est, utrum eorum instituere velit *c. cum autem 24. X. eod.* non poterit compelli Episcopus, ut ei qvi primo loco præsentatus fuit, & qvem dolo admittere recusavit, in competenti beneficio provideat. Casus ergo ita formandus est, ut ponatur, post recusationem dolosam & post interpositam â præsentato appellationem, alium ab Laico patrono præsentatum fuisse.

Legatus de latere potest derogare juri patronatus Ecclesiasticorum, non laicorum. Ecclesiastico patrono reddenda ratio proventuum patronatæ Ecclesiæ, secus laico. h. d.

§. 5. Le-

Digitized by Google

§. 5. Legatus g etiam beneficium in præjudicium Ecclesiastici patroni, ut suprà tetigimus, conferre potest: cum in laicis diversum accidat. Item Ecclesiastico patrono de temporalibus rebus ratio debet exhiberi, qvod in laico minimè obtinet.

g *cap. cùm dilectus. extr. de jur. pat. c. dilectus filius. de Offic. Legati.*

in præjudicium Ecclesiastici patroni] imò etiam Laici, uti postea invaluit, de qvo utroq; conqveruntur Principes Germaniæ in comitiis Noribergensibus *gravam. 97.*

qvod in Laico minimè obtinet] Differentiam hanc negat post alios Didacus Spino â Caceres *in spec. testam. glos. 4. n. 90.* & concludit, patronum tàm laicum, qvam clericum habere solùm præsentationem, neq; circa reditus Ecclesiæ & expensas qvicqvam disponere valere, & in eam rem adducit decreta Concilii Tridentini. Nos verò è contrario statuimus, rationes Ecclesiasticorum redituum reddi debere toti Ecclesiæ, & hinc neq; magistratum neq; Patronum, utcunq; is Laicus fuerit, excludendos esse. Vid. Carpzov. *in Jurispr. Consist. lib. 2. def. 316.*

Patronus laicus potest deferre ad superiores clericos, qvi dilapidant bona Ecclesiæ, cujus est patronus. h. d.

§. 6. Licebit a tamen patrono laico, si sacerdotem ex collatis in Ecclesiam rebus fraudare cognoverit, aut honesta illum conventione compescere, aut Episcopo vel competenti Judici corrigenda denunciare: qvòd si talia agere tentet & Episcopus, Metropolitano ejus hæc insinuabit: sin autem & Metropolitanus talia gerat, Principis hæc auribus (si aliter Ecclesiæ consuli non possit) intimare non differet.

a *canon. filiis vel. 16. q. 7.*

Licebit tamen] non tantùm ideò, qvod interfit Patroni sarta tecta conservari bona Ecclesiæ, cùm ei ad paupertatem redacto temporalis

vitæ ſuffragia ab Eccleſiâ ſuppeditari debeant, ſed etiam qvod communis id jubeat pietas.

Principis hæc auribus] Euge ! Ergo Principi aliqva competit poteſtas circa perſonas & res Eccleſiaſticas, qvod hodiè vix admittunt Pontificii ; & timidè id ipſum hìc aſſeruit autor, additâ ſcil. parentheſi (*ſi aliter Eccleſiæ conſuli non poſſit*) qvæ non habetur in *c. filiis vel nepotibus 16. q. 7.* Vid. Renat. Choppin. *de ſacr. polit. lib. 3. tit. 11.*

Jus patronatus transmittitur ad qvoscunq; hæredes : & , plures ſuccedentes uni, habent vocem unius, nec hæres patroni inſtitutum mutare poteſt. h. d.

§. 7. Succeſſione qvoqve Jus patronatus acqviritur : qvod qvidem procedit, ſive ſui, ſive extranei [b], ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato ſint hæredes. Plures [c] tamen ab uno ex patronis Eccleſiæ relicti hæredes, vocem duntaxat unius habebunt in præſentatione Rectoris, nec jam inſtitutos mutare poterunt.

b *gloſſ. in ver. hærede. clem. 2. de jur. patr.*

c *d. clem. 2.*

ſive ex teſtamento] Dubium eſt, utrum jus patronatûs ſpecialiter legari poſſit, eò qvod aliàs titulo ſpeciali non transferatur, niſi donatione & permutatione jure Canonico expreſſis. At qvia legatum nihil aliud eſt, qvàm donatio qvædam, nihil prohibet, uti per donationem, ita etiam legati titulo jus patronatûs rransferre. Anton. de Butrio *ad c. cum ſeculum 13. n. 2. h. t. & ibid.* Joh. de Anania *num. 4.* ita tamen, ut, ſi legetur jus patronatûs privato alicui Laico aut etiam Clerico proprio ipſius nomine. Epiſcopi interveniat conſenſus *c. qvod autem 5. verſ. de cætero, & c. ult. §. X. h. t.*

vocem duntaxat unius habebunt] hoc locum habet eo tantùm caſu, qvando defunctus habuit Compatronos. Atq; id non tantùm in pluribus deſcendentibus locum habet, ſed etiam in collateralibus propter generalem textum in *c. plures 2. X. h. t.* & rationem, qvod aliàs facilè abſorberetur jus compatroni ſupervivẽntis, qvi unum tantùm votum habet,

habet, & istâ communione semper excluderetur â pluribus concurrentibus. Quod si verò defunctus Compatronos non habuerit, heredes ejus non in stirpes, sed in capita succedent, adeoq; tùm heredes non habebunt vocem unius, sed qvilibet proprium suffragium, propterea qvod cesset hîc ratio illud jus absorbendi atq; excludendi suffragium alterius, qvi est in communione, per votorum majoritatem. Illud tamen constat, jus patronatûs esse qvid individuum, & ideò apud singulos esse in solidum, nec dividi secundum portiones hereditarias. Unde succedens in plures partes, nihilo plus consequitur, qvàm qvi succedit in pauciores. Qvemadmodum & qvi plus contulit in dotatione, nihilo plus de jure patronatus acqvirit, qvàm qvi minus contulit.

nec jam institutos mutare poterunt] Potest Patronus personam ad officium Ecclesiasticum præsentare & nominare, sed non potest eam jam ab Episcopo institutam removere aut suspendere, posito etiam, qvod magistratum gerat, & omnigenâ jurisdictione munitus sit. Finkelthaus *de jur. patron. c. 2. n. 21.*

Si patroni in præsentatione non sint concordes, attenditur major & melior pars. h. d.

§. 8. Et si [d] fortè in plures partes patronorum se vota in præsentando diviserint, ille præficiendus est Ecclesiæ, qvi majoribus juvatur meritis, & plurium approbatur consensu.

d *cap. qvoniam in. extr. de jur. patr.*

& plurium approbatur consensu] Optandum esset, ut & meritis & pluralitate votorum competitoribus suis superior semper esset instituendus; sed fieri tamen qvandoq; solet, ut pluralitas votorum in hominem minus idoneum dirigatur, qvo casu utile esset, argumentis svasoriis majorem partem adigere, ut minori consentiat, qvod ipsum tamen obtineri rarò solet. Pluralitas autem votorum qvomodo æstimanda sit, variant Doctores. Alii majorem partem eam esse dicunt, qvæ consideratur in comparatione partis minoris, e. g. sint decem heredes, qvorum qvinq; præsentant Titium, tres Mævium, duo Sempronium; hîc Titium pluralitate votorum prævalere volunt. Alii majorem partem dicunt eam, qvæ talis est respectu omnium simpliciter, & sic, ut Titius prævaleat, necesse est, ad minimum sex ut in eum dirigantur suffragia. Joh. de Lignano *in c. plures 2. h. t.*

Intereſſe videtur, utrum jus patronatus competat pluribus ut ſingulis, an vero pluribus, ut univerſis, & ſic collegialiter. Primo caſu, pluralitas eſt conſideranda reſpectu minoris partis, qvâ ratione ſi qvinq; præſentant Titium, tres Mævium, duo Sempronium, vincit Titius. Secundo caſu pluralitas eſt conſideranda reſpectu totius. Et hâc ratione, niſi Titius ad minimum ſex habuerit vota, haudqvaqvam plurium conſenſu approbatus dici poterit. Vid. Nic. Boër. *deciſ. 111.* Et inter hos duos caſus iſta adhuc eſt differentia, qvod in primo non neceſſe ſit, ut omnes ſimul conveniant in eodem loco ad faciendam præſentationem, ſed ſufficiat ſi ſeorſim ſuffragia ferant; in ſecundo verò congregatio in eodem loco neceſſaria ſit. Aymo Cravetta *conſil. 63.* Cæterùm ſi concurrant heredes maſculi & fœminæ, & inter ſe diſſentiant, præfertur ille, qvi præſentatur à maſculis. Didac. Spino à Caceres *in ſpec. teſtam. gloſſ. 4. n. 48.*

Si Eccleſia ob patronorum diſcordiam detrimentum patiatur, poteſt Epiſcopus interdicere divinis. h. d.

e *cap. 1. extr. eod. tit.*

§. 9. Qvòd ſi [e] ita ſimultates inter eos ortæ fuerint, ut ſacerdos ſuo ibi officio canonicè fungi non poſſit, ſi aliter provideri non poterit, præcipere debet Epiſcopus, ut ibi miſſarum ſolennia non celebrentur, donec patroni ad concordiam redeant: qvod ſi intra qvatuor [f] menſes factum non fuerit, tunc ordinet Antiſtes Eccleſiam, ſicut meliùs eam ſecundum Deum judicaverit ordinandam.

f *cap. qvoniã. capit. ſi verò. & cap. cum propter. extr. de jur. patr.*

ut ibi miſſarum ſolennia non celebrentur] qvotidianum hoc eſt inter Pontificios, ut ſi qvâcunq; Clerici injuriâ afficiantur, omnis intermittatur cultus divinus, qvod utrum inter Chriſtianos id licitè fiat, ipſorum relinqvitur conſcientiæ. De miſſis autem & earum ſuperſtitioſo apparatu dicendi locus erit *libr. 2.*

Epiſcopus poteſt ex cauſa Eccleſiam patronatam ſecundum certam formam commendare. h. d.

§. 10. Qvod

§. 10. Qvòd si necessarium aut expediens esse duxexerit, poterit etiam interim Ecclesiam alicui commendare g, ita tamen, ut si parochialis sit Ecclesia, nemini commendetur, qvi non sit in sacerdotio constitutus: nec hujusmodi commendatio ultra semestris temporis spacium vires suas porriget: nec in unius persona, nisi unica fieri poterit.

g *cap. nemo deinceps. de elect. in 6.*

alicui commendare] Commendarum sive commendationum originem & progressum ita exponit Petrus Svavis *hist. Concil. Trid. lib. 2. Bello*, inqvit, *aut pestilenti â aut aliâ ejusmodi causâ sic per regionem aliqvam grassante, ut in ministri vitâ functi locum alius statim eligi non posset, is, penes qvem regimen erat & administratio Ecclesiastica, vacantem Ecclesiam homini notæ probitatis & doctrinæ commendabat, ut præter Ecclesiæ propriæ curam, vacantem etiam administraret, qvoad de proprio & peculiari Rectore ei provideretur. qvi tamen nullam in Ecclesiæ facultates potestatem exercebat, nisi ut ritè eas gubernaret, conservaret q;. Temporis progressu Commendatarii varios sive necessitatis sive honestatis adspectûs obtendentes, fructûs occupárunt, atq; ut diutius iis fruerentur, qvo minus Ecclesiæ aliter prospiceretur, varia impedimenta objectare solebant. Cui malo ut iretur obviam, præscriptum, ne Commenda duraret ultra sex menses. At Pontificibus visum ex plenitudine potestatis multo longiori tempore Ecclesias id genus commendare, tandem etiam durante vitâ commendatarii, & cum eo, ut facultas esset, præter impensas necessarias, emolumentis omnibus utendi fruendi. Sic qvod utiliter fuit excogitatum, cùm à primâ institutione degenerasset, temporibus corruptis adhibitum ad pluralitatem palliandam; cum beneficiato aliud beneficium, aut plura commendarentur: servatis sc. verbis legis, de non conferendo nisi unico uni personæ beneficio, sed mente neglectâ, qvandoqvidem Commendatarius ad vitam, re & effectu non differebat ab eo, qvi cum titulo possidebat. Et qvidem in immenso beneficiorum commendatorum numero adeò fœdè ac turpiter ab officii tramite est exorbitatum, ut hoc ipso seculo, postqvam Lutherani se commovissent & reformationem omnes deposcerent, Clemens VII. Papa non erubuerit anno 1534. Hippolito Medicæo Cardinali nepoti suo, omnia per Orbem beneficia secularia & regularia, dignitates & rectoratûs, simplicia & curata vacantia commendare spatio sex men-*

menſium ab eo die, qvo in poſſeſſionem eorum mittendus eſſet, computandorum, cum poteſtate de fructibus omnium arbitratu ſuo diſponendi, eosq; in uſum ſuum convertendi. &c. Conf. idem *lib.6. fol.561.* Franciſc. Duaren. *de ſacr.Eccleſ. miniſt.lib.5. c.7.* Matth.Stephan. *diſcurſ. Academ.5. vol.2.* Camill. Borell. *deciſ.lib.1. tit.31.*

Epiſcopus in Eccleſia juris patronatus laicorum ex cauſa poteſt ponere œconomos, qvi colligant fructus erogandos in utilitatem laicorum.b.d.

a *cap.cum vos. extr.de offic. ordin.*

§. 11. Erit [a] etiam Epiſcopo facultas in Eccleſiis, in qvibus Eccleſiaſtica perſona præſentationem non habet, ſi vel minùs idonei præſententur, vel alia de cauſa aliqvos in eis inſtituere non valeat, œconomos ponere, qvi fructus percipere debeant in Eccleſiarum utilitatem erogandos, aut his qvi qvandoq; inſtituentur, fideliter reſervandos.

Oeconomos ponere] Oeconomi ſive proviſores Eccleſiarum, omnium rerum Eccleſiaſticarum gubernationem ab Epiſcopo nomine ipſi9, cui & rationem reddere compelluntur, habent. Vid. *l. jubemus 14. C.de SS. Eccleſ.* Sic enim definiuntur Oeconomi tales, in *l.3. C. Theod. de his qvi ad Eccleſ. conf.* qvod ſint, qvi Eccleſiaſticas conſvevérunt tractare rationes. Et illi non Epiſcopalibus tantùm Eccleſiis, ſed aliis etiam, & ipſis etiam monaſteriis, & qvidem ab Epiſcopo cui Eccleſia aut monaſterium paruit, præfecti fuérunt, uti patet ex *cap.4.in fin.X.de jurám.calumn.* Dicti fuérunt aliqvando actores Eccleſiæ, fuéruntq; in unâ Eccleſiâ tales ſæpè numero plures: Vid. Dav. Blondell. *in Pſeudo Iſidor. ad Alexandri Epiſt.1.pag.171.* Patet autem ex hoc paragrapho, primam inter pontificios curam eſſe redituum, non Eccleſiæ ipſius aut officii Eccleſiaſtici.

Patroni poſſunt convenire de præſentando alternis vicibus, & plures ſimul poſſunt præſentari, ut de ipſis Epiſcopus eligat inſtituendum.b.d.

b *clem.2. ver. & ut. de jur. patron.*

§. 12. Sed ut [b] faciliùs provideatur Eccleſiis, non in-

con-

Digitized by Google

conveniens visum fuit, patronos ipsos inter se posse liberè convenire de Rectore ab eis alternis vicibus præsentando. qvibus etiam ex eadem causa permittitur, ut plures ad vacantem Ecclesiam præsentare valeant, ita ut unus ex eis eligi possit per Episcopum & admitti.

alternis vicibus præsentando] Alternativas ejusmodi vices vocant præsentationem Turni, eaq; in multis Ecclesiis Gallicanis obtinuit, ut notat gloss. *ad c. fin. de præbend. in 6.* Uno igitur ex compatronis actum patronalem exercente, reliqvi jus suum nihilominus integrum habent, sed futuris demum actibus exercendum.

Jus patronatus donari potest, sed ob donationem non præjudicatur juribus Episcopalibus: vendi autem non potest, nisi cum universitate. h.d.

§. 13. Donatione [c] qvoq; Jus patronatus acqviritur. Ut cum Jus, qvod qvis in Ecclesiis habet, in aliqvem liberaliter confert: qvæ si fiat Ecclesiæ, aut loco religioso, qvamvis absq; assensu Episcopi facta fuerit, efficax est censenda, sed per eam Episcopalibus Juribus in aliqvo non derogatur. Sed si qvis dato precio [d] hujusmodi sibi Jus comparare ausus fuerit, talis contractus irritus erit & inanis, nisi tale Jus cum universitate rerum temporalium transferretur.

c *cap. 1. de jur. patron. in 6.*

d *capit. qvia cleric. & seq. extr. de jur. patron.*

qvamvis absq; assensu Episcopi] qvia Ecclesiæ conditio fit melior. Si vero qvis Laico alicui jus suum patronatus donare velit, Episcopi

scopi consensus maximè est necessarius, vel ex eo capite, qvod Laicis ejusmodi jus circa Ecclesiastica difficulter concessum fuit.

non derogatur] Præsentatio à patrono facta non est jus Episcopale, sed ordinatio ac institutio per Episcopum subsecuta. Matth. Wesenbec. *part. 1. consil. 48. n. 23. in f.*

Sed si qvis dato precio] Jus patronatûs per se & suâ naturâ, qvod sacro seu religioso aut spirituali sit annexum, singulariter non venditur. Et facta hinc venditio aut simoniaca est aut nulla. *c. nemini 16. q. 7. c. juxtè. c. qvidem X. de simoniâ.* Si tamen Universitas vendatur, utpote civitas, pagus, castrum &c. & in his Ecclesia qvædam patronata constructa sit, earum rerum venditione transit qvoqve jus patronatûs inhærens. Et licet jus patronatûs adeò sit invendibile, ut pro illo non possit aliqvid precii dari; tamen non impedit hoc, qvin, cum illud est annexum bonis, ratione illius bona pluris æstimentur & vendantur, qvam aliàs. Molina *de just. tom. 3. disp. 620. n. 6.* Hæc tamen assertio dubia reddi potest ex iis, qvæ disputat Didacus Spino à Caceres *in specul. testam. gloss. 4. n. 115.* ubi concludit, Simoniam committi non eo tantum casu, sicubi qvis, dum emit villam, principaliter habuerit intentionem acqvirendi jus patronatus, qvod isti villæ adhæret, sed etiam, si in venditione villæ vel universitatis bonorum expressa fiat mentio juris patronatus, adeoq; tum venditionem esse nullam, qvia per hujusmodi expressionem videatur æqvè principaliter vendi jus patronatus. Tam subtiles scil. sunt Canonistæ in describendis Simoniæ speciebus, sed qvas ipsi sæpenumero parum attendunt, uti videbimus infr. *lib. 4. tit. 3.*

Episcopus non potest spernere patroni præsentationem. Patronus non potest qvem propria authoritate instituere, sub pœna excommunicationis. hoc dicit.

§. 14. Qvemadmodum autem ad præsentationem patroni debet Episcopus clericos instituere, & qvod spretis fundatoribus de vacanti Ecclesia disposuerit, erit irritum: ita etiam patronus authoritatem Episcopi negligere non debet. Qvòd si laici[c] ausu temerario propria authoritate ad institutionem pro-

[c] *cap. præterea. extr. d. tit.*

proceſſerint, tam ipſi anathemate feriendi, qvàm etiam perperàm inſtituti clerici communione ſunt privandi: qvi ſi etiam adhuc perſtiterint, à miniſterio Eccleſiaſtico & ordine deponendi erunt.

debet Epiſcopus Clericos inſtituere] niſi cauſæ rationabiles ſubſint, cur præſentationi à patrono factæ nolit acqvieſcere, qvales ſunt, ſi præſentatus ſit excommunicatus, aut aliàs minus idoneus, ita, ut non poſſit ordinari ſine ſcandalo, ſive ſi præſentatio intra tempora legitima non ſit facta, aliisq; his caſibus, tùm enim ut ipſi melius videbitur, etiam ſpretâ præſentatione providebit. Paul. de Citadin. *part. 6. c. 13.* qvod ſi nullas rationes recuſandi habet, tùm nolens volens per ſuperiorem ipſum inſtituere cogitur *c. decernimus 16. q. 7. c. paſtoralis 29. X. h. t.* præſentatus etiam, ſi Epiſcopus differat eum inſtituere, poterit appellare à gravamine ſibi illato. Joh. Guttierrez *de juram. confirm. 3. part. 13. n. 8.*

erit irritum] Sed an ipſo jure, an verò Patrono ſuper contemptu agente? Variant Doctores. Vid. deciſ. Rot. Rom. *de rer. permut. deciſ. 5.* Si tamen prælatus conferat beneficium patronale contempto Patrono, & patronus taceat per tempus præſentationi deſtinatum, remanet collatio valida. Qvod ſi contulerit tanqvàm jure ex negligentiâ patroni ad ſe devoluto nullo opus eſt tacito patroni conſenſu. Carol. Molinæ. *ad conſvetud. Pariſ. §. 37. n. 30.* Didac. Spino à Caceres *inſpec. teſtam. gloſſ. 4. n. 95. ſeq.*

Qvod ſi Laici] Patronis qvidem inſtituendi & deſtituendi miniſtros Eccleſiæ poteſtas nulla eſt, qvippe qvæ ad jura Epiſcopalia pertinet. Sed principibus tamen & qvibus aliàs ſummum circa ſacra & religionem competit imperium, deneganda ea non eſt, qvanqvam actûs iſti per Superintendentes peragi ſoleant.

tàm ipſi anathemate feriendi] Nimii ſunt Pontificii circa anathematiſmos ſuos, nec tam grave ſemper delictum præceſſit, qvod fulmen ejusmodi mereatur.

Patroni putativi præſentatio tenet. h. d.

§. 15. Interdum[f] accidit, ut ejus, qvi patronus non eſt, præ-

[f] *cap. conſultationis. extra. d. tit.*

præsentatio tamen rata sit habenda. Ut cùm ordinarius ad ejus præsentationem clericum instituit, qvi & Juris patronatus erat possessor, & patronus credebatur: nam si postea Jus patronatus alius in judicio evicerit, institutus non debet propter hoc ab Ecclesia removeri.

& patronus credebatur] Utrumq; hoc conjunctim reqvirítur *c. consultationibus 19. X. de jur. patr.* & ut credatur patronus, & ut possideat jus patronatus. Si enim non possideat, removeri posse institutum ab Ecclesiâ, ibi constituitur. Et plurima talia sæpè occurrunt negocia, qvæ non valerent, nisi ex opinione vulgari processissent, & bonum publicum concernerent. Sic enim gesta à servo Prætore per errorem designato firmitatem obtinent *l. Barbarius 3. ff. de offic. Prætor.* Ita sustinetur etiam testamentum, cui testis adhibitus est servus ab omnibus pro libero habitus *l. 1. C. de testam.* Sic & Filiofam. mutuo dato, qvi publicè & omnibus paterfam. visus est, cessat SCtum Macedonianum *l. 3. ff. ad SCt. Macedon.* Pari igitur ratione irritari nèqvit præsentatio à patrono putativo facta.

Nemo potest seipsum præsentare. h. d.

a cap. per nostras. extra. d. tit.

§. 16. Licet[a] autem patronus alios præsentet, seipsum tamen, qvanqvam clericus sit, præsentare non potest, qvantumvis idoneus sit, & qvibuscunq; studiis juvetur & meritis: cùm nullus Ecclesiasticis sese officiis ultrò immiscere debeat.

se ipsum tamen] Patroni enim præsentatio vertitur præcisè inter patronum & præsentandum. Ideoq; si seipsum posset præsentare, confunderetur respectus mutuus, qvi necessariò duo numero distincta supposita reqvirit. Admittunt tamen Canonistæ compatroni suffragium propriũ ad augendum numerum compatronorum istum præsentantium. Sic enim fieri dicunt, ut si iste patronus præsentetur à tribus compatronis, & alius præ-

Digitized by Google

præsentetur ab aliis tribus, præferatur compatronus præsentatus ex eâ ratione, qvia consensus præsentati auget numerum patronorum. Didacus Spino à Caceres *in spec. testam. gloss. 4. n. 79.* Rectior tamen & verior mihi videtur sententia contraria; Consensus enim ejus, qvi præsentatur, pertinet ad acceptationem, non ad ipsam præsentationem, in qvâ ille se merè passivè habere, & voto prorsus abstinere debet.

Nemo sibi beneficium confert, veluti nemo se præsentat, nec vacaturi beneficii tenet collatio, aut præsentationis promissio. h.d.

§. 17. Sunt autem institutiones collationibus in qvibusdam similes, in qvibusdam verò dissimiles. Similes sunt, qvia qvemadmodum is, qvi se ipsum præsentat, instituendus non est: ita etiam is, ad qvem pertinet collatio [b], se ipsum non potest instituere, cùm inter dantem & accipientem distinctio debeat esse personalis. Item qvemadmodum vacaturæ præbendæ non tenet regulariter collatio: ita etiam promissiones de non vacantibus beneficiis Ecclesiarum, in qvibus qvis Jus obtinet patronatus, nullo jure subsistunt.

b *cap. fin. ext. de instit.*

ita etiam is, ad qvem pertinet collatio] Fuére tamen Pontifices, qvi ut pontificatum consequerentur, sibi ipsis suffragium dedérunt, aut saltem fecérunt, ut aliorum suffragia in se dirigerentur, qvod etiamnum ita practicari solet, referentibus illis, qvi conclavium arcana nobis revelant.

Capitulum sede vacante potest instituere præsentatos, idem potest vicarius sine speciali mandato Episcopi. h.d.

§. 18. Dissimiles sunt, qvia etsi Capitulum sede vacante [c] beneficia, qvæ ad collationem Episcopi pertinent,

c *cap. 2. extr. ne sede vacante.*

tinent, conferre non poſſit: præſentatos tamen à patronis poteſt, ſi idonei ſint, admittere & inſtituere. Idem obtinet in vicario: qvia licet ſine ſpeciali concesſione conferre [d] non poſſit, præſentatos tamen inſtituere [e] minimè prohibetur.

d *cap. fin. de offic. vicar. in 6.*

e *cap. ex frequentib. ext. de inſtit.*

capitulum ſede vacante] Dixi de hoc ad tit. anteced. §. *licet autem &c.*

In Rectorem parochialis Eccleſiæ poteſt præſentari etiam non in ſacris conſtitutus, licet ſecus in libera collatione, in qva tamen poteſt diſpenſari cum eo, qvi eſt conſtitutus in minoribus. h.d.

§. 19. Sunt etiam in eo diſſimiles, qvòd in Rectorem parochialis Eccleſiæ etiam non in ſacris conſtitutus præſentari poteſt, dum modò aliàs ſit idoneus, & infra tempus à Jure conſtitutum ad ordines, qvos ipſius Eccleſiæ cura reqvirit, promoveri valeat. Collatio autem fieri non poteſt, niſi in perſona ejus, qvi ſaltem ſit in ſubdiaconatu conſtitutus: cum his tamen, qvi in minoribus ſunt ordinib. conſtituti, ſi tales ſint, qvi infra breve tempus poſſint in presbyteros ordinari, diſpenſari poterit.

c. præterea. de ætat. & qval.

qvi ſaltem ſit in ſubdiaconatu] Rationem hujus diſſimilitudinis ego aut nullam video, aut admodum frivolam. præſertim, poſtqvam in parochialibus Eccleſiis plus qvandoq; reqviritur operæ & induſtriæ, qvam in cathedralibus & collegiatis, qvæ profectò hodiè pigris & inutilibus ventribus committuntur. Ut taceam jam, ſuperſtitiosè planè & citra neceſſitatem qvandoq;, ordines ejusmodi in papatu obſervari, ut ſatius eſſet, & tùm Eccleſiæ tùm Reipublicæ multo conducibilius, ſi pauciores ordines

dines haberentur, ſed laborioſi magis, & circa miniſteria Eccleſiaſtica magis prompti. Vid. qvæ de his ordinibus dixi ſupr. *ad tit. 22. & 23.*

Patronis defertur circa honorem, & vitæ neceſſaria ſubminiſtranda. h. d.

§. 20. Defertur autem patronis non ſolùm circa præſentationem, verùm etiam circa honorem proceſſionis [f], & circa neceſſarium vitæ ſubſidium. Nam ſi aut ipſi, aut illorum filii ad inopiam redacti fuerint, illis erit modeſtè ab Eccleſia ſuccurrendum [g].

f *cap. nobis fuit. in fin. extr. de jure patron.*

g *can. qvicunqve fidelium. 16. q. 7.*

circa honorem proceſſionis] Qvâ in re honor iſte proceſſionis conſiſtat, variant Doctores. Alii talem honorem intelligunt, qvando à primicerio & aliis Canonicis patrono obviam euntibus excipitur & deducitur; qvod tamen illuſtribus ferè perſonis convenit. alii intelligunt primum locum, qvi inter Clericos ejusdem Eccleſiæ patronatæ, in actibus ſolennibus debetur. qvæ ſententia verbis textus congruere videtur omnium optimè. alii putant honorem iſtum cuivis beneficio affecti judicio relinqvendum.

neceſſarium vitæ ſubſidium] qvod debetur non ipſi tantùm Patrono, ſed & liberis ejus. Imò vero alimenta etiam ſubminiſtranda Uxori ejus, & famulis neceſſariis. Semper enim reſpicienda eſt perſona & conditio patroni, & nobili plus decernendum eſt, qvàm ignobili. Subminiſtranda ſc. ſunt alimenta honeſtè & civiliter, h. e. pro temporis uſu, dignitate & indigentiâ patroni, habitâ ſimul ratione bonorum Eccleſiæ patronatæ. Ex qvo volunt, bona & poſſeſſiones Eccleſiæ eum in finem, ut Patrono alimenta præſtentur, neqvaqvam eſſe vendenda.

Jus patronatus tollitur ceſſione, Collegii conſtitutione, Eccleſiæ deſtructione, delicti perpetratione. h. d.

§. 21. Tollitur Jus patronatus ceſſione: ut putà, cùm qvis id Eccleſiæ, in qva jus habet hujuſmodi, conferendum duxerit. Item, ſi qvis Eccleſiam ſine ſui re-

c. unico. de jure patron. in 6.

Digitized by Google

ſervatione Juris collegiatam fieri patiatur. Eò amplius conſtat, ſi ædes ſacræ incendio conſumptæ fuerint, vel etiam terræmotu, vel vitio ſuo corruerint, extingvi jus patronatus neceſſe eſt. Sed & ſi patronus auſu nefando Rectorem vel clericum ipſius Eccleſiæ per ſe, vel per alios occidere, vel mutilare auſus fuerit, tam alias pœnas, qvàm Juris patronatus amiſſionem ſubſtinere debet. Idem juris eſt, ſi patronus efficiatur hæreticus: cùm enim bona hæreticorum univerſa ſint confiſcanda [a], meritò cum iſta univerſitate etiam Jus patronatus interibit.

e. in qvibusdam. de Pœnis.

[a] *cap. urgentis. extra de hæreticis.*

ceſſione] qvæ fieri etiam poteſt compatrono, qvo tamen caſu conſenſus Epiſcopi reqviritur, cum non reqviratur, qvando Eccleſiæ fit ceſſio. Ita compatrono non poteſt cedi invito, Eccleſiæ tamen poteſt invitæ cedi. Potuit enim patronus cedens ab initio jus hoc ſuum remittere. Et ipſum totum jus patronatus non ſimpliciter favorem Eccleſiæ, ſed patroni principaliter concernit.

ſine ſui reſervatione juris] Verba hæc poſitis principiis juris Canonici, qvid ſibi velint, non ſatis capio. Præſentatio enim in Eccleſiâ Collegiatâ locum non habet, ſed electio, *c. ſacroſancta §1. X. de elect.* Atqvi præſentatio ſive jus præſentandi eſt ipſum jus patronatûs; niſi fortè per jus reſervatum intelligere velis electioni ex poſt facto accedentem conſenſum. per text. *in c. nobis §5. X. h. t. ibi: in conventuali* (i. e. collegiatâ) *Eccleſiâ non electioni prælati faciendæ, ſed jam factæ honeſtiùs Patroni poſtulatus aſſenſus.*

vel vitio ſuo corruerint] idem eſt, ſi dos Eccleſiæ aſſignata perierit, nemo enim cogitur ad ſecundam dotem vel reædificationem; ſi ergò Patronus Eccleſiam reædificare vel redotare nolit, jus patronatûs meritò amittit.

auſu,

ausu nefando] nam si ad sui defensionem occiderit, aut mutilaverit, non amittit jus patronatûs, *c. si verò X. de sent. ex comm.*

sustinere debet] & qvidem amissionem jûris patronatûs non ipse tantùm, sed etiam heredes ejus, ad qvartum usq; gradum *c. in qvibusdam X. de pœn.* & tùm jus patronatûs ad Ecclesiam devolvitur.

si patronus efficiatur hæreticus] In Romano tamen Imperio, postqvam pax religiosa coaluit, tenetur patronus pontificius Ecclesiæ, qvæ subest Principi Lutherano, nisi aliud qvid obstet, ministrùm præsentare Lutheranum. Finkelthaus *de jur. patr. c. 6. num. 73.* Lampad. *de Rep. Rom. German. l. 3. c. 11. n. 36.*

meritò cum istâ universitate] Unde regula potest construi ista: Jus patronatûs amittitur per qvodcunq; crimen, qvo omnium bonorum confiscatio inducitur. Sed hîc iterum discedit Didacus Spino â Caceres *in spec. testam. glos. 4. n. 114.* ubi discrimen facit inter judicem confiscantem; qvi, si secularis fuerit, nullam habeat potestatem in jus patronatus. Et hinc dicit non intelligi confiscatum jus patronatus sub confiscatione omnium bonorum; confiscatum autem intelligi tùm demum, si judex fuerit Ecclesiasticus. Sed enim, si verum est, qvod venditis bonis transeat simul jus patronatus in emptorem, qvid obstat, qvo minus etiam confiscatis bonis jus patronatus transeat ad fiscum? Non minus enim fiscus capax est juris patronatus, qvam Emptor.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS.

TITULUS XXIX.

Circa rubricam, de residentiâ altius ordiri sermonem necesse est. Faciam autem id verbis Petri Svavis, qvem idcircò non possum non laudare & sæpius adducere, qvod & origines rerum eruditè enucleet, & qvantum declinaverit Ecclesia Pontificia, eleganter exponat. Ita autem ille *lib. 2. histor. Concil. Trid. Gradus Ecclesiastici primâ institutione dignitates non erant, & præeminentiæ, aut præmia, aut honores, sicut â multis jam seculis, hodieqve conspiciuntur: sed ministeria, onera, â D. Paulo alio nomine nuncupata opera; & qvi ea obibant, â Christo Domino in Evangelio dicti operarii, unde nullius mentem cogitatio id temporis subire potest de absentiâ â munere per se exeqvendo, qvod si qvis operi se (qvod rarenter accidebat) subduxisset, causa nulla erat, cur ille vel titulum vel emolumentum inde aliqvod perciperet. Cum*

duo

duo tùm essent ministeriorum genera, partim qvi â verbi ministerio nomen obtinuerunt antiqvitùs, nunc verò dicuntur animarum curam gerere: alii, rebus temporalibus intenti, egenorum & infirmorum victui, vestitui, aliisqve necessitatibus vacantes, Diaconi scil. aliiqve ministri subalterni, omnes tamen ex aqvo se obligatos agnoscebant ad ministerium in propriâ personâ obeundum: neqve cuiqvam in mentem venerat vicariam operam adhibere, nisi fortean ad breve tempus, prementibus negotiis; multo minus provinciam aliam suscipere, qvæ huic esset impedimento. Auctâ vero Ecclesiâ, cum populus Christianus persecutorũ tyrannide solutus ac liber, in immensum excrevisset, institutum fuit genus aliud ministrorum, qvod in cœtibus Ecclesiasticis, legendæ sacræ Scripturæ inserviebat, aliisqve functionibus ad pietatẽ excitandam. Instituta qvoqve ministrorum Collegia, qvæ munus aliqvod in commune obirent, & alia Seminariorum instar, unde petebantur ministri, ad officium faciendum diligenter edocti. Hi qvi è Collegiis erant, cùm provinciam nullam personalem obtinerent, qvòd uno desiderato aut superaddito, ad cœtûs ministerium nihil interesset, interdum vel studiorum gratiâ, vel solidioris institutionis, vel aliâ de causâ abemnt ab Ecclesiâ, ad breve vel longius tempus, sed tùm nullius neqve tituli, neqve oneris, neqve etiam emolumenti participes. Ita D. Hieronymus Presbyter Antiochenus, sed absqve curâ speciali, & Ruffinus itidem Aqvilejensis, & D. Paulinus presbyter Barcinonensis rarò residebant. Horum dein numero augescente consvetudo illa facilè degeneravit in abusum, impositumqve illis nomen Clericorum vagantium, qvod omnibus odiosum esset illud vitæ genus, qvorum in Legibus & novellis Justiniani Constitutionibus freqvens est mentio, de titulo verò ejus muneris retinendo, aut emolumentis percipiendis, cujus nullam partem obirent, ne cogitatum qvidem ante annum â Christo nato septingentesimum. Tùm enim mutato in Ecclesiâ Occidentali ministeriorum Ecclesiasticorum statu, muneribusqve publicis, in dignitatum & honorum gradus, ac præmia servitiis debita abeuntibus; sicut olim in promotionibus Ecclesiasticis, consideratâ Ecclesiæ necessitate, inqvirebatur aliqvis huic muneri capessendo idoneus: sic post ævo, consideratâ personæ qvalitate, gradus aliqvis qvæsitus, aut dignitas aut beneficium, qvod personæ conveniret, atqve inde natus mos, opus aliqvod aut ministerium per substitutum exercendi. Atqve hæc corruptela aliam secum invexit, nempe ut existimarent, se non modo liberos & immunes ab officio ministrandi, sed ne teneri qvidem adesse & opitulari ei, qvi vicariam operã præstabat. Et certè ubi industria personæ non eligitur ad opus, sed dignitas & locus personæ conveniens, æqvum non est, ut persona ea, vel ad operandum per se, vel ad alium operantem juvandum adstringatur. Jam hac Ecclesiasticorum

rum exorbitatione ab officio, planè actum fuisset de eo ordine, nisi Pontifices Romani in parte malo ingravescenti occurrissent, edicentes, ut præsules & Curiones omnes, utcunque alios exercendo muneri suo substituerent, ipsi nihilominus iis eo in loco adesse tenerentur, idque residentiam vocarunt. Ad idipsum quoque Canonicos obligarunt: cæteros autem Clericos sacerdotiis auctos minimè constringendos putarunt, sed omissâ eorum mentione, consuetudini vel potius abusui inveterato relinquendos, quo silentio factum, uti se minimè obligatos crederent. Neque Pontificibus fraus ea spontanea fuit ingrata, qui inde aulæ suæ amplitudinem præsagiebant. Atq; hinc nata pernitiosa & nunquam satis abominata distinctio beneficiorum residentiæ & non residentiæ, quàm opere æquè ac doctrinâ secuti sunt ii, quos nunquam puditum est absurditatum, quas apertas admodum secum trahit, nempe ut titulus & salarium cuiquam, nullo suo merito detur. Imò ad eam obvelandam, potius majori opprobrio ac dedecori propinandam, Canonistæ Maximam, quâ distinctionis ejus vanitas convincitur, Beneficium omne dari propter officium, ridiculè interpretati sunt, officium esse preces horarias Breviarii, quasi obventio annua mille, imò decies mille & supra aureorum hoc solo nomine daretur, ut sumpto in manum libro, paginæ aliquot submissâ voce properante linguâ legantur, nullâ rei, sed solius verborum enunciationis habitâ ratione. Itaq; brevi tempore per istam doctorum distinctionem & Pontificum Romanorum provisionem abusus ille vehementer auxit, absque illis enim fuisset, è beneficiariis simplicibus nonnulli religioni habuissent Ecclesias suas deserere, ubi per hæc jam factum est, ut abusus ille non tolerabilis modo, sed licitus omnibus videretur. Edictum verò illud contra Curiones, valuit ad introducendam dispensationem pontificiam, nulli unquam denegatam, qui rationem esset edoctus, quâ omnia Romæ impetrantur, unde solis pauperibus, iisq; qui aliquid inde lucri captabant, residentibus, abusus, cui legibus pontificiis aliqua parte primo cautum fuerat, dispensationum ope ad culmen pervenit, & per orbem sparsus contage suâ terram infecit. &c. In sequentibus refert, quàm disceptatum fuerit in Concilio Tridentino, utrum obligatio residentiæ sit juris divini an verò Pontificii. Quæ quidem quæstio præjudicialis est multorum aliorum abusuum in Ecclesiâ Pontificiâ existentium. Conf. Duaren. *de sacr. Eccles. minist. lib. 8. c. 5.* Postquam verò Concilii Tridentini decreto residentia omnibus injuncta fuit, disputari mox cœpit, utrum sufficiat materialis tantùm residentia & corporalis mansio in loco, an verò requiratur insuper personale cujusque Clerici servitium & ministerium, ita ut ipse celebret, confessiones audiat, & Sacramenta administret. Sufficere corporalem residentiam, & posse hinc Clericum officium suum per vicarium exercere, prolixè contendit Thomas

Hurtado tr. 2. resol. 6. mirè sibi in istâ desidiæ Clericalis defensione placens, qvam ut confirmet, obligationem qvotidie celebrandi per se & non per alium dicit esse inhonestam & illicitam, *resol. 7. n. 85.*

Si conferatur beneficium non idoneo ad residendum, & provisus privandus est beneficio, & collator conferendi potestate. h. d.

§. 1. Debent [b] autem hi, qvibus Ecclesiastica ministeria sunt committenda, tales deligi, qvi & residere in Ecclesia, & curam demandati sibi officii per se ipsos valeant exercere: qvòd si aliter actũ fuerit, & qui receptus fuerit, qvod contra sacros canones acceperit, amittet: &, qvi dederit, largiendi potestate privabitur.

[b] *cap. qvia non nulli. §. cùm igitur. extr. eod. tit.*

qvibus Ecclesiastica ministeria] non curata tantùm, sed simplicia qvaliacunq;, cum universa beneficia primùm instituta sint propter officium. M. A. de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 9. c. 10. n. 14.*

per se ipsos valeant exercere] Nihil enim potiore studio dignum videtur, qvàm ut Prælati, qvi curam animarum habent, resideant & solicitam gregis sui curam gerant. *Sed ais* (inqvit Dominicus Soto, *dejust. & jur. l. 3. q. 6. art. 3. concl. 7.*) *satis est laborare per alium. Profectò si non debet manducare, nisi qvi laborat, fit, ut qvi non per se sed per alium laborat, non debeat ipse manducare, sed contentus esse, si loco illius alius manducet. Ait fortasse Parœcius beneficii possessor, satis est huic Ecclesiæ hunc vicarium substituere. Responderet autem Ecclesia, si fari sciret: Ergò satis est ei hæc, qvam tu illi tribuis, merces, cur ergò reliqvum ex me, absq; ullo servitio, surripis.* Hæc Sotus. Et sanè pastor qvi ad perpetuam gregis custodiam vigilans non excubat, non minùs graviter puniri debet, qvàm Euenius Apolloniata, cui cùm sacrarum Solis ovium custodia commissa esset, & ille noctu obdormisset, lupiq; antrũ ingressi sexaginta oves sacras jugulassent, Apolloniatæ

niatæ puniri Euenium, ὡς τὴν Φυλακὴν καθαιρεμένας, eumqve visu privari jusserunt. Herodot. lib. 9. Eleganter Damasus Papa *in epist. 4 Illi & Episcopi*, inqvit, *qvi talia præsumunt* (h. e. qvi propter suam qvietem aliis plebes suas committunt) *videntur mihi esse meretricibus similes, qvæ statim, ut pariunt, infantes suos aliis nutricibus tradunt educandos, ut suam citius libidinem explere valeant. Sic & isti infantes suos i. e. populos sibi commissos aliis educandos tradunt, ut suas libidines expleant, i. e. pro suo libitu secularibus curis inhient, & qvod unicuique visum fuerit, liberius agant. Pro talibus enim animæ negliguntur, oves pereunt, morbi crescunt, hæreses & schismata prodeunt, Ecclesiæ destruuntur, sacerdotes vitiantur, & reliqva mala proveniant. Non taliter Dominus docuit &c.*

Qvi sine causa non residet, post monitionem privandus erit, & qvæ sint justæ causæ non residendi. h. d.

§. 2. Si tamen ab initio idonei ad residendum reputati, postea Ecclesias, vel præbendas sibi concessas, sine justa & necessaria causa deserant, si moniti & congruo tempore expectati non redierint, eis privari poterunt [c]. Justæ non residendi causæ sunt: veluti, si qvis aut Romano [d] Pontifici, aut proprio Episcopo obseqvium exhibeat [e]. Item, si jura, & negotia Ecclesiæ [f] suæ fideliter proseqvatur, aut si, ut studiorum causâ abesse possit [g], est alicui specialiter indultum, & si qvæ sunt aliæ similes.

c *cap. fin. ext. eod. tit. & cap. relatũ, & cap. ex parte. & seq. d. tit.*

d *cap. cùm dilectus. extr. eod. tit.*

e *cap. de cæterο. eodem tit. extra.*

f *cap. ex parte. eodem tit.*

g *cap. relatum d. tit.*

eis privari poterunt] Vid. *Novell. Justiniani 6. c. 2. l. 42. §. 10. C. de Episc. & Cler.* Superiore sanè seculo beneficiati interdum Ecclesiis suis penè tàm rari ignotiq; erant, qvàm Hispaniarum Rex populis, qvos in Indiis imperio suo tenet. Abusum hunc tollere, & Ecclesiæ subvenire ipsi sæpè contenderunt Pontifices, sed irrito plerumqve conatu. Paulus IV. Pontifex vitam religiosam profesis in cœnobia, unde qvâlibet ex causâ exierant, præstitutâ diç nullâ morâ aut excusatione adhibitâ redire præcepit:

pit: nî id facerent, â sacrorum communione excluderentur; obtemperare detrectantibus, ut ab aliis internoscerentur, pileo aut galero lineum album filum imponere jussit. Adeoqve severè in eo edicto exeqvendo enitebatur, ut complures in Pontificis ditione satellitum manu in vincula truderentur, alii in triremes conjicerentur. Sed tanta ex ea lege hominum turbatio ac tumultus, Venetiis maximè, qvam Urbem, qvi edicto parère nolebant, aut non poterant, ad triginta millia, ut tutissimum perfugium elegerant, exortus est, ut pleriqve desperatione adacti in Turcarum oras proficisci, vel in Germaniam migrare statuerent; qvidam in ædibus delitescentes rei exitum, ac Pontificis propinqvum lethum exspectarent. Andr. Maurocen. *l. 8. histor. Venet.*

Justæ non residendi causæ sunt] Marcus Antonius de Dominis *lib. 9. de Rep. Eccles. c. 10. n. 21.* non aliam agnoscit justam causam, qvàm si qvis toti Ecclesiæ universali laboret egregiè, cum majori scil. ipsius spirituali emolumento & fructu, qvàm futurus sit fructus particularis, qvem ille parere possit in opere & officio particulari suæ Ecclesiæ particularis. Hinc igitur plurimæ corruunt causæ, qvas hîc justas ait autor. Obseqvium enim Papæ aut Episcopo præstitum temporalia sæpè concernit, aut Ecclesiastica qvidem, sed leviora & minoris momenti, qvàm ut absentiæ damnum resarciant. Nec dispensare potest Papa in iis, ad qvæ jure divino aliqvis obligatur. Jura & negocia Ecclesiæ suæ tanta sæpè non sunt, ut Ecclesiam relinqvere operæ sit precium. Studiorum autem causa nullam planè meretur excusationem; cùm aut dignus ab initio præfici debeat Ecclesiæ, aut si indignus promotus fuerit, dejici illicò eum oporteat.

Ad memoriam juvandam conducit repetitio. h. d.

§. 3. Hæc de præbendis, & dignitatibus, atqve illarum provisionibus dixisse nos sufficiat. Verùm, qvia in hoc tractatu diffusè immorati sumus, ut seqventia præcedentibus meliùs contexamus, qvædam in memoriam reducemus. Personarum ergo qvidam laici sunt, qvidam clerici. Rursus Clericorum qvidam sunt in sacerdotio constituti, qvidam in sacris

d by Google

cris, licet non in ſacerdotio, qvidam nec in ſacris nec in ſacerdotio. Eorum rurſus, qvi in ſacerdotio conſtituti ſunt, qvidam ſunt in celſiore gradu, ut Epiſcopi: qvidam in inferiore, ut presbyteri. In ſacris verò dicuntur conſtituti Diaconi & ſubdiaconi. Qvi verò nec in ſacerdotio nec in ſacris reperiuntur, ii ſunt qvi ſunt in minorib. ordinibus conſtituti. Cæterùm, qvoniam adhuc qvidam in Eccleſia ſunt, qvi non minùs in laicatu, qvàm in clericatu conſtituti domino deſerviunt, ut ſunt regulares ac monachi: reſtat, ut & de his pauca ſubjiciamus.

diffusè immorati ſumus] admodum diffusè & penè ad faſtidium. Inſtitutionum, introductionum & compendiorum hæ ſunt leges, ut elementa artis contineant, & prima qvaſi lineamenta in ſtudioſorum animis ducant, qvibus illi imbuti & inſtructi non ſine fructu in prolixioribus & difficilioribus libris deinceps verſari poſſint.

Qvicqvid præcipies, eſto brevis: ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.
Omne ſupervacuum pleno de pectore manat.

Id num præſtiterit autor, vel ex unico de collationibus titulo judicare licebit. Ut jam taceam, ipſa tota tantùm non ubiqve recitari conſtitutionum pontificiarum, verba qvorum ſenſum enucleari oportuiſſet, ſi qvidem inſtitutionum nomen volumen hoc præ ſe ferre debuiſſet.

non minus in laicatu] Monachos ab initio & origine ſuâ laicos fuiſſe, poſtea verò tùm à Gelaſio Papa, tùm deinceps à Gregorio permiſſum eis fuiſſe, ut in defectu Clericorum clericari liceret, & hinc aliqvos in monaſteriis ſuis presbyteros factos fuiſſe, refert Auguſtinus Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 43. num. 12.* Diſtincti dehinc fuérunt Monachi in Clericos & laicos.

DE REGULARIBUS AC MONACHIS,

TITULUS XXX.

Vitæ monasticæ occasionem dedit immanis Tyrannorum & Decii inprimis persecutio, qvippe per qvam adacti fuérunt pii Christiani, in solitudinibus latibula qværere, & vitæ suæ ac saluti qvomodocunq; consulere. Vid. Sozom. *l. 1. hist. Eccles. c. 13.* Nicephor. *lib. 8. histor. Eccles. c. 39.* Gregorius Nyssen. *Orat. de vit. S. Gregorii Thaumaturg. tom. 2. edit. Paris.* claruéruntq; eo tempore Paulus & Antonius, qvos vitæ monasticæ Principes facit ipse Hieronymus *in vit. Pauli.* De utroq; ita scribit Otto Frisingensis *lib. 4. c. 5. Fuérunt his diebus clarissimi regni Christi Principes Paulus & Antonius primi eremitæ, qvorum prior persecutionem Decii fugiens, ac in desertis latitare cupiens, necessitatem vertit in voluntatem, ibiq; continentissimè vivens plenus dierum moritur: alter verò & ipse sanctissimæ & arctissimæ vitæ multis ad arctioris vitæ Zelum provocatis, in pace qvievit.* Hactenus Otto, cum qvo facit Polydorus Virgilius *l. 7. de rer. invent. c. 1.* Auxit id temporis pium institutum Hilarion, Antonii discipulus, qvi primus monasticen in Palæstinam & Syriam intulit, uti *in vitâ ejus* docet Hieronymus. Secuti deinceps alii, atq; ita ex necessitate homines in solitaria latibula cogente nata fuérunt integra pietatis gymnasia. Cum enim illa vivendi ratio à vulgaribus congressibus remota, Sacrarum literarum tractationi & institutioni juventutis accommodata esse videretur, successu temporis cœnobia & monasteria constitui cœpérunt, in qvibus alumni tùm bonis literis imbuti, tùm aliis pietatis exercitiis, psalmodiis sc. jejuniis, humicubationibus, vigiliis &c: sine omni superstitione aut hypocriticâ præsumptione partim ad pietatem & cultum divinum, partim ad alacritatem, temperantiam, castitatem & alias virtutes assvefacti fuérunt. Ex qvo factum, ut ex monasteriis peterentur verbi divini & Ecclesiæ ministri, uti disertè testantur Hieronymus *in Epist. 4. ad Rusticum*, & Possidius *in vit. Augustin.* Unde & Justinianus Imp. Episcopum non ex plebe, sed aut ex Monasterio aut ex clero eligere jubet, *Novell. 6. c. 1.* Add. Claud. Espencæus *digress. lib. 3. c. 12.* Et jam ante Arcadius Imp. ex Monachorum numero Clericos ordinari voluit. *l. 32. Cod. Theod. de Episc.* ubi consulì poterit Jacobus Gothofredus. Qvàm verò mutata est rerum facies. Nunc enim Monachi explosâ re scholasticâ titulum scholarum fastidiunt ac odio habent, & omnibus modis id agunt, ne monasteria amplius scholæ sint vel fuisse credantur. Preces & psalmodias solùm ad numerum deblaterant, &

ex

ex consvetudine qvidem in idiomate peregrino, satis pietatis ac devotionis rati, ubi satis boatûs. Jejunia metiuntur carniprivio, & abstinentiam postea lautitiis compensant. Mendicant semper, qvamvis non egeant, & hoc tantùm agunt, ut Curios simulent. Otium verò Monachorum, qvod vanâ & ridiculâ contemplationis excusatione defendunt, videtur descripsisse Seneca *l. 4. de benef. c. 11. Vobis,* inqvit, *voluptas est inerti otio assvefacere corpusculum, & securitatem soporis simillimam appetere, & sub densâ umbrâ latitare, tenerrimisq; cogitationibus, qvas tranqvillitatem vocatis, animi marcentis oblectare torporem, & cibis potionibusq; intra hortorum latebras corpori ignaviâ pallentiâ saginare.* Hactenus Seneca non qvidem de monachis, sed moribus monachorum. *Qvam longè* (inqvit Georgius Cassander *in Consultat. ad Imperat.*) *Monachatus hodiè à primâ suâ origine degeneravit, & qvantis abusibus contaminatus sit, satis per se manifestum. Nam paulatim religio vera & solida in superstitionem & inanem speciem religionis conversa est: & accrescentibus opibus decrevit pietas & in ejus locum larvæ ceremoniarum succesérunt, in qvibus, verâ pietatis operibus neglectis, summa totius religionis constituta est. Si monachatus in eâ formâ perstitisset, qvæ describitur ab Athanasio & patribus, nunqvam tàm graves reprehensiones incurrisset. Manent adhuc vestigia communis & canonicæ vitæ, sed in ædificiis ac nominibus tantùm.* &c. Similia habet Claud. Espencæus *l. 3. digress. 12.* Postqvam enim laudasset monachismum veterem à scholis, qvæ tum habitæ fuerant, sic tandem de recentiore scribit: *Vix vicesimum qvodq; cœnobium licenatorem habet novitiorum, qvos vocant, in minimis elementis institutorem, tot interim totosq; dies & noctes divino onerati contentiq;, ut loqvuntur, servitio. Hos itaq;, ut habet ex Salustio qvidam, si qvi ventri sunt obedientes, animalium loco numeremus an hominum? imò qvosdam ne animalium qvidem, sed mortuorum.* Videatur idem *libr. 1. digress. c. 10.* Plures differentias monachismi veteris & hodierni eruditè congessit Carolus Molinæus *ad auth. ingressi monasteria C. de SS. Eccles. circa fin.* Cæterùm omnis ea, qvæ hodiè recepta atqve usitata est, monasticæ vitæ ratio ab Essenorum, Judaicorum Ascetarum exemplo, fluxit atqve originem habuit; id qvod facile patebit, si considerentur ea, qvæ de Essenis refert Porphyrius *lib. 4. de abstinentiâ.* Massallianis eos comparat Nicolaus Fullerus *l. 2. miscell. c. 19.* In ipso papatu plurimum hodiè Monachis insultárunt tùm alii, tùm inprimis Jesuitæ. Vid. Alphons. de Vargas *relat. de stratag. Jesuit.* & Julius Clemens Placentinus *de potest. pontif. in Societ. Jesu.* Cardinalis Bellarminus lapsum monachismum sub gemitu columbæ depictum deplorat ac lamentatur, qvem Pater Gravina Neapolitanus Dominicanus, voce tur-

turturis exultantis oppugnavit, & refutavit; huic exultanti turturi mox caveam præparavit Jacobus Kellerus.

Regulariter valet argumentum à regulari ad monachum, & contrà. h. d.

§. 1. Qvoniam verò, ſive de regularibus agendum ſit, ſive de monachis, eadem ferè Jura ſervantur, ne verboſa fiat evagatio, dirigamus ſermonem in perſonas monachorum: idem etiam intellecturi de regularibus cæteris. Nam ſi qvid in iis propriè ſervetur, ſeparatim oſtendemus.

ſive de regularibus agendum] Regulares & monachos ita inter ſe diſtingvunt, qvod hi ſoli vitæ contemplativæ operam navent, neqve prædicationi aut aliis ſe immiſceant; illi verò contemplationi non tantùm inſiſtant, verùm in actione præterea verſentur, juvantes Epiſcopos & Clericos in concionibus ac Sacramentis. Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib. 1. c. 41. n. 16.*

Ex triplici capite qvis ſit monachus, & impubes à patre traditus monaſterio, poſt annum pubertatis poteſt redire ad ſeculum, ſi velit. h. d.

a *can. monachum. 20. qv. 1.*

§. 2. Monachi[a] fiunt, aut ex paterna devotione, aut ex propria profeſſione, aut ex voti emiſſione. Ex paterna devotione[b] monachus qvis efficitur, cùm pater filios impuberes monaſterio offert. Qvo caſu, ſi impuberes ſacram tonſuram vel velamina ſuſceperint, qvinto decimo ætatis anno moneri debent & inqviri, utrum in ipſo habitu permanere cupiant; ſi permanſuros ſe profeſſi fuerint, vel profeſſionem à ſe priùs factam ratam habuerint, ulteriùs pœnitendi locum non habebunt: ſi verò ad ſecularem habitum

b *can. illud autem. 20. qv. 1.*

bitum reverti maluerint, redeundi licentia concedenda erit, qvia satis inutile est, ut coacta servitia Domino præstentur. Qva etiam ratione constitutum est, ne qvis invitus ordinari debeat.

Ex paternâ devotione] Si vota debent esse liberæ voluntatis, qvod concedit Bellarminus *lib. de monach. c. 14. §. ult.* frustra est omnis patrum devotio. Inania hæc parentum vota in genere ita reprehendit Johannes Mercerius *in Conciliatore : Novi*, inqvit, *stultas illas & inanes parentum cogitationes, qvi filiis, dum vivunt, nescio qva regna asserentes, aliis aliam vitæ rationem præscribunt, qvam sequantur, & ad vota properantes, pueris artes induunt adhuc nascentibus, hi cum adoleverint, sui juris facti, deficiunt, & non sine temporis jacturâ maximâ eò feruntur omni contentione, qvò ingenii igniculi propendent magis* &c.

sacram tonsuram] Tonsuram illam & coronam Clericalem sub necessitate qvâdam peremptoriâ & qvidem religionis causâ obtrusam nobis cupiunt Pontificii, qvasi nemini qvamvis legitimè vocato sacra facere liceat, nisi in circulum detonso. Qvod qvam superstitiosum sit, nemo non videt. *Docete*, inqvit Optatus Milevitanus, *ubi vobis mandatum sit radere capita sacerdotibus, cùm è contrario tot sint exempla proposita, fieri non debere*, *L. 2. contr. Parmen.* Sed enim à S. Petro tonsuram institutam volunt Latini, à S. Paulo Orientales Græci. Utriq; diversam. Illi in modum coronæ spineæ caput attondent; hi caput totum radunt. Vid. Jacob. Usserius *de Ecclesiar. Britannicar. primord. cap. 17. p. m. 921.* Et apud ipsos etiam Romanos eadem olim fuit tonsura & Clericorum & monachorum, cùm hodiè tonsura non modo in rasuram sit conversa, sed diversi etiam generis Monachi & Clerici gerere soleant coronam. Monachi enim totâ supra aures capitis parte abrasâ, inferiorem ad modum coronæ (puræ tamen & illibatæ, non, ut olim, spineæ) intonsam relinqvunt. Clerici vero brevi tantùm in vertice utuntur Orbe. Add. Paul. Laymann. *theol. moral. l. 5. tract. 9. cap. 12.* Duaren. *de sacr. Eccles. minister. l. 1. c. 14.* Gvid. Pancirol. *l. 1. var. lect. cap. 21.*

vel velamina] Qvi cæteris sanctiores videri volebant, atqve in his præcipuè, qvi monasticam vitæ rationem amplexi erant, vestium genus proprium ac sordibus & vilitate ipsâ notabile affectabant, qvod merito impro-

improbárunt ſancti Patres. Johannes Caſſianus *Monaſt. inſtit. lib. 1. c. 3. Qvapropter cilinam veſtem velut circumſpectam à cunctis atq; notabilem, & qvæ ex hoc ipſo non ſolum nulla ſpiritui poſſet emolumenta conferre, ſed etiam elationis concipere vanitatem, omnimodo refutárunt.* Et Beda *in vit. Cuthberti cap. 16. Veſtimentis utebatur communibus, ita temperanter agens, ut horum neq; munditiis, neq; ſordibus eſſet notabilis.* Qvanta verò ſuperſtitio eſt, veſte monaſticâ Satanæ impetum amoliri & peccata tegere velle? ſic enim hodiè in inveſtiturâ monachorum dicunt: *Benedicat Dominus huic veſti, ut ſit firma armatura contra impetûs Satanæ, & ut tegere poſſit peccata tua coram facie DEI.* Qvanta ſuperſtitio eſt, ex veſte ſanctitatem petere? id enim plurimis ſummis etiam Viris, in papatu ſolenne eſt, ut cadavera ſua in habitu monachali ſepeliri faciant. Et qvidni faciant, ſiqvidem in libro conformitatum Bartholomæi Piſani, qvi anno 1389. in generali Minorum concilio approbatus & Mediolani, per Gothardum Ponticum anno 1510. excuſus cum hâc inſcriptione, *liber aureus, pag. 78.* iſta leguntur: *Omnes ſalvantur, qvi moriuntur in ordine & ſub regulâ B. Franciſci. Franciſcus enim rogavit DEUM & impetravit à DEO, ut nullus in habitu* (cucullo Franciſcano) *poſſet malè mori, idq; explicatis ponit Bernardinus in roſario; Eadem gratia deſcendit ſuper eum, qvi habitum religionis aſſumit & ſuper eum, qvi baptizatur. Induitio cuculli dat illi plenariam remiſſionem peccatorum à pœnâ & à culpâ.* Qvanta deniq; ſuperſtitio eſt, magna pecuniæ ſumma ejusmodi exuvias monachorum coëmere? ita enim Magdeburgi 300. floren. emptum cucullum monaſticum refert D. Saccus, *Dominic. 23. Trinit.* Optimè ſtatuit Concilium Gangrenſe *can. 12.* allegato à Gratiano *c. 16. diſt. 30. Si qvis virorum putaverit ſancto propoſito, i.e. continentiæ convenire, ut pallio utatur, tanqvam ex eo juſtitiam habiturus, & reprehendat vel judicet alios, qvi cum reverentiâ birris utuntur, & aliâ veſte communi, qvæ in uſu eſt, anathema ſit.* Et qvia hîc de cucullo monaſtico dicere cœpimus, digna ſunt, qvæ hîc legantur, verba Alphonſi de Caſtro *ex lib. 1. adv. hæreſ. c. 9. Non poſſum,* inqvit, *non ſtomachari in eos, qvi ut inſtitutum ſuum laudent, non verentur coram populo jactare, & dicere, eum qvi ſemel habitum illius ordinis ſuſceperit, non poſſe in fide errare. nonne aperta eſt hæc blaſphemia, cum per hoc magis videatur tribuere hâbitui, qvam fidei, aut gratiæ DEI? eſtne fortè potentior habitus iſte, qvam fides ipſa aut gratia DEI? Abſtineant ergò, & tales nænias poëtis cantandas relinqvant, & populo meliora prædicent. Teſtor DEUM, non mentior, nam præſente me in concione publicâ ad populum, prædicans in die, qvo agitur ſolennitas ſancti, qvi ordinem inſtituerat, dixit, fraternitatem ſuam & ſocietatem laudibus extollere volens, eum qvi ſemel habitum illius religionis induerit, non poſſe eſſe hæreticum, & ab aliis pluribus*

accepi,

accepi, se eadem verba audivisse ab hominibus ejusdem Ordinis, cum eâ de re populo sermo fieret. Ego quidem dum audirem, abominatus sum hominis audaciam, & impudentiam & exsecratus sum &c.

qvinto decimo ætatis anno] Qvia inter vota monastica Pontificii referunt votum perpetuæ continentiæ, negari neqvit, pueros qvindecennes minus adhuc habiles esse ad ejusmodi votum concipiendum. In tali voto enim reqviritur multorum annorum experientia, ut voturo constet, an etiam donum continentiæ, qvod perpaucis contingit, sortitus sit, ne temerario ausu laqveum sibi injiciat, & continuis ustionum flammis se exponat. Et proinde Concilium Romanum sub Sylvestro *can. 10.* prohibet velari sanctimoniales ante annum 72. Concilium Cæsar-Augustanum *can. ult.* & Agathense *can. 13.* sanctimoniales ante annum 40. velari vetant. Concilium Carthaginiense III. *can. 4.* & Africanum IV. qvod citatur *can. placuit 20. q. 1.* constituunt annum 25. Sic vota juniorum improbant Ferus *in Matth. c. XIX.* & Cassander *in consultat. art. 23.*

pœnitendi locum non habebunt] Dicam infr. ad §. *Is igitur.*

ut coacta servitia] Sed profectò non minus coacta erunt servitia ejus, qvi, postqvam in ætate minore professus fuit, dono continentiæ instructus non est.

Si impubes præter parentum voluntatem monasterium fuerit ingressus, possunt parentes intra annum reclamare. secus, si sit pubes. h. d.

§. 3. Qvòd si[c] impubes præter parentum voluntatem tonsuram accepit monachalem, parentes id factum irritare valent: sed si intra annum ad proprium Episcopum, vel alium competentem judicem non reclamaverint, revocare amplius non poterunt. Si verò in grandiori ætate adolescentes servire Deo elegerint, non est potestas parentibus prohibendi.

[c] *cap. 2. extr. de regular.*

Qvod si impubes] Rectè qvidem hoc, qvod parentes revocare possint & irritum reddere factum ab impubere filio commissum; sed minus rectè, qvod eis id liceat tantùm intra annum, cùm etiam post annum plenam arbitrii libertatem non accipiat filius, sed adhuc tum parentum potestati subjectus sit, eò qvod justum & deliberatum animi judicium, qvale reqviritur in voto, nondum habeat.

non est potestas parentibus prohibendi] Ita etiam Justinianus *in l. 56. C. de Episc. & Cler. & Novell. 123. c. 41.* ut nesciam, utrum defendi possit, qvod asserit Cujacius, integram esse patri vindicationem filii, qvi inconsulto patre devovit se monasterio. in *paratit. Cod. de emanc. libb.* ubi simul per monachismum non solvi patriam potestatem, contendit, qvem seqvitur Rittershusius *ad Novell. part. 1. c. 6. n. 46.* dissentientibus licet plerisq; omnibus. Qvicqvid sit, antiqva admodum hæc est superstitio, qvâ monastica vita filiali præfertur subjectioni, cum tamen verbo divino severè hæc præcepta sit, illa præcepta non sit. Et piè admodum pet Concilium Gangrense *can. 16.* anathematis fulmine filii percutiuntur, qvi prætextu religionis parentes deserunt, iisq; debitum honorem non reddunt.

Professio est duplex, tacita & expressa, & potest fieri etiam ante annum. hoc dicit.

§. 4. Propria professione monachus efficitur qvis, aut expresse, aut tacitè. Expresse, ut si qvis post annum probationis habitum suscipiens monachalem, regulis monasterii obstringi se velle profitetur. Si tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum [a] is, qvi converti desiderat, habitum recipit, & professionem emittit, Abbate per se vel per alium professionem recipiente, regulari observantia obligatur, & verè monachus est censendus.

[a] *cap. ad Apostolicam. ext. eod. tit.*

post annum probationis] Sed profectò ad id, ut certus qvis

qvis esse possit de continentiæ dono sibi concesso, non sufficit annus unus, nec item alter, nisi longâ qvis jam ante experientiâ suas edoctus fuerit & probaverit vires.

profitetur] Profiteri dicitur, ut monachus, qvi hæc tria vota præstat: votum castitatis, sive continentiæ perpetuæ, votum paupertatis & votum obedientiæ. Didac. Spino a Caceres *in specul. testam. in gloss. 12. princ. n. 1. 2.* At omnia ista vota tùm contra Scripturam sunt â Pontificibus inventa, tùm impossibilia, qvia de materia impossibili, qvæ in manu hominis & liberi arbitrii non sunt, tùm deniqve damnabilia, qvia superstitiosa, in illâ scil. papali fide, qvæ superstitione, idololatriâ & multis aliis scatet vitiis.

is qvi converti desiderat] Convertendi vocabulum hîc latè accipitur, & denotat omnem illum, qvi monasticam vitam profiteri intendit. Aliàs discernuntur ab Canonistis Monachi & conversi, qvod Monachi in choro per Ecclesiasticos ordines divinis officiis inserviant, conversi Ecclesiasticis ordinibus non insigniantur, nec in choro deserviant, sed ad differentiam monachorum sive religiosorum laici & fratres Laici dicantur. Barbos. *de jur. Eccl. lib. 1. c. 43. n. 3.* Alii tamen, inter qvos P. Laymannus *theol. moral. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 4.* distingvût inter fratres Laicos, conversos, & oblatos sive donatos. *Illos* vocant, qvi communè cũ aliis religiosis regulâ profitentur, eosqve verè religiosos esse. *Conversos* dicunt, qvi mutato seculari habitu & assumpto regulari, qvamvis distincto â cæterorum religiosorũ habitu, alicui Ecclesiæ vel Religioni se devoverũt, emisso voto simplici saltem continentiæ, interdum etiam obedientiæ & paupertatis. Et hos qvidem Ecclesiasticas esse personas, non tamen propriè religiosos, qvod non profiteantur regulam & observantias ordinis, neqve illa vota sua emittant tali conditione, ut per ea constituantur sub regulâ religionis â summo Pontifice approbatæ. Idcircò etiam validè matrimonium contrahere, qvamvis non licitè propter votũ continentiæ simplex. *Oblatos* deniqve seu *donatos* dicunt, qvi nullâ factâ mutatione habitûs, neqve emisso votô continentiæ aut obedientiæ in domibus suis manent, sed ad majoris tamen meriti cumulum bona sua religioni dicarunt.

regulari observantia obligatur] Non obstante, qvod ante unius anni probationem monachum fieri regulariter sit interdictum. Multa enim fieri prohibentur, qvæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. *c. ad apostolicam 16. X. de regularib.*

Ex causa post annum potest professio differri, ut si ingressus monasterium sit incognitus. Et servus triennio in monasterio commoratus, per monachationem fit liber. h. d.

§. 5. Qvemadmodum autem discretus Abbas ex causa ante probationis tempus professionem recipere potest, ita ex causa interdum proferre. Unde [b] siqvis incognitus monasterium ingredi voluerit, ante triennium monachalis habitus concedendus non erit: ne, si fortè post annum statim præstetur, postea servus, aut aliàs inhabilis ad monasterium deprehendatur. Qvòd si servus per triennium in monasterio commoratus, postea monachus effectus fuerit, ex hoc liber etiam efficietur.

[b] *can. si servus dist. 54.*

Qvod si servus] Votum est actus hominis cujus ipse habet facultatem. Liber ergo esse debet homo, qvi votum suscipit. Qvia autem servi liberam ejusmodi voluntatem non habent, non possunt sine consensu eorum, qvibus obedientiam debent, votum suscipere.

Ordinatus ignorante domino, si fiat monachus, fit liber: aliàs dominus potest intra annum recipere servum. h. d.

§. 6. Qvinimmò [c] si priùs ignorante domino ad sacra ministeria ordinatus, monachus fieri elegerit, jugum servitutis evadet: aliàs intra unius anni spacium domino & servilem fortunam probare, & servum suum recipere licebit.

[c] *can. si serv. ubi Gled. dist. 54.*

jugum servitutis evadet] Plus igitur potest monachismus, qvàm ordo, cum tamen per hunc plus conferatur Ecclesiæ, qvàm per illum. Conf. qvæ dixi ad tit. 25. §. ratione subjectionis.

Pra-

Prædicatores, Minores, & Mendicantes, non possunt profiteri ante lapsum anni, & recipientes professionem puniuntur. h. d.

§. 7. Qvod[d] tamen de facultate recipiendi ante annum professionis dicitur, non est perpetuum. Prædicatores enim & Minores, aliiqve mendicantium ordines ante annum probationis elapsum, qvenqvam ad sui ordinis professionem, vel seculi renunciationem faciendam, recipere non possunt, qvòd si fortè contra fecerint, & is qvi sic receptus fuerit, eorundem ordini minimè alligabitur, & receptores à receptione ad professionem qvorumlibet suspensi, tam ex communicationi, qvàm aliis pœnis, qvæ hujusmodi regularibus pro culpis infligi solent, gravioribus subjiciendi erunt.

d *cap. constitutionem. eodem titul. in 6.*

Prædicatores enim & minores] De his ordinibus eorumqve origine vid. Jacob. Usser. *de Christianar. Eccles. succes. & stat. c. 9. n. 9. seqq.*

aliiqve mendicantium] Ordines mendicantium verè & propriè qvatuor sunt, videlicet Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, qvibus per specialia privilegia annumerantur adhuc alii, de qvibus Augustin. Barbos. *de jur. Eccles. l. 1. c. 41. n. 208. seqq.* Qvantas autem orbi Christiano illi dent molestias, vid. qverelam civitatum in Comitiis Spirensibus apud Sleidan. *lib. VI.* Eleganter eos describit Polydorus Virgil. *de invent. rer. l. 7. Porrò*, inqvit, *hodie viget omnis generis fraudulentorum hominum secta, qvi simul industriæ, simul laboris fugientes, qvo plus sanctitatis præ se ferunt, hoc intrinsecus dissolutiores ipsos deæ sacerdotes æmulantur, qvippe qvi per insidiosam pietatem, tanqvam divorum omnium ministratores, dolis apprimè instructi, hic pro templi ædificatione, alter pro vestimentis coëmendis alius pro alendis pauperibus, alius pro redemptio-*

ne

ne captivorum, nonnulli pro educandis exposititiis, circumeuntes castella, pagos, villas ab hoc credulo rustico blandulè poscunt, & cupidissimè accipiunt ovem, lanam, agnum, hædum, ab illo gallinam & ova, ab alio porcellum vel pernas, ab alio caseum & linum, ab alio superstitiosè attonito tritici sestarium aut cadum vini, vel olei lecythum. Ad hæc, aut sanctorum reliquias, vel apostolicas tabellas, seu quorundam antistitum chirographa vetustate assiduoque usu passim obliterata, è pyxide depromunt, illaque magnâ cum veneratione, offerentibus osculanda porrigunt, porrigentes pro datis munusculis vitam cunctis cœlestem. Sic ejusmodi rusticanis donis onusti prædam vendunt, in argenti laminam conflant atque mox domum redeunt, gaudentes, quod simplicia rusticæ plebis corda ac pias mulierc ularum mentes illuserint gnaviter. Cæterùm mendicantes propriè Monachi non sunt, eò quod assiduè inter homines versentur, cum tamen monachi nomen propriè competat illis, qui vitæ contemplativæ dediti sunt. Valens. *h. t. §. 1. n. 3.*

Delatio habitus tacitam ostendit professionem, & unusquisque debet se conformare cum habitu, quem gerit. h. t.

§. 8. Tacitè profitetur quis, cùm idoneis conjecturis apparet[e], quod perpetuò vult domino in religione servire, & vitam ducere monachalem: ut putà, habitum post annum retinendo, ubi is novitiis & professis communis & indistinctus est[f]: vel professorum habitum suscipiendo, ubi is distinctus habetur. Unde & Toletano Concilio inductum est, ut clerici, qui se fingunt habitu & nomine monachos, & non sunt, corrigantur & veri monachi fiant.

[e] *cap. statuimus. extra. eod. tit.*

[f] *cap. 1. §. 1. eod. tit. in 6. cap. ex parte. extr. eod. tit.*

Tacitè profitetur quis] De tacitâ hâc professione actum in Concilio Tridentino, & constitutum, ut superior religiosus anno probationis finito teneretur aut novitium dimittere, aut admittere ad profitendum. A quâ tamen constitutione excepti sunt Jesuitæ. Vid. Petr. Svav. *in hist. Conc. Trid. l. 8. pag. 895.*

& indistinctus est] Vult tamen hoc casu Gregorius IX. Pontifex,

ted by Google

fex, ut benedicantur vestes professorum, ut ita per benedictionem novitiorum habitus à professorum habitu discernatur. *c. statuimus 23. X. h. t.*

vel professorum habitum suscipiendo] Atqui monachum non habitus, sed professio facit. *c. porrectum 13. X. h. t.* Sed respondet Papa, nisi per annum eum gestaverint, aut post annalem usum habitûs novitiorum, habitum professorum susceperint *c. ex parte 22. X. h. t.*

Ponit differentiam inter expressam & tacitam professionem. h. d.

§. 9. Utrùm autem qvis expresse professus fuerit, an tacitè, interdum multum interest. Expressa enim professio, etiam seculari habitu non mutato[a], illi religioni præcisè obligat, qvam qvis professus fuerit. Tacitè[b] verò facta infra probationis annum, per habitûs, qvi profitentibus tantùm datur, susceptionem, non illi specialiter, cujus est susceptus habitus, sed generaliter religioni recipientem obligat, dum tamen legitimæ sit ætatis, ac sciens, ac prudens triduo in ejus habitus delatione perseveret.

cap. constitut. h. t. in 6.

a *cap. non solùm. §. sed expresse. de regularib. in 6.*

b *d. cap. non solùm. §. facilè.*

cap Consulti v. in primo cas. h. t.

illi religioni] Religionem κατ' ἐξοχὴν dixêre Pontificii certam Monachorum sectam, aut ordinem.

Beneficium non vacat per religionis ingressum aut professionem, nisi de consensu ingressi. h. d.

§. 10. Etsi contigerit, eum, qvi religionem ingreditur, beneficium retinere[c], intra probationis annum non erit alicui conferendum: sed interim per alium assignata sibi congrua de proventibus portione, beneficio

c *cap. beneficium. eod. tit. in 6.*

neficio inſerviendum erit. Si tamen ingreſsi ad id accedat aſſenſus, aut qvòd vitam mutare voluerit, liqvidò appareat, aut legitimam profeſſionem emiſerit, beneficium alteri liberè conferri poterit.

liberè conferri poterit] Non igitur poteſt religioſus retinere beneficium. Qvid ita? qvia ſcil. præſtitit votum paupertatis. Qvaſi verò, qvi beneficium habet, bonorum fructuumqve fiat dominus. qvem non eſſe, ne dubitatum qvidem inter veteres, dicit Comitolus Jeſuita *Reſp. mor. lib. 1. q. 70.* ubi novam & periculoſam vocat ſententiam Dominici Soto & ſeqvacium, dominium adſtruentium. Poſito tamen & hoc, disqvirunt Canoniſtæ, de religioſo ad aliqvod beneficium promoto, qvale jus ei competat, & communiter reſpondent, talem profeſſum, tametſi non fiat dominus fructuum, poſſe tamen de illis æqvè diſponere, ac beneficiarium ſecularem, h. e. congruam ſuſtentationem ſibi applicare, ſuperflua autem teneri ad pios uſûs expendere. Ita Chriſtoph. Haunoldus Jeſuita *diſp. de contract. art. 6. n. 75.* Stante hoc, non videntur incompatibilia, votum paupertatis vovere, & retinere beneficium. Eodem modo putant Pontificii, poſſe Dominicanos affectare locum honoratiorem ante Franciscanos, non obſtante, qvod renuncient omnibus bonis externis & ſic etiam honoribus & præeminentiis. Non enim renunciare eos honori, qvi ob virtutem debetur, ſed tantùm illi, qvi ad exteriorem oſtentationem & apparatum defertur. Martin ab Azpilcuet. Navarr. *tom. 1. concluſ. 5. n. 47.* At profectò magis ad bona, qvibus renunciatur, pertinet honor ille, qvi ob virtutem debetur, cum alter, qvi oſtentationi inſervit, non debeatur, nec ergò in bonis ſit.

Qvi vitam regularem vovit, monaſterium ingredi debet, non obſtante qvòd fuerit prælaturam conſecutus. h. d.

cap. porrectũ. h. t.

§. 11. Is qvoqve, qvi votum de ingreſſu religionis compos mentis emiſit, ut monachus fiat, cogendus erit. Usqve adeò enim Deo voti ligat emiſſio, ut etiam

etiam siqvis post votum prælaturam fuerit consecutus, Domino tamen promissa reddere sit compellendus.

Is qvoqve qvi votum] At si vota ipsa monastica impia sunt & irrita, etiam votum de ejusmodi votis nuncupandis impium erit & irritum. Mutari ergò istud & rescindi optimo jure potest. Canones enim ipsi docent, in omni voto jus superioris excipi, ergo multo minus hæc vota monastica contra mandata & ordinationem DEI concepta valere possunt aut debent. Qvod si mutari ea non possent, neq; Romanis Pontificibus dispensare circa ea liceret, cum non liceat homini obligationem, qvæ simpliciter est juris divini, rescindere.

prælaturam fuerit consecutus] Atqve hîc erat olim monasteriorum scopus & finis, ut ex iis haberi possent Viri ad Ecclesiastica officia idonei & sufficientes, qvi finis pessimè interversus est.

Per votum solenne derogatur simplici. h.d.

§. 12. Illud qværi potest, Si qvis post votum [d] de certa religione intranda emissum, aliam religionem etiam laxiorem ingrediatur, & in eadem profiteatur, ibidémne possit, voto non obstante priore, licitè remanere? in qva specie, cùm per secundum solemne votum priori simplici derogari potuerit, responsum est, posse monachum in ea Religione, in qva professus est, remanere: eidem tamen pro voto non completo, pœnitentiam imponendam. Est autem in proposito votum simplex, qvod non est aliqva professione munitum. Solenne verò est,

d *cap. pen. eodē tit. in. 6.*

qvod qvis per professionem tacitam, vel expressam comprobavit.

per secundum solenne votum] Vid. qvæ notavi infr. *lib. 2. tit. 12. §. item voti solennis.* Sanè distinctio hæc, positâ voti validitate, conscientiam tutam reddere neqvit. Utrùm enim soleniter an simpliciter votum conceptum fuerit, utrobiq; votum nuncupatum fuit DEO, & ex hâc nuncupatione oritur obligatio, ita ut vovens actum semel qvomodocunq; promissum sine peccato intermittere haud possit. Scilicet ad votum DEO nuncupandum sufficit promissio interna. Externa autem professio, qvæ verbis fit aut signis, nõ est de essentiâ voti, utilis tamẽ ea est tùm ad ipsius voventis excitationem, tùm adcontestandũ alios, ut non solũ propter timorẽ, DEI sed etiam propter reverentiam hominum â fractione voti desistat, ut loquitur Thomas *2. 2. q. 88. art. 1.* Cur igitur votum professione firmatum fortius esse debeat voto simplici, causæ nihil apparet.

Semel factus monachus, cogitur remanere in monisterio. h. d.

c. 1. h. t. in 6.

§. 13. Is igitur, qvi legitima in ætate constitutus, habitum semel induit spontè, religiosum propositum ultrò susceptum deserere non poterit, sed proprio Abbati obediens, in castitate in proprio deget monasterio.

deserere non poterit]Monachi olim monasterio non fuerũt adeò alligati, qvin licuerit eis stationẽ mutare, & vel functionem aliqvã Ecclesiasticam capessere vel aliã aliqvã professionẽ suscipere & instituere. Ita n. Dracontio qvi Episcopatũ Alexandriæ metu cõtrahẽdi matrimonii, â qvo abstinere secũ decreverat, fugiebat, rescribebat Athanasius *in Epist. Multi qvoq; ex Episcopis matrimonia non inierunt, Monachi contra parentes liberorum facti sunt: qvemadmodum vicissim Episcopos liberorum patres, & monachos generis potestatem qvæsivisse animadvertes, & clericos bibisse & monachos jejunasse.* ἔξεστι γὰρ καὶ ἔτως, καὶ ἐκείνως δ' ἀκωλύτως, *i. e. sic enim licet, nec illo modo prohibetur.* Qvibus verbis utrumvis licitum, neutrum interdictum fuisse testatur. Idem patet ex Chrysostomo, qvi *lib. 3. adversus vituperatores vitæ monasticæ* sic inter cætera loqvitur: *Nonne agricolas videris,*

ut cæ-

ut etiam cum satis properant laborum fructus carpere, acerbos tamen eos nunquam metere sustineant. Ergo ne nos quidem intempestivè liberos nostros ab desersi commorationè revocemus, verum studii cœlestis disciplinam in eis solidari permittamus, altisq; radicibus arbusta firmari: & sive decem annos sive etiam viginti nutriendi illi sint in Monasterio, non perturbemur, non mœrore ullo afficiamur. Quanto enim amplius fuerint in scholâ virtutis exercitati, tanto ampliores vires adipiscentur. Hæc ille. Ex quibus simul patet, quam proficua Ecclesiæ & Reip. eo tempore fuerit res monastica, quæ si in eodem statu permansisset, vix esset, quod reprehendere hodiè liceret. Verùm successu temporis præter alia βρόχυματα accessit etiam vinculum vel potius laqueus trium votorum, quo Monachi vitæ Monasticæ sic adstringuntur, ut postquam semel ingressi fuerint, nulli liceat citra reatum perjurii ei renunciare aut statu monastico relicto aliam professionem capessere. Cujus quidem captivitatis autor perhibetur fuisse Benedictus, Monachorum Italicorum proavus, de quo sic scribit Polydorus Virgilius *l.7.c.2. Benedictus, à quo Ordo monasticus tribus votis adstrictus fuit, quiq; primus ea vota introduxit, vestitumq; religiosum cum novo vitæ modo, sparsos & solivagos ad id tempus monachos in unum contraxit cœnobium, mores & vitam tribus munitam votis, quæ prius non fuerant, quam Basilius cum certâ vivendi formulâ constituisset in oriente, instituit.* Et nescio sanè, utrum superstitiosum magis, an onerosum sit decretum papæ, quod legitur *c. placuit 16. q.1.* his verbis: *Placuit communi nostro concilio, ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat. neq; pœnitentiam dare neq; filium de baptismo accipere, neq; baptizare, neq; infirmum visitare, neq; mortuum sepelire, neq; ad Ecclesiam secularem transire, neq; aliis qualibuscunq; negociis sese implicare. Sit claustro suo contentus: quia sicut piscis sine aquâ caret vitâ, ita sine monasterio monachus. Sedeat itaq; solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Agnoscat nomen suum, μόνος enim græcè, Latinè est unus. ἄχος græcè Latinè est tristitia & dolor sive mentis ægritudo, unde dicitur monachus i. e. unus tristis. Sedeat ergò tristis & officio suo vacet.* Vide quæso mihi insaniam. Opera pietatis & charitatis, veluti sunt absolvere à peccatis, baptizare, ægrotos visitare, piè defunctos sepelire, Ecclesiæ sua officia præstare & probare, ad quæ olim juventus in Monasteriis educabatur, interdicunt, & miserum hominem ad angulum, ad ultroneam paupertatem, ad cœlibatum, ad tristitiam, ad speculationes, ad horas canonicas, h. e. ad boatûs Baaliticos damnant.

proprio Abbati obediens] Obedientia ista reprehendenda

minimè esset, nisi cœcam eam facerent,& planè brutam. Qvod igitur de eâ nuncupatur votum, non periculosum tantum est, sed indiscretum etiam & planè damnabile. Fac enim prælatum hæresi infici,aut apostasiâ,&talia qvoqve,qvæ hæresin sapiunt, subditis præcipere, utiq; si subditus nullo facto examine obtemperare, aut nisi obediat, puniri debeat,ex cœcâ hâc obedientiâ qvanta enasci possint mala, nemo non videt.

deget monasterio] Consvevérunt tamen Monachi qvandoq; nimium qvantum exspaciari, rebus alienis sese immiscere,& nihil minus qvàm regulam observare. Eapropter non immeritò jam dudum Ludovicus Vives *in lib. 7. Augustini de Civ. Dei c. 26.* de corruptione statûs monastici & de hypocrisi, luxu, & πολυπραγμοσύνη monachorum conqvestus: *hos demum,*ait,*religiosos,si diis placet,nominant,qvod cucullo sint amicti: qvasi verò nos simus irreligiosi & non omnes una capiat catholica religio, qvicunq; mystica sumus abluti aqvâ.* Eò faciunt, qvæ falsè sed verè scribit Erasmus *in encomio Moriæ,* nec enim pigebit hîc ea legere, qvanqvam prolixiora sint, qvod ideam statûs monastici hodierni graphicè depingant. *Ad horum felicitatem,* inqvit,*proximè accedunt ii, qvi se vulgò religiosos ac monachos appellant, utroq; falsissimo cognomine, cum & bona pars istorum longissimè absit à religione & nulli magis omnibus locis sint obvii. Iis non video, qvid possit esse miserius, nisi ego* (Moria) *multis modis succurrerem. Etenim cum hoc hominum genus omnes sic execrentur, ut fortuitum etiam occursum ominosum esse persvasum sit, tamen ipsi sibi magnificè blandiuntur. Primum summam existimant pietatem,si usq; adeò nihil attigerint literarum,ut ne legere qvidem possint. Deinde cum psalmos suos,numeratos qvidem illos, at non intellectos asininis vocibus in templis derudunt,tùm verò se putant divorum aures multa voluptate demulcere. Et sunt ex his nonnulli,qvi sordes ac mendicitatem magno vendunt,proq; foribus magno mugitu panem efflagitant, imò in nullis diversoriis,vehiculis,navibus non obturbant, non mediocri profectò reliqvorum mendicorum jactură. Atq; ad eum modum homines svavissimi sordibus, insciti â, rusticitate, impudentiâ, apostolos, ut ajunt,nobis referunt. Qvid autem jucundius,qvàm qvod omnia faciunt ex præscripto, qvasi mathematicis utentes rationibus, qvas præterire piaculum sit. Qvot nodos habeat calceus, qvo colore singula,vestis qvot discriminibus varieganda,qva materia, qvotq; culmis latum cingulum, qva specie & qvot modiorum capax cucculla, qvot digitis latum capillitium, qvot dormiendum horas. Atq; hæc qvidem æqvalitas in tanta corporum & ingeniorum varietate, qvam sit inæqvalis, qvis non perspicit? Et tamen his nugis non alios modo præ se nauci faciunt, verum invicem alii alios contemnunt,atq; homines apostolicam charitatem professi,ob aliter cinctam vestem,ob colorem paulo fusciorem*

Digitized by Google

orem, omnia miris tragœdiis miſcent. Ex his videas quosdam adeò rigidè religioſos, ut ſummâ veſte non niſi cilicinâ utantur, intimâ Mileſia, alios contra, qui ſupernè linei ſint, intimè lanei. Rurſum alios, qui pecuniæ contactum ceu aconitum horreant, nec à vino interim nec à mulierum contactu temperantes. Denique mirum omnibus ſtudium, ne quid in ratione vitæ conveniat. Nec illud ſtudio eſt, ut Chriſto ſimiles ſint, ſed, ut inter ſe diſſimiles. Porro magna felicitatis pars eſt in cognomentis, dum hi ſunigeros appellari ſe gaudent, & inter hos alii Coletas, alii minores, alii minimos, alii buliſtas, rurſum hi Benedictinos, illi Bernardinos, hi Brigidenſes, illi Auguſtinenſes, hi Gvilhelmitas, illi Jacobitas, quaſi verò parum ſit, dici Chriſtianos. Horum magna pars in tantum ſuis nititur ceremoniis, & hominum traditiunculis, ut putet unum cœlum parum dignum eſſe tantis meritis præmium, haud cogitantes futurum, ut Chriſtus contemptis his omnibus ſuum illud ſit exacturus præceptum, nempe charitatis. Alius oſtentabit aqvaliculum omni piſcium genere diſtentum. alius pſalmorum centum effundet modios. alius jejuniorum myriadas annumerabit, & toties unico prandio penè diſruptum imputabit alvum. alius tantum ceremoniarum acervum proferet, qvantus vix ſeptem onerariis navibus vehi poſſit. alius gloriabitur ſexaginta annos nunqvam attactam pecuniam, niſi digitis duplici chirotheca munitis. alius cucullam ingeret adeò ſordidam & craſſam, ut nullus nauta ſuo dignetur corpore. Commemorabit alius ſe plusqvam undecim luſtris ſpongiæ vitam egiſſe ſemper eidem affixum loco. alius raucam aſſiduo cantu vocem adducet. alius lethargum ſolitudine contractum. alius lingvam jugi ſilentio torpentem. &c.

Monachus non poteſt aliqvid proprium habere, nec contra hoc poteſt Papa diſpenſare. h.d.

§. 14. Sed[a] nec aliqvid proprium poſſidere debet: &, ſi qvid habet, totum in continenti reſignabit. Nam abdicatio proprietatis adeò eſt annexa regulæ monachali, ut contra eã nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere. Et ſi proprietas apud qvenqvam inventa fuerit in morte, is eſt Chriſtiana ſepultura privandus, & ſepultus exhumandus: prout etiam beatus Gregorius ſe feciſſe narrat.

[a] *cap. cùm ad monaſterium. extra. de ſtatu monachor.*

aliqvid

aliqvid proprium posſidere debet] Superſtitioſæ huju
& ſupererogatoriæ paupertatis hiſtoriam eruditè contexuit Chemnitius
Loc. theol. loc. de paupertat. Et profectò falluntur, qvi præiviſſe exempl
ſuo Salvatorem, & oſtiatim mendicaſſe contendunt. Vid. Richard. Mont
cut. *de orig. Eccleſ. part. 1. ad ann. Chriſti XII. n. 18. ſeq.* Peculiare verò hic h
bent Fratres Minores, qvippe qvi bonorum omnium poſſeſſionem & pro
prietatem tùm communiter tùm ſingulariter abdicant, cùm in aliis ordin
bus non niſi ſinguli dominio, qvod interim toti ſodalitio ſervatur integrum
renunciare ſoleant. Qvæ res tantas deinde in Eccleſiâ pontificiâ turba
dedit, ut non inter ſe tantùm ſummi colliderentur pontifices, Nicolaus ſe
licet III. & Johannes XXII. dùm planè adverſas edidérunt decretales, ſe
plurimi etiam, inter fratres Minores, qvod ſententiæ ſuæ tenaciores eſſen
comburerentur. Cum enim urgerentur Minores, qvod nemo qvi ſe vi
vum velit, uſum rerum ſuſtentandæ vitæ neceſſariarum abdicare poſſit, ha
rum a. pleræq; & maximè neceſſariæ ipſo uſu cõſumantur, & propterea ſin
dominio & jure proprietatis ad uſum licitè transferri neqveant, & hinc cõ
cluderetur, aut omni uſu ſegregato moriendũ eſſe, aut res ad uſum illicitè
injuſtè adhibendas, nempe qvarũ utendarum nullũ jus ſit, aut deniq; regul
violari oportere; expropriationem igitur illam laqveum conſcientiis inji
cere, & proinde illicitam, inobſervabilem, & diſcriminoſam eſſe; illi ver
uſum rerum neceſſariarum à jure utendi & huic connexâ proprietate & do
minio ſeparabilem conſtituerent, judicem ſe interpoſuit Nicolaus tertius
& pro fratribus Minoribus pronunciavit, *c. exiit qvi ſeminat 3. de V. S. in*
At contra Johannes XXII. ſimplicem uſum facti in rebus uſu conſumptibi
libus ſc. ad victum neceſſariis à proprietate & dominio ſeparari poſſe nega
Extrav. 4. & 5. & ſententiam Nicolai atq; Fratrum Minorum erroneam &
hæreticam declarat. Cumq; nihilominus pertinaciter ſententiam tueren
tur minores, & Generalis eorum Michael Cæſenas generale capitulum cele
braſſet Peruſii, ibiq; ex conſenſu omnium declarationem promulgaſſet
qvam refert Alvarus Pelagius *de planct. Eccleſ. lib. 2. c. 62.* non dejectus tan
tùm ille fuit Generalis, ſed plurimi etiam ex Minoritis combuſti. Vid. Abra
ham. Bzovius *ad ann. 1323. n. 13. ann. 1337. n. 3. ann. 1354. n. 18.* Sanè qvomodo
cunq; ſuam illam expropriationem pallient Minoritæ, proprietatem tame
rerum ad victum neceſſariarum abdicare, phyſicè & moraliter impoſſibil
eſt. Verus enim & proprius panis viniq; uſus eſſentialiter poſitus eſt in de
ſtructione ſubſtantiæ, exemtione eorum à cujusvis alterius poteſtate, & uſ
atq; translatione in ſuum unius uſum. alterius namq; ſi fuerit, injuſtè i

ſuu

ſu in uſum transfertur. At qvi talem verum & proprium uſum habet atqve exercet, is neceſſariò habet jus dominii & proprietatis in panem & vinum, qvia jus conſumendi non poteſt conſiſtere ſine jure dominii & proprietatis in ejus rei ſubſtantiam, qvemadmodum etiam mutuum ſine translatione in alterius dominium perfici neqvit, cum principalis finis mutui hic ſit, ut uti mihi liceat pecuniâ mutuo datâ. Cum igitur non Minores tantùm, ſed omnes in universum Ordines etiam illi, qvi dominium in communi non refugiunt, ſed ſingulariter tamen proprietates rerum ejurant, in iis qvæ ad victum neceſſaria ſunt, nullum ſine proprietate uſum habere qveant, nulla prorſus eſt, qvam ambitiosè & multo cum ſupercilio, magnoq; merito jactitant, bonorum abdicatio. Nec profectò eſt, qvod de paupertate ſuâ multum glorientur Monachi. Ita enim Zozymus *lib. 5. hiſtor. Illi*, inqvit, *legitimis nuptiis abſtinent, & populoſa collegia complent hominibus innuptis, & dum paupertatis votum præferunt, & pauperibus omnia erogare videri volunt, cunctos propemodum ad inopiam redegére.*

nec ſummus Pontifex] Qvid igitur eſt, qvod Pontifex ſtatuit in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 3.* de qvo vid. Petr. Svav. *hiſtor. l. 8. pag. 894.* Sed & Philippus Decius *conſ. 530. n. 17.* aſſerit, poſſe Pontificem proprium qvid permittere Monacho ex causâ, ſaltem diſpenſando, ex plenitudine poteſtatis. Conf. Jac. Menoch. *de arb. jud. qvæſt. c. 504. n. 13.* Sed iſtam Papæ diſpenſationem planè inſuper habent Galli, uti videre eſt ap. Joh. Papon. *l. 1. tit. 8. areſt. 6.* & Pet. de Marca *de concord. ſacerd. & imp. l. 3. cap. 15. num. 4.*

Poteſt monachus tranſire ſolùm in arctiorem religionem, & ſi dubitetur, an ſit arctior, in qvam monachus vult migrare, ſtatur judicio Abbatis. hoc dicit.

§. 15. Sed nec temerè monachus de monaſterio [b] in monaſterium migrare permittendus eſt, niſi monaſterium, ad qvod tranſitum facere cupit, diſtrictius exiſtat. Qvo [c] caſu, nullo obſtante privilegio, prælatus monacho ſine difficultate debet tranſeundi licentiam indulgere, ne videatur propoſitum impe-

b *cap. Joãnes extr. eod. tit.*

c *cap. licet qvibusdam. ext. eod. tit.*

Digitized by Google

dire divinitùs inſpiratum. Qvòd ſi fortè probabiliter dubitetur, utrum qvis velit ad ordinem arctiorem tranſire, an ad laxiorem, ex charitate, an ex temeritate, ſuperioris eſt judicium reqvirendum, ne fortè angelus Sathanæ in lucis Angelum ſe transformet.

diſtrictius exiſtat] Vota monaſtica perfectionem homini Chriſtiano dare, eamq; majorem, qvam qvæ ex ſolâ obſervatione præceptorum oriatur, commune eſt dogma pontificiorum. Qvò igitur adſtricta magis eſt regula, qvam profitentur, eò perfectiores ſe fieri putant præſumptuoſi Monachi. Et hinc igitur non obſtare votum certæ primitùs religioni addictum, ſi perfectior fieri poſſit, per aliud poſterius. Sed enim blaſphemia eſt & injuria in perfectiſſimum Chriſti meritum & ſatisfactionem, ſtatuere, opera noſtra etiam divinitùs præcepta, nedum ea, qvæ omni mandato divino deſtituuntur, ut ſunt vota monaſtica, eſſe meritoria juſtificationis & vitæ æternæ, eſſeq; ſatisfactoria pro peccatis. Qvin & ſaniores Pontificii meritum votorum monaſticorum negant, ut videre eſt apud Georg. Caſſandrum *in conſult. art. 25.* ubi citat Conradum Clingium *in Loc. com. c. 18.* qvi ſcribat: *Cavendum eſſe, ne ponatur juſtitia, i.e. ſalus, in hujusmodi obſervationibus, i.e. ne qvis putet, ſe promereri juſtitiam & remiſſionem peccatorum & gratiam, hujusmodi ſervandis ritibus: Nam juſtificationem & gratiam impetrari per fidem in Chriſtum: Igitur monachum ſervatâ ſuâ regulâ, ſi ſentiat, ſe propterea juſtitiam coram DEO conſeqvi, errare, juxtà illud Chriſti Matth. 15. fruſtra me colunt mandatis hominum.*

ne forte angelus Satanæ] Nihil hoc novi. Tota vita monaſtica eſt larva Satanæ.

Mendicantes ſolùm in ordinem Carthuſienſium migrare poſſunt. h.d.

d clem. 1. eod. tit. de regular.

§. 16. Mendicantibus [d] verò approbatis, qvi prætextu arctioris ducendæ vitæ ad monaſterium confugiunt, etiamſi authoritate Apoſtolica fuerint muniti, Cle-

Digitized by Google

ti, Clemens qvintus, ſacro approbante concilio, interdixit, ne vocem aut locum in Capitulo talis monaſterii haberent, néve ad prioratus adminiſtrationes, aut qvæcunq; officia aſſumi poſſent. Sed noviſſimè [c] Martinus qvartus omninò vetuit, Mendicantes ad aliqvem monaſticum ordinem, excepto ordine Carthuſienſium, ſine ſpeciali ſedis Apoſtolicæ conceſſione tranſire: tàm recipientibus, qvàm receptis, ipſo facto excommunicationis pœnam incurſuris.

c *extr. 1. communi. de regular.*

Mendicantibus verò] Uti multa mendicantibus conceſſa fuerunt privilegia, ita coërcita qvoqve & in anguſtiorem ſtatum ſæpiſſimè redacta fuit eorum regula. Qvia enim mendicantes ſunt, viam ambitioſæ cupiditatis (uti loqvitur Martinus IV. *extrav. comm. 1. de regular.*) præcludi eis oportuit.

Carthuſienſium] Hic enim ordo omnium eſt maximè adſtrictus. De qvo, qvando cœperit, & qvæ ejus conditiones, vid. Barboſa *de jur. Eccleſ. l. 1. c. 41. n. 182.* Annæ. Robert. *rer. judicatar. lib. 2. c. 2.*

Abbates debent perqvirere fugitivos, & monachi non poſſunt præeſſe Eccleſiis parochialibus, licet ſecus ſit in regularibus. b. d.

§. 17. Fugitivos [f] verò debent Abbates ſolicitè perqvirere, & ut ad monaſterium & frugem melioris vitæ revertantur, oportunis remediis providere, nec ordinarios, qvi eorum ſuppleant negligentiam, expectare. Singuli qvoq; monachi per villas [g], & oppida non debent discurrere, nec per qvascunq; paro-

f *cap. fin. ext. eod. tit.*

g *cap. 2. extr. de ſtatu mon.*

Digitized by Google

chiales Ecclesias disponi : qvod in regularibus, cùm regulæ inservient laxiori, specialiter cautum non invenitur. Ideoq; [a] illis cum minori difficultate parochialibus Ecclesiæ præesse permittitur.

a *c. qvod Dei. de stat. Monach. extra.*

nec per qvascunq; parochiales Ecclesias] Sed qvid scribit Hieronymus in Epist. ad Rusticum Monachum : Ita *age & vive in monasterio, ut Clericus esse merearis.* Omninò enim hoc ab instituto veterum monachorum deviat, qvod Ecclesiis parochialibus hodiè præfici nolint.

Qvomodo & qvalis sit eligendus in Abbatem. h. d.

§. 18. Ut autem inviolabiliter monastica disciplina custodiatur, de congregatione monachorum Abbas eligendus est [b], qvem ordo vitæ & meritum magis poposcerit ordinari, ut uni tantùm præsit monasterio, qvi cautus sit in regimine, humilis, & discretus, & cui monachi cum omni obedientiâ & devotione subjaceant.

b *can. Abbatem. cum duobus seq. 18. q. 2.*

Abbas eligendus est] Abbates aliqvando erant (& etiamnum qvandoqve sunt) principes, & primæ autoritatis viri, qvibus pro suis erga Reges officiis monasteria opulentissima, possessionesqve Ecclesiis dicatæ addicebantur. Ipsi Decanos inter Monachos constituebant, qvi fratrum curam haberent, abbatum nomina, reditûs, possessiones, villas, cætera in se transferebant. Clarum id ex Aimone, sive qvisqvis est, qvi librum qvintum adjecit. Unde & Suidgerus, *Abbates*, inqvit, *in antiqvis historiis non sunt monachi vel religiosi, sed Barones, magnates & seculares, qvibus abbatias vel monasteria princeps dat ad tempus vel qvoad vixerint.*

Non

Non professus non potest eligi in Abbatem, sed benè in Episcopum. hoc dicit.

§. 19. Et propterea cùm in magistrum [c] assumi non debeat, qvi formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qvi subesse non novit: Religiosus, qvi regularem ordinem antè non fuerit expressè professus [d], in Abbatem, vel ad aliam regularium prælaturam eligi non poterit: qvanqvam ad Episcopalem dignitatem talis in secularibus vel regularibus Ecclesiis eligi minimè prohibeatur.

c *cap. cùm in magistrũ. extra. de elect.*

d *cap. nullus religiosus. de elect. in 6.*

expressè professus] Ad hoc, ut qvis possit eligere Abbatem, sufficit tacita professio, ut verò possit eligi, necessariò reqviritur expressa. A. Barbosa *de jur. Eccles. l. 1. c. 17. n. 27.* Sed neqve tacitam neqve expressam nostræ probant Ecclesiæ.

qvanqvam ad Episcopalem dignitatem] At supra planè contrarium statuit autor *tit. 7. §. sed neqve. & §. ult.*

Visitatores creandi, & qvid agere debeant. h. d.

§. 20. Visitatores qvoq; in capitulo creandi sunt secundùm formam generalis Concilii [e], qvi visitationis officium exeqvantur, & omnia, qvæ Viennensi Concilio [f] constituta sunt, fideliter observari faciant, & de statu monasteriorum, & observantiis regularibus diligenter inqvirant: & tàm in spiritualibus, qvàm in temporalibus corrigant & reforment, qvæ

e *cap. in singulis. & cap. seq. extr. de stat. monach.*

f *clem. 1. eod. tit. de stat. monach.*

Digitized by Google

c. final. dist. viderint corrigenda, & omnia secundùm Honorianæ constitutionis tenorem prosequantur.

Visitatores quoq;] qvi interdum sunt abbates, si fuerint capita suorum ordinum, interdum Episcopi. Vid. Barbosa *de jur. Eccles. lib. 1. c. 14. n. 16. 17. ubi n. 50.* exponit modum visitandi.

Non debet qvis invenire, vel fundare novam religionem. h. d.

g *c. fin. ext. de religios. dom. & c. 1. eod. tit. in 6.*

§. 21. Novissimè g sciendum est, generali concilio semel atq; iterum cautum esse, ne qvis in posterum novam religionem inveniat: sed qvòd, qvicunq; ad religionem converti voluerit, unam de probatis assumat. Similiter etiam de iis, qvi religiosam domum de novo fundare voluerint, cautum est, ut regulam & institutionem de probatis assumant.

novam religionem inveniat] Est hoc ex constitutione Innocentii III. Sed qvàm malè observata illa sit, res ipsa loqvitur. Nam post Innocentium III. qvi vixit circa annum Domini 1198. multi novi monachorum ordines sunt inventi. Incommoda verò ex tantâ ordinum multitudine resultantia enucleatè describit Pet. de Alliaco Cardinalis Cameracensis *l. de reform. Eccl.* qvando ait: *Videtur, qvod tanta religiosorum numerositas & varietas non expediat, qvæ inducit ad varietatem morum & qvandoq; ad contrarietatem & repugnantiam observationum, & sepè ad singularitatem & ad superbiam & vanam extollentiam unius status super alium.* Hoc ne gratis dixisse videatur Petrus de Alliaco, ex multis unicum nunc adduco Antonium Florentinum, qvi, cum esset Dominicanus, *in Summ. Theol. part. 4. tit. 2. c. 4. §. ult.* non dubitat, Franciscanos, utut iniqvissima perpessos, hoc insuper mordaci sale conspergere: *Franciscani ad confirmationem suæ doctrinæ adhuc non habent ostendere unum parvum miraculum, nisi fumum & cineres, cùm combusti fuerint aliqvi ex iis. Nostri autem* (nempe Dominicani) *qvi tenuerunt illam determinationem Johannis XXII.* (de qva

qva anteà diximus) *ut verisſimam usqve ad præſens ſcil. annum 1450. claruerunt variis miraculis multis in locis.* Sed & de multitudine monaſteriorum & immensâ divitiarum accumulatione graviter ſuo tempore conqveritur Johannes Petrus de Ferrariis *in Practic. tit. 50. gloſs. 9. n. 4. & ſeq. Nam ſcire debes*, inqvit, *tu ignare Laice, qvod imperium aliqvando habuit utrumqve gladium, temporalem ſcil. & ſpiritualem, adeò qvod tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Eccleſiaſtica per univerſum orbem, & amplius eligebant Papam. - - Unde eo tempore qvo ſtudebant Imperatores ampliare fidem Chriſtianam, qvæ tunc modica erat & in parvo ſtatu, oportuit conferre multa privilegia Eccleſiis, & his, qvi ſe ad fidem catholicam convertebant. - - Inter qvæ privilegia fuit iſtud, qvod bona ingredientium monaſteria applicarentur ipſis monaſteriis. Propter qvod privilegium multiplicata & fundata ſunt monaſteria infinita per univerſum orbem, olim cauſa devotionis, licet hodiè cauſa rapinæ & avaritiæ, in tantum, qvod deſtruxerunt hodiè mundum, & annihilaverunt ſtatum imperii & omnium Laicorum. Poſſunt ergò meritò dici talia loca facta vel fienda, retia contexta ad capienda Laicorum bona. Surgat ergò bonus Imperator, & dicant omnes:*

Fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis.

FINIS
LIBRI PRIMI.

IN-

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI

LIBER SECUNDUS.

De

RERUM DIVISIONE, ATQVE ILLARUM ADMINISTRATIONE.

TITULUS I.

Res Eccleſiaſticæ ſunt aut ſpirituales, aut temporales. h. d.

§. 1.

SUperiore libro de Jure perſonarum expoſuimus, modò videamus de rebus Eccleſiaſticis, illarumq; tractatione, & adminiſtratione. Summa rerum Eccleſiaſticarum diviſio in duos articulos deducitur: nam aut ſpirituales ſunt, aut temporales. Spirituales ſunt, qvæ ſpiritui deſerviunt, atq; animi cauſa ſunt inſtitutæ: ut, Sacramenta Eccleſiæ, altaria, & his ſimilia. Temporales ſunt, qvæ non tàm ſpiritus, qvàm corporis gratia pro Eccleſiaſticis miniſteriis, ſacrorumq; miniſtrorum uſu ſunt comparatæ: ut ſunt prædia, domus, & fructus decimales.

Nam

Nam aut ſpirituales ſunt] De hac diviſione agit Fr. Duarenus *lib.2. de ſacr.Eccleſ. miniſt. c.2.* eamq; ita formare mavult, qvod bonorum Eccleſiaſticorum qvædam divina ſacraq; ſunt, alia humana ac profana. Ejus autem fundamentum eſſe ait in Lege Moſaicâ. Sed qvæ ipſa, niſi morale qvid contineat, nullam inter Chriſtianos obligandi vim habet.

altaria] Ex altaribus, qvâ talibus, nihil ſpiritui aut animæ accedit. Nec eorum aliqvis in Eccleſia primitiva uſus. Res ergò ſpirituales dici neqveunt. Vid. qvæ dicemus inf. *tit.18. §. De eo dubitari.*

fructus decimales] Vid. notata inf. *tit.26. pr.*

Res ſpirituales ſunt aut incorporales, aut corporales: &, corporales dividuntur in Sacramenta, in res ſacras, ſanctas & religioſas. hoc dicit.

§. 2. Rurſus ſpiritualium qvædam ſunt incorporales, qvædam verò corporales. Incorporales ſunt, qvæ neq; tangi, neq; ſenſu corporeo percipi poſſunt: qvales ſunt, virtutes, & dona Dei, aut qvæ in jure conſiſtunt. Corporales ſunt, qvæ tangi & humanis ſenſibus percipi poſſunt. Harum autem qvædam ſunt Sacramenta, qvædam ſacræ ſunt, & ſanctæ, qvædam religioſæ. Videamus igitur nunc de ſpiritualibus: & qvidem incorporales, cùm de his tam ſuprà oportunis locis loqvuti fuerimus, qvàm etiam infrà ſuo tempore dicturi ſimus, ſpecialem tractatum minimè exigunt: itaq; tractemus jam de corporalibus, ac primùm de Sacramentis, de ſacris, ſanctis

ctis & religiosis, consequenter etiam loquuturi : a demum de rebus temporalibus, atq; illarum administratione.

Rursus spiritualium] Spiritualia alia dicunt per essentiam talia, eaq; vel incorporalia, ut virtutes & dona divina, vel corporalia, ut reliquias sanctorum. alia per causam & instrumentaliter spiritualia, uti sunt Sacramenta, alia per statutum spiritualia, ut est religio monastica, alia spiritualia, quæ à spirituali proveniunt potestate & ecclesiasticâ autoritate, puta excommunicare, pœnitentiam dare, absolvere &c. alia deinceps non spiritualia, sed spiritualibus tamen annexa dicunt, quorum iterum certas faciunt classes. Vid. Gvilielm. Redoan. *de Simon. part. 1. cap. 4.*

quædam sunt Sacramenta] Si Sacramenta sunt res corporales, falsum erit, in Eucharistiâ annihilari substantiam & tantùm accidentia panis & vini remanere.

DE SACRAMENTIS.

TITUL. II.

Quid sit Sacramentum. h. d.

a *can. sacrificium. de consecrat. dist. 2. a multis. 1. q. 1.*

§. 1. Sacramentum [a] est invisibilis gratiæ visibilis forma, ita quòd ejus similitudinem gerens & causa existat.

Sacramentum est] Verùm, quia etiam matrimonium dicunt esse Sacramentum, & materiam illius fingunt esse verba consensum contrahentium exprimentia, quæ erit ibi forma visibilis ? & si per gratiam intelligi debet gratuita reconciliatio, remissio peccatorum, & acceptatio ad vitam æternam, quomodo talem conferri dicemus in matrimonio contrahentibus, & in ordinatione ordinatis ?

Sacramentorum quædam necessaria sunt, quædam voluntaria. hoc dicit.

§. 2. Sa-

§. 2. Sacramentorum summa divisio hæc est[a], qvòd aut sunt necessaria, aut voluntaria. Necessaria sunt, qvæ sine interitu salutis æternæ prætermitti, & contemni non possunt: ut sunt, [b] Baptismus, [c] Confirmatio, [d] Pœnitentia, [e] Eucharistia, [f] extrema Unctio. qvæ omnia ad particularem cujusqve profectum sunt principaliter instituta. Voluntaria sunt, qvæ sine salutis dispendio, pro cujusq; arbitrio recipi possunt, & refutari: qvalia sunt, [g] ordo Sacer; & [h] Matrimonium: & hæc ad totius Ecclesiæ profectum, & subsidium principaliter pertinent.

a *can. immissionem. §. sed notandum. 1. qv. 1. gloss. 1. cap. veniens. ext. de transact.*

b *c. nulla præter. de consecr. dist. 4.*

c *c. nullus ministrorum. de cons. dist. 4.*

d *c. non potest. de pœnit. dist. 1.*

e *cap. omnis Christianus. de Consecr. dist. 1.*

f *c. 1. 26. qv. 7.*

g *c. ubi ista. 74. dist.*

h *c. ubi non est. 30. q. 2.*

Sacramentorum summa divisio] Duo hîc tractantur, primò de numero Sacramentorum, deinde de eorum necessitate. Illud qvidem implicitè & qvasi aliud agendo. hoc determinatè magis. Qvod primum illud concernit, liberandum ante omnia est vocabulum *Sacramenti* ab æqvivocatione. Apud profanos Scriptores significat illud (1) pignus à litigantibus depositum eâ lege, ut victor suum auferret, victi verò portio accresceret ærario, uti id explicat Varro *l. 4. de lingv. lat. circa fin.* Vid. Pythæus *l. 1. adverss. c. 18.* (2) juramentum seu obligationem numinis & religionis interpositu confirmatam, in specie verò Sacramentum militare, Veget. *l. 2. c. 5.* Frontin. *l. 4. stratag. c. 1.* Isidor. *l. 9. orig. c. 3.* Brisson. *l. 4. de form.* (3) adhuc aliam significationem innuit Festus, qvando docet, *Sacramenti nomine id æs dici cœptum esse, qvod & propter ærarii inopiam & sacrorum publicorum multitudinem consumebatur in rebus divinis.* In Scripturis vulgatus Interpres, ubi Græci habent μυστήριον, ipse reddit Sacramentum; in Novo Test. sæpè retinuit qvidem vocem græcam μυστήριον, alicubi tamen reddit Sacramentum, *Ephes. I, 9. III, 3. Col. I, 27.*

Hâc igitur ratione, si mysterium & Sacramentum latinis æqvivalere dicamus, omnes V. T. typi & figuræ mysteria & Sacramenta dici poterunt. Atq; hoc sensu Sacramenti vocabulo usi sunt Patres, & Augustinus imprimis, ut qvævis signa rem sacram denotantia, sive â DEO mandata, sive á Viris Ecclesiasticis excogitata, Sacramenti nomine indigitarent. *Nimis longum est*, ait Augustinus *Epist. 5. ad Marcellin. convenienter disputare de varietate signorum, qvæ cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Unde ipse signum crucis, *in Psalm.141:* panem Eucharistiæ vicarium, qvem accipiebant Catechumeni *l.2.de pecc. mer.& remiss. c. 26.* omnia qvæ agebantur circa catechumenos, exorcismos, orationes, cantica spiritualia, insufflationes &c: *l. 4. de symb. ad catech. c. 1.* sacramenti nomine dignatur. In sensu verò proprio Sacramentum significat actionem â DEO institutam, in qvâ per externum aliqvod materiale & visibile signum cum cœlesti re unitum & juxtá institutionem divinam tractatum promissio gratiæ de remissione peccatorum, qvæ isto signo vestita qvasi est, offertur, & singulis ,, qui fide Sacramentis utuntur, exhibetur, applicatur & obsignatur. In hoc sensu de numero sacramentorum N. T. disqviritur, num sc. duo tantùm, uti volunt orthodoxi, â Christo instituta sint, an verò præter illa adhuc alia qvinq;, uti dicunt Canonistæ & Pontificii communiter. Qvia autem Pontificii negare neqveunt, baptismum & cœnam dominicam esse verè & propriè dicta sacramenta, potissimum argumentum ex proprietatibus & prædicatis eorum essentialibus peti debet, qvæ sc: illis, qvatenus Sacramentis, competunt, & secundum ea comparatio ad reliqva, qvæ Sacramenti speciem referre possunt, instituenda est. Nam si Sacramenta sunt, necessariò in Sacramentalibus rationibus & proprietatibus cum baptismo & Eucharistiâ convenient. Qvibus ergo non competit essentia baptismo & Eucharistiæ proximè communis, illa non possunt esse Sacramenta Novi T. propriissimè, i. e. eo dicta modo, qvo baptismus & Eucharistia sunt Sacramenta. Illud enim commune, in qvo per se & proximè conveniunt species, est generica specierum natura, ut docet Philosophus in methodo venandi essentialia prædicata, *2. post. anal. c. 14.* Videamus jam, qvid sit illud, in qvo per se & proximè conveniunt baptismus & Cœna Domini, ut ita genericam eorum naturam eruere, & reliqvis applicare qveamus. Illa itaq; (1.) sunt instituta in N. T. & qvidem (2.) ab ipso Salvatore Christo, (3.) eo modo, ut sensibilia qvædam signa sive elementa sensibili & visibili ritu tractentur, qvæ tamen (4.) per verbum institutionis certum atq; expressum res cœlestes, qvæ illis unitæ sunt, & simul exhibentur, dispensent. (5.) cum adjuncta promissione qvod DEUS per ea velit efficax esse & bona cœlestia vel confer-

re vel

re vel collata obsignare, & qvidem (6.) in specie & respectu singulorum, qvod ipsis illis, qvi Sacramentis secundum institutionem utuntur, præstò esse debeat gratia divina, illisq; applicari & obsignari. Qvibus accedit (7.) qvod ita instituta non habitura sint finem aut amissura suam efficaciam usq; ad consummationem seculi. Omnes hæ proprietates in baptismo & Eucharistiâ ratione Sacramenti inveniuntur. Ubi igitur harum una aut plures defuerint, ibi negandum est esse tale Sacramentum, qvale est baptismus & Eucharistia. Examinabimus nunc illa qvinq;, qvæ Pontificii sine ullo vel Scripturæ vel antiqvitatis suffragio obtrudunt, & qvidem eo ordine, qvo ea recenset autor. Primum se offert *Confirmatio*, sed qvæ instituto, verbo, & promissionibus divinis & omnibus adeò reqvisitis sacramentalibus caret. *Sine præjudicio*, inqvit Alexander Alensis *part. 4. qv. 24. memb. 1. dicendum, qvod neqve Dominus hoc Sacramentum instituit, neqve dispensavit, neqve Apostoli, sed institutum est in Concilio Meldensi.* Seqvitur *pœnitentia*, sive absolutio, qvæ qvidem, qvâ generales promissiones singulis applicantur, mandatum habet & promissionem, sed deficit in externo elemento, signo, & ritu divinitus instituto. *Unctio extrema*, qvod tertium est Sacramentum Pontificiorum, â Christo instituta non est, uti ipsi fatentur Pontificii Hugo de S. Victore *lib. 2. de Sacram. c. 2.* Magister *4. dist. 23.* B. Alensis *part. 4. q. 8. memb. 2. art. 1.* Altisiodorensis *l. 4. sum. tract. 7. c. 1. Ordo* sive ordinatio mandatum habet, habet etiam promissionem, qvod DEUS largiri velit dona & vires obeundo huic muneri necessarias & qvod per id efficax velit esse ad salutem omni credenti. Verùm non habet ex mandato divino signum qvoddam externum, externis ritibus adhibendum; neq; habet promissionem de salute ordinati, sed potius cum ipse esse possit reprobus, de efficaciâ ministerii ejus in aliis. *Matrimonium* deniqve qvintum Pontificiorum Sacramentum deficit in reqvisitis illis, qvod non sit in novo demum Testamento institutum, qvod non habeat externum aliqvod Symbolum seu elementum cum re divina unitum; qvod non habeat promissionem gratiæ salvificæ, nec eam singulis matrimonium contrahentibus applicet. Strictè itaq; & propriè acceptò vocabulo Sacramenti, duo tantùm erunt Sacramenta, baptismus & Eucharistia. Latè autem si accipiatur, uti qvandoq; accipi â S. Patribus solet, & ordinatio, & absolutio, & ipsum deniq; matrimonium eo nomine insigniri possunt. Cæterùm septenarium Sacramentorum numerum etiam suspectum facit ejus novitas. Nam 1100. & ultra annis â nato Christo altum de eo fuit silentium in Ecclesiâ, & tempore Hugonis de S. Victore Carthusiani Parisiensis, qvi floruit anno Christi 1130. ac Petri Lombardi demum ex Sorbonâ in Ecclesiam invectus est.

Unde & ipſe Lombardus cùm aliàs ex Patribus ſua probare ſoleat, de numero ſeptenario Sacramentorum ne unam qvidem veterum ſententiam allegat, certiſſimo argumento, qvod veteris Eccleſiæ conſenſu planè fuerit deſtitutus. Et ingenuè Vazqvez, *qvod ſeptem ſint Sacramenta*, inqvit, *patrum teſtimoniis confirmare ſupervacaneum eſt, qvia nullus de eorum numero qvicqvam ſpeciatim definivit.* Manet ergò, non ſeptem, ſed duo tantum verè & propriè dicta eſſe Sacramenta, reliqva autem non niſi latè ita dici, & non eſſe talia qvalia ſunt baptiſmus & cœna dominica. Qvod ſecundum attinet, qvo diſtingvuntur ab autore Sacramenta in neceſſaria & voluntaria, facilè ex hactenus dictis colligere licet, eam diſtinctionem planè nullam & omni fundamento deſtitutã eſſe, nec enim ſi ordo ſacer & matrimonium ſacramenta eſſe negantur, ullum remanebit Sacramentum voluntarium, & ſic altera ſpecies planè deficiet. Qvin & in ipſo Concilio Tridentino multum hâc de re fuit diſputatum, cumq; ad neceſsitatem omnium Sacramentorum infringendam allegata fuiſſet incompatibilitas ordinis & matrimonii damnata nihilominus fuit ſimpliciter iſta propoſitio, qvâ Sacramenta non eſſe neceſſaria dictum fuerat. Petr. Svav. *in hiſtor. Concil. Trid. lib. 2.* De ipſis tamen veris Sacramentis baptiſmi & cœnæ dominicæ adhuc diſqviritur, qvatenus ea neceſſaria ſint. Dicimus, neceſſaria ea eſſe tùm neceſsitate præcepti, tũ neceſſitate medii, nõ tamen parẽ eorũ neceſſitatem eſſe, cũ neceſsitate, qvæ eſt fidei & verbi. Diſtingvimus tamen inter contemptum Sacramentorum & privationem eorum. Sine fide nemo poteſt ſalvari, & ſine verbo non poteſt eſſe fides modo ordinario. Si tamen qvis ex audito verbo habeat veram fidem in Chriſtum, & ipſi non concedatur facultas, ut poſſit ſacramentis juxta divinam inſtitutionem uti, in tali certè caſu non eſt ſtatuenda præciſa neceſſitas Sacramentorum ad ſalutem, ut propterea ſalus denegetur illis, qvibus non datur facultas utendi ſacramentis, licet fide in verbo apprehendant Chriſtum mediatorem.

ad totius Eccleſiæ profectum] Sed de matrimonio id non videtur, niſi dicere velis, illud ideò ad totius Eccleſiæ profectum facere, qvia novi per illud Eccleſiæ generantur cives. At nego, fieri illud per matrimonium. Carnalis enim generatio facit qvidem ad eſſe hominis, ſed non ad eſſe Chriſtiani.

Neceſſariorum Sacramentorum qvædam deſerviunt ad ingreſſum Eccleſiæ, qvædam ad progreſſum in Eccleſia, qvædam ad egreſſum ab Eccleſia. h. d.

§. 3. Et

§. 3. Et rursus necessariorum qvædam[a] ad ingressum Ecclesiæ sunt comparata, ut Baptismus: qvædam[b] ad progressum in Ecclesia, ut Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia: qvædam[c] ad egressum ab Ecclesia, ut postrema Unctio.

a c. *nulla præter. de consecr. dist. 4.*
b. *c. Spiritus S. de consecr. dist. 5.*
c. *qvi recedunt. 26. qvæst. 6.*

Et rursus necessariorum] Qvia unctio extrema planè non est Sacramentum, sed merum figmentum humanum, etiam hæc concidit distinctio. Et potest tùm Eucharistia, tùm baptismus in articulo mortis conferri & celebrari, ut ita ingressus & egress9 nullo ferè temporis articulo discerni qveant.

c. his qvi 26 qvæst. 7. c. qvæst. 7. c. 2. de pœnit. distinct. 3.

Secunda distinctio Sacramentorum, qvòd qvædam characterem imprimunt, qvæ iterari non possunt, qvædam non imprimunt qvæ iterationem admittunt. h. d.

c. *ab infirmis 26. qvæst. 7.*

§. 4. Rursus Sacramentorum qvædam characterem imprimunt, qvædam verò non. Qvæ characterem imprimunt, iterari non possunt: ut, Baptismus, Confirmatio, Ordo sacer. Cætera verò, qvæ characterem nullum imprimunt, iterari minimè prohibentur: ut, Eucharistia, Unctio, Pœnitentia, Matrimonium.

v. tit. de Sacram. non iterandis & Glos. in c. licite. 32. qvæst. 7.

qvædam characterem imprimunt] Characterem ita definit Gabriel Biel infimæ ætatis Scholasticus *in IV, dist. 6. q. 2. art. 1. notab. 3.* quod sit *signum spirituale à DEO solo animæ impressum in susceptione initiabilis Sacramenti, manens indelebiliter de lege communi.* At paulo post conclusione primâ subjungit, *Characterem esse ponendum eo modo, qvo definitus est, nec ratio necessaria demonstrat, nec evidens auctoritas probat.* Item: *Omnia qvæ attribuuntur characteri, puta, significare, configurare, distinguere, disponere, rememorari, obligare, æqvè solvuntur sine charactere, sicut*

ut cum charactere. Omnia enim operatur sacramentum ipsum sine charactere. Et iterum *artic. 3. dub. 5. Omnia de charactere dicta pro magnâ parte voluntaria sunt, & modicâ ratione fulcita.* Similia inveniuntur apud Scotum *4. Sentent. d. 4. q. 9.* Durandum de S. Portiano *4. sent. dist. 4. q. 1.* cujus sententiam vix â nostrâ distingvi docet Bellarminus *l. 2. de Sacram. c. 19. prop. 2.* Et ingenuè confitetur Joh. Altensaig in *Lexic. Theol. vocab. Character. neqve auctoritates S. Scripturæ, neqve sanctorum Patrum originalia cogunt ponere characterem ad hunc intellectum, in qvo accipitur à recentioribus Doctoribus, nec experientia probat characterem esse* &c: Gabriel Vasqvez *in 3. disp. 134. c. 1.* post allegata qvædam Scripturæ loca, fatetur, catholicam veritatem his testimoniis non niti, sed traditione, & hæc loca variè à patribus accipi. Sed & miserè potrò inter se digladiantur Pontificii, ad qvamnam rerum classem character ille referri debeat. Durandus *4. dist. 4. q. 1.* docet, non esse nisi ens rationis sive respectum rationis. Scotus *4. dist. 6. q. 10.* censet, esse relationem realem. Richardus *4. dist. 5. art. 2. q. 1.* esse reductivè qvalitatem, qvæ ad triplicem ejus speciem, primam, tertiam, & qvartam pertineat. Alensis *p. 4. q. 19. memb. 1. art. 2.* & Bonaventura *4. dist. 6. a. 1. q. 1.* non nisi in primâ collocant. Marsilius *4. q. 4. art. 1. concl. 7. in qvartâ*, Thomas *3. q. 63. art. 2.* in secundâ, & hanc sententiam adprobant Soto, Cajetanus & Valentia. Sed Svarezio videtur difficilima, propterea ipse facit cum Alensi & Bonaventurâ. Bellarminus absolutè qvalitatem esse dicit, de reliqvis difficultatibus nihil sollicitus. Atq; hinc propter multiplices ejusmodi opiniones valde dubii fuerunt ipsi Patres in concilio Tridentino, referente Petro Svav. *in histor. lib. 2.* Sed referant, qvò velint, nos inter figmenta habemus, & febricitantis cerebri partûs prodigiosos.

iterari non possunt] Fecit initerabilitas baptismi apud qvosdam Scholasticos, ut characterem statuerent, tanqvam illius fundamentum, sed ostensum fuit â Gabriele & Scoto, id necesse non esse, partim ideò, qvia de initerabilitate constet aliunde, scil. ex institutione divinâ, per qvam ista iteratio non fuerit ordinata, partim qvia minus evidens sit character ipse, qvàm initerabilitas baptismi, cùm initerabilitas ab institutionis baptismi tempore fuerit certa, character verò ne hodiè qvidem evidenter certus sit.

Sacramenta constant elemento & verbo, hoc dicit.

§. 5. Constant autem Sacramenta elemento & verbo. Ele-

Elementum hîc accipimus, qvicqvid sub visibili natura, invisibilem gratiam designat & continet. Verba sunt, qvæ formæ visibilis efficaciam exprimunt: ergo accedente verbo ad elementum, sacramentum fiet. *c. detrahe 1. qvæst. 1.*

& continet] Disputatum fuit in Concilio Tridentino, qvomodo continerent gratiam Sacramenta. Dominicani virtutem instrumentalem ac effectivam Sacramentis tribuebant, ex sententiâ Thomæ ejusq; seqvacium: Franciscani vero illam denegárunt, & nullam vim Sacramentis inesse putárunt, sed assistere tantùm illis divinam virtutem ad producendum gratiæ effectum, Scotum, Bonaventuram, Durandum & alios secuti. Priores physicè agere & operari voluérunt Sacramenta, Posteriores vero moraliter ea agere dixérunt. Patres in dubio reliqvérunt rem & nudis verbis ac vocibus conferendi, continendi, dandi &c: absq; determinatione causæ controversæ rem propositérunt. Et in his Canonibus studiosè abstinuisse Patres à vocabulo instrumenti, causæ, virtutis, efficientiæ &c. memorat Esthius *in l. 4. sentent. dist. 1. §. 5. f.* addiditq; ,apparere inde, prudenter Patres hanc qvæstionem dissimulasse, ac definire noluisse. Breviter dicimus: Sacramenta sunt organa sive instrumenta ex parte DEI, qvibus DEUS gratiam suam offert, confert & applicat. Dupliciter tamen se habet ratio instrumentalis in Sacramentis. primò, qvatenus fidem, qvâ justificamur, & alia charismata inhærentia efficiunt, confirmant & augent in nobis: deinde, qvatenus rem justificam & salvificam, justitiam sc. Christi offerunt & applicant. Priori modo operantia organa sunt, & propinqva causa regenerationis ac renovationis. Posteriori vero dantia sunt organa justificationis & salvationis. Qvatenus enim per ea justificamur, eatenus nihil operantur vel efficiunt, sed tantum modo offerunt, & si fide apprehendatur, conservant & postea obsignant. Qvatenus vero per ea regeneramur, eatenus operantur & efficiunt aliqvid in homine, & non tantùm per illa Spiritus vires confert supernaturales ad credendum & obediendum, sed etiam cætera omnia in spiritualibus nobis necessaria præstat, excitando & instigando ad earum usum.

Verba sunt] Signa Sacramentorum triplici verbo sunt vestita:

1. verbo mandati. 2. verbo inſtitutionis. & 3. verbo promiſſionis. Primum pertinet ad cauſam efficientem, ſecundum ad eſſentiam Sacramentorum, tertium ad fidem.

Non Eccleſia, ſed Chriſtus inſtituit Sacramenta, qvæ tamen dicuntur Eccleſiæ, qvia illa per ea ſanctificatur, & illa miniſtrat. h.d.

§. 6. Illud qvoq; ſcire nos oportet, qvòd non Eccleſia, ſed ipſo Domino inſtituente Sacramentis utimur: ſed tamen ideò Eccleſiæ Sacramenta nuncupamus, tum qvòd per ea ſanctificata, & cœleſti ſponſo matrimonii fœdere conjuncta ſit: tum, qvòd illorum diſpenſatio ejus credita ſit miniſterio.

ipſo Domino inſtituente] Bene! Ubi autem & qvando confirmationem & unctionem extremam inſtituit Dominus?

Etiam malus miniſter, & hæreticus poteſt miniſtrare ſacramenta. h.d.

b *can. aliud eſt. & cã. ſeq. de conſecrat. diſt. 4.*

§. 7. Ergo [b], qvi baptizat, qvi abſolvit, & in ſingulis Sacramentis divinitùs operatur, Dominus eſt: miniſtri verò Eccleſiæ in conficiendis ſacris myſteriis, vel diſpenſandis, præter nudum miniſterium nihil ſibi vendicare valent, cùm non propriam, ſed ejus, qvi ſacramenta inſtituit, perſonam referant, neoulla ex ipſis ſanctificandi virtus emanet. Unde, qvanqvam eos inculpatos eſſe deceat, ſi tamen mali ſint, vel à Catholica communione ſejuncti, nihilo minùs & conficere ſacramenta, & diſpenſare poterunt: velu-

uti

uti [c] enim per lapideos canales ad areolas aqva trãsfunditur, & Solis radii per loca fœtidissima trãseuntes, [d] nulla contactus maculatione contaminantur, sic multò magis Sacramenta nulla ministri fœditate commaculantur.

c *c. si justus. q. 1.*

d *c. secundum 30. dist.*

nec ulla ex ipsis sanctificandi virtus] Ipsum tamen ministerium est causa instrumentalis sive medium, per qvod DEUS in nobis efficaciter accendit & confirmat fidem, & propter & per illud ministerium sibi impositum ipsi etiam præcones Evangelii & dispensatores Sacramentorum ad Christi fidem nos perducere dicuntur. Vid. *1. Cor. 3, 9. Rom. 15, 18. 1. Cor 3, 5.* adeoq; etiam minister Ecclesiæ suo modo, h.e. per modum causæ instrumentalis & influxu morali influit in conversionem hominis, ut & ipse convertere, & salvos facere auditores suos non malè dicatur.

vel à catholicâ communione sejuncti] Rectè. Hæretici enim non suum vel à sese excogitatum, sed DEI, atq; ab ipso Christo institutum Sacramentum administrant, illudq; non minus legitimum in suo cœtu habere possunt, licet non legitimè, qvia injusti ejus sunt usurpatores, & professores. Itaq; licet ipsi veraces non sint, id tamen qvod dant, verum est, cum non dent suum, sed DEI. Nolumus tamen hîc intelligere eos hæreticos, qvi in substantialia Sacramentorum impingunt, & sive materiam eorum sive formam nefario ausu corrumpunt. Tales enim legitimum Sacramentum non habent.

nullâ ministri fœditate commaculantur] At temporibus Divi Thomæ, dicunt Moralistæ, non fuisse licitum, à publico e.g. & notorio concubinario Sacramenta accipere, & si qvis accepisset, gratiam Sacramenti eum consecutum non fuisse. Ergo ex istius temporis doctrinâ colligere licet, commaculari potuisse per ministri fœditatem Sacramenta, qvod falsum esse, ex ante dictis constat. Hodiè, qvod sine peccato à notorio concubinario accipi possint Sacramenta, acceptum referunt Moralistæ Declarationi Martini V. Papæ. Vid. Thom. Hurtado *tr. 1. resol. 25.* Qvasi verò in Pontificis potestate sit decernere, ut non commaculentur Sacramenta, qvæ commaculata esse credidit ex ipsorum sententia & decrevit ætas antefior. Aut enim vetè commaculantur Sacramenta per fœditatem Sacerdotum,

tum, aut non commaculantur. Si prius, decernere contrarium nequit Pontifex, si posterius, erravit tota Ecclesia temporibus Divi Thomæ & antiquioribus, quæ id, ut refert Hurtado *d.l.* credidit.

Spiritualis potestas exerceri sine fide potest, sed non sine intentione Ecclesiæ. hoc dicit.

§. 8. Hoc tamen sic intelligi oportet, si tales ministri intentionem Ecclesiæ concordem habeant. Cæterùm si aliud agere intendant, [a] putà sacris illudere mysteriis, vel aliud, quod Ecclesiæ non consentiat, nihil agitur [b]: sine fide enim spiritualis potestas exerceri quidem potest, sine Ecclesiæ intentione non potest. His circa Sacramenta generaliter cognitis, exordiamur nunc de singulis etiam specialiter dicere: & quia Baptismus fundamentum [c] est & janua cæterorum, meritò ab eo principium sumamus.

a *c. sicut ficti. c. quod quidam. t. quæst. 1.*

b *solet etiam quæri. & ibi glossa de Cõsecr. dist. 4.*

c *cap. veniens. ext. de presbyt. non baptiz.*

intentionem Ecclesiæ concordem habeant] Necessum utiq; est, ut accedat intentio aliqua e.g. baptizantis, ut baptizans in animo habeat, non vulgari modo abluere, sed ita, quemadmodum ritu illo externo ac in sensûs incurrente fieri solet in Ecclesiâ, sive ut vel habitualiter duntaxat intendat, animoq; constitutum habeat, eundem actum saltem quatenus externum & sensibilem, præstare, quem in eo Sacramento exercere solent Christiani. Quia etiam certi ritûs & actûs observandi sunt, omninò ad eos præstandos attendere aliquo modo oportet Ministrum Ecclesiæ, ne vel substituantur alii ritûs, qui non mandati sunt, vel negligantur ac intermittantur, qui præcepti sunt, vel eorum ordo pervertatur. Et talis intentio externum istum sacrum ritum peragendi ab actione ipsâ, quando peragitur, separari, atq; à baptizante ministro subtrahi haudquaquam potest. Licet enim aliquis per consuetudinem & frequens horum actuum exercitium,

adeò

adeò adsveviſſet ritui huic ſacro, ut in animo, id qvod geritur, non voivat, ſed aliud qvid; non tamen omnis intentio ſimpliciter abeſſe poteſt. Infantes enim baptiſmò capiendo oblati, ipſe locus, adſtantes patrini, & cœtus & circumſtantiæ aliæ actionem hanc ita veſtiunt ac determinant, ut peragens ſuâ incogitantiâ menteq; ad aliud versâ, rei, qvam actu præſtat, intentionem, qvalis hic reqviritur & non niſi ad externum ſacrum actum refertur, non valeat eripere aut intervertere. Et fatentur ipſi pontificii, non reqviri intentionem, qvæ reſpiciat effectum ſpiritualem baptiſmi, ſed tantum intentionem externum illum ſacrum ritum peragendi, neq; actualem præcisè, ſed ſaltem habitualem, ut illud agat ex habitu, licet animus & cogitationes alibi verſentur. Id tamen aſſerere neutiqvam licet, tùm ab intentione miniſtri conferentis Sacramentum & ſecundum inſtitutionem Chriſti agere volentis, tùm ab æſtimatione ipſius actionis & fide ac aſſenſu verborum in mente conficientis Sacramenta & conferentis pendere efficaciam Sacramentorum, & ita eſſe in miniſtro virtutem qvandam, qvæ ad efficientiam Sacramentalem concurrat, ut absq; ejus intentione & devotione actio iſta, de cætero ſecundum inſtitutionem Chriſti compoſita & inſtituta planè irrita ſit, & ſuſcipiens fructum capere exinde neqveat. Qvia enim tota Sacramenta & ſunt & pendent ab operatione Chriſti, ſubverti & inefficacia reddi nudâ miniſtri intentione non poſſunt.

ſacris illudere myſteriis] Baptiſmus mimicus, ut & irrationalis verborum ſacramentalium pronunciatio, qvalem picæ aut pſittaco tribuit Bellarminus *l. 1. de Sacram. c. 27.* non eſt verum ſacramentum, ſed reqviritur, ut peculiaris inſtituatur actio, & qvidem illa actio, qvam Chriſtus inſtituit.

DE BAPTISMO, ET EJUS EFFECTU,

TITULUS III.

Baptiſmus operatur animæ ablutionem, & in locum circumciſionis eſt inſtitutus. hoc dicit.

§. 2. Baptiſmus[a] eſt ablutio corporis exterior: qvæ, adhibita certa verborum forma, interiorem ani-

[a] *gloſſ. 1. in ſum. de conſecr. diſt. 4.*

mæ ablutionem deſignat & operatur. Veluti enim circumciſio in populo b Dei, in fidei juſtitiæq; ſignaculum inſtituta, ad ſignificationem purgationis originalis veterisq; peccati parvulis valebat: ſic & baptiſmus ad hominis innovationem valere cœpit.

b *can. ex qvo d. diſtin. 4. de conſecr.*

eſt ablutio corporis] Aqvæ in baptiſmo officium Sacramentale non eſt, ut abluat ſordes corporis, ſed ut ſit medium, ſymbolum, inſtrumentum divinum, verbo DEI ſanctificatum & ſegregatum in hunc peculiarem uſum, ut cum eo & per illud DEUS in hominibus, qvi baptizantur, efficaciter operetur regenerationem & renovationem.

& operatur] non qvidem phyſicè, uti pharmaco ineſt vis ſanandi, ſed ex ordinatione & inſtitutione divinâ. Aqvæ enim elemento tanta efficacia tribui neqvit, nec verborum recitationi, aliisq; qvæ adhibentur, ceremoniis magicam qvandam vim & occultam qvalitatem ineſſe credendum eſt, ſed omnis baptiſmi virtus, totaq; efficacia divinâ inſtitutione nititur & ab eâ pendet, ita ut externa hæc actio, qvæ aqvæ adſperſione & trium divinitatis perſonarum invocatione conſtat, ipſumq; ſacramentum abſolvit, ſit organum ſive inſtrumentum, qvo interveniente Spiritus S. internum regenerationis ac renovationis opus in baptizatis efficaciter agat & conſummet.

juſtitiæq; ſignaculum] Differunt ſignum & σφραγὶς ſive ſignaculum. Illud ad ſubſtantiam, hoc ad uſum refertur. Illud rem inviſibilem exhibet, hoc vero peccatorum remiſſionem obſignat.

ad ſignificationem] Si ſignaculum eſt, non ſignificat tantùm, ſed alium etiam effectum habet. Sed enim Pontificiorum ſententia hæc eſt, Sacramenta V.T. fuiſſe tantùm ſigna earum rerum, qvæ Sacramentis noſtris efficiendæ eſſent, uti habetur in Catechiſmo Romano *c. de Sacram.* Sic & Concilium Florentinum hanc dedit Armenis inſtructionem: *Antiqvæ legis Sacramenta nõ cauſabant gratiam, ſed ſolùm eam per paſſionem Chriſti dandam figurabant, ſed noſtra & continent gratiã & ipſam conferunt.* Præterea ſtatuunt ac docent, in Sacramentis V.T. fidem ac devotionẽ, ceu actũ obediẽtiæ fuiſſe reqviſitum, cujus virtute & ita per modum meriti fideles tunc non tàm per Sacramenta, qvàm in uſu Sacramentorum acciperent gratiam, Greg. de Val.

7. 4. in disp. 3. q. 3. Nostræ verò Ecclesiæ docent ac confitentur, Veteris Testamenti Sacramenta cum Sacramentis N. T. in eo convenire, qvod fuerint media & organa, qvibus mediantibus beneficia Evangelica â DEO oblata & collata fuerint. Non diffitemur tamen, illustre inter Veteris & Novi Testamenti Sacramenta discrimen esse illudq; consistere dicimus 1. in ipsis ritibus externis. Aliis enim ritibus juxta Augustinum res annunciari debuerunt completæ, aliis res adhuc complendæ prænunciari. 2. in modificatione objecti promissi. Sacramenta enim V. T. etsi exhibebant virtutem incarnationis & redemtionis Christi, tamen non ipsum Christum exhibebant, sed præfigurabant & prænunciabant venturum. Non enim tantùm media exhibendi gratiam erant, sed etiam typi ac umbræ Messiæ. N. T. Sacramenta verò, qvia non typi ac umbræ sunt, ideò cum virtute etiam ipsum Christum & redemtionem factam offerunt atqve exhibent. 3. in gradu revelationis. Sicut enim modus revelationis in N. T. illustrior est, lux fidei major & mensura gratiæ uberior: ita etiam per Sacramenta N. T. gratia Christi luculentiùs, pleniùs, perfectiùs & uberiùs omninò dispensata est credentibus.

Licet in baptismo plena contingat peccatorum remissio, non tamen contingit plena novitas h. d.

§. 2. Non tamen ex qvo qvisq; baptizatur, statim etiam in eo omnis vetus infirmitas absumitur, sed renovatio ad remissionem peccatorum incipit, & ad intelligentiam & operationem spiritualium: cætera verò sunt in spe, donec recompleantur, qvod erit in resurrectionis tempore. Qvamvis ergo in baptismate plena fiat peccatorum remissio, nō propterea plena novitas & mutatio contingit. *c. non ex qvo. de consecr. dist. 4.*

Non tamen] Peccati reatus tollitur qvidem per baptismum, etiam habitus ipse paulatim debilitatur & minuitur per renovationem, in hac vita tamen non planè extirpatur.

Cum

Cura baptizandi ad solos sacerdotes spectat, sed ex causa necessitatis quilibet potest baptizare. h. d.

c *can. constat. de consecr. distin. 4.*

§. 3. Baptizandi [c] autem cura ad solos sacerdotes pertinet, ejusq; ministerium nec ipsis diaconis explere permittitur, absqve Episcopo vel presbytero: nisi his procul absentibus, ultima langvoris cogat necessitas: qvo casu & laicis fidelibus, atq; ipsis mulieribus [d] baptizare permittitur. Presbyter verò, cujus negligentia commissum est, ut qvis sine baptismate ex humanis excesserit, deponendus erit [e].

d *can. mulier. d. distin. 4. de. consecr.*

e *can. qvicunqve. d. dist. 4.*

nec ipsis Diaconis] Vid. qvæ dixi *ad lib. 1. tit. 22. in princ. verb. sed nec baptizare &c.*

qvo casu & Laicis fidelibus] Atq; hos, qvia tùm Sacerdotis partes agunt, neq; bigamos esse, neq; tales, qvi post baptismum acceptum pœnitentiam exsolverint, voluit olim Concilium Eliberinum *can. 38.* uti eum explicat Gabriel Albaspinæus *in not.* Sed de autoritate ejus concilii adhuc disceptatur inter ipsos Pontificios, uti videre est apud Francisc. Long. à Coriolano in *summ.* & dubius de eâ adhuc videtur Baronius *ann. 57. n. 119. & 122.*

atqve ipsis mulieribus] Sicuti in casu necessitatis & ubi Viri, qvi præstent, desunt, fœminis munus docendi aliqvando obire licet, ita etiam iisdem in pari casu baptismi ministrationem haudqvaqvam derogare possumus. In eo tamen errant Moralistæ hodierni, qvod à mulieribus baptizatos deinceps ab ministris Ecclesiæ denuò baptizari velint sub conditione. Vid. Paul. Laymann. *in Theol. moral. lib. 5. tr. 2. c. 5. n. 3.*

Baptizati ab hæreticis, schismaticis, paganis, vel aliàs facinorosis, non sunt denuò rebaptizandi. h. d.

d *can. sive ab hæreticis & can. seq. de consecr. dist 4.*

§. 4. Sed & si qvis ab hæreticis [a], sive schismaticis, vel etiam paganis, aut aliàs facinorosis baptizati fuerint, qvasi

qvasi baptizati non fuerint, iterum baptizari non debent. Antiqva [b] tamen patrum induxit institutio, ut qvi ab his in Trinitatis nomine baptizati fuerint, cùm ad sanctam Ecclesiam redierint, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesiæ revocentur.

[b] *can. ab antiqva. d. distin. 4.*

Sed & si qvi ab hæreticis] Dogma hoc de rebaptizandis iis, qvi ab hæreticis baptizati fuerant, miserè discerpsit & afflixit Ecclesiam. Cum enim Cyprianus eâm in sententiam inclinasset, nec assensum habere ab Stephano Episcopo Romano posset, uno eodemq; anno tria, unum post aliud, Carthagine convocavit concilia, & per illa confirmari fecit sententiam, qvæ baptismum iterari debere volebat. Idq; factum anno Christi CCLVIII. In Asiâ eadem controversia mox mota, & eodem anno in Iconio Phrygiæ oppido per Synodum definitum fuit, nihil eorum, qvæ ab hæreticis facta essent, ab Ecclesiâ Orthodoxâ recipiendum esse, ordinationes, baptismum, manuum impositiones, aliudve sacrum qvodvis ab hæreticis administratum invalidum esse. Huic concilio assensum præbuit eodem tempore alterum illud, qvod Synadis in Asiâ confluxerat, & sic Asia duorum; Africa trium conciliorum decretis dogmati isti magnam conciliavit autoritatem. Sopita tamen brevi post tempore tota ea fuit controversia, donec ineunte seculo IV. Donatus cum sociennis eam resuscitaret, & præter alios errores etiam Sacramentorum efficaciam ex ministri dignitate & bonitate judicaret, ita ut à minus digno aut hæretico baptizatos rebaptizari oportere contenderet. Fieri enim non posse, ut in falso baptismate inqvinatus abluat, immundus emundet, supplantator erigat, perditus liberet, reus veniam tribuat, damnatus absolvat, uti Donatistarum verbis loqvitur Optatus Milevitanus *lib. 1.* Masculè tamen semper restitit Ecclesia orthodoxa, docuitq;, non antiqvissimam tantum esse consvetudinem semel jam verè baptizatos non rebaptizandi, verùm etiam sacræ Scripturæ consentaneam, utcunq; Cypriano tanto Ecclesiæ lumini & tot præstantibus Episcopis aliter visum fuisset. Eqvidem baptisma verum unum tantum est, i. e. tale qvale Christus instituit: est etiam Ecclesiæ, non hæreticorum, qvantumvis ab

hæreticis miniſtretur: nec enim tùm id impartiuntur, qvod ipſi habent, i. e. perfidiam & fraudes ſuas, ſed qvod Eccleſiæ proprium eſt, & ab Eccleſiâ ſeu mutuati ſeu ſuffurati ſunt. Aliud etiam eſt rectè baptizare, aliud rectè credere, cùm in ipsâ Eccleſiâ ſæpè hypocrita baptizet, qvi rectè tamen non credit. Sed non obſtat, qvod hæretici nec jus nec poteſtatem baptizandi habeant: neq; enim inde id conficitur, non legitimum eſſe baptismum, qvo baptizant, ſed id tantùm, legitimè eos non baptizare, i. e. id eos facere, qvod ipſis non licet nec commiſſum eſt. Qvod ſi tamen hæreticus ſubſtantialia baptismatis ſive materiam, ſive formam nefario auſu corruperit, verum is baptiſmum non habet, & idcircò ab illo baptizatos non tàm rebaptizare, qvam rectè baptizare neceſſe eſt. Unde etiam concilium Nicenum, cum omnes alios ab hæreticis baptizatos reciperet, Pauli tamen Samoſateni ſectatores propter hanc cauſam denuò baptizandos eſſe decrevit, *can. 19.* Vid Auguſtin. *lib. de hæreſ. ad Qvod vult deum hæreſ. 44.*

vel etiam paganis] Hoc ipſum etiam reſcribit Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum *c. á qvodam 23. de conſecrat. diſt. 4.* At contrarium reſcribit Gregorius II. qvod â paganis baptizati denuò baptizati debeant in nomine Trinitatis *c. qvos 51. diſt. eàd.*

aut unctione chrismatis] De hac dicendum erit *tit. ſeq.*

aut ſolâ profeſſione fidei] Utrum autem profeſſio fidei tàm neceſſaria ſit, ut ſine eâ baptiſmus ab hæreticis acceptus vires emundationis non recipiat, uti ferè dicitur *c. ab antiqva 43. de conſecrat. diſt. 4.* diſceptent Pontificii. Nos dicimus formam eſſentialem Eccleſiæ conſiſtere in unione intrinſecâ cum Chriſto capite & reliqvis membris, eamqve unionem diſtinctâ ſingulorum individuorum notitiâ infallibiliter ſciri non poſſe, uter ſc: fidem profitentium verè unitus ſit, nec ne, eò qvod plurima qvandoqve ſubſit hypocriſis. Et ergo interna potius unio Eccleſiæ membrum facit, qvâ unione & communione Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſionis conjuncti fuerunt illi omnes, qvi ſub Papatu beatè mortui ſunt, utcunqve noſtris Eccleſiis profeſſionem ſuam nunqvam ediderint. Qvanqvam enim fieri non poſſit, ut cœtus in fide & doctrinâ fundamentali corruptus ſit membrum homogeneum Eccleſiæ veræ; fieri tamen poteſt, ut in externa ſocietate corruptæ illius Eccleſiæ ſint membra homogenea Eccleſiæ veræ per conſenſum circa veritates Theologicas connexas. Vid Joſeph. Hallus *in Rom. irreconciliab. ſect. 1.*

Nemo

Nemo seipsum baptizare potest. h. d.

§. 5. Sed [c] qvanqvam baptismus ab hæreticis, schismaticis, vel paganis susceptus valeat, ipsum tamen se baptizare nemo poterit: sicut enim in carnali generatione, qva proles ex viro & fœmina nascitur, alius est qvi carnaliter gignit, alius qvi gignitur: sic in sacramentali generatione, qva soboles ex aqva & Spiritu sancto renascitur, alius debet esse qvi spiritualiter generet, alius qvi generetur. Unde de Judæo, qvi in mortis articulo constitutus, inaqvā se ipsum immergendo dixerat, *Ego me baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, responsum est denuo ab alio illum baptizandum esse, ut ostēdatur qvòd alius est qvi baptizatur, alius qvi baptizat qvamvis si talis continuò decessisset, protinus ad patriam evolasset, non propter fidei sacramentum, sed propter sacramenti fidem.

[c] *cap. debitum extra. eod.*

ipsum tamen se baptizare] Tales adhuc hodiè inveniuntur in Britanniâ, qvi propterea Sebaptistæ dicuntur, de qvorum origine vid. Honor. Reggius *de stat. Eccles. in Britann.*

non propter fidei Sacramentum] Hoc ita explicant, qvod talis salvatur non ratione baptismi actualis, sed ratione baptismi in voto, qvia creditur habere contritionem cum proposito baptismi. Aug. Barbosa *ad c. debitum 4. X. h. t.* Sed enim utrinqve hîc aliqod meritum statuitur, propter qvod salus contingat. Si enim baptismum in voto

ſpectes, tantam ejus faciunt neceſsitatem, ut ſine eo ſalvari poſsit nemo qvisqvam. Diſtingvunt namqve inter id qvod neceſſarium eſt in re, h.e. ut re ipsâ applicetur, & inter id, qvod in voto i. e. deſiderio ac propoſito ſaltem applicandi, ſi facultas ſubeſſet, neceſſarium eſt. ac dicunt, neceſſarium eſſe baptiſmum ſingulis ad ſalutem ad minimum ſub voti ac deſiderii neceſsitate. Qvin diſtingvunt porrò inter votum explicitum & implicitum, & ſufficere dicunt votum, etiamſi non actu fieret, ſi modo voturus id eſſet, ſi rem intelligeret. Et tum propter iſtud votum, qvalecunqve id fuerit, ſalutem contingere perhibent. Nos verò neceſſarium qvidem dicimus baptiſmum tùm neceſsitate præcepti & inſtitutionis divinæ, tùm neceſsitate medii & finis, non tamen tantam ejus eſſe neceſsitatem, qvanta eſt fidei & Verbi. Diſtingvendum verò eſt inter contemtum Sacramentorum, ac privationem eorundem. Sine fide nemo poteſt ſalvari, & ſine verbo non poteſt eſſe fides modo ordinario; ſi tamen ex audito verbo habeat qvis veram fidem in Chriſtum & ipſi non concedatur facultas, ut poſsit Sacramentis juxta divinam inſtitutionem uti, in tali certè caſu non eſt ſtatuenda præciſa neceſsitas Sacramentorum ad ſalutem, ut propterea ſalus denegetur illis, qvibus non datur facultas utendi Sacramentis, licet fide in verbo apprehendant Chriſtum mediatorem. Nec tamen hîc etiam votum aliqvid facit, ſed cum baptiſmum neceſsitas excludit, ſola fides juſtificat & ſalvat, non votum. Qvod ſi ex alterâ parte baptiſmum actualem ſpectes, ſtatuunt pontificii, Sacramenta N. T. ex opere operato conferre gratiam ſuſcipienti. Obſcurè qvidem de opere operante & opere operato plerumqve diſſerunt Scholaſtici, ut etiam Vazqvez *in 3. Thom. diſp. 131. n. 10.* fateatur, â nemine exactè ſenſum ejus rei fuiſſe traditum, & aliter in ſcholis veterum, aliter in hodiernis accipi; Sed eſt tamen hæc communis interpretatio, qvod opus operans ſit fides ac devotio ſuſcipientis Sacramentum, qvatenus eſt opus meritorium ipſius ſuſcipientis, ex qvâ omnis vis & actio Sacramenti pendeat; opus operatum vero ſit actio externa, qvæ Sacramentum dicatur, & vi ſuâ internâ, non qvidem naturali, ſed accepta ex ordinatione divinâ efficiat & operetur activè & proximè gratiam juſtificationis, in illis, qvi non obicem ponunt, qvæqve non dependeat â fide & devotione ſive conficientis & agentis, ſive ſuſcipientis Sacramentum. Bellarm. *l. 2. de effect. Sacram. c. 1.* Paul. Laymann. *theol. moral. l. 5. tr. 1. c. 3. n. 5.* Et qvamvis de eo adhuc diſceptent, an Sacramenta N. T. ex opere operato agentia producant gratiam, an verò DEUS in illorum uſu eam producat, ſicut Bellarm. *c. 11.* diſputat, virtutem effectivam, qvæ Sacramen-

tis

eis indita sit, non esse qvalitatem inhærentem spiritualem vel corporalem, sed esse motum Dei utentis actione sacramentali; tamen in eo omnes conveniunt, à fide susciptentis non dependere istam efficaciam; non excludi qvidem eam à subjecto justificando, ad justificationem tamen nihil conferre, nisi qvod per modum dispositionis obstacula tollat. Sed enim disputent illi ut velint. Nostræ Eccleſiæ negant, ad justificationem & salvationem nostram ita concurrere Sacramenta, ut eam conferant & exhibeant etiam illi, qvi non speciali fide & fiduciâ oblatum bonum apprehendit & recipit. Ut enim qvis actu justificetur ex Sacramentis, utq; oblatum bonum ei conferatur & applicetur, ad id fides ceu organum recipiens reqviritur, non qvod fides essentiam Sacramentorum ingrediatur, aut efficaciam in eis exsuscitet; sed qvod in usu Sacramentorum, & in relatione qvoad nos, atq; eorum applicatione fides ex parte susciptentis, ut organum recipiens, necessariò reqviratur.

Baptismus alius fluminis, alius flaminis, alius sangvinis. h. d.

§. 6. Qvod qvidem & de illo rectè creditur, qvi visibiliter non baptizatus martyrii subiit sacramentum. Baptismus enim invisibiliter ministratur, qvem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit. Unde scitè [d] scriptum à qvibusdam reperitur, baptismum alium esse fluminis, alium flaminis, alium verò sangvinis: cùm baptismi virtus & efficacia non tam ablutione [e] corporis, qvàm fide cordis contineatur: & aliud sit per ministerium baptizare [f], qvod sacerdos exeqvitur: aliud per potestatem, qvam Dominus non usqve adeò sacramentis adjunxit, ut sine illis eorundem gratiam tribuere non possit.

c. baptismi vicem. de consecr. dist. 4.

d gloss. 1. in sum. de consecr. dist. 4.

e can. verus baptismus. d. dist. 4.

f canon. aliud est. d. dist. 4.

Baptismus enim invisibiliter ministratur] Assertio

tio hæc proficiscitur ex assertione absolutæ necessitatis baptismi, de qvâ egimus paulo ante. Et vero si invisibiliter ministrari poterit baptismus, visibiliter ministrari poterit, ut Sacramentum, qvia ex sententiâ ipsius autoris sacramentum demum fit, ubi verbum accesserit ad elementum.

baptismum aliud esse fluminis] Ita qvidem venustè distinxit antiqvitas. Sed istud pessimè deinceps depravatum & ita acceptum fuit, ac si dignitas operis & meriti in martyrio tanta sit, ut baptismo æqvari & ejus vicem supplere possit. Item baptismum flaminis ita interpretati sunt, qvod tanta possit in aliqvo contrito satisfactio & charitas esse, ut dignitas ejus vicem virtutis baptismi supplere possit. Qvæ omnia falsa & impia sunt.

qvam fide cordis contineatur] rectè hoc. Non ergo efficaciam habet baptismus ex opere operato.

non usqz adeò sacramentis adjunxit] rectè & hoc. ad qvid ergo facit, qvod necessarium dicunt baptismum ad minimum sub voti ac desiderii necessitate.

Parvuli baptizantur in fide parentum, & Ecclesiæ; & non debet minor esse virtus baptismi, qvàm circuncisionis. h.d.

§. 7. Non tamen, qvia fide cordis baptismatis virtus continetur, ideò minùs parvulos [g], qvi credere ob ætatem non possunt, unda salutaris abluit, cùm & ii non per usum, sed per habitum fidei, qvem suscipiunt in baptismate, credere non malè credantur, & in fide parentum [h] & Ecclesiæ, alio profitente, baptizati, ob fidei sacramentum rectè fideles dici possunt: & cùm circuncisio [a] tam adultis, qvàm parvulis ex præcepto Domini conferretur, ne baptismus, qvi succedit in locum ipsius, & generalior tamen

g *cap. majores. in fin. prin. extr. eod.*

h *can. illud. & can. seq. vers. parvuli. de consecr. distin. 4.*

a *cap. majores. §. cum ergo. extra. eod.*

men exiſtit, cùm tam viri, qvàm fœminæ baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis, qvàm parvulis eſt conferendus.

qvi credere ob ætatem non poſſunt] contrarium dicit Salvator *Matth. 18, 6.* qvo ipſo confutatur fides habitualis ab autore deinceps infantibus aſſertus. Hoc qvidem certum eſt, fidem infantum non eſſe diſcurſivam, ut adultorum, ſed eſſe ſimplicem adprehenſionem ſeu notitiam, ab Spiritu S. in iis excitatam; notitia tamen illa eſt vera fides actualis meritum Chriſti apprehendens. Credunt in Deum, neſciunt tamen ſe credere, qvia fides eorum eſt ſine reflexione. Et hinc rectè Nazianzenus: *Infantes ſanctificantur ſine ſenſu ſanctificationis.*

in fide parentum] Falſum & hoc eſt. Nam voluntas & fides aliena non prodeſt infantibus ad ſalutem, ſed tantùm ad accipiendum organum fidei, dum Eccleſia & in hâc parentes pii & ſuſceptores aut patrini credunt, baptiſmum eſſe organum fidei, & propterea afferunt infantem, ut baptizetur. Fides igitur aliena eſt legitimum officium charitatis præſtitum infantibus, ut ipſi per baptiſmum regenerentur & accipiant fidem, ſicut Auguſtinus ait *lib. 10. de verb. apoſt. Accommodat mater Eccleſia infantibus aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum lingvam, ut confiteantur.* Cum itaq; qværenti Eccleſiæ miniſtro, *an infans credat in DEUM & abrenunciet Satanæ?* patrini reſpondent, *ita:* tunc ſenſus eſt, qvod patrini credant, baptiſmum eſſe medium illud ſalutare, qvod ſi infans à ſe allatus accipiat, fidem propriam ſit habiturus, & nuncio Satanæ miſſo ſuum obſeqvium DEO addicturus.

ob fidei Sacramentum] Videtur hic denuò opus operatum ſubintelligere, eiq; omnem virtutem & efficaciam attribuere, qvod falſum diximus ſuprà.

& generalior tamen exiſtit] An ergò dicendum, circumciſionem olim ad fœmellas non pertinuiſſe? imò verò fuérunt illæ in fœdere, licet ſignum fœderis ſolis eſſet injunctum maſculis. Qvanqvam enim fœmellæ non circumcidebantur, tamen qvia genitæ erant à circumciſis patribus, ad qvos promiſſio ſpectabat: ero DEUS tuus & ſeminis tui poſt te: ideò fœminæ qvoq;, tanqvam ſemen circumciſi populi, erant in fœdere.

Tam

Tam mater, qvàm filius, in ipso articulo parturiendi, possunt sepamtim baptizari, nec ob id creditur baptismus iteratus. h. d.

b *canon. si ad matris. & can. seq. de consecrat. distin. 4.*

§. 8. Is [b] qvoq;, cujus mater vel prægnans, vel in ipsa hora qva parturit, mortis urgente periculo, baptismatis gratiam perceperit, baptizari poterit, nec propterea bis baptizatus reputabitur· cùm utiq; ad maternum corpus, cùm esset in utero, pertineret: nec ibi regeneratio reperiri possit, ubi generatio non præcesserit, nec in hoc infanti, qvi nascitur, aliqvid mater participat, cùm uniuscujusq; propria voluntas in confessione sit attendenda.

nec ibi regeneratio reperiri possit] Sed alia mens sedet Moralistis hodiernis, qvi volunt, in casu, qvo fœtus edi non potest, & periculum mortis immineat, posse & debere fœtum illum qvomodocunq; & qvacunq; corporis parte conspicuum baptizari, ita ut sufficiat, vel manum tantùm, aut pedem, aut digitum, imò crines etiam, & secundinam, si nulla alia pars ex utero appareat, baptizari. Diana *part. 5. tract. 3. resolut. 12.* Joh. Præpositi. *part. 3. qv. 66. art. 8. dub. 3.* Basilius Pontius *lib. 4. c. 25. n. 27.* Jacob Marchant. *in candelabro Sacrament. tr. 2. qv. 1. cas. 2.* Soto *in 4. dist. 3. qv. un. §. 3.* Ochagavia *de Sacram. tr. de baptism. qv. 4. n. 3.* Et ipsi tamen vicissim consultius ducunt, ut, si deinceps fœtus editus fuerit, de novo ille baptizetur. Joh. Bapt. Costa *de remed. subsid. c. 127. n. 6. 7.* Qvo ipso, qvantum priori illi baptismo tribuant, haud obscurè produnt. Nec verò decet Christianos tesseras suas veluti ludos exponere.

cum uniuscujusq; propria voluntas] de fide enim interrogabantur catechumeni, anteqvam baptisarentur, neq; aliter ad fontem lavacri admissos reperies, nisi ejus rationem aliqvam reddidissent. Vid. Augustin. *de fid. & operib. cap. 6. & 9. & lib. 8. Confess. c. 2.* Præterea paulo anteqvam mergerentur, baptismum se optare, se baptizari velle magnâ voce contestabantur. Mater igitur uterum gerens de suâ tantum animi intentione

tione & fide respondet, ut fœtus in utero ex baptismo matris nihil planè participet.

Muti, surdi, & ægrotantes baptizari possunt. h. d.

§. 9. Muti qvoq; [c], & surdi, item ægrotantes, qvi pro se respondere non possunt, aliis pro se profitentibus, rectè baptizari poterunt.

c *can. parvuli alio. & can. seq. d. dist. 4. de consecr.*

Muti qvoq; & surdi] Qvi tantùm muti & non surdi sunt, si fidem ex auditu aut ex lectione Scripturæ perceptam analogico signorum sermone profiteantur & sanctâ conversatione cohonestent, sine dubio baptizari debent. Qvi surdi sunt ex casu, si fidem jam ante ex auditu & lectione perceptam hoc in statu per signa aut scripturam, aut si muti simul non sunt, vivâ voce profiteantur, etiam baptizari debent. Qvi vero surdi sunt nativitate, qvia difficulter & non nisi per externa signa atq; imagines sive picturas Christianam fidem edoceri possunt, baptizari non debent, nisi certam aliqvam fidei suæ significationem ediderint, seq; vitâ & moribus inculpatos præstiterint.

ægrotantes, qvi pro se respondere non possunt] Si illi catechumeni sunt, utiq; admitti possunt ad baptismum, qvod eorum animus, voluntas & cupiditas toto catechumenatu nemini non cognita dubitationem omnem de dando baptismo tollat. Sin gentiles, admitti non debent, qvod nec de fide nec desiderio eorum constet. Vid. Gabr. Albaspinæus *not. in can. 34. concilii Carthaginiensis III.* Fuérunt autem olim duo genera eorum, qvi gravi morbo decumbentes baptizabantur, qviq; exinde Clinici dicebantur. Alterum eorum, qvi Christianam fidem amplexi, & morbo prævenți, in ipsâ ægritudine baptizabantur, de qvibus agit Epiphanius *hæres. 28.* Alterum eorum, qvi professione Christiani jam erant, baptismum tamen ad extremum vitæ consultò differebant, simul & baptizari & mori volentes, ne, qvi erat seculi error, post acceptum baptismum ubi peccassent, nihil haberent reliqvum, qvo peccata expiare possent. In posterius hoc genus acri reprehensione insurrexérunt patres. Prius autem reprehendi ideò neqvit, qvia in catechumenatu facilè qvis morbo infestari potest. Vid. Christoph. Justell. *ad cod. can. Eccles. univers. p. 170. 171.*

aliis pro se profitentibus] perinde ut in baptismo infantum.

tum. Qvæ enim hi per se respondere & promittere & profiteri non poterant, eorum nomine respondérunt, & promisérunt & professi sunt susceptores, seu Patrini, aut sponsores. Vid. Augustin. *epist. 23. & sermon. 116. de tempore.* Id verò adhuc latius extendérunt Cerinthiani & Marcionitæ, qvi etiam pro mortuis ut responderent & baptizarentur alii, admisérunt. Sic enim de Marcionitis Chrysostomus *hom. 40. in 1. Cor. 15. Postqvam catechumenus qvispiam apud eos excesserit, sub lecto mortui absconso aliqvo, qvi vivit, accedunt ad mortuum & alloqvuntur & rogant, velitne baptismum accipere? deinde illo nihil respondente, is qvi est absconsus inferius, pro illo dicit se velle baptisari, & sic eum baptisant pro eo qvi excessit* &c.

Dormiens & amens, si ante somnum & amentiam habuerunt propositum baptizandi, baptizari possunt. h. d.

d *cap. majores. in fin. extra. eod. de Baptism.*

§. 10. De dormientibus [d] & amentibus qvæsitum est, & planè si prius qvàm dormirent, aut amentiam incurrerent, non baptizandi propositum haberent, qvia in eis eadem perdurare voluntas intelligitur, si sic immersi fuerint, characterem sacramenti non suscipiunt: secus autem, si priùs catechumeni extitissent, & baptizandi propositum habuissent: tales enim in necessitatis articulo baptizare consvevit Ecclesia. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.

De dormientibus] Inutilis videtur de his disceptatio. Cui enim non vigilanti potius baptismus conferri debet? & qvæ est hæc necessitas, qvæ dormientes baptizare coget?

& amentibus] Veram amentiam definiunt, cum phantasia & ratiocinatio ita læsa est, ut nec principia cognoscat, nec ullos conceptus gignere possit. Eamq; porrò vel naturalem vel adventitiam, propter morbum

bum sc. vel vulnus, vel aliam causam, faciunt. De adventitiâ hîc sermonem esse nemini dubium est. Et qvanqvam sint, qvi cum autore sentiant, cavendum tamen omninò est, ne temerè baptismus conferatur, præsertim cum contemptus baptismi, non privatio ejus damnet. Add. Gisbert. Voët. *disp. theol. part. 2. p. 424. seqq.* Qvæ vero de charactere hîc fabulatur autor, humanæ mentis idola esse diximus supra tit. anteced.

Invitus baptizatus characterem suscipit, & cogendus est ad observantiam fidei, secus si penitus sit coactus. h.d.

§. 11. Sed & si qvis non sponte, dum tamen non omninò coactus baptismatis susceperit sacramentum, Christianitatis characterem suscipit: utputà, cùm qvis terroribus, atq; suppliciis ad undam salutarem trahitur, & ob id tanqvam conditionaliter volens, licet absolutè non velit, est ad fidei Christianæ cogendus observantiam. Ille verò, qvi nunqvàm consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem sacramenti suscipit. Plus est enim expressè contradicere, qvàm minimè consentire.

d. c. majores. ver. propter.

Sed & si qvis] De duplici violentiâ & coactione hîc agit autor, tùm eâ, qvæ tendit ad baptismum suscipiendum, tùm alterâ, qvæ ita baptizatum cogit ad Christianæ fidei observantiam. Neutra Christianum hominem decet. Et tamen utramq; eam qvotidiè exercent Religionis pontificiæ propugnatores. *Verùm sæviant illi (*sunt verba B. Augustini*) qvi nesciunt, qvo cum labore verum inveniatur, & qvam difficile caveantur errores. Illi sæviant, qvi nesciunt, qvam rarum & arduum sit, carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi sæviant, qvi nesciunt, qvanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum. Illi sæviant, qvi nesciunt, qvibus gemitibus & suspiriis fiat, ut ex qvantulacunq; parte possit intelligi DEUS.* Nobis nefas est sævire, qvorum auribus perpetuo insonat Prophetæ illud, *veritatem & pacem diligite.* qvibus ante oculos posita lex Evangelica,

lica, *qvod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris.* qvibus deniq; semper in manibus illud Apostoli: *Servum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos, qvi contrario sunt animo affecti, si qvando det eis DEUS fortè resipiscentiam ad agnitionem veritatis. Fides svadenda est*, inqvit Bernhardus *serm. 66. in Cant. non imperanda.* Et *serm. 64. Hæretici capiantur potius, qvam effugentur. Capiantur dico, non armis, sed argumentis, qvibus refellantur errores eorum.* Et Augustinus *epist. 48. neminem*, ait, *ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, qvos apertos hæreticos noveramus.* Certè cum unicâ hâc ratione & Arianos & Apollinaristas, & Macedonianos & Sabellianos aliosq; sui temporis hæreticos in viam à se reductos, glorietur Sanctissimus Nazianzenus, sævitia autem aliis infeliciter cesserit, par utiq; est, ad tanti viri exemplum, animum, lingvam & calamum componere. Tortoribus enim magis, lictoribus & carnificibus convenit disputandi ratio sangvinaria, qvàm Apostolis & Ecclesiæ Doctoribus.

nec rem, nec characterem] De charactere nolumus disputare, cum is merum sit figmentum cerebri humani. De re autem, qvod ait Autor, ideò admitti neqvit, qvia ad integritatem & sanctitatem Sacramenti nihil facit, qvid credat & qvali fide imbutus sit ille, qvi Sacramentum accipit. Interest qvidem plurimùm ad salutis viam, sed ad Sacramenti veritatem & essentiam nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum accipiat Sacramentum, sed planè perversam habeat fidem. Et idcircò disputat Augustinus, errorem in fide, ejus qvi baptizatur, utilitatem qvidem baptismi, qvod ad salutis viam attinet, excludere; Sacramentum tamen illi non deesse, nec si convertatur, repeti oportere; tunc enim demum, cum fides vera facta fuerit, Sacramentum prius susceptum vires suas exserere. *lib. 4. contr. Donatist. c. 15.*

Is, de qvo non est præsumptio, qvòd sit baptizatus, debet sine metu iterationis baptizari. h.d.

e *can. si nulla extant. de cõsecrat. dist. 4.*

§. 12. Illud[e] in dubium venire non debet, qvoties nulla extant indicia inter propinqvos & familiares, qvibus aliqvos baptizatos esse doceri possit, eosdem baptizari minimè prohibendos esse. Qvod enim

factum

factum esse nescitur, nulla ratio sinit, ut iteratum videatur: nec temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. De eo tamen, qvi Christianis parentibus natus, inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur, qvòd baptizatus fuerit, ut hæc præsumptio pro veritate sit habenda, donec evidentissimis argumentis contrarium probatum fuerit.

c. fin. de Presbyt. non baptizat.

eos dem baptizari minimè prohibendos esse] Sed volunt tùm administrari debere baptismum sub conditione hoc modo: *Si baptizatus es, non te baptizo; Sed si non baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris*, &c: Qvam conditionem non hoc tantùm casu, sed alibi sæpè, qvando de validitate baptismi dubium nascitur, addendam esse consulunt. Et tradit Johannes Chapeaville, apud Paulum Laymannum *in theol. mor. lib. 5. tr. 2. c. 5. in fin.* hanc regulam: *Si dubium de valore Sacramenti publicè notum est, conditio in ejus collatione exprimi debet; sin vero occultum est, conditio tacitè subintelligenda.* Qvasi vero conditio hæc qvicqvam faciat vel ad valorem vel ad efficaciam Sacramenti.

inter Christianos est fideliter conversatus] Sì enim inter Christianos educatus aut conversatus non est, vacillat præsumtio. Qvò facit Synodica Lucæ Patriarchæ Constantinop. *c. 12. Cum infantes*, inqvit, *ex Christianorum regione à Scythis & Agarenis bello capti essent, & empti a Romanis, dubitatum est, an oporteat venundatos rebaptizari. Dicebant enim nonnulli, qvoniam ex Christianâ regione capti sunt, præsumtio est, eos fuisse baptizatos in patriâ ætate infantili, nec denuò rebaptizandos esse. Magis tamen placuit, eos debere baptizari, qvod nesciant, an in infantiâ fuerint baptizati, nec ulli inveniantur, qvi baptismum affirment.* &c: Qvin & Laymannus *loco supra citato* putat, dari posse tales conjecturas, qvæ præsumtionem accepti baptismi tollant, & contrarium verisimile efficiant. eòq; refert e. g. si qvis à veneficis parentibus natus fuerit; it. si à Diabolo valdè infestetur, &c. qvæ tamen profectò tales mihi haud videntur, ut præsumptionem accepti baptismi elidere possint.

Iterum scienter baptizatus debet severissimè puniri, ignoranter verò bis baptizatus non potest ordinari, nisi ex necessitate. h. d.

a *can. qui bis. de consecr. dist. 4.*

§. 13. Qvòd si [a] qvis sciens & prudens iterum baptizari sustinuerit, arctissimæ pœnitentiæ subjiciendus erit: qvòd si ignoranter, nulla qvidem imponenda erit pœnitentia, sed nisi magna cogat necessitas, ordinari non poterit.

c *confirmandũ 50. dist.*

Qvod si qvis sciens & prudens] Etiam civiles leges anabaptismum severè prohibuerunt, atq; eum tùm in baptizante, tùm in baptizato satis gravibus pœnis vindicarunt, uti videre est ex *tot. tit. Cod. & Theodosiani & Justinian. ne sanct. baptism. iteret.* adeò ut ultimo eos supplicio percelli velint Honorius & Theodosius Impp. *l. 2. C. eod.*

Iterantes Baptismum sunt deponendi ab officio, & beneficiis. h. d.

§. 14. Illi qvoq;, qvi ausu temerario in homine jam baptizato cœleste lavacrum iterare ausi fuerint, excommunicationis mucrone percussi, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponentur.

c. *rebaptizare. de consecr. dist. 4.*

deponentur] In *l. 2. C. Theod. ne sanct. bapt. iteret.* sanciunt Imppp. Gratianus, Valens & Valentinianus, ut rebaptizantes Ecclesias, qvas contra fidem retinent, restituere debeant. Qvæ verba non depositionem tantùm, sed ipsam degradationem innuere videntur. Is enim restituit, qvi cedit, qvi renunciat, qvi abdicat se jure suo, qvi omni spe recuperandi dejicitur. Et omninò severiùs eo tempore in ejusmodi homines animadvertere oportuit, cùm propter Donatistarum hæresin longè lateq; se diffundentem in immensum excresceret eorum numerus.

Multa fiunt in baptismo, qvæ non sunt de ejus substantia. h. d.

b *cap. non ut X. eod.*

§. 15. Postremò sciendum est, qvòd licet verbo tantùm [b] & elemento, baptismatis substantia contineatur

tur & forma, multa tamen à sanctis patribus ad ejus decorem fuerunt solenniter constituta, ut immersionis numerus, exorcismi, clericorum exufflationes, salis benedicti exhibitio, salivæ contactus, inunctio: qvæ si ex neglectu prætermissa fuerint, omissio culpæ reos arguet. *c. sive parvuli & seq. de cons. dist. 4.*

immersionis numerus] Terna olim in usu erat immersio. Vid. Tertull. *lib. de coron. milit. c. 3. & adversus Praxeam c. 26.* Hieron. *dial. adv. Lucifer. c. 4.* Cyrillus *cateches. mystagogicâ 2.* Ambrosius *l. 2. de Sacram. c. 7.* In Hispaniâ tamen tempore Gregorii Magni usurpata fuit mersio unica. Hinc enim ille ad Leandrum Episcopum *epist. 41. Qvia in tribus personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismo vel ter vel semel immergere, qvando & tribus mersionibus personarum trinitas & in una potest divinitatis singularitas designari. Sed qvia nunc hucusqve ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud nos esse non censeo, ne, dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumqve qvod faciebant, faciant, se morem nostrum vicisse glorientur.* &c: Hæc Gregorius, cujus tamen decessor Pelagius trinam mersionem sanctè observandam inculcaverat. Vid. *c. multi sunt 51. de consecrat. dist. 4.* Post aliqvot annos habita fuit Synodus Toletana IV. in qvâ *can. 5.* tale fuit Patrum judicium: *De baptismi sacramento, propter qvod in Hispaniis qvidam Sacerdotes trinam, qvidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & unitas fidei scindi videtur. Nam dum partes diverso & qvasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos esse contendunt.* Laudatâ deinceps Gregorii Magni sententiâ, seqvendam eam statuunt, & ita definiunt: *Propter vitandum schismatis scandalum vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qvi tertiò mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem.*

exorcismi] Illis significatur mali Spiritus expulsio, non qvasi, antequam regeneremur, simus ἐνεργούμενοι, sed qvia naturâ sumus filii iræ, inimici DEI & mancipia diaboli. Præter baptismum tamen non peculiaris aliqva vis & efficacia Exorcismo tribuenda est, sed vis omnis constituenda in precatione Ecclesiæ annexâ, qvæ dum ritus ejusmodi usurpat, DEUM simul rogat,

rogat, ut parvulum liberet Diaboli potestate, eumq; spiritus sui vinculo, mystico Ecclesiæ corpori conjungat. Non igitur tam necessarius est exorcismus, ut aboleri non possit, sed adhibet tamen eum Ecclesia, tanqvam non parum utilem ad statum, in qvo nati sumus, explicandum & commendandam insimul ipsius baptismi dignitatem, qvod â potestate Satanæ DEUS pater divinâ suâ potentiâ propter filium per Spiritum S. nos liberet. Vid. Chemnit. *Loc. de baptism.*

clericorum exsufflationes] Exsufflationibus istis efficaciam verbi & baptismi indigitârunt Veteres. Augustinus *de nupt. & concupiscent. lib. 2. c. 8. In Ecclesiâ toto Orbe diffusâ ubiq; omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis princeps mundi mittatur foràs.* Hugo de S. Victore *l. 1. de sacram. c. 18. exsufflatur ab ipso, i. e. per Spiritum S. cujus signum est flatus exterior, amovetur diabolus, dum per ea, qvæ timet agi, potestas ejus minuntur.* Vid. pluribus Simeon Thessalon. *apud Goar. p. 374.*

salis benedicti exhibitio] Ori salem indi & sputo nares atqve aures tangi, qvod etiam hodiè apud pontificios usurpatur, apud Latinos tantùm, ut videtur, obtinuit. Isidorus *de offic. Eccles. l. 2. c. 20. Sales in mysterio catechumenis dandos à Patribus ideò est institutum, ut eorum gustu condimentum sapientiæ percipiant.* Ambrosius, si tamen is ipse est, *l. 1. de Sacram. c. 1. Ideò tibi Sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem & ad eloqvium Sacerdotis, ideò nares, ut bonum odorem accipias pietatis æternæ.*

inunctio] intelligere hîc videtur eam, qvæ baptismum antecedit, aut in ipso actu baptismi peragitur, non, qvæ eum seqvitur & confirmationis nomine insignitur, de qvâ tit. seq. Dicitur autem inunctio, de qvâ hîc agit, à Pontificiis fieri oleo catechumenorum & salutis. Solent enim infantes à Presbytero, qvi baptismum administrat, post exorcismos, abrenunciationem & catechesin, anteqvam baptizentur, in pectore & inter scapulas ungi, addito signo crucis & hâc pronunciatâ formulâ: *Ego te linio oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro.* Didicérunt verò istum ritum ungendi Pontificii sine dubio ab Cyrillo, ex cujus catechesi mystagogicâ secundâ & tertiâ similem ritum in Hierosolymitanâ Ecclesiâ in usu fuisse, clarum existit. Sed in hoc tamen differunt Græci à Latinis, qvod Græci frontem, pectus, scapulas, aures, nares, manûs, pedes, totum deniq; corpus ungant: Latini vero pectus solummodo cum scapulis. Æthiopes ungunt scapulas, granum pectoris

ris seu os stomachi,& manuum interiores & exteriores partes,genua & omnes juncturas corporis eorum in signum crucis.

omissio culpæreos arguet] Hoc certum est, ceremonias liberas privatâ autoritate non esse introducendas,nec abrogandas. Sed in hoc Pontificii non subsistunt,verùm ceremonias qvasdam faciunt meritorias & partem cultûs divini,illisq; tribuunt effectus spirituales, ut adeò omitti sine peccato non possint. Qvibus proinde suum hoc consilium opponit Georgius Cassander *in consultat. art. 9. p. 935. De signis & ceremoniis baptismi,qvæ antiqvitùs receptæ per universum orbem receptâ consvetudine usurpantur,docendi sunt homines diligenter,hæc non tanqvam necessaria adhiberi, ut sine illis baptismus inutilis & inefficax sit habendus: sed qvemadmodum verbis à Christo præscriptis alia qvoqve verba docendi & hortandi causâ adjungimus,ita ceremoniæ à Christo institutæ, qvæ simplicissima est,alias qvoq; ceremonias,qvæ Sacramenti hujus dignitatem & vim commendent, tanqvam verba qvædam visibilia conjungi.* Cæterùm qvis sit usus ejusmodi ceremoniarum,& qvatenus in Ecclesiis nostris ferendæ sint,enucleatè discutit Chemnitius *in Exam. Concil. Trid. part. 2. p. m. 229.* qvi omninò videndus. Ritûs autem pontificii, si non aliter,ad minimum suâ multitudine exorbitant. Tot enim ritûs superadditi ipsum divinum & Sacramento essentialem ritum qvodammodo obruunt & obscurant,& ab eo unicè considerando & observando animos abducunt.

Baptismus non debet conferri in privatis domibus,nisi ex necessitate,vel ob magnam nobilitatem. h. d.

§. 16. Illud etiam novissimè [c] Viennensi concilio constitutum est, ne qvis in privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis,in qvibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati,aliqvos audeat baptizare: nisi Regum vel Principum liberi baptizandi fuerint,vel talis necessitas emerserit, propter qvam ad Ecclesiam absq; periculo accessus haberi neqveat.

c *clem. uni. eod. tit.*

ne qvis in privatis domibus] Malè qvidam mori potius

Digitized by Google

infantes permisérunt, qvàm extra Ecclesiam privatim baptizare. Vid Vosſ. *de baptiſm. diſp. 16. th. 11.*

fontes ſpecialiter deputati] Antiqvi poſt pacem Chriſtianis datam fontes & baptiſteria amplisſima exædificarunt. Onuphr. Panvin. *libr. de præcip. Urb. Rom. baſilic.* ubi obſervat, in multis civitatibus unum tantùm per ſingulas Urbes fontem ſive locum, qvem baptiſterium vocaverint, prope majorem civitatis baſilicam condidiſſe. Baptiſterium verò Eccleſiæ Lateranenſi adjunctum, hodiè adhuc reliqvum, qvanqvàm, ut ipſe ait, omnibus ornamentis, qvæ inſignia fuiſſe veſtigia ſubindicent, exſpoliatum, ita deſcribit: *Totum eſt formâ octangulâ. In medio habet fontem in terrâ excavatum ad qvinqve ulnas, totum tabulis lapideis coopertum, præter pavimentum, qvod eſt è calce. Tribus gradibus in id deſcenſus eſt* &c: Aliud baptiſterium à Leone III. Pontifice extructum deſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius: *Baptiſterium*, inqvit, *qvia jam præ nimia vetuſtate ruinæ proximum erat, & qvia anguſtior locus populi exiſtebat, qvi ad baptiſmum veniebat, in meliorem erexit ſtatum, atqve ſacrum fontem in medio largiore ſpacio fundavit, & in circuitu columnis porphyreticis decoravit & in medio fontis columnam poſuit, & ſuper columna agnum ex argento puriſſimo, fundentem aqvam.* Cæterùm ideò ferè fontes vel alvei parari ſolebant, qvia baptiſmus per immerſionem ordinariè peragebatur, qvæ tamen nec neceſſaria fuit, nec poſſibilis ſemper, præſertim in iis locis, ubi maria vel fluvii non habebantur.

DE SACRAMENTO CHRISMATIS,

TITULUS IIII.

Pontificii peculiare hic faciunt Sacramentum à reliqvis diſtinctum. Ejus materiam remotam dicunt eſſe oleum balſamo mixtum atq; ab Epiſcopo conſecratum; proximam, ipſam unctionem in fronte ad ſignum ſeu figuram crucis. Formam ejus: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, Filii & Spiritûs S.* Miniſtrum volunt ſolum Epiſcopũ. Tempus, qvando qvis fuerit legitimæ ætatis. Effectum faciunt duplicem, unum, conferre gratiam gratum facientem & qvidem majorem, gratiâ baptiſmi in ordine ad roborandam animam contra diaboli impetûs, ſed minorem in ordine ad remiſſionem peccatorum. alterum, imprimere characterem, qvo adſcribimur in militiam Chriſti. Sed enim confirmatio hæc multum diſtat

ab

Digitized by Google

ab eâ,qvæ in primitivâ Ecclesiâ fuit in usu. Habuerunt qvidem Veteres etiam inter ritus baptismo superadditos aliqvam unctionem, sed inter ritûs tantùm & ceremonias,qvas ut liberas & indifferentes adhiberi nemo ignorat. Nec alius ejus fuit usus, qvàm ut commonefacerent baptizatos,qvod gerere se inposterũ debeant,tanqvãReges,Sacerdotes,& athletæ spirituales, & qvod Christo sepulto sed è sepulchro ad novã & immortalem vitã resurgẽti conformari debeant.Materia,forma,& minister,qvales Pontificii reqvirunt,nec ex Scripturâ,nec testimonio antiqvitatis,nec consensu aliarum Ecclesiarum probari ullo modo potest. Nec igitur persvaderi possumus,ut confirmationem Pontificiam Sacramentum esse credamus. Ipse Eugenius IV. instructione Armeniorum docet,Apostolos per manuum impositionem Spiritum S. dedisse,*loco autem*,inqvit,*illius manus impositionis datur in Ecclesiâ Confirmatio*. Atqvi,si ea Sacramentum esset à Christo institutum, impositio manuum in ritûs illos planè diversos commutari nullâ humanâ vel Ecclesiasticâ potestate potuisset. Ingenuè igitur Alexander Alensis *part. 4. qvæst. 24. membr.1. sine præjudicio*,inqvit,*dicendum, qvod neqve Dominus hoc Sacramentum instituit,neqve dispensavit, neqve Apostoli,sed institutum est in Concilio Meldensi.* & Petrus de Alliaco *in 4.sent.qvæst.4.art. 1. supponitur*, ait, *sic institutum fuisse à Christo,& Apostolos sic usos fuisse, licet hoc non legatur in Scripturâ.*

Fideles post receptum baptismum debent chrismari. h. d.

§. 1. Qvamvis autem continuò transituris regenerationis sufficiat beneficium, victuris tamen etiam confirmationis auxilium est necessarium. Ita enim conjuncta sunt hæc duo sacramenta,ut unum ab altero,nisi morte præveniente,separari non debeat.

c.Spiritus S. §. & qvamvis de consecr. dist. 5. c.de his,d,dist.

auxilium est necessarium] Non esse necessarium patet ex eo,qvod unctionem Veteres tantùm inter ritûs & ceremonias baptismo superadditas habuerint. Qvantum igitur necessitati confirmationis tribuitur,tantum efficaciæ baptismi decedit.

Ita enim conjuncta sunt] Apud Veteres inunctio Chrismatis non fuit peculiare aliqvod Sacramentum diversum à baptismo; sed uti varias habuerunt ceremonias antecedentes intinctionem baptismi;

Digitized by Google

ita etiam habuerunt varias post intinctionem, connexas tamen ipsi actioni baptismi: Pontificii autem planè disjungunt ea, & planè diversa faciunt Sacramenta. Factum autem & natum id videtur exinde: Antiqvitus, qvando ab hæreticis aut Schismaticis aliqvis vero baptismo baptizatus ad Ecclesiam redibat, tunc non rebaptizabatur, sed vel impositione manuum, vel unctione Chrismatis recipiebatur. Ita & qvando urgente necessitate â Catechumeno vel Laico aliqvis baptizatus fuerat, ut baptismus ille tanqvam verus confirmaretur, ducebatur baptizatus ad Episcopum. Et narrat porrò Hieronymus, suo tempore Ecclesiarum consvetudinem fuisse, ut ad eos, qvi in minoribus urbibus per presbyteros & diaconos baptizati erant, Episcopus ad invocationem Spiritûs S. manum impositurus excurreret. Baptizati enim tales de fide interrogabantur & examinabantur, & qvando Episcopus intelligebat eos rectè credere & legitimè baptizatos esse, verbo eos confirmabat, & impositis manibus Spiritum S. pro ipsis invocabat, ut in fide perseverarent. Et tùm igitur, qvia divelli cœperat ritus iste confirmationis ab actione baptismi, sensim peculiare exinde factum fuit Sacramentum, cui tamen omnia ferè Sacramenti reqvisita deesse diximus supra, *tit. 2.* Addo insuper illud, etiam Eucharistiam dictam qvandoq; fuisse confirmationem, qvia baptisatis olim protinus conferebatur tanqvam Sacramentorum complementum & perfectio, qvod latè docet Josephus Vice Comes *in antiq. baptism. l. 5. c. 34.* Alcuinus *tr. de ceremon. bapt.* ita scribit de baptisato & Chrismato: *Confirmatur postea corpore & sanguine domini, ut sciat per talia mysteria diabolum expulsum ab ejus corde ac Christum inhabitare.* In Ordine Romano *tit. de ordinat. Diaconor.* ita legitur: *Expletâ confractione diaconus minor levata de subdiacono patenâ refert eam ad Pontificem, ut communicet corpore dominico. Sed ipse Pontifex confirmatur ab Archidiacono in calice sancto, de qvo parum refundit Archidiaconus in majorem calicem, sive in scyphum, qvem tenet acolythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur populus.* Non igitur necesse est, ut qvandocunq; apud veteres confirmationis vocabulum occurrit, nos protinus aliud aliqvod extra Eucharistiam fingamus Sacramentum.

nisi morte præveniente] Vid. in hanc rem *can. 77.* Concilii Eliberini & ibi Gabriel Albaspinæus.

Chrismatis sacramentum operatur augmentum gratiæ, & soli Episcopi chrismant. h. d.

§. 2. Igitur omnes fideles post baptismum paracletum

Digitized by Google

tum [a] per manus impoſitionem accipere debent, ut perfectè Chriſtiani inveniántur. Spiritus [b] Sanctus enim, qvi ſuper aqvas baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione robur & augmentum præſtat ad gratiam. Unde [c] cùm cæteras unctiones ſimplex ſacerdos vel presbyter valeat exhibere, hanc non niſi ſummus ſacerdos, hoc eſt, Epiſcopus conferre debet: alioqvi nulla excuſante conſvetudine chriſmatio irrita habebitur & vacua, nec inter Eccleſiaſtica ſacramenta reputabitur, cùm manum impoſuiſſe præter Apoſtolos, qvorum hodie vicem ſubſtinent Epiſcopi, nulli alii legantur.

a *can. noviſſimè. de conſecr. diſt. 5.*

b *can. 1. de cõſecr. diſt. 5.*

c *cap. unic. §. per frontis. extr. de ſacr. unct. & can. manus qvoq;. de conſecr. diſt. 5.*

per manus impoſitionem] Manuum impoſitio tùm inter Judæos, tùm inter Chriſtianos Eccleſiæ primitivæ uſitata, & ab ipſo Salvatore Chriſto ejusq; Apoſtolis plurimùm freqventata fuit. Vid. Richard. Montacut. *de orig. Eccleſ. part. 2. p. 228.* Erat qvippe in primitivâ Eccleſiâ promiſſio de effuſione viſibilium donorum Spiritûs S. ſuper credentes, qvam Apoſtoli impetrabant orantes ſuper eos & adhibentes ritum impoſitionis manuum, non mandatum illum qvidem, ſed ideò tamen uſitatum, ut præter benedictionem ſeu invocationem divinam (qvæ impoſitioni ejuſmodi aut expreſſim aut tacitè ut comes adeſſe ſolet) perſona, de qvâ agitur, palàm certiusq; deſignaretur. Vid. Hugonis Menardi *obſervationes in Gregorii Magni librum Sacramentorum.* Duplex autem fuit χειροθεσία, ευλογίας videlicet & καθιερώσεως. Nec enim omnis manuum impoſitio conſecrationis fuit ſymbolum, ſed etiam orationis ſuper hominem, cui manus imponebantur. Chriſtoph. Juſtell. *ad Cod. Can. Eccleſ. univ. p. 155.* Apud Pontificios in confirmationis actu impoſitio manuum eſt abolita, & ejus loco confirmando levis infligitur alapa. Vid. Pontificale Roman. per Clement. VIII. edit.

ut perfectè Christiani] Effectus, qvi hîc confirmationi tribuuntur, ab ejus inventoribus primis nunqvam fuérunt intenti; sed sunt Ecclesiæ seqvioris ἀποκύημα.

hanc non nisi summus sacerdos] Primum de conficiendo Chrismate decretum seculo qvarto ab Silvestro Papâ prodiit, nec ullius Ecclesiæ usu ante id tempus receptum fuit, ut solus Episcopus frontem Chrismate signaret. Vid. David Blondell. *apol. de Episc. & presbyt. pag. 143. & 209.* Et Hieronymi *in dial. contr. Lucifer.* sententia hæc est, non esse ex necessitate legis, qvod Episcopus solus per manus impositionem Spiritum S. conferat, sed hoc esse ex Ecclesiæ institutione ad honorem sacerdotii. Vid. Alphons. à Castro *in voc. Episcopus.* Accommodatè hinc Beda *in Psalm. 26. Sciendum*, inqvit, *qvod illa unctio, qvæ per manuum impositionem ab Episcopis, qvasi alia à duabus prædictis, & vulgò confirmatio dicitur, eadem est cum secundâ; propter arrogantiam tamen non concessa est singulis sacerdotibus, sicut & multa alia.*

nulla excusante consvetudine] Atqvi Sardis, Hispanis, Gallis & Græcis etiam post promulgata Romanæ Ecclesiæ decreta aliud in usu fuisse latè deducit Blondellus *d. l.*

nec inter Ecclesiastica Sacramenta reputabitur] At permisit Sardis Gregorius *lib. 3. epist. 26.* ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere deberent. Et Gregorius XIII. in gratiam Indorum simplici presbytero conferendæ chrismationis potestatem dedit. Numqvid igitur in Pontificis erit arbitrio, Sacramenta facere, & iterum evertere aut abrogare?

cum manum imposuisse] plus est in conclusione, qvam fuit in præmissis. Qvæ enim consequentia? Apostoli baptizatis manus imposuérunt, qvi ita accepérunt Spiritum S. Ergo nunc in Ecclesiâ chrismate consecrato linienda est frons baptizatorum cum conceptis illis verbis supra memoratis? Si dixeris, hoc saltem inde seqvi, utrobiq; causam efficientem esse Episcopum, adhuc respondeo, à diversis argumentationem non procedere. Multum enim differunt impositio manuum, & inunctio Chrismatis in fronte.

præter Apostolos] Non seqvitur, ad diaconi preces & impositionem manûs Spiritum S. nunqvam descendisse, sed Apostolis à diaconis hunc

Digitized by Google

hunc honorem reſervatum, ut ipſimet Spiritûs adventum implorarent, Chryſoſtomus notat *homil. 18. in act. apoſt.*

qvorum hodiè vicem ſuſtinent Epiſcopi] Apoſtolos omnium Eccleſiæ paſtorum, ſive Epiſcopi ſive presbyteri fuerint, formam & primitivum exemplar præbuiſſe, nec functione Eccleſiaſticâ differentiam tùm fuiſſe dixi ſupra *lib. 1. tit. 21. §. & non ineleganter.*

Jejunis & à jejuno debet dari chriſma, niſi neceſſitas aliud cogat. h. d.

§. 3. Accedent igitur, qvi legitimæ ſunt ætatis, ad confirmationem jejuni[d], ut à jejunis Epiſcopis ſacro chriſmate in fronte deliniti per manus impoſitionem paracletum recipiant. Planè infirmis, & morte periclitantibus, vel qvalibet cauſâ impeditis, nulla de jejunio habita ratione, manus imponi poterit.

d *can. ut jejuni. & can. ſeq. de conſecr. diſt. 5.*

qvi legitimæ ſunt ætatis] h. e. qvi ad pubertatis annos pervenérunt. In id enim tempus differtur hodiè apud Pontificios chriſmatio. At olim etiam infantes confirmabantur. Vid. lib. Sacrament. *ad fin. oper. Gregorii.*

ſacro chriſmate] Triplici hodiè in ſacris ſuis ungvento utuntur Pontificii. (1.) eſt oleum infirmorum ex puro oleo olivæ, qvo moribundi unguntur. (2) eſt oleum, qvod catechumenorum & ſalutis vocant, eoq; infantes baptizandi à presbytero baptizante poſt exorciſmos, anteqvam baptizentur, in pectore & inter ſcapulas ungi ſolent. (3) eſt chriſma ex oleo olivæ cum admixtione balſami die cœnæ Domini ab aliqvo Epiſcopo precibus, ſigno crucis, inhalatione & ſalutatione confectum. Hoc infantes ſtatim poſt acceptum baptiſmum à presbytero, qvi baptizavit, in vertice inunguntur, his additis verbis: *Deus omnipotens Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qvi te regeneravit ex aqvâ & Spiritu S. qvique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat chrismate ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro, in vitam æternam, Amen.* Et hoc idem Chriſma poſtea etiam in confirmatione ab Epiſcopo uſurpatur, maximæq; putatur eſſe efficaciæ, qvod certis

tis & præscriptis exorcisandi & benedicendi formulis consecratum antea fuerit.

in fronte] In hoc scilicet ἀξίωμα Episcoporum esse volunt Pontificii, qvod illis in fronte ungere baptizatos liceat, presbyteris autem tantùm in pectore & vertice. Frons verò ita delibuta panno albo, qvi septimo post die deponitur, circumcingitur, ne recens unctio vel defluat, vel deleatur.

paracletum recipiant] Prima Ecclesia Apostolica promissionem habuit de effusione donorum Spiritûs S. visibilium super credentes. Qvando igitur Apostoli super ipsos orabant, adhibebant usitatum tunc temporis symbolum, impositionem manuum. Qvod si effusio illa sensibilium donorum in Ecclesiâ adhuc duraret, rectè adhiberetur etiam impositio manuum, qvæ & ad orationes adhiberi solebat. Qvia autem temporale illud donum fuit, & postqvam doctrina Evangelii jam satis confirmata fuerat, in Ecclesiâ desiit, retineri qvidem adhuc potest χειροθεσία, sed expectari tamen exinde dona ista Spiritûs S. visibilia amplius non possunt.

nulla de jejunio habitâ ratione] Perpetua hæc est thesis pontificiorum, jejunium Christianorum esse meritorium & satisfactorium, eâ ipsâ autem merito & satisfactioni Salvatoris Christi detrahi, nostri jam pridem ostendérunt Theologi. Cæterùm jejunium non est per se præceptum divinitùs, qvia cibi sumptio moderata non est prohibita: neq; etiam per se facit ad gloriam DEI, qvia comestio temperans non est gloriæ Dei adversa. deniq; nec per se Deo placet jejunium, cùm cibi usus moderatus DEO non displiceat. Qvia tamen jejunium adminiculum est pietatis, & signum humiliationis coram DEO, in nostris etiam Ecclesiis identidem illud inculcatur, jejuno ore & corde tractari debere sacra, & sanctè adeò atq; piè omnia peragi debere.

In Baptismo, Confirmatione, & Catechismo debent patrini intervenire, hoc dicit.

e *can. vos ante omnia. de cõsecr. dist. 4.*

§. 4. Illud e commune est tam his, qvi baptizandi sunt, qvàm etiam illis, qvi confirmationis munus recipere debent, ut aliqvem in patrinum habeant, qvi eosdem in religione Christiana & fide Dominica instituat,

Digitized by Google

tuat,& qvi pro eis apud Deum, qvaſi fidejuſſor exiſtat: qvod & in catechiſmo obſervandum erit.

ut aliqvem in patrinum] Et hic ſcilicet, ſi infans fuerit baptizandus,reſpondere debet ea,qvæ infans confiteri ore diſerto adhuc nequit. Ritum hunc adhibendi patrinos in Eccleſiâ Chriſtianâ Immanuel Tremellius profectum putat ex ritu Judæorum, qvi ſimiliter teſtes adhibuerint de impoſito nomine,cum infans circumcideretur, *ad Eſ. cap.8. verſ.2.* Eo enim die nomina infantibus impoſita fuiſſe,ex antiqvâ qvidem traditione notum eſt. Vid. Richard. Montacut. *de orig.Eccleſ. part.1. pag.83.* Atq; ſic etiam Chriſtiani eo tempore, qvo baptizatur infans, nomen imponere ſolent, Montacut. *d.l. p.104.* Pontificii longius progreſſi aliud porrò à baptiſmali hoc nomine imponunt tempore confirmationis, atqve hoc præferri qvandoq; nomini baptiſmali idem notat Montacutius *p. 115.*

& fide dominicâ inſtituat] Alcuinus *lib.de offic. divin.pag. 282. tom.X. bibl.Pp.* Patrini prævidere debent, ut,cùm ad intelligibilem ætatem pervenerint, fide & bonis moribus inſtruant, orationem dominicam & ſymbolum eos inſtanter erudiant. Qvod ſi neglexerint, norint ſe rationem pro eis reddituros ante Dominum, qvorum ſponſores extitérunt.

qvaſi fidejuſſor exiſtat] Spondent enim hoc ipſo, ſe curaturos, ut in fide & pietate Chriſtianâ, qvos baptizandos offerunt,educentur.

qvod & in catechiſmo] Significatur hic Catechiſmi examen, qvod baptiſmo præmitti ſolebat,& ſcrutinium dicebatur. Adulti qvidem in ejuſmodi examine ipſi ad interrogationes reſpondebant, & diabolo ejusq; operibus renunciabant. Pueri qvoq; ipſi ore ſuo acceptam catechiſmi doctrinam recitabant,patrinorum tamen,qvos vocant,ſeu ſuſceptorum præſidio aliqvo opus habebant; qvare cum ad confeſſionem edendam ſeſe ſiſterent, pedem ſuum ſuſceptoris pedi imponebant. Infantes vero & parvuli, qvi à ſuſceptoribus geſtabantur, ipſi profeſſionem fidei edere non poterant,& idcircò nomine eorum reſpondebant patrini ſeu ſuſceptores.Add. Cujac. *ad.c.5. X. de cognat. ſpirit.*

Patrini non debent eſſe plures,vel non baptizati,vel confirmandi. h.d.

§.5. Admonendi tamen ſumus,qvòd nec plures qven-

qvam in baptiſmo, aut in confirmatione ſuſcipere debent, ſed unus [f] tantùm, ſive vir, ſive mulier: nec qvenqvam qviſpiam tenere, vel levare poterit, qvi ipſe baptizatus non ſit, vel confirmatus.

[f] *can. non plures. de conſecr. diſtin. 4. & can. ſeq.*

ſed unus tantùm] Cauſam prohibitionis edidit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 2.* ne ſc. nimium extendatur cognatio ſpiritualis, & coarctetur ita libertas nubendi. Sed enim cum cognatio ſpiritualis nullo fundamento nitatur, nec proinde impedimentum aliqvod matrimonii naſci inde poſſit, fruſtra erit prohibitio, ne plures uno patrini rogentur. Et ineunte jam ſeculo decimo qvinto circa annum MCCCCX. uſum adhuc fuiſſe plurium patrinorum apparet ex verbis Joh. Petri de Ferrariis, qvando *in prax. tit. 33. n. 12.* qværit: *Si plures levent unum de ſacro fonte (ut fit qvotidiè) nunqvid inter ſe excepto levato poterunt matrimonium contrahere?* Idq; affirmat cum Innocentio. Statuunt enim Doctores cognationem ſpiritualem non contrahi inter ipſosmet patrinos. Vid. Auguſtin. Barboſa *ad concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 2. n. 19.* Multitudinem tamen ſuſceptorum vitandam, præſertim ſi qvæſtûs causâ fiat, rectè præcepit Conventus Melodunenſis ann. 1579. his verbis: *Nec enim in electione patrinorum potiſſimum reſpectus ad tales patrinos habendus, ut ab eis aut in paupertate aut in mundi rebus favorem potius, qvàm filiorum ſalutem expectent. Admoneantur ſæpiùs à parocho, ut tales deinceps eligant, qvales & rei magnitudo & ſuſcipiendorum filiorum ſalus exigit: ut ſe ſc. tales etate præſtare valeant & velint, qvales tanti vadimonii gravitas poſtulat.* Similia habentur in articulis generalib. Saxonic. *tit. 6.*

qvi ipſe baptizatus non ſit] Auguſtin. *de peccator. merit. l. 1. c. 33. Ubi parvulos ponimus baptizatos, niſi inter fideles?*

Parentes non poſſunt eſſe patrini propriorum filiorum, nec Abbates, vel monachi alienorum. h. d.

§. 6. Parentes qvoq; proprios filios, vel Abbates [g], vel monachi alienos de ſacro fonte ſuſcipere, aut in confirmatione tenere non debent.

[g] *can. non licet. de conſecr. diſt. 4.*

Pa-

Digitized by Google

Parentes qvoq;] Ipſos etiam parentes aliqvando obtuliſſe liqvet ex Auguſtini *Epiſt. 23.* Interrogat enim Auguſtinum Coëpiſcopus Bonifacius: *Qvid eſt illud, qvod qvando ad baptiſmum offeruntur, pro eis parentes tanqvam fide dictores reſpondent*, &c.

Abbates vel monachi] qvod ideò conſtitutum videtur, ne extra monaſteria evocentur, & negociis alienis implicentur monachi.

Nec baptiſmus, nec chriſma poſſunt iterari, & utrumq; conferri poteſt tempore interdicti. h.d.

§. 7. Commune etiam illud eſt utrisq;, qvòd & neutrum (ut paulo antè diximus) iterari poteſt, qvippe qvòd ambo characterem imprimunt, & qvòd interdicti tempore ob imminens ex dilatione periculum utrumq; conferri, & pro utroq; chriſma çonfici poterit, ut infrà ſuo loco latiùs exponemus.

c. dictum eſt, de Conſec. diſt. 5.

c. Reſponſo de ſentẽt. excom.

Commune etiam illud eſt utrisq;] Baptiſmum iterari non debere, diximus *tit. anteced.* ubi & dogma de charactere inventum planè humanum eſſe notavimus. De confirmatione autem non eſt, qvod ſolliciti ſimus, cum nec Sacramenti qvidem reqviſita habeat, & adeò fruſtraneum ſit de aliis qvalitatibus diſqvirere.

DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS,

TITULUS V.

Qvid ſit pœnitentia, & effectus pœnitentiæ. h.d.

§. 1. Pœnitentia eſt Sacramentum, qvod contritione, confeſſione, & ſatisfactione concurrentibus, peccatorum operatur remiſſionem. Multiplex enim

c. multiplex. de pœnit. diſt. 1.

nim Dei misericordia ita lapsibus humanis subvenit, ut non solùm per baptismi & confirmationis gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes æternæ vitæ reparari velit. Unde qvi dona regenerationis violaverint, proprio se judicio condemnantes, per sacramentum pœnitentiæ ad criminum remissionem, qvasi ex naufragio arrepta tabula ad portum pervenient.

c. Secunda, d. dist.

Pœnitentia est Sacramentum] Pœnitentiam Sacramentum esse volunt Pontificii, sed non nisi eam, qvam post resurrectionem Domini insufflatione in discipulos institutam perhibent, exclusâ qvæ fuit in V. T. & qvam prædicavit Johannes, nec non eâ, qvâ non renati ante susceptum baptismum convertuntur: accipiuntq; non tantùm pro actibus illis, qvos edunt pœnitentes, sed etiam simul pro absolutione ministri, ita ut ex hâc & istis complexè sumptis Sacramentum constituatur, cujus forma in his ministri verbis consistat: *Ego te absolvo* &c. Materia ex actibus pœnitentis, contritione, confessione & satisfactione constet. Nos vero talem complexam vocis pœnitentiæ significationem in Scripturis nullibi invenimus, sed perpetuus ejus usus in ipsâ totâ peccatoris personâ subsistit, & vel totam ejus conversionem denotat, vel tantùm unam ejus partem, contritionem. Malè igitur absolutio cum ipsa pœnitentia confunditur, & qvanqvam in illa promissio singulis specialiter applicetur, qvia tamen deest externum elementum à Christo in hunc usum destinatum, manifestum est, non posse Sacramentum dici, eâ sc. notatione, qvâ Sacramenta dicuntur baptismus & Eucharistia.

qvod contritione] De his dicendum erit infra §. *Constat igitur.*

operatur remissionem] Injurium est in perfectissimum meritum Christi, asserere, contritionem esse causam remissionis peccatorum. Necessaria qvidem in pœnitentiâ est contritio, sed ad id tantùm, ut morbum

morbum agnoſcamus, neqvaqvam ut remiſſionem efficiat aut operetur. Qvam egregiè enim efficiat & mereatur, docere poſſunt exempla Caini & Judæ.

qvaſi ex naufragio arreptâ tabulâ] Virtus baptiſmi ſeſe extendit per totam vitam, qvia fœdus ex parte DEI manet conſtantiſsimum, ut recurrere ad illud reſipiſcentes poſſint qvovis tempore, nec ullâ ſit *ipſis* opus novâ tabulâ, qvò pertinet dictum *Apoc. 2, 5.* ex qvo inferimus, pœnitentiam eſſe reditum ad illud ipſum fœdus, qvod DEUS nobiſcum in baptiſmo pepigit: â qvo ut per peccata diſcedimus, ita ad idem per veram pœnitentiam redeundum eſt: qvemadmodum ſcilicet ubi amor & concordia conjugalis turbatur per diſſidia & contentiones, non opus eſt de novo matrimonium inire, ſed ſufficit mutua reconciliatio.

Tres ſunt ſpecies pœnitentiæ, & pœnitentia ſolennis iterari non poteſt, & pœnitentes ad ſacros ordines reddit inhabiles. h. d.

§. 2. Sunt autem pœnitentiæ tres ſpecies: qvædam enim eſt ſolennis, qvædam publica, qvædam privata. Solennis eſt, qvam propter majora ſcelera Epiſcopus in capite jejunii, ſervata certa rerum ſerie, delinqventibus ſolet imponere: qvæ qvidem, ne Eccleſiæ vileſcat authoritas, iterari non debet: & tales pœnitentes ad ſacros ordines (ut ſuprà expoſuimus[a]) inhabiles reddit, qvippe qvæ nec aliter poteſt ſacerdotib. imponi, qvàm ſi priùs cæleſtis militiæ cingulo exuti fuerint. *v. c. capite diſt 50.* [a] *tit. qvi promov. non poſſ. §. pœnitentes.*

tres ſpecies] Si antiqvos Eccleſiæ ritûs conſideres, & qvàm variè ſe diverſis temporibus illi habuerint, non tres tantùm, ſed plures omninò conſtituendæ erunt ſpecies, de qvibus Chemnitius *in Exam. Concil. Trid. pag. 384. & ſeq.* Ipſius etiam publicæ pœnitentiæ & animadverſionis Eccleſiaſti-

ſiaſticæ plures inveniuntur gradus. Fuit enim προκλαυσις, cum qvis commiſſo peccato extra Eccleſiam ſtans cum luctu & lacrymis eos, qvi ingrediebantur, orabat, ut preces pro ſe funderent. Fuit deinde ἀκρόασις, cum qvis extra Eccleſiam ſtans divinas ſcripturas audiebat, usq; ad lectionem Evangelii. Fuit ὑπόπτωσις, cum qvis intra Eccleſiæ ſepta poſt ſuggeſtum ſtabat & cum catechumenis egrediebatur. Fuit etiam σύστασις, cum qvis cum fidelibus orabat, nec dum tamen ad Sacramenta admittebatur. Vid. Chriſtoph. Juſtell. *ad cod. can. Eccleſ. univ. p. 160. Caſaubon. exerc. 16.*

propter majora ſcelera] propter qvæ ſcil. excommunicari qvis merebatur.

in capite jejunii] ſive in capite qvadrageſimæ, uti habetur *c. 65. diſt. 50.* Peragebatur igitur pœnitentia ſolennis â jejunis & jejunantibus, tùm ut ſerii examinis coram tribunali domeſtico ſpecimen hoc modo ederetur, & tales qvaſi teſtes adducerentur doloris conſcii, tùm ut alii etiam his ſpectaculis ad ſimilem dolorem invitarentur. Nec proinde tempus huic rei magis congruum viſum fuit, qvam ipſum illud, qvo per commune jejunium ad exercitia pietatis accendebatur tota Eccleſia.

ſervatâ certâ rerum ſerie] qvæ itidem habetur in *d. c. in capite 65. diſt. 50.* Poteſt enim Eccleſia certos cuiqve rei præſcribere ritûs, qvippe qvos plerosq; ſuo arbitrio relictos benè novit. Vid. Selden. *de Synedr. lib. 1. c. 13.* Rectè verò monuerunt Veteres, externos illos pœnitentiæ ritûs non mereri remiſſionem peccatorum, ſed tantùm eſſe externa ſigna & teſtimonia. paulatim vero aſſui cœpérunt ſuperſtitioſæ opiniones, ritûs illos promereri & impetrare veniam; easqve tenacisſimè adhuc retinet papatus.

iterari non debet] ne ſc: vilis & contemptibilis efficiatur, uti loqvitur Auguſtinus *epiſt. 54.* Qvod ſi tales rurſus lapſi ſeriâ confeſſione revertebantur ad Eccleſiam, non dabatur qvidem locus publicæ pœnitentiæ, nec tamen omninò repellebantur, ſed permittebantur qvidem intereſſe prædicationi, orationi, & myſteriorum celebrationi, ſed communio ipſis non dabatur niſi in extremis.

inhabiles reddit] Taliter enim pœnitentes Eccleſiæ introitu prohibebantur, in ejus limine ad terram projecti, ſqvalidi, horridi & maximè miſerabili habitu, in oculos prætereuntium incurrebant, fidelium viliſſi-

Digitized by Google

liſſimas veſtes oſculabantur: lacrymarum vi ac copiâ calceos irrigabant, ipſorumq; genua officiosè complectebantur: qvi in tali ſtatu aliqvantulum ſteterat,æqvumne poterat videri,populo ut imperaret,& primos qvaſi gradûs in Eccleſiis aſſeqveretur? vel ex altiori & excelſo conſeſſu conſpicuus emineret,qvi eorum pedibus provolutus non multo antea omnes moleſtias & officia obierat? Qvi deniq; ultimum locum inter Chriſtianos vix occupaverant, qvomodo præſidentes, præfecti, præpoſiti populi potuiſſent eſſe,& primarium locum retinere. Vid. Gabr. Albaſpin. *lib. 2. obſ. 34.*

qvàm ſi priùs] Pœnitentiam agere cuiqvam non conceditur Clericorum,uti loqvitur Syricius. Unde apud Cyprianum *lib. 1. epiſt. 4.* Baſilides,cum in eo ſtatu eſſet,ſponte ſe Epiſcopatu abdicavit qvod ſentiret peccata ſua pœnitentiâ eluenda eſſe,& pœnitentes ab Epiſcopatu gerendo removeri debere.

Publica delicta & publicâ pœnitentiâ lui debent. h. d.

§. 3. Publica pœnitentia eſt, qvæ publicè,nulla ſervata juris ſolemnitate, peragenda injungitur: qvalis eſt, peregrinatio, certi habitus delatio, & his ſimilia. Cum enim manifeſta peccata non ſint occulta correctione purganda,rectè conſtitutum eſt,ut,qvi publicè peccando proximo ſuo ſcandalum præbuerint, publicam etiam pœnitentiam à propriis ſibi ſacerdotibus impoſitam, peragere debeant. Apparet itaqve ex his, qvòd licet omnis ſolennis pœnitentia publica ſit,non tamen omnis publica eſt ſolennis. *c. 1. h. tit.*

Publica pœnitentia] qvæ fieri ſolet ſine ſolennitate pro criminibus non tàm gravibus,vel adhuc occultis. Atq; hanc iterati diſciplina Eccleſiaſtica non prohibuit.

pere-

peregrinatio] Sicubi peregrinatio inſtituitur plenioris cognitionis gratiâ, ut aliqvis ſuis ipſius oculis perluſtret ea loca, ubi Chriſtus crucifixus & ſepultus fuiſſe & in cœlum adſcendiſſe perhibetur, nemo erit, qvi improbare eam qveat. Sed cum Pontificii peregrinationes tales inſtitui velint, meriti, religionis, ſatisfactionis & indulgentiarum nec non impetrandæ opis causâ, impias planè eas & ſuperſtitioſas meritò pronunciamus. Edidit Gregorius Nyſſenus elegantem Epiſtolam *de iis, qvi adeunt Hieroſolyma*, qvã non latinè tantùm vertit, ſed etiam de peregrinationibus ſuperſtitioſis tractatum addidit Petrus Molineus, qvi de hoc argumento videri poteſt uberius.

certi habitûs delatio] Habitum pœnitentialem non damnamus, niſi, qvod inter Pontificios fit, meriti & ſatisfactionis illi adſcribatur virtus & efficacia. Crebra fit in Scripturis mentio cilicii, non lugentibus tantùm, ſed etiam pœnitentibus uſitati, ut eò magis ſc: affligeretur corpus, & pœnitentia ac devotio magis exardeſceret. Nulla tùm Eccleſiam invaſerat opinio meriti & ſatisfactionis, nulla tanta ſuperſtitio, ut ex veſte ſanctitatem peterent, & per eam tegi peccata poſſe contenderent. Add. *Matth. VI, 16.*

occultâ correctione purganda] Delicta noſtra nullâ noſtrâ ſatisfactione purgantur, ſed hic effectus ſoli merito Chriſti eſt tribuendus. Inveniuntur qvidem & veterum ſimiles ferè locutiones, peccata ſc: & pœnas peccatis debitas purgari, compenſari, tegi, operibus illis ſatisfactionum; ſed cohortatoriè magis qvam verè juxta Chryſoſtomi dictum, & per hyperbolem qvandam nonnulli ita locuti ſunt Patres. Vid. Chemnit. *Exam. Concil. Trid. p. 401.*

ut qvi publicè peccando] Id qvidem ita plerumq; obſervatum in Eccleſiâ antiqvâ. Sed qvia diſciplina ejusmodi externa eſt, & mutari pro ratione ædificationis Eccleſiæ poteſt, mirum non eſt, diſceſſum ab eâ qvandoq; fuiſſe. Qvia enim propter confuſionem publicæ confeſſionis multi omnem planè intermittebant pœnitentiam, remiſſa tandem fuit ſeveritas publicæ confeſſionis & commutari cœpit in privatam, ita ut talia crimina privatim & ſecretò confiterentur Sacerdoti. Chemnit. *d. l. p. 387.*

Unusqvisq; ſemel in anno debet confiteri, & Euchariſtiam ſumere, niſi de conſilio ſacerdotis abſtineat. h. d.

§. 4. Pri-

§. 4. Privata, aut secreta pœnitentia est, qvæ in occulto Deo fit & sacerdoti. Statutum est enim generali Concilio [b], ut omnis fidelis, qvàm primùm sapere cœperit, omnia sua peccata proprio sacerdoti confiteatur, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus adimplere studeat, suscipiens reverenter ad minus singulis annis in Paschate Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de sacerdotis consilio, ex causa duxerit abstinendum: alioqvi & vivens ab ingressu Ecclesiæ arcebitur, & moriens Christiana carebit sepultura.

b *caput omnis utriusqve. extra. eod.*

qvàm primum sapere cœperit] Ita & nos observamus moti imprimis dicto Apostoli *1. Cor. XI, 28.* Cum verò parvulis etiam in veteri Ecclesiâ aliqvando ministrata fuerit cœna, dedit ea res in Concilio Tridentino haud exiguam disceptationem. Vid. Petr. Svav. *histor. lib. VI.* add. Voss. *in histor. Pelag. l. 2. p. 3. th. 4.*

omnia sua peccata] Dicam de confessione omnium peccatorum infrà.

injunctam sibi pœnitentiam] De satisfactione itidem dicendum erit infra.

ad minus singulis annis in paschate] [Freqventior olim erat usus Eucharistiæ in Ecclesiâ Veteri, ita ut qvotidiè qvidam, qvidam bis in hebdomade, alii singulis diebus dominicis cœnâ sacrâ uterentur. Invaluit deinde consvetudo, ut in festis solennioribus tota multitudo ad majores basilicas conveniret, & ibi solennis qvædam communio celebraretur, non intermitteretur tamen interim Eucharistiæ usus aliis temporibus. Sed seqvioribus temporibus Pontificii istam invexére sententiam, ex præcepto neminem obligari, nisi ut semel tantùm in anno communicet. Qvemadmodum etiam docent, satisfieri præcepto de amando DEO, si id semel in anno fi-

no fiat, nec teneri qvenqvam ad plures actus eliciendos. Vid. Andr. Mendo *in stater. dissert. 1. qv. 13.* Qvo jacto fundamento, alia plura maximè enormia fuerunt secuta. Qvia enim vi hujus regulæ (qvæ extat in *c. omnis 12. X. de pœnit. & remiss.* sed qvam per manifestam cavillationem ita interpretantur Pontificii, ac si non alio tempore, qvam in paschate confiteri oporteat, cùm tamen]ò *saltem*, qvod ibi habetur, non exclusivum sit, sed comparativum, qvod sc: ad minimum semel in anno sit communicandum) qvia, inqvam, vi hujus regulæ nemo tenetur nisi semel in anno & qvidem die paschatos confiteri Sacerdoti, ac consequenter ex ipsorum mente non nisi semel in anno pœnitentiam agere, usq; adeò, ut, qvi die palmarum vel in octavâ paschatos confessus fuisset, huic præcepto Ecclesiæ neqvaqvam satisfecisse censeatur, ex sententiâ congregationis Cardinalium d. 18. Febr. 1598. & 21. Maji 1607. uti Johannes Gallemart & Soteallus notarunt, ad *can. 9. sess. 13. Concil. Trid.* hinc inferunt Casuistæ: Qvanto tempore peccator habet spacium non pœnitendi, tanto habet & spacium non resipiscendi, qvia illa hâc est ordine prior. Qvanto autem tempore peccator spacium non resipiscendi habet, tanto tempore & proximus spacium habet eum non admonendi de pœnitentia; sed qvemadmodum iniqvus exactor est, qvi debitum in diem contractum exigit ante diem qvi nondū venit: ita iniqvum monitorem fore ajunt, qvi ante diem Paschatis vel ante hebdomadam pœnosam dehortetur proximum â qvovis peccato commisso. Ita Abulensis *in cap. 18. Matth. qv. 83.* Ægid. Koningk *de Sacram. tom. 2. disp. 3. dub. 3. & de act. supernat. disp. 68. dub. 6. n. 116. seqq.* Paul. Laymann. *Theol. moral. tract. 6. disp. 3. punct. 2.* qvæ omnia manifestò pugnant cum præcepto divino illicò revertendi *Psalm. 95, 8. Ebr. 37. Luc. 14, 6.*

ex causâ duxerit abstinendum] Qvæ erit ista causa, propter qvam qvis abstinere debeat ab usu cœnæ dominicæ?

Christianâ carebit sepulturâ] Vid: Carpzov. *in Jurisp. Consistor. lib. 2. def. 296. 297.*

Pœnitentia constat contritione, confessione, & satisfactione. h. d.

c. perfecta pœnitentia. de Pœnit. dist. 1. c. voluisset. ibidē

§. 5. Constat igitur pœnitentiæ sacramentum tribus partibus: contritione cordis, confessione oris & operis satisfactione. Contritio nihil aliud est, qvàm dolor pro peccatis voluntariè assumptus

cum

cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Confessio (ut Augustino placet) est, per qvam morbus latens spe veniæ aperitur: vel Confessio, est Canonica peccatorum coram proprio sacerdote facta declaratio.

tribus partibus] Non satis conveniunt inter se Pontificii in explicatione partium pœnitentiæ. Gabrielis hæc est sententia *4. dist. 16. q. 1. a. 2. concl. 3. Accipiendo partem propriè, neqve contritio, neqve confessio, neqve satisfactio est pars pœnitentiæ acceptæ pro Sacramento. Qvia sic pœnitentia realiter non est, nisi sacerdotalis absolutio confitentis.* Aliter Durandus *4. dist. 16. q. 1. Contritio & satisfactio non sunt materia neqve forma sacramenti pœnitentiæ. Forma enim consistit in verbis absolutionis: materia, si qvæ sit, in verbis confessionis.* Petrus de Palude *4. dist. 16. q. 4. art. 1.* docet, *contritionem esse materiam remotam, confessionem propinqvam; satisfactionem autem in absolutione injunctam esse partem formalem ipsius formæ.* Cæterùm si rectè attendatur doctrina Pontificiorum, non satis sibi cohæret. Qvia enim juxta eos forma consistit in verbis *: Ego te absolvo*, qvomodo ad materiam pertinebit, ejusq; partem constituet satisfactio: præsertim cum hodiè formam, per qvam aliàs res in suo completo esse constituitur, aliqvo intervallo subseqvatur, nonnunqvam planè intermittatur; Cumqve materiam Sacramenti oporteat externam & visibilem seu sensibilem esse, qvomodo contritio cordis, qvæ per se insensibilis est, poterit esse materia sensibilis? cùm tandem impossibile sit sine fide placere DEO, qvomodo placere DEO poterit pœnitentia Pontificia, in qvâ ne minima fidei mentio? Judas certè partes pœnitentiæ Pontificiæ omnes habuit, contritus est, confessus est, & qvidem sacerdotibus, demum satisfecit opere, argentum abjecit in templum, laqveo tamen se suspendit, atqve sic ipso facto ostendit, veram se pœnitentiam non habuisse, nec proinde pontificiam pœnitentiam veram esse pœnitentiam. Rectius igitur in nostris Ecclesiis duæ tantùm pœnitentiæ partes constituuntur: Contritio sc. & fides; cum nec alias constituerit Salvator *Marc. 1, 5.* nec alias Apostoli *Act. XXVI, 20.*

Contritio] Pontificiis ad implendum præceptum positivum Ecclesiæ de confessione & Sacramenti sumptione annuâ non reqviritur perfe-

cta pœnitentia, neqve perfectus dolor de præterito, neq; actualis emendatio de futuro; sed sufficit pœnitentia imperfecta, i. e. sufficit sola attritio, exhalans ex naturali fœtore & turpitudine peccati, qvat. lædit honestatem naturalem, imò sufficit virtualis attritio, i. e. dispositio animi: Me sc: de præsenti qvidem non dolere, appetere tamen sensum doloris de peccato commisso, ubi magis vacat, aut oportunum est â ratione statûs, â qvalitate officii mei, qvod de præsenti non patitur istis mortificationibus me dedere. Ita enim virtualem attritionem describunt Cajetanus *in 3. Thom. qv. 86. art. 1.* Nugno Cabezudo *ibid. ad 6. & in supplem. Thom. q. 2. art. 6. disp. 1.* Layman. *lib. 5. theol. mor. tract. 6. c. 2. n. 2.* Ferdin. de Castro palao *t. 1. 1. moral. tr. 5. disp. 3. punct. 2.* Ideoq; etsi periculosam fateantur dilationem usqve ad extremum mortis articulum, negant tamen reqviri instantaneam pœnitentiam de præcepto DEI aut Ecclesiæ. Negant, dilationem istam censeri posse pro novo impœnitentiæ actu. Turrianus *disp. 3. de sacr. pœnit. dub. 3.* Imò in non renatis attritionem ejusmodi voluit valere ad salutem & primam justificationis gratiam consequendam. Joseph· â Costa *de procurand. Indor. salut. lib. 5. c. 11.* In renatis verò plusqvam sufficientem ad sacramentum pœnitentiæ dicunt attritionem; contritionem vero adeò necessariam sacramento non esse, ut potius noxia sit: qvia cum vi suâ peccata deleat, nihil delendum relinqvat Sacramento. Ita enim disertè Gregorius de Valentia *t. 4. disp. 7. q. 8. pag. 4. Contritio*, inqvit, *in re ipsa non est necessaria ad effectum primarium ejusmodi Sacramentorum percipiendum; imò obstat potius, qvo minus ille sequatur. Igitur absurdum esset præceptum, qvod contritionem ad eam rem reqvireret, ut convenienter & fructuosè ista Sacramenta suscipiantur, quemadmodum absurdè certè faceret Medicus, qui ægroto præciperet, ut susciperet medicamentum, nisi prius conatus esset absqve medicamento morbum depellere.* Qvæ omnia qvàm non conveniant Sacris literis, qvamq; ἀσύς ας sint, nemo non videt. Vid. ejusmodi plura apud Ludovic. Montalt. *epistol. provincial. 10.* Docent insuper moralistæ, non teneri qvenqvam vitare occasionem proximam peccandi, qvando ex tali vitatione sequitur notabile aliqvod detrimentum in vitâ, honore, famâ, aut re familiari; tum enim occasionem proximam fieri involuntariam & ita in occasione tali permanentem posse absolvi, dum tamen hæc qvatuor adsint, 1. vera pœnitudo præteritorum, 2. verum propositum non peccandi, cum se invenerit in eâ. 3. credulitas, qvod Deo juvante non peccabit, cum in eâ se invenerit, 4. qvod subsit aliqva rationabilis causa non se separandi ab eâ. Et hanc doctrinam variè exemplificat Thomas Hurtado *tr. 1. resol. 1.* & multis seq. Sed ista profectò contritionem prorsus evacuant, imò pugnant inter se, ha-

se, habere firmum propositum emendandi, & tamen propter temporalia vitare nolle pericula animæ, qvæ propositum istud impediunt. E.g. putat Hurtado, ministrum non teneri vitare occasionem proximam peccandi in portandis literis internunciis adulterii aut duelli à domino sibi commissis, sicubi ab hero vel magnum aliqvod bonum expecter, vel malum metuat sibi hinc imminens, & qvod si non faceret, è familiâ ejiciendus fuerit. Et notabilia sunt ejus hæc verba: *Si ego sciam, qvod toties, qvoties vendo agnum Judæo, illum sacrificet Judaico more, & si ego sciam, domum meam commodatissimam esse meretricibus ad peccandum, possum & agnum vendere Judæo & locare domum meretricibus, causa ad id urgente. Unde horum peccata mihi involuntaria sunt, nec ad illa aliqvo modo cooperor. Ergo si adest urgens causa, qva cogor non dimittere occasionem* (in seqventibus ne qvidem justam causam requirit) *possum absolvi toties qvoties*, &c. Sed profectò scientia, qvam præsupponit facit, ut communicetur peccatis alienis. Nec verè pœnitens dici potest, qvi peccandi talem occasionem non abscindit, nec evitat. Meretricibus cooperatur, qvi ex ædibus suis sciens facit lupanar. Et hic, nisi id mutaverit, absolvi non debet.

voluntariè assumptus] Falsum hoc est, ut & illud, qvod inde seqvitur & asserit Bellarminus *l. 2. de pœnit. c. 2.* contritionem non esse passionem, sed actionem liberam ex libero arbitrio & viribus humanis susceptam. Salutaris enim contritio ex nobis ipsis non est, sed est singulare donum DEI, *Act. V, 31. Act. XI, 18. 2. Tim. II, 25. Ezech. XXXVI, 26.* Et in scripturis passim, ubi pœnitentium fit mentio, istæ occurrunt appellationes: *percussio femoris, confusio, erubescentia, percussio cordis, conturbatio animæ, tribulatio spiritus, confractio cordis, infixio sagittarum Domini, tremor* &c. qvæ omnia non actionem liberam & voluntariam, sed passionem denotant.

cum proposito confitendi] Externa confessio peccatorum non est absolutè necessaria necessitate medii ad absolutionem à DEO obtinendam; sed ex necessitate præcepti tanqvam reqvisitum concomitans pœnitentiam ad ostendendam contritionis & fidei veritatem Ministro Christi ordinario. Ideò enim Minister exigit confessionem, ne impœnitentibus & indignis remissionem annuncier. Utilis qvoq; est talis confessio à parte aliorum, qvi aut exemplum conversionis, ut & ipsi convertantur, inspiciant, aut de conversо gaudeant & DEO gratias agant. Reqviritur qvoq; à parte ipsius peccatoris, ut is se humiliet, & talem fateatur, qvi misericordiâ & veniâ indigeat.

& ſatisfaciendi] De ſatisfactione, & utrum ea partem faciat pœnitentiæ, infra dicemus. Id verò non ſatis aſſeqvor, cum confeſsio & ſatisfactio ex mente Papiſtarum partes ſint pœnitentiæ à contritione diſtinctæ, qvomodo eas autor contritionis faciat partes? Ita & alii inter Papiſtas numerum ternarium partium pœnitentiæ inde deducunt, qvod à peccatore tres perſonæ offenſæ fuerint, DEUS, Eccleſia, & proximus: omnibus his ſatisfaciendum eſſe, illi per contritionem, iſti per confeſsionem, huic per reſtitutionem. At ſic omnes tres partes uno ſatisfactionis nomine venient, nec ergo ſatisfactio ab reliqvis duabus erit diſtincta.

Confeſsio] Num confeſsio ſit ex jure divino, an ex jure poſitivo Eccleſiæ, multum adhuc diſceptant Pontificii. Illud tenent nonnulli Theologi, de qvo videri poteſt Thomas *in 4. ſentent. diſt. 17. art. 1. & 2. & diſt. 21. q. 3. art. 1. & diſt. 22. q. 2. art. 3. ad fin.* Hoc defendunt & confirmant *gl. & Aret. in ſumm. de pœnit. diſt. 5.* & Pan. *in c. omnis X. de pœn. & remiſſ.* ubi tenent, qvod Græci, qvi ſoli DEO confitentur in ſecreto, non peccent, qvia conſtitutio *c. omnis utriusq;* &c. non fuit ab Eccleſiâ Orientali recepta.

eſt canonica] Conditiones confeſsionis hiſce verſiculis comprehendérunt:

Sit ſimplex, humilis, confeſſio, pura, fidelis,
Atq; frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelemta,
Fortis & accuſans, & ſit parere parata.

Inprimis autem reqvirunt, ut confeſsio fiat ſpecialiter de omnibus & ſingulis, etiam minimis peccatis, & ſecundum omnes circumſtantias, nullo habito pudore. Diſputant enim Summiſtæ, ſi qvid in enumeratione peccatorum omittatur, non tantùm illa peccata, qvæ in ſpecie & ſigillatim ſacerdoti non enumerantur, non remitti, ſed ne illorum qvidem, qvæ enumerata ſunt, remiſsionem accipi, niſi integra ſit confeſsio ſecundum omnes circumſtantias. Sed præterqvam qvod talis confitendi modus nec mandato nitatur nec exemplo in Scripturis, totus ille mera eſt conſcientiarum carnificina. Si enim verum eſt, peccatum, qvod non confiteris, non remitti, peccatum, qvod remiſſum non eſt, inducet damnationem. Qvare ſicut certus eſſe non potes, te omnia tua peccata confeſſum; ita nec certus eſſe potes, te liberum à damnatione. Imò, ſicut certus eſſe potes, te omnia tua peccata in ſpecie non enarraſſe, ita certus eris de eorum retentione & tui damnatione. Et ipſimet hodiè novi Moraliſtæ multas argutias profitentur, qvibus ab rigido

gido isto confitendi præcepto liberare se qvis possit, de qvibus videri potest Martinus Azpilcueta Navarr. *tom. 3. cap. 5. & 6.* Ludov. Montaltius *epist. provinc. 10.* Facit autem specialis peccatorum enumeratio, ut Pontificii ad secretissimorum qvorumcunq; consiliorum investigationem penetrare possint, qvam nonnulli eorum satis curiosè instituunt. Cæterùm cum pontificii discrimen faciant inter peccata mortalia & venialia, illorum tantùm volunt fieri enumerationem specialem, horum neqvaqvam; imò verò perqvam absurdè & impiè asserunt porrò, posse qvem confiteri unum peccatum veniale, deq; eo propositum emendationis habere, sed aliud ex eâdem occasione proveniens non confiteri, sed nec propositum emendationis de eo habere, imò de isto in ipso confessionis actu sibi multum placere, neq; id veræ pœnitentiæ esse adversum. Vid. Thom. Hurtad. *resol. moral. tract. 1. c. 3. resol. 2. n. 32.* Et ne qvid desit impietati, non verentur Pontificii etiam æqvivocationes & inficiationes ad interrogata Sacerdotum in confessione admittere. Ita enim disertè Joh. Sanchez *disp. moral. 9. n. 9. Infertur 3. qvod non solùm pœnitens, qvi habet consvetudinem peccandi, sed & qvi habet occasionem proximam inevitabilem sine magno incommodo & scandalo, poterit æqvivocatione utendo negare occasionem, licet interrogetur, si credat se non iri absolvendum eâ cognitâ. nam posito vero proposito emendationis, habet pœnitens jus ad absolutionem, qvæ sine errore à confessario negari non potest; errorem vero confessarii fovere pœnitens non tenetur. Imò si certò credat, adepturum se absolutionem, potèrit negare occasionem, cum ad hoc, ut minister rectè suo fungatur officio, nihil conducat scire, sitne pœnitens in occasione vel non, dato qvod illam vitare non possit, eò qvod sive cognoscat occasionem sive non, teneatur tamen absolutionis beneficium impertiri.* Hæc Sanchez, qvæ tam impia sunt, ut à Viro Christiano dici talia potuisse haud frustra mirari liceat. Notat ea & perstringit Th. Hurtado *d. l. resolut. 22.* Qvàm piè aliàs, qvàm castè, & qvàm devotè confessiones peragi apud pontificios soleant, apparet ex immensa controversiarum farragine, qvas de sacerdotibus ad libidinem solicitantibus in confessione, movere solent. Et tales casus multoties contingere non potest diffiteri idem Hurtado *tr. 4. cap. 8. resol. 36. n. 401. & resol. 37. n. 416.* & refert ipse *resolut. 65. in fin. n. 948.* casum satis obscœnum & turpem. Fatetur etiam Joh. de Escobar *p. 2. q. 2. §. 2. n. 32.* dicens: *Scio, prob dolor, qvantum hoc enorme facinus creverit hâc nostrâ tempestate & calamitosis temporibus, & debemus omnes pro viribus ei occurrere & ad hoc remedia opportuna apponere.* Add. Andr. Mendo *in stater. opin. benign. dissertat. 1. qvæst. 8. & 9.*

coram proprio Sacerdote] Id prudenter ita ab Ecclesiâ con-

conſtitutum eſt, ut ſc. accurata auditorum habeatur ratio, & ſint, qvi perpetuam eorum habeant curam, eorum attendant mores, eos corrigant, eos errantes in ſalutarem viam reducant, qvod fieri ita commodè non poſſet, ſi ab uno paſtore ad alium vagari liceret. Carpzov. *Jurispr. Conſiſt. lib. 2. def. 290.* Sed qvis eſt proprius Sacerdos? Hîc nimis laxè reſpondet Joh. Franciſc. Ripa *de peſt. c. 8. n. 32.* proprium ſacerdotem eſſe presbyterum parochialem, item Epiſcopum, cui tota dioeceſis parochia ſit, it: Archipresbyterum Eccleſiæ cathedralis, vicarium Epiſcopi generalem, legatum in totâ provinciâ, & papam in univerſo. At enim ut Eccleſiaſtica conſtitutio ſuum conſeqvatur finem, præſtat potius, etiam ubi plures unius Eccleſiæ fuerint miniſtri, unum aliqvem ſibi ſeligere, eiq; peccata ſua confiteri, qvàm inter plures animæ ſuæ ſarcinam dividere. Cæterùm erat olim in antiqvâ Eccleſiâ ſingularis qvidam presbyter pœnitentiarius, cujus meminit Sozomenus *l. 7. hiſt. Eccl. c. 16.* his verbis: *Odioſum, ut credibile eſt, Sacerdotibus ab initio viſum fuit, tanqvam in theatro, audiente Eccleſiæ multitudine, delicta pronunciare. Presbyterum itaq; aliqvem vitæ integritate qvam maximè ſpectabilem, ſecretorum etiam tenacem ac ſapientem, huic officio præfecérunt: eum accedentes, qvi peccarant, acta vitæ ſuæ confitebantur. Ille vero pro cujusq; delicto, qvid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, interminatus, abſolvebat, ut à ſe ipſi commiſſorum pœnas exigerent.* &c.

Tribus caſibus poteſt qvis confiteri non proprio ſacerdoti, ſi obtineat licentiam ab eodem, vel ab Epiſcopo, vel ſi confiteatur fratribus habentibus generalem poteſtatem audiendi confeſſiones. h. d.

§. 6. Qvod autem dicitur *coram proprio ſacerdote*, ita demum obtinet, ſi nulla legitima cauſa ſubſit ejus declinandi judicium. Cæterùm ſi qvis vel proprii ſacerdotis imperitiam [a] vereatur, vel aliàs ejus vitam & mores ſuſpectos habeat, & propterea alieno ſacerdoti [b] confiteri voluerit, licentiam priùs poſtulet, & obtineat à proprio: cùm aliter illum alienus, qvacunq; ſuffragante conſvetudine, non poſſit abſolvere, vel ligare. Si qvis tamen regularibus ge-

[a] *can. fin. de pœnit. diſt. 6.*

[b] *cap. omnis utriusq. §. ſi qvis autem. extra. eod. c. vas Electionis in Extrav. Joh. 2.*

nera-

neralem audiendi confessiones potestatem habentibus, & locorum ordinariis præsentatis, & ab iisdem approbatis, confessus fuerit, Parisiensis Doctoris c rejecta sententia, non magis eadem peccata tenebitur iterum confiteri, qvàm si ea proprio sacerdoti juxta generalis concilii dispositionem confessus fuisset.

c *Johannis de Poliaco.*

imperitiam] facit utiq; imperitia, ut si aliqvis nimium gravatus fuerit suis peccatis, & sufficiens consolationibus non sit confessionarius proprius, consilium petendum sit ab alio peritiore.

ejus vitam & mores suspectos habeat] Hæc non videtur esse sufficiens causa deserendi pastorem proprium. Vitia enim personalia ministri non corrumpunt aut destruunt ministerium, in qvo divina institutio observatur. Et igitur, si qvid minister peccat, non contaminatur propterea ministerium. Si tamen minister alicujus Ecclesiæ notoriè sceleratus & impurus fuerit, adulter aut homicida, blasphemus aut perjurus, qvi jamdudum remotionem sit meritus, à qvo merito qvis sacram cœnam accipere horreat, denegandus tùm non erit transitus ad alium, Carpzov. *def. 291.*

obtineat à proprio] qvi si nolit, obtineri poterit ab Consistorio, & fortasse ab hoc potius, qvàm ab illo petenda est licentia.

non possit absolvere] non qvod invalida sit absolutio, si ab alieno pastore facta fuerit, sed qvod non possit propter constitutiones Ecclesiasticas. Unde statuit Thomas Hurtado *tr. 5. cap. 6. resol. 69.* nec in articulo mortis qvidem, præsente proprio sacerdote posse aliqvem absolvi ab alio.

Si qvis tamen regularibus] Ita sc. omnis ferè cura animarum devoluta est ad Monachos. Adscribam verba Johannis Franciſci Ripæ, qvi in tractatu *de peste c. 8. n. 28. 29. 30.* istam texit qverelam: *Papa caput Episcoporum & ipsi Episcopi sacramentalia, qvæ sunt honoris, sibi retinuérunt, qvæ verò sunt oneris, sacerdotibus communia esse volvérunt, & utinam communicassent, non abdicassent. Nam qvi communicat, partem retinet. Sed hodi-*

diè Pontifices temporalibus adeò inhærent, ut de ſpiritualibus ſibi nulla cura ſuperſit. Religioſi ergò mendicantes, pauperrimi ſacerdotes ſoli ſunt, qui confeſſiones audiunt, & ſoli ſunt, qui peccata populi comedunt. Prælati autem bona pauperum devorant, & niſi latum ventrem, inflatasque genas oſtentent, ſe prælatos eſſe & plenam prælaturæ profeſſionem adeptos fuiſſe non credunt.

poteſtatem habentibus] qvam eis conceſſit Clemens V. Papa, & qvidem tanta plenitudine, ut ſi hujusmodi licentiam eis exhibere recuſent prælati, illis nihilominus confitentes audire liceat. Vid. *Clement. 2. de ſepultur.* Id verò per Concilium Trident. mutatum eſſe dicit Aug. Barboſa *ad d. Clem. n. 7. 8.*

confeſſus fuerit] Sed num id fieri poterit ſine licentiâ proprii ſacerdotis ? Negatum id aliqvando fuit, qvod regularibus qvidem licentia data ſit liberè audiendi confeſſiones, non vero parochianis liberè confitendi. Verum in contrarium per diſertas conſtitutiones factam fuiſſe declarationem, teſtatur Ripa *de peſte d. l. n. 36.*

Pariſienſis Doctoris] Johannis de Poliaco, Vid. *extravagant. commun. cap. vas electionis &c. de hæret.*

Epiſcopus poteſt ſuo ſubdito concedere licentiam eligendi confeſſorem. h. d.

§. 7. Epiſcopus qvoq; ſubdito ſuo, ut qvemvis idoneum ſibi deligat confeſſorem, facultatem concedere poterit; cùm non minoris eſſe debeat efficaciæ ab Epiſcopo obtenta licentia, qvàm à Parochiali ſacerdote.

facultatem concedere poterit]Sed poſtqvam elegit, denunciari eum volunt Ordinario loci, & ab eo confirmationem obtineri. Ripa *de peſte d. l.*

Neceſſitas facit affectum reputari pro effectu. h. d.

c. qvi vult confiteri, de Pœnitent. diſt. 6.

§. 8. Sed & ſi pœnitendi urgeat neceſſitas, nec deſideranti locus, aut tempus proprium ſacerdotem offerat,

ferat, & si is, cui qvis confitetur, solvendi nullam potestatem habeat, tanta tamen est vis confessionis, ut dignus fiat venia ex desiderio sacerdotis, qvi proximo suo criminis turpitudinem confiteri non refugit. Votum enim pro opere reputatur, cùm operis perficiendi facultas deest.

tanta tamen est vis confessionis] Totus hic paragraphus falso isto nititur principio, qvod confessio ut meritum faciat ad salutem. Dicunt enim Papistæ, Confessionem auricularem Sacerdoti factàm esse meritoriam ad culpæ remissionem, pœnæ diminutionem, Paradisi apertionem, & salutis fiduciam. Vid. Interpp. in Lombardum *lib. 4. dist. 17.* Qvod autem confessio coram pluribus vel secretò in unius aurem fieri debeat, de eo nullum extat in Scripturis mandatum. Et exhinc externa talis confessio ad obtinendam à DEO absolutionem absolutè necessaria non est. Qvin si actus contritionis erga DEUM cum fiduciâ in Christum fiat, perfectam ille conversionem constituit ex parte peccatoris, qvam deinceps ex parte DEI excipit remissio sive justificatio. Potest tamen unusqvisq; non tantùm coram ministro Ecclesiæ, sed etiam in casu necessitatis coram alio qvodam Christiano DEO privatim confiteri peccata sua & absolutionem ab illo petere. Qvia enim etiam Laici in casu necessitatis docere possunt, potestas absolvendi ipsis deneganda non est, cùm absolvere à peccatis nihil aliud sit, qvàm generalem doctrinam Evangelii in individuo applicare ad certam personam pœnitentem. Henr. Höpffner. *de Cœnâ tract. pract. sect. 1. aphor. 13. n. 3.*

Votum enim] De voto Sacramenti, & num id necessarium sit, variè disputatum fuit in Concilio Tridentino. Vid. Petr. Svav. *lib. 2. p. 261.*

In perpetuum est in monasterium detrudendus, qvi revelat confessionem. h. d.

§. 9. Sed [d] sive proprius sacerdos, sive alius pœnitentiam audiat, cavebit omninò, ne aut verbo, aut alio

[d] *cap. omnis utriusq; §. caveat. ext. eod. c. qvi vult. & c. seq.*

lio qvovis modo confitentem prodat. qvoniam qvi peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum revelare ausus fuerit, non solum à sacerdotali officio deponendus erit, verùm etiam ad agendam perpetuò pœnitentiam in arctum monasterium detrudendus.

confitentem prodat] Id qvidem etiam in nostris Ecclesiis ita observatur, ut minister Ecclesiæ, qvod sibi in confessione â confitente revelatum & in sinum ejus repositum fuit, instar arcanissimi depositi habeat, nec id revelare porrò teneatur ulli, ne qvidem Magistratui id exigenti, qvia scilicet confessio non fit homini, sed DEO. Et idcircò, si qvis manifestaverit ea, qvæ sibi in confessione concredita fuérunt, testimonium ejus nil qvicqvam operatur. Balduin *in cas. consc. l. 4. c. 10. cas. 7.* Carpzov. *in jurispr. Consist. l. 3. def. 25.* Gail. *l. 1. obs. 100. n. 8.* Vincent. Carocc. *de jurã lit. decis. qv. princ. 9. qv. 4. n. 8.* Græven *1. concl. 100. consid. 2.* Joh. Franc. Ripa *de pest. c. 8. n. 99. seq.* Didac. Spino à Caceres *in spec. test. glos. rubr. part. 12. n. 33.* Sed enim qvia Pontificii etiã â futuris peccatis adhuc perpetrandis & animo jam destinatis absolvere solent, non in eũ finẽ aut sub eâ qvalitate, ut âcœpto crimine desistat pœnitens & in novitate vitæ ambulet, sed ut nihilominus committere istud pergat & efficiat, qvod ita destinatum est, & animam tamen indemnem servet (qvod qvâ ratione fieri possit, ipsi videant) aut etiam qvia aliàs ex Confessione revera pœnitentium de periculosâ aliorum in Remp. machinatione certiores fieri possunt, non insubidè movetur qvæstio, utrum, si Reip. aliqvod inde metuendum fuerit periculum, revelari istud debeat, an minus? Hic Pontificii superstitiosè nimis & impiè suum propugnant sigillum confessionis de eâ non detegendâ, ne in causâ qvidem majestatis & præsenti Regis ac Regni periculo. Acta narrant Anglica, Comitem Nottinghamiæ pro tribunali ita interrogasse Jesuitam Garnetum: si qvis apud ipsum confiteretur se die seqventi Regem pugione transfixurum, an putaret rem sibi occultandam? Garnetum id affirmasse. Binetus ex eodem ordine Casaubono hisce verbis confirmavit idipsum: Præstare Reges omnes perire, qvam si semel confessionis sigillum violaretur. Et alius in Galliis Jesuita ausus est profano & impio ore asserere: Si Dominus noster Jesus

Jesus Christus in terris versaretur morti obnoxius, & aliqvis sibi in confessione dixisset, velle se illum occidere: prius, qvàm confessionem revelaret, passurum se, ut Christus occidatur. Casaubon. *ad Front. Ducæum & in Resp. ad Card. Perron.* Sic & Henricus Henriqvez Jesuita *in summ. Theol. Moral. de pœnit. l. 3. c. 19. §. 5.* disertè statuit, non revelandam esse confessionem, qvamvis ageretur totius Orbis salus, aut ipsius pœnitentis utilitas, nec pro vitando ullo damno gravissimo innocentis, aut qvod esset totius Orbis conflagratio aut perversio religionis & omnium Sacramentorum intentata demolitio. Add. Casaub. *in Epist. dedicat. & in Exercit. 16. c. 151.* Thom. Hurtad. *tr. 4. c. 8. resol. 27. n. 255. 256. & tr. 6. resolut. 30. n. 143* ubi *resolut. 27. n. 137.* dicit, nec Papam dispensare posse circa hoc sigillum, cùm tamen aliàs & in juramentis & in votis infinitam ei tribuere soleant dispensandi potestatem. Qvousq; autem uti liceat notitiâ per confessionem acqvisitâ in ordine ad externum regimen, exponit idem Hurtado *resolut. 32. per tot. à num. 149. seq.* Et qvam facilè præter intentionem sub verbis prorsus generalibus violari possit â Confessore sigillum, prolixè refert Mart. Azpilcuet. Navarr. *tom. 3. c. 8.* Sed illa, qvæ retuli, qvantum violent pietatem in DEUM & superiores, charitatem in proximum & tùm Ecclesiæ tùm Reip. salutem, nemo non videt.

deponendus erit] Acerbior videtur hæc pœna, qvàm ut par videri possit delicto.

in arctum monasterium] Mirum, id apud pontificios haberi pro pœnâ, qvod partem faciunt pietatis. Sic igitur pietas in pœnam mandari & juberi poterit.

Sacerdos non debet qvem absolvere de casibus reservatis Papæ, vel Episcopo. h. d.

§. 10. Illud etiam animadvertere sacerdotem oportet, ne qvem scilicet ab his criminibus absolvendo liberare tentet, qvorũ absolutio, aut Apostolico[a], aut proprio ordinario est reservata: ut putà, si pœnitens clericum eormiter læserit, Ecclesiam combusserit,

a *clem. 1. §. qvibus. ver. nec etiam. de privileg.*

vel fregerit, falsum commiserit, Cardinalem vel Episcopum insecutus fuerit, cum moniali rem habuerit, & in aliis casibus.

aut Apostolico] qvæ sint reservata Papæ, vid. Specul. *tit. de delegat. §. nunc ostendendum.*

aut proprio ordinario] Casus Episcopo reservati dependent ab eorum voluntate & ex eorum statutis. Ripa. *de peste c. 8. n. 39.*

est reservata] Pontifices Romani commenti sunt, ad hoc, ut absolutio valeat & sit efficax, non sufficere verbum absolutionis, nec potestatem ordinis, sive, qvod minister habeat legitimam vocationem, sed præterea reqviri potestatem jurisdictionis super personam absolvendam, atq; hinc nullius momenti esse absolutionem, qvam sacerdos in eum profert, in qvem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem, utcunqve ad eam Ecclesiam, in qvâ degit absolvendus, sit legitimè vocatus. Hoc posito fundamento, extra potestatem jurisdictionis sibi aliqvos reservârunt casûs, talesqve etiam Episcopis ut sibi reservarent, permisérunt, qvos involare etiam illi sacerdoti, qvi potestatem jurisdictionis haberet, nefas esset. Cui rei id imprimis ansam dedit, qvod in veteri Ecclesiâ enormia crimina, qvibus censura excommunicationis annexa erat, ad Episcopos referrentur, ut de ipsorum consilio certa ratio publicæ pœnitentiæ imponeretur. Atq; id ordinis & disciplinæ gratiâ introductum fuit. Pontifices autem casûs inde reservatos fabricárunt, non disciplinæ amplius & ordinis gratia, sed ideò, qvod plenitudo potestatis remittendi peccata resideat in papâ, juxta cujus arbitrium derivetur in inferiores ministros. Sed enim, qvia Christus omnibus ex æqvo Apostolis potestatem remittendi peccata dedit, tyrannicum est, tales sibi reservare casus, in qvibus nullus Sacerdos per verbum DEI verè absolvere possit. Chemnit. *in Exam. concil. Trid. part. 2. p. m. 396.*

clericum enormiter læserit] Qvippe cui Pontificii etiam à principibus Viris deferri volunt προσκύνησις concessionem & cultum subjectionis ac dependentiæ, ut illum qvasi DEUM qvendam inter homines honorent. Non mirum igitur est, læsionem Clerici instar Majestatis criminis ab ipsis haberi, & inter reservata Pontificia connumerari. Sic enim firmiores radices agit tyrannis & ambitio papalis.

cum

cum moniali rem habuerit] Utcunq; eam sibi matrimonio junxerit. Statuunt enim Canonistæ, eum, qvi monialem in Uxorem ducit, tria gravissima peccata committere, incestum, adulterium & sacrilegium. Incestum, qvia ducit matrem suam, videlicet sponsam DEI, qvi est pater noster, adulterium, qvia rem habet cum sponsa Christi, sacrilegium, qvia cum personâ sacrâ se commiscet. Sed enim constitutio humana, qvalis ista de votis monialium est, non potest abolere mandatum & constitutionem divinam; neq; votum inferioris, præsertim ejus rei, qvæ in nostrâ potestate non est, jus superioris intervertere potest; jus autē superioris, DEI scilicet omnipotentis, hoc reqvirit, ut, qvi uruntur, nubant. Et fatetur disertè Bellarminus *lib. de monach. c. 32. §. 6.* vota non posse præscribere contra legem divinam. Sicubi igitur monialis aliqva stupro contaminata fuerit, & pœnitentiam egerit, absolvi eam â qvovis ministro legitimè vocato, qvid est, qvod prohibeat? Sed enim rigidiores fuerunt pontificii superioris seculi, qvam hodierni in Hispaniâ, qvippe qvi pro tam enormi peccato non habent, si monialis lasciviat cum suo devoto, id qvod cum obtestatione deplorat Thomas Hurtado *tract. 1. resol. 11*

In generali concessione non veniunt ea, qvæ qvis non esset verisimiliter in specie concessurus. b. d.

§. 11. De [b] eo tamen qvæsitum est, si Episcopus subdito suo concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem, an tunc ille, qvem is elegerit, in casibus, qvi eidem Episcopo specialiter reservantur, absolvendi habeat facultatem: & cùm in generali concessione illa minimè veniant, qvæ non esset qvis verisimiliter in specie concessurus, responsum est, electum hunc hujusmodi non habere potestatem.

[b] *cap. 2. de pœniten. in 6.*

in specie concessurus] Totam hanc absolvendi potestatem Ponti-

Pontificii temperant ad modum jurisdictionis & poteſtatis civilis. Uti enim jure civili magiſtratui aliqva competunt jure proprio ſive jure magiſtratûs, aliqva vero ſpecialiter & nominatim lege, SCto vel conſtitutione Principum conceduntur: Ita & abſolvendi poteſtatem Pontificii aliam jure proprio competere volunt, aliam jure & conceſſione ſpeciali. Sed enim uti poteſtas clavium non ad poteſtatem jurisdictionis, ſed ad poteſtatem ordinis referenda eſt, in qvâ ſcilicet par omniũ miniſtrorũ Eccleſiæ eſt ratio & conditio, ita malè & reſervantur certi caſus, & ſpecialiter iidem aliis conceduntur. Non igitur eſt, ut multum occupati ſimus in qvæſtionibus, utrum prælati regulares ſibi poſſint reſervare abſolutionem qvorundam delictorum utrum poſſit Religioſtatutum facere, qvo reſerventur peccata etiam ritè & validè confeſſa, ut in fine anni iterum ſuperiori pœnitens confiteri teneatur? &c: de qvibus inutramqve partem inter Pontificios prolixè diſputatur. Vid. Hurtado *tr. 5. reſol. 20. 23.*

Contritio & confeſſio ſine ſatisfactione parum proficiunt. h. d.

c. nullo de Pœnit. diſt. 1.

§. 12. Sed nec contritio multum proficiet, nec confeſſio, niſi ambabus adjuncta fuerit ſatisfactio: Qvæ nihil aliud eſt, qvã qvædã injuriæ illatæ compenſatio: nullus enim delictorum accipit veniam, niſi (ſi nulla neceſſitate fuerit impeditus) qvalemcunqve, etſi longè minorem, qvàm debeat, pœnam ſolverit. Nec ſufficit mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere, niſi etiam de his, qvæ facta ſunt, Deo ſatisfiat per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleëmoſynis, orationibus, & jejunijs.

adjuncta fuerit ſatisfactio] Satisfactio non eſt pars pœnitentiæ, uti Pontificii volunt, neqve ab homine fieri poteſt iræ divinæ ſatisfactio, ut maximè omnes intendat nervos. Sed ut eâ de re exactiùs conſtet,

fiet, breviter aliqvid de satisfactionibus dicere hîc oportet. Satisfacere apud Latinos in genere dicimur ei, cujus desiderium implemus *l. 1. ff. qvi satisd. cog.* Hæc generalissima satisfactionis significatio, si pœnæ debitum spectes, duos admittit modos. Unus est compensatorius, qvando æqvaliter & justâ proportione compensatur debitum, ita ut satisfactio respondeat culpæ in numero, pondere & mensurâ. Alter verò est deprecatorius & emendatorius, qvo offensam lædens agnoscit, deprecatur & ab eâ desistit. Nam & hoc satisfacere dicebant veteres Latini, si qvis penes eũ, qvem offenderat, deprecabatur, & culpam ita confitebatur, ut ejus maximè pœnitere se, ac FACTUM NOLLE significaret, qvod verbis solvere dicit eleganter Terentius *in Adelphis*. Eodem pertinet illa significatio, qvâ satisfacere dicitur idem, qvod confiteri apud Martialem:

Nil in te scripsi, Bithynice, credere non vis,
Et jurare jubes, malo satisfacere,

i. e. rem fateri. Vid. Desider. Herald. *l. 2. digress. 4.* Porrò utraq; satisfactio vel fit DEO vel hominibus. DEO satisfactio compensatoria, qvia nobis impossibilis erat, præstita est, pro nobis â Christo, pro omnibus peccatorum nostrorum meritis, ideoq; illam â nobis non exigit, nec voluntatem suam hoc modo impleri præcipit. Emendatoria satisfactio & nobis â DEO præcepta est, & cum seriam pœnitentiam agimus, desistimus â malo, & facimus bonum, tunc voluntati DEI obedimus. Et hoc posteriore modo accipienda sunt dicta patrum, qvando illi DEO nos satisfacere dicunt, it: qvando dicunt, peccata purgari, lavari, expiari, redimi pœnitentiâ, ejusq; exercitiis. Intelligendum enim hoc est qvoad exercitium, qvando radix peccati mortificatur, & crucifigitur, & peccata proæretica vitantur atq; caventur. Satisfactio autem, qvæ coram hominibus fit, est & deprecatoria & compensatoria. Olim enim erant pœnæ canonicæ seu â Canonibus Ecclesiasticis constitutæ, & peccatoribus scandalosis ad eluendum coram Ecclesiâ scandalum imponebantur. Cujus rei qvæ fuerit origo, qvæ ratio, qvæ item causa & occasio abrogationis, docet Sozomenus *l. 7. c. 16.* Illis autem correctionibus Ecclesiasticis, qvi se subjiciebant, dicebantur satisfacere, puta Ecclesiæ. Sed hæc tota phraseologia postea in diversissimum sensum tracta est â mercenariis pontificiis. Nam 1. satisfactionem â confessione diversam fecérunt pœnitentiæ partem, cum veteres ipsam confessionem, deprecationem & emendationem peccati vocarint satisfactionem coram DEO. 2. Satisfactionem. Veteres non vocarunt pœnarum temporalium pro peccato luitionem: sed deplorationem, emendationem & fugam ipsius

peccati. 3. Satisfactionem externam, qvæ Ecclesiæ præstatur, per pœnarum Canonicarum luitionem, Pontificii faciunt necessarium reqvisitum pœnitentiæ & remissionis peccatorum. At Veteres judicárunt non esse necessariam, sicut de Petro ait Ambrosius *in Luc. lib. 10. c. 96. Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego.* 4. Satisfactio Canonica apud Veteres semper antecedebat absolutionem â peccatis, exceptis moribundis peccatoribus. Postea pontificii, ut ex dispensationibus occasiones lucri captandi haberent, post absolutionem luendas pœnas imposuérunt. Vid. Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccl. l. 5. c. 7.* Notandum etiâ istud est, non valere apud Pontificios satisfactionem, ut maximè exqvisitis inusitatisq; cruciatibus aliqvis se conficiat, nisi ab Ecclesiâ illi fuerint injuncti. Per Ecclesiæ igitur autoritatem non aliàs habere istiusmodi cruciatûs vim momentumqve satisfaciendi. Gabr. Albaspin. *lib. 2. obs. 3.*

compensatio] Debet itaqve esse æqvalitas seu proportio inter culpam & meritum illius, & inter precium qvo fit compensatio. Oportet enim precium æstimari tanti, qvanti valet res ipsa, pro qva precium solvitur. At hîc debitum est infinitum propter offensionem personæ infinitæ. Igitur ad dignè compensandum hoc debitum nulla prorsus creatura sufficiens est, sed persolvi omninò debuit â personâ infinitâ.

nullus enim delictorum accipit veniam] Qvidni? cum remissio peccatorum nihil aliud sit, qvàm actus DEI gratiosus, qvo satisfactionem Christi pro nobis præstitam, credenti imputat, peccati fœditatem tegit, reatum condonat, & pœnam peccato debitam aufert. Multo adhuc ineptiores sunt alii pontificii, qvi statuunt, remitti posse culpam, ut tamen reservetur luenda pœna vindicativa, hanc autem in opera, qvæ pœnalia vocant, converti posse, cum tamen remittere culpam vel peccatum nihil aliud sit, qvàm pœnam peccato debitam condonare. Qvamdiu igitur, cui jus infligendæ pœnæ competit, delinqventé pœnæ subjicere intendit, tamdiu nondum ei perfectè est reconciliatus, nec delictum plenè remisit.

qvalemcunqve, etsi longè minorem] At si minus solvitur, non est compensatio, nec igitur satisfactio. Et certum id est, DEO satisfieri non posse, nisi per precium ἰσόρροπον, ut vel ipsa etymologia vocabuli notat, secundum qvam Biel *l. 4. sent. dist. 16. Adverbium*, SATIS, inqvit, *importat correspondentiam ejus, qvod redditur ad illud pro qvo redditur.* Distingvit qvidem Bellarminus *l. 4. de pœn. c. 1.* inter satisfactionem perfectam, qvæ reqvirat, ut fiat ex propriis & ad æqvalitatem ex rigore justitiæ specta-

ſpectatam, & inter ſatisfactionem imperfectam, cujus duo facit reqviſita, 1. eſt compenſatio culpæ qvoad injuriam tantùm : pro amicitiâ enim cum DEO renovandâ hominem non poſſe ſatisfacere, ſed egere neceſſariò acceptationis, qvæ præſupponat amicitiam: 2. eſt, ut ſicut offenſio eſt infinita ex parte objecti, ita opera ſatisfactoria habeant infinitatem ex parte principii ſatisfacientis, h. e. fiant â Spiritu DEI hominem inhabitante ſive ab ipſo homine ut membro Chriſti, ac filio DEI jam per charitatem & gratiam effecto. Hanc diſtinctionem porrò ſic applicat, ut dicat, hominem reſipiſcentem compenſare culpam tantùm qvoad imperfectam æqvalitatem per opera renovationis, & rationem reddit, qvia jam in remiſſione ſecundâ ſeu reconciliatione poſt baptiſmum per contritionem & alias diſpoſitiones ſit impetrata reſtitutio amicitiæ cum DEO & non niſi compenſatio injuriæ reſtet. Verùm enim verò prius reqviſitum 1. repugnat ordini reconciliationis. Neq; enim peccator poteſt in gratiam cum DEO redire, niſi qvoad omne peccati meritum ſatisfactum ſit, & injuria qvoq; compenſata fuerit. 2. confundit objectum juſtitiæ punientis, qvod eſt Chriſtus, & objectum miſericordiæ divinæ ſatisfactionem alienam imputantis, qvod eſt peccator credens. Si ergo homo reſipiscens adhuc obligatus eſſet ad injuriam compenſandam, utiq; adhuc inimicus DEI eſſet, nec ſatisfactio Chriſti imputata ipſi fuiſſet in juſtitiam. Hoc autem falſum eſſe totus locus de juſtificatione probat. Ideoq; homo juſtus jam per imputatam Chriſti juſtitiam in judicio DEI declaratus & DEI amicus factus ad nullam pœnam tanqvam non remiſſam tenetur, ſed gratis per juſtitiam remunerantem Evangelicam præmiis afficitur, vitâ ſc. æternâ & aliis bonis â Chriſto promeritis. Secundum reqviſitum de aliqvali infinitate operum ſatisfactoriorum eſt falſiſſimum. Ipſa qvidem gratia Spiritus S. ut eſt proprietas divina, eſt infinita, ſed chariſmata ſeu dona per gratiam ſunt finita. Vid. *Epheſ. IV, 7. & 16. 2. Cor. X, 12. Rom VIII, 23.* Statuunt inſuper & hoc Pontificii, in Eccleſiæ poteſtate eſſe, contrahere, minuere, aut producere pœnas peccatis debitas, & ſatisfactionis meritum æſtimare & ponderare, atq; ſatisfaciendi vim & pondus qvibuslibet pœnis qvantumvis exiguis & levibus imponere & inferre. Gabr. Albaſpin. *lib. 2. obſ. 3. in fin.* At hoc qvàm falſum ſit, ipſa ea oſtendunt, qvæ hactenus diſputavimus. Cumq; ipſa tota Eccleſia Deum offendere poſſit, & ſæpiſſimè offendat, non erit profecto in ejus poteſtate, DEO leges præſcribere, qvibus ſatisfactionem qvalemcunq; probare debeat.

pœnam ſolverit] Falſum eſt, qvod culpa non aliter remittatur homini peccatori, qvàm ſi is pœnam qvoq; luerit. Qvia enim Chriſto im-

ſto imputatum eſt peccatum noſtrum, ut omne illius meritum pro nobis lueret, ſeqvitur, peccatū nulli, cui juſtitia Chriſti imputatur, qvoad ullam pœnam eſſe luendum.

Deo ſatisfiat] Non aliter, qvàm per emendatoriam & deprecatoriam ſatisfactionem, uti explicavimus ſupra. Canoniſtæ autem & Pontificii communiter ipſam etiam contritionem ut meritum conſiderant, qvod in meritum Chriſti injurium eſt.

per contriti cordis] Agnitio peccati, confeſſio & contritio ſunt nuda tantùm antecedentia remiſſionis peccatorum, qvæ Spiritus S. per legem DEI operatur, ut de remedii neceſſitate cogitetur, non autem habent rationem cauſæ vel medii, nec etiam habent ſe per modum diſpoſitionis aut impetrationis.

cooperantibus] Pontificii eleemoſynas, orationes & jejunia ideò dicunt opera ſatisfactoria, qvia ſint opera laborioſa. Sed enim ſemper confundunt ſatisfactionem verè compenſatoriam cum emendatoriâ. Non enim ſeqvitur: Exercitia pœnitentiæ ſunt laborioſa. Ergo ſatisfaciunt DEO per modum veræ compenſationis. Per emendationem autem peccatum, qvod qvaſi in conſvetudinem abiit, poſthac qvaſi contrariis adhibitis remediis, nempe ſtudiis pietatis, vitamus & commiſſis peccatis adverſa *facimus*, radicem peccati mortificantes; cùm peccatorum omiſſio fieri non poſſit, qvin etiam ad bonum fiat converſio, propter immediatam boni & mali oppoſitionem, qvâ ille, qvi deſiſtit eſſe malus, fit bonus. Sed hæc omnia non per modum meriti conſiderari hîc debent, cum ex parte noſtrâ nihil omninò ſit, qvod promereri aliqvod bonum ſpirituale qveat. Qvin imò mortificatio carnis, ſivè negativè ſumatur pro actuali non obſeqventiâ deſideriis carnis præſtitâ, ſivè privative pro derogatione appetitûs peccaminoſi, ſive poſitivè pro reali oppoſitione voluntatis adverſus iſtum appetitum, pertinet ad ſtatum renovationis ſeu jam converſorum, neqve rectè dicitur pars eſſentialis pœnitentiæ, ſed fructus ejus. Hülſemann. *in breviar. c. 9. n. 6.*

Medici, qvi ægrotos ad pœnitentiam non inducunt, ſunt ab Eccleſiæ ingreſſu arcendi. h. d.

c *cap. cùm infirmitas. extr. eod.*

§. 13. Medicos[c] etiam admonere oportet, ut cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant, ut medicos vocent animarum:

Digitized by Google

rum: ut, poſtqvam fuerit ægrotanti de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubriùs procedatur. Si qvis autem medicorum ſecùs fecerit, ab Eccleſiæ ingreſſu arcebitur, donec pro tranſgreſſione hujusmodi ſatisfecerit.

ut medicos vocent animarum] Conſtituit inſuper Pius V. ut medici ultra tertium diem ægrotum non viſitent, niſi per Confeſſarii ſcriptum ipſis de infirmi confeſſione fides fiat. Qvod tamen eum in finem factum inprimis videtur, ut hâc ratione manifeſtum fiat, qvibus cum Eccleſiâ Romanâ non conveniat, & ſic inqviſitio inſtitui poſſit.

ab Eccleſiæ ingreſſu arcebitur] Dura nimis videtur hæc pœna, nec proportionata ſatis delicto. Præſertim cum de domeſticis, qvorum eadem & potior videtur cura, nihil tale ſtatutum inveniatur.

Qvi habuit propoſitum confitendi, poteſt abſolvi, ſi ſævitiâ morbi non poſſet confiteri. h. d.

§. 14. Si qvis autem in infirmitate conſtitutus, pœnitentiam petierit, & dum ad eum invitatus ſacerdos properat, morbo oppreſſus obmutuerit, vel in phreneſin converſus fuerit, & pœnitentiam moriturus, & per manus impoſitionem reconciliationem accipere poterit. *c. is qvi in infirmitate 26. qvæſt. 6. & 7.*

& pœnitentiam moriturus] Pœnitentiam hîc accipit pro abſolutione. Pontificii enim, ut ſupra diximus, ex Pœnitentiâ faciunt Sacramentum & ejus formam conſtituunt in verbis Sacerdotis: *Ego te abſolvo* &c. Sed talis pœnitentiæ ſignificatio Scripturis planè eſt incognita. Cæterùm, qvod hîc de abſolutione morientium ſtatuitur, uberius explicat Gabriel Albaſpinæus *not. ad can. 34. Concil. Carthag. III.* Qvæ autem veteris

Eccleſiæ in tali negocio fuerit conſvetudo, explicat idem, ſed admodum involutè & dubitanter, imò etiam præſumptuosè Albaſpinæus *2. Obſ. 3.*

per manus impoſitionem] Qvatuor manûs impoſitiones in decurſu pœnitentiæ, ſed imminente periculo mortis unicâ tantùm & ſimplicem notat Gabr. Albaſpinæus *l. 2. Obſ. c. 31.* Cæterùm freqvens olim erat hîc ritus imponendi manus, præſertim qvando ſuper perſonam aliqvam peculiariter invocabatur nomen domini. Hâc enim ratione perſona illa qvaſi offerebatur DEO & ſiſtebatur in conſpectum ejus additis ſupplicationibus, ut DEUS gratiam & benedictionem ſuam illi largiri dignaretur.

reconciliationem] Reconciliatio in veteri Eccleſiâ duplex erat, minor & major, uti communio etiam, ad qvam reconciliatio fiebat, minor & major habebatur. Gabr. Albaſpin. *l. 2. Obſ. 32. 33.*

Deputatis ultimo ſupplicio ſacramentum pœnitentiæ & Euchariſtiæ non negatur. h. d.

§. 15 Nec infirmis ſolùm, ſed etiam ultore gladio morituris in hac parte jura ſubveniunt, cùm ultimo damnatis ſupplicio[a] pœnitentiæ ſacramentum, ſi petant, non ſolùm negari non debeat, verùm etiam ſint cenſura Eccleſiaſtica ab ordinariis locorum coërcendi, qvicunq; adverſarentur, qvo minùs id conſeqvantur. Qvod ipſum & de Euchariſtia qvoqve intelligendum erit: Cùm, qvibuscunqve pœnitentia non negatur, viaticum qvoq;, qvod verè pœnitentibus exhibetur, intelligatur eſſe conceſſum.

[a] *clem. 1. de pœnitent.*

c. qvod in tt. h. tit.

Qvod ipſum & de Euchariſtiâ] Uſu tamen obtentum eſſe, ne his, qvi proximè ſunt pœnâ mortis puniendi, euchariſtiæ Sacramentum detur, referunt Didacus Covarruvias *l. 2. var. reſol. c. 1. n. 11.* Jul. Clarus *l. 5. ſentent. §. fin. qveſt. 99. n. 3.* Flamin. Chartar. *de execut. ſent. capt. bannit. cap. fin. n. 433.* Sed iſtum uſum contra jus & contra omnem charitatem invaluiſſe

fuisse & idcircò reprobandum, rectè docet Anton. Gomez *3. resolut. c. 14. n. 6.* Illud verò superstitiosum est, qvod notat Julius Clarus *d. l.* non debere delinqventes eo ipso die, qvo Eucharistiâ usi sunt, mortis supplicio affici. Qvod & statuit Petrus Binsfeld. *de confess. malef. conclus. 7. dub. 5.* ita tamen, ut admittat, communionem ipso illo die fieri posse, si executio dilationem & moram non ferat, dum saltem qvatuor horæ inter communionem & executionem intercedant, ut corrupta (ita loqvitur) tanto temporis spacio sacramenti specie nulla sacramento irreverentia fiat. Sed hoc, ut dixi, in superstitionem abit.

DE EUCHARISTIA,

TITULUS VI.

Maximum est Eucharistiæ sacramentum, & saltem semel in anno debet assumi. b. d.

§. 1. Est autem inter cætera, Eucharistiæ sacramentum maximum [b], & oblationes omnes longè antecellit. Unde, sicut præstantius est cæteris, ita etiam diligentiùs excoli debet. Et qvidem circa prima fidei cunabula freqventissima erat apud fideles sanctissimi viatici susceptio, sed cùm postea paulatim tepescente charitate rariùs homines communicarent, constitutum fuit [c], ut, nisi qvis majoribus fortasse criminibus impediretur, tribus saltem vicibus in anno communicare deberet: donec refrigescente penitùs religionis ardore, eò tandem ventum est, ut semel saltem singulis annis [d], unusqvisq; cœlestis mensæ debeat esse particeps.

b *can. nihil in sacrificiis. de consecrat. distin. 2.*

c *can. etsi non. de consecrat. dist. 2.*

d *cap. omnis. de pœnit.*

inter

inter cætera] Sacramenta Novi Teſtamenti eſſe tantùm duo, diximus ſupra *tit.2.*

Euchariſtiæ] Ita vocatur Cœna dominica ab Irenæo & aliis veteribus à verbo *ἐυχαριςήσας Matth.XXVI,27. Luc.XXII,19.* à cauſa ſcil. finali, nempe gratiarum actione pro beneficio redemtionis.

Sacramentum maximum] Utrumq; Sacràmentum ſuam habet præſtantiam, ſed neceſſarium tamen magis eſt ſacramentum baptiſmi. Maximum autem videtur hoc Sacramentum autori dici propter transſubſtantiationem, qvam fingunt. In Concilio Tridentino diſputatum fuit de dignitate Sacramentorum,& placuit qvibusdam, baptiſmum reſpectu utilitatis reliqvis Sacramentis anteire; matrimonium intuitu ſignificationis; confirmationem ratione dignitatis miniſtri; Euchariſtiam contemplatione adorationis. Vid. Petr. Svav. *in hiſtor. lib. 2.* Sed add. Caſaub. *contr. Baron. exerc. 16.*

oblationes omnes] Faciunt enim Pontificii ex Euchariſtiâ ſacrificium propriè ita dictum,uti poſtea videbimus. Cæterùm qvomodo diebus dominicis & feſtis factæ fuerint à fidelibus oblationes, ut ex participatione earum omnes fideles ſub uno eodemq; capite & de eodem corpore eſſe ſignificaretur, prolixè oſtendit Gabr. Albaſpin. *l.1.Obſ.5. & 6.* cui tamen add.Dorſch. *exercitat. ad diatyp. Concil.Nicen. de Cæn. ſect.3.§.22.ſeq.*

ſemel ſaltem ſingulis annis] Vid. qvæ dixi *tit. anteced. §. privata aut ſecreta.* Facit huc inſignis locus Juſtini *ex apol.2.* ubi rationem eccleſiaſticorum conventuum & adminiſtrandæ Euchariſtiæ ſeculo ſecundo uſitatam egregiè exponit. *Solis*,inqvit,*die,omnium,qvi vel in oppidis vel rvri degunt,in eundem locum conventus fit,& commentaria Apoſtolorum aut ſcripta Prophetarum,qvoad tempus fert,leguntur. Deinde qvieſcente Lectore Præſes orationem habet,qvâ ad imitationẽ tam pulchrarum rerum cohortatur & invitat. Sub hæc conſurgimus unà omnes & preces fundimus. Peractis precibus panis affertur,& vinum & aqva,& Præſes ſimiliter, qvantum poteſt,preces & gratiarum actiones fundit, populusq; fauſtâ acclamatione approbat & dicit, Amen. Hinc diſtributio ſit eorum,in qvibus gratiæ ſunt actæ, & participantur ab unoqvoq; præſente, abſentibus autem per Diaconos mittuntur &c.* Ex qvibus patet, ſingulis diebus dominicis eo ſeculo omnibus & ſingulis Euchariſtiam fuiſſe diſtributam.

Qvo-

Digitized by Google

Qvotidie ſacerdotes hodie pro populo ſacrificare debent, ſed ſemel tantùm, non pluries, niſi ex magna cauſa, vel in nativitate Domini. h. d.

§. 2. Invaluit tamen, ut Deo qvotidie ſacerdotes pro populo hanc oblationem facerent. Qvoniam enim qvotidie labimur, ideo etiam Chriſtus qvotidie myſticè pro nobis immolatur: in qvo tamen illud cavendum eſt, ne ſacerdos, qvacunq; præfulgeat dignitate [e], amplius qvàm ſemel in die celebret, niſi aut aliter faciendum Domini nativitas [f] ſvadeat, aut urgens cogat neceſſitas. Satis enim felix eſt, qvi ſemel dignè celebrat.

c. iteratur, verſ. & ideo de conſec. diſt. 2.

e *cap. te referente. extr. de celebrat. miſſar.*

f *cap. conſuluiſti. extra. de celeb. miſſar.*

Invaluit tamen] Benè qvod dicit, INVALUIT, qvia hoc nullo nititur præcepto, nullo fundamento, nullâ ratione Theologicâ.

ut Deo qvotidiè] Multum diſputatur inter pontificios, utrum Sacerdos teneatur qvotidiè celebrare. Et aliqvi dicunt, talem obligationem eſſe planè intolerabilem. Prolixè eâ de re agit Thomas Hurtado *tot. tract. 2. reſolut. moral.* & concludit tandem *ſub num. 378.* Sacerdotem ſatisfacere præcepto divino de celebrando, ſi qvater in anno ſucceſsivè vel continuè diebus feſtis vel feriatis celebret. Sed hæc opinio facit, ut miniſterium DEO ad dimenſum exhibeatur. Iteratam Salvator præcipit commemorationem, nullo numero circumſcriptam. Nec ergò circumſcribi debet ab homine, legum divinarum cuſtode tantùm & obſervatore, non latore & magiſtro.

ſacerdotes] Poſtqvam Pontificii ſacrificium miſſaticum ex Euchariſtiâ conſtituérunt, illudq; verum & propriè dictum tale eſſe voluérunt, etiam iſtud à ſacerdote ſolo victimam ſc. verſare valido, peragi poſſe aſſeruérunt. Hinc Miſſæ ſolitariæ & ſine communicantibus apud eos multo freqventiores, qvàm qvibus communicantes interſunt, ſæpè adeò ſolitariæ, ut præter ſacrificulum & miniſtrum puerum nemo compareat. Et tamen Sacrificuli hanc comeſtionem & bibitionem non ipſi ſoli, ſed aliis etiam

prodeſſe fingunt. Scilicet, qvemadmodum os materialis corporis non ſibi tantùm edit, ſed alimentum etiam percipit ad cæterorum membrorum ſuſtentationem, qvod in totum corpus transfunditur: ſic etiam os Sacerdotis Pontificiis eſt os omnium, & vis Sacramenti, qvod ſolus ſacerdos accipit, in ſingula Eccleſiæ membra ſe diffundit, maximè in eos, qvi in Miſsâ præſentes adſunt, uti olim per artem planè Cabaliſticam philoſophati ſunt Gabriel Biel *Lect.81.* Vincentius de Valentia *ſerm.2. de feſt.Epiph.* Eccius & alii. Sed iſtud non Apoſtolicæ tantùm & univerſæ primitivæ Eccleſiæ inſtitutis adverſum eſt, ſed graviter etiam reprehenſum in concilio Pariſienſi ann. Chr. 839. *can.48.lib.1.*

hanc oblationem facerent] Uti ante dixi, ſtatuunt Pontificii, in Miſsâ ſuâ peragi ſacrificium verum & proprium & qvidem propitiatorium. Et ideò etiam vocabulum *oblationis* illi accipiunt propriè. Sed alia longè eſt ſententia Petri Lombardi, qvi *lib.4. diſt.12.* iſtam movet qvæſtionem, ſi qvod gerit Sacerdos, propriè dicatur ſacrificium vel immolatio, & ſi Chriſtus qvotidiè immoletur, vel ſemel tantùm immolatus ſit? Deinde reſpondet, illud qvod offertur & conſecratur à ſacerdote, vocari ſacrificium & oblationem, qvia memoria eſt & repræſentatio veri ſacrificii, & ſanctæ immolationis factæ in arâ crucis. Et ſemel (inqvit) Chriſtus mortuus eſt in cruce ibiq; immolatus eſt in ſemet ipſo: qvotidiè autem immolatur in Sacramento, qvia in Sacramento recordatio fit illius, qvod factum eſt ſemel.

ideò etiam Chriſtus] Chriſtus Sacerdos N. T. ſacrificium propitiatorium pro peccatis populi oblaturus, obtulit ſemetipſum (non per ſacerdotem aliqvem alium) ſed per Spiritum S. ſemel. *Hebr.9, 26.28. & c.10, 12. & 14.* Sacrilegum itaq; eſt, qvod per Spiritum S. ſemel eſt factum, iterari ab Sacerdotibus Miſſaticis ſine præcepto divino aut exemplo apoſtolico.

qvotidiè] Atqvi Scriptura N. T. unum numero agnoſcit ſacrificium propitiatorium, idq; omnibus numeris abſolutiſſimum, & qvidem non niſi cruentum illud Chriſti, in cruce peractum: imò ita abſolutè unum, ut nullo modo ſive cruento, ſive incruento repeti, adumbrari, aut repræſentari, nedum reipſâ peragi poſſit aut debeat. Qvò faciunt dicta *Hebr. VII, 26. & 27. c.IX, 12.24.25.26.28. c.X, 2.12. & 14.* Qvod ſi etiam repetendum foret indies ſacrificium, certè haud efficacius eſſet crucis ſacrificium, qvàm fuit in Teſtamento Veteri ſacrificium boum & vitulorum, qvorum oblationes teſte Epiſt. *ad Hebr.* ex eo arguebantur inefficaces & infirmæ, qvod crebrâ reiteratione opus haberent. At verò vix qvicqvam dici cogitarive poteſt in ſacri-

crificium Christi contumelioſius, qvàm indigere illud, inſtar ſacrificiorum Leviticorum, qvotidianâ, ſive jugi iteratione. Sic enim nullo pacto unicæ illi victimæ ſive oblationi Chriſti in arâ crucis peractæ perfecta æternaq; adſcribi poſſet redemtio: Sic non ſemel illa & qvidem ſub conſummationem ſeculi facta eſſe affirmari poſſet.

myſticè] h. e. modo incruento, uti nugantur. Statuunt enim miſſæ ſacrificium idem qvidem eſſe cum ſacrificio crucis, ſed differre tamen modum. Crucis enim ſacrificium cruento modo peractum; Miſſæ autem ſacrificium incruento modo qvotidiè freqventari. Sed & hoc temerè & ſine Scripturæ ſuffragio aſſeritur. Imò verò Scriptura nullam aliam Chriſti oblationem novit, qvàm eam, qvæ cum occiſione Chriſti eſt conjuncta, usq; adeò, ut Spiritui S. ſint termini convertibiles: Chriſtus oblatus eſt, &, Chriſtus occiſus eſt. Ita enim legitur *Hebr. IX, 25. & 26. Si neceſſe habuiſſet offerre ſæpius ſemetipſum, oportuiſſet illum freqventer pati ab origine mundi.* Et *v. 22.* diſertè dicitur, absq; ſangvinis effuſione non fieri remiſſionem, ita ut rurſus duo iſta ſimpliciter ſint ἀνταποδόσεις, propitiatio pro peccatis, & ſangvinis effuſio, qvorum uno poſito, alterum etiam poni, uno negato, alterum etiam negari neceſſe ſit. Non poteſt igitur cruentus modus ſacrificii Chriſti in alium incruentum, ſalvâ rei veritate mutari aut converti. Add. Joh. Rainold. *in colloq. cum Hart. c. 8. ſect. 4.*

pro nobis immolatur] Potuiſſet hæc tota ſententia recipi, ſi qvidem pronunciata fuiſſet juxta ſenſum & mentem veterum, qvi ſimilibus verbis haud rarò uſi ſunt. Illi autem actionem cœnæ dominicæ ideò vocant immolationem & ſacrificium, qvia cœna dominica celebratur in memoriam ſeu commemorationem unici ſacrificii Chriſti in cruce ſemel peracti. Theophylact. *in c. 10. ad Hebr. Qværet aliqvis, num & ipſi ſine ſangvine immolamus? ita qvidem, ſed Chriſti mortis tunc reminiſcimur, eundem ſemper offerimus: qvin potius oblationis illius memoriam facimus, perinde ac eſſet hoc tempore immolatus.* Petri Lombardi conformem ſententiam paulo ante recenſuimus. Sed & veteres Eccleſiæ Doctores nullum ritum, qvi proprii ſtrictiq; nominis ſacrificium eſſet, agnoviſſe, ex ipſorum ſcriptis manifeſtum eſt. Ægrè ferebant tùm Judæi, tùm gentiles, & Chriſtianis objiciebant, qvod non ſacrificarent. Nemo Veterum aliter reſpondet, qvàm ſua ſacrificia eſſe laudes, preces, gratiarum actiones, exercitia pietatis & charitatis, alterius generis ſe nec offerre, nec DEUM reqvirere. Vid. Minut. Fel. *in Octav.* Juſtin. *apol. 2.* Arnob. *lib. 7.* Clem. Alexandr. *lib. 7. Strom.* & alii paſſim.

sim. Eucharistiam autem vocabant sacrificium, & offerre pro aliqvo sacrificium idem olim erat, qvod pro aliqvo orationibus, qvando celebratur Eucharistia, conceptis precari. Vid. August. *l. 9. confess. c. 11. 12.*

ne Sacerdos] qvale Pontificii intelligunt sacrificium, talem etiam faciunt Sacerdotem, scil. verè & propriè ita dictum. At postqvam Christus factus fuit sacerdos unus & unicus Novi Testamenti, nullos in hoc suo Pontificatu admittit successores vel vicarios. Si enim admitteret, non esset Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sed secundum ordinem Aaronis, qvi ob imperfectionem sacerdotii suos habuit successores. Deinde in Epist. ad Ebr. *c. VII, 23.* in hoc distingvit Sacerdotium Leviticum V. T. à Sacerdotio N. T. qvod in illo plures Sacerdotes offerebant sacrificia, in hoc autem non plures, sed idem manens in æternum Christus Servator.

qvacunq; præfulgeat dignitate] Intelligit qvidem hîc dignitatem ordinis, sed aliam tamen & majorem qvidem adhuc dignitatem ex hâc sacrificii confectione accedere volunt cuilibet infimi generis sacerdoti. In qvo qvidem genere tàm facundi sunt Pontificii, ut in blasphemias elogia sua desinant. Alanus de Rupe ordinis fratrum Prædicatorum tractatum scripsit de dignitate sive excellentiis Sacerdotum. Inter alia sic ait: *Qvilibet Sacerdos habet potestatem Patris & (salvâ semper Dei reverentiâ) habet majorem potentiam, qvàm Pater omnipotens in mundi efficientiâ. Nempe Pater septem diebus laboravit tàm in opere creationis, qvàm distinctionis. Sed Sacerdos celebrans qvilibet, qvantumq; parvus, majus his omnibus facit. Pater enim ibi fecit creata, sed Sacerdos increatum. Ibi DEUS producit effectus, sed Sacerdos causam causarum generat. Qvanta ergo est distantia DEI à mundo creato, tanta est excellentia operis sacerdotalis super opus creationis. Unde definitivè dico, qvod majus est opus Sacerdotis, qvàm habere potentiam creandi creata tot mundorum, qvot sunt substantia in mundo.* &c.

qvàm semel in die] Maximus tamen qvia numerus est sacrificulorum, in immensum excrescere potest uno die numerus missarum. Ita Philippus III. Hispaniæ Rex pro Conjuge suâ Margaritâ ipso exseqviarum die Madriti curavit fieri missas mille septingentas. Deinde præter mille piacularia sacrificia, de qvibus agebatur in testamento, curavit Rex alia fieri vigesies mille. Isabella Clara Eugenia pro marito suo Alberto imperavit celebrari sacrorum qvadraginta millia. Rationem autem, propter qvam sacerdoti semel tantùm in die celebrare liceat, reddunt istam, qvia semel Christus mortuus est, cujus passionis commemoratio fiat in Sacramento missæ

6. suffi-

Digitized by Google

c. sufficit 31. de consecrat. dist. 1. Didac. Spino *in spec. Test. glos. 3. n. 54.* Atqvi ego potius inde concluderem, qvia semel Christus mortuus est, non debere ejusmodi sacrificium propriè dictum iterari.

Dominatività svadet] Adduht noctem resurrectionis, & utroq; hoc tempore propter beneficia nobis parta, post dimidiam noctem tres dicere missas permittunt. Didacus Spino *in spec. test. d. l.*

cogat necessitas] Casus, qvibus plusqvam semel celebrare unâ die licet missam, septem enumerat Martinus ab Azpilcuet. Navarr. *tom. 3. c. 25. n. 87.* Add. Paul Laymann. *theol. moral. lib 5. tr. 5. c. 4. n. 6.* & qvi de illis multum sollicitus est, Thom. Hurtad. *tr. 2. cap. 7. resol. ult.* Nos totam hanc sacrificandi ceremoniam inter βδελύγματα referimus Ecclesiæ Pontificiæ.

Presbyter tantùm debet exhibere Eucharistiam, non inferior, nisi subsit necessitas. h. d.

§. 3. Sed nec ab omnibus, nec passim omnibus, tantum sacramentum exhiberi debet: nam veluti solus sacerdos illud conficit, ita etiam nemo præter eum exhibere poterit. Qvòd si presbyter aliter, qvàm per semetipsum infirmum, vel alium communicet, ex Rhemensis [a] concilii dispositione, sui gradus periculo subjacebit. Permisit tamen Laodicense concilium [b], si necessitas urgeret, ut diaconus præsente presbytero Eucharistiam jussus erogare posset.

[a] *can. pervenit. de consecrat. dist. 2.*

[b] *can. præsente. dist. 93.*

tantum Sacramentum] Distingvunt Pontificii sacrificium à Sacramento. Qvatenus à Presbytero consecratur, offertur & absumitur, sacrificium esse volunt; at qvatenus populo præbetur & à populo accipitur, sacramentum esse dicunt. At nullum hîc propriè dictum esse sacrificium, jam ante monuimus.

minori excommunicatione] De hâc dicendum erit *infr. lib. IV.*

irregularitatis notam] Irregularitatem Autor definit infra *lib. 4. tit. 15. qvod* ſit nota ſeu canonicum impedimentum ex facto ſeu defectu proveniens, qvo qvis tàm ad Eccleſiaſticos ordines promoveri, qvàm promotus in iisdem miniſtrare prohibetur.

ſed â participatione] Minor enim excommunicatio juxta tradita Canoniſtarum privat hominem tantùm paſſivâ communione Sacramentorum.

Scenicis & hiſtrionibus non eſt danda Euchariſtia; pro cæteris autem, maximè infirmis, ſemper debet eſſe parata. h. d.

§. 5. Item qvamvis regulariter nullus, etiamſi qvem ſacerdoti peccatorem & impœnitentem eſſe liqveat, ab altari ſit arcendus: Scenicis [e] tamen, atqve hiſtrionibus, cæterisq; perſonis hujus modi, qvamdiu tam deteſtandas artes exercuerint, ſacra communio deneganda erit. Nec enim Evangelicæ diſciplinæ congruit, ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. In cæteris proſpiciet presbyter, utſiqvis infirmatus fuerit, ita Euchariſtiam paratam habeat [f], ut nemo ſine communione moriatur.

c. 2. de Officio judicis ordinarii.

e can. pen. de conſecr. diſtin. 2.

f. can. presbyter. Euchariſtiam. de conſecr. diſt. 2.

ſcenicis tamen atqve hiſtrionibus] Hiſtriones veluti in qvendam ſcopulum famoſitatis fuiſſe damnatos, uti loqvitur Tertullianus *lib. de ſpectac.* non ſolùm JCtorum libri, ſed & cæteri Scriptores paſſim teſtantur. Admittere igitur ejusmodi homines ad ſacra ſua noluérunt veteres Chriſtiani. Auguſtinus *de fid. & operib. Meretrices & Hiſtriones & qvilibet alii publicæ turpitudinis profeſſores niſi ſolutis aut diruptis talibus vinculis ad*

lis ad Christi Sacramenta non permittuntur accedere. Histriones tamen hodierni prolixè defenduntur per Thomam Hurtado *tract.1.resol.8.* ubi ex Thoma & Cajetano concludit, artem histrionicam non esse secundum se peccatum mortale, nec artem illicitam, & propterea non teneri histrionem eam dimittere, anteqvam absolvatur.

ita Eucharistiam paratam habeat] Hostiam paratam habere ad cœnam Dominicam necesitatis tempore peragendam, bonum est Ecclesiæ institutum. Sed Canonistæ & Pontificii per Eucharistiam hîc intelligere videntur hostiam jam consecratam. Fingunt enim Eucharistiam Sacramentum permanens, atq; etiam extra sumptionem corpus Christi esse; unde abusus isti Sacramentales in papatu ortum traxérunt, ut panis consecratus asservetur in ciborio & circumgestetur theatricâ pompâ, atq; adoretur. Verùm non sola consecratio panis & vini reqviritur ad unionem illorum Elementorum cum corpore & sangvine Christi, sed tota Sacramentalis actio qvoad omnes actûs sacramentales conjuncta esse debet cum verbis formalibus & externis Elementis. Paulus enim non panem duntaxat consecratum, sed panem qvem frangimus, i. e. distribuimus, aut ideò frangimus, ut in cœnâ distribuatur, nominat communicationem corporis Christi. Et reservationem ejusmodi reprobavit olim Clemens Papa *c.tribus 23. de consecrat. dist. 2.*

sine communione] Ita vocatur Eucharistia, qvia nos realiter unit corpori Christi, ita ut cum eo & in eo omnes unum simus, qvasi dicatur, communio, i. e. communis unio convivarum hujus cœnæ, qvi edendo idem corpus verum & bibendo eundem sangvinem Christi inter se communicant, ut constituant unum corpus Christi mysticum.

Sacramentum Eucharistiæ constat visibili forma, veritate corporis & spirituali virtute. Et in calice poni debet vinum aqva mixtum.h.d.

g *glos.in sum. de consec.distinct.2.* h *sum.d.dist.2.*

§. 6. Constat[g] autem Eucharistiæ sacramentum visibili forma, veritate corporis & virtute spirituali. Forma visibilis est panis, & vini[h]: vinum verò hoc loco intelligimus aqva permixtum: nec enim in calice Domini, aut vinum solum, aut aqva sola offerri debet,

Digitized by Google

bet, cùm utrumqve ex latere illius profluxisse legatur. Illud etiam rationabilis consvetudo generalis habet Ecclesiæ, ut plus in eo vini, qvàm aqvæ sit ponendum[i]. [i] *cap. pernicioſus. extr. de celebrat. miſſar.*

Forma visibilis est panis & vini] Fingunt Pontificii, substantiam panis in substantiam corporis converti, manentibus nihilominus omnibus accidentibus panis. Sed id ἀσύστατον est, & contradictionẽ implicat, accidens esse & non inesse, cùm inesse sit de essentiâ accidentis. Deinde negari neqvit, panem & vinum post benedictionem alia interdum atqve alia accidentia suscipere, ut acorem, mucorem, venenosas qvalitates &c: item comburi posse, exsiccari, putrescere, arrodi â muribus, qvæ omnia reqvirunt substantiam & subjectum. Hoc autem corpus & sangvis Christi sine blasphemiâ statui non potest. Panis itaqve erit & vinum. Panis igitur & vinum post benedictionem manent, non convertuntur aut intereunt. Diversum autem hîc statuere autorem patet ex oppositione veritatis, qvam contradistingvit formæ visibili. Aliàs non diffitemur, dari & rem visibilem & invisibilem in Sacramento.

aqvâ permixtum]Nimium hoc est, qvod necessariò hîc mixturam aqvæ reqvirit. Haud paulo ineptiores sunt Patres Tridentini, qvi anathema dicunt illis, qvi mixtionem aqvæ non admittunt. Non qvidem damnamus Veteres Orientalis Ecclesiæ cives, qvibus ex consvetudine regionis calidioris & propter vinum vehemens solenne erat parumper aqvæ ei miscere. Sed enim necessariam esse istam mixturam, uti volunt Pontificii, omninò falsum est. Esset enim necessaria vel necesitate præcepti divini, vel necesitate finis divinitùs intenti. Non illâ, qvia Christus eam non instituit aut præcepit. Non hâc; Finis enim â DEO intentus est unio fidelium cum Christo. Jam hic finis non efficitur per mixtionem aqvæ cum vino, licet veteres per hanc ceremoniam finem istum repræsentari putârint. Qvanqvam verò per Ecclesiasticam constitutionem necessitas aliqva induci possit, manet tamen nihilominus ritus ille ab Ecclesiâ mandatus in se, & suâ naturâ indifferens. Non enim potest Ecclesia, qvando rei adiaphoræ usum ad hanc vel illam partem determinat, ritum simpliciter necessarium facere, nec naturam rei adiaphoræ mutare. Add. Chemnit. *in Exam. Concil. Trid. part. 2. p. 365.* Gisb. Voët. *diſp. theol. vol. 2. p. 220.* Poterit autem optimo ju-

re retorqveri in Pontificios, qvod Græcis mixturam aqvæ calidæ reqvirentibus objecit Jacob Goar *in Euchol. p. 149.* his verbis: *cum hæreticos vocet Balſamon eos, qvi hujuſmodi aqvæ calidæ mixtionem in calice reſpuunt, tanqvam ab ejus ſignificato diſſonantes: videat, ne mentiatur ſibi iniqvè, qvi fidem non in Chriſti verbis, ſed in ſignis & figuris nimis ſuperſtitiosè adſtruit.* Hæc verba itidem â nobis ſibi dicta habeant pontificii hoc modo: cùm anathemate percutiant Tridentini eos, qvi aqvæ mixtionem in calice reſpuunt, tanqvam ab ejus ſignificato diſſonantes, videant, ne mentiantur ſibi iniqvè, qvi fidem non in Chriſti verbis, ſed in ſignis & figuris nimis ſuperſtitiosè adſtruunt.

cum utrumqve ex latere illius] Atqvi reſpiciendum potius eſt ad id, qvod exhibuit Chriſtus, dum inſtituit Euchariſtiam, non ad id, qvod ex latere profluxit.

In Sacramento altaris panis & vinum fiunt vera caro & ſangvis Domini. h. d.

§. 7. Veritas [k] eſt carnis, & ſangvinis: ſicut enim ante conſecrationem panis & vinum, qvod natura formavit: ita etiam poſt conſecrationem vera Chriſti eſt caro & ſangvis, qvem benedictio conſecravit [l].

[k] *cap. cum Marthæ. §. diſtingvendum. extra. de celebra. miſſar. ext. d. gloſſ.*

[l] *can. nos autem. de conſecr. diſt. 2.*

Veritas eſt carnis & ſangvinis] In hoc §. latet totum transſubſtantiationis myſterium, jam ante â nobis memoratum, qvo fingunt, panem & vinum converti in corpus & ſangvinem Chriſti ita, ut, deſtructâ ſubſtantiâ panis & vini, corpus & ſangvis Chriſti divinâ virtute adducantur in locum eorum. Qvæ doctrina tùm S. Scripturæ, tùm antiqvæ Eccleſiæ planè fuit incognita, uti fatetur Scotus *l. 3. de Euchar. c. 23.* Gabr. Biel *l. 3. de miſſ. c. 2. §. 3.* Uſi qvidem fuére patres nonnulli vocabulis converſionis & transmutationis; verùm intelligi ea voluérunt non ratione eſſentiæ abſolutæ elementorum externorum, ſed eſſentiæ relatæ, qvoad uſûs vulgaris in uſum myſticum mutationem. Clarè apud Photium Ephraimus: *Qvod accipitur â fidelibus corpus Chriſti, nec ſenſibili ſubſtantiâ excidit, nec ab intelligibili gratia manet ſeparatum.* Et Theodoretus *dial. 2.* ita facit loqvi orthodoxum: *Neqve enim poſt ſacrificationem ſymbola à propriâ naturâ exci-*

excidunt, sed manent in priori substantia, figurâ & specie, & visibilia sunt & tangibilia, sicut erant priùs. Ita & Johannes Constantinopolitanus ad Cæsarium Monachum: *Antequam sanctificetur panis, panem nominamus; divinâ autem illum sanctificante gratiâ mediante sacerdote liberatus est ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etsi natura panis in ipso permansit.* Et Gelasius Rom. adv. Eutychem & Nestor: *Certè sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi divina res est, propter quod & per eadem divinæ efficimur participes naturæ, & tamen non desinit substantia vel natura panis & vini.* Primus Innocentius III. ann 1215. horridum transubstantiationis dogma sub anathemate definire ausus est. Quo posito secutæ mox disputationes & curiosæ quæstiones Scholasticorum, inter quas haud postrema est illa, ubi corpus domini mansurum esset, si canis vel porcus deglutiret hostiam consecratam? Qui reverentiùs sentire voluérunt Lombardus, Bonaventura & alii, responderunt, si bruta animantia ad corpus Christi accedant, mox invisibiliter angelorum sibi semper adsistentium ministerio vel suapte virtute raptum iri & in cœlis constitui, aut etiam corpus Christi tùm in substantiam panis redire. Sed alii aliter. & ipse Gregorius XI. contrarium planè definivit ann. 1371. Si hostia consecrata in locum immundum projiciatur, â mure rodatur, â cane devoretur, eodem projici, & rodi, & devorari corpus Christi. Verùm â nostratibus toto die ista repetitur doctrina, & Scripturæ & Ecclesiasticæ sententiæ conformis, Sacramentum non habere rationem Sacramenti extra usum, i. e. actionem Sacramentalem.

Virtus sacramenti est charitas, & unitas. h. d.

§. 8. Virtus est charitatis, & unitatis [m]: nam veluti ex multis granis unus fit panis, & ex multis racemis unũ vinum, ita & nos per hoc charitatis sacramentum Christo incorporati, unum evadimus.

m *vide in præced. §§. c. hoc Sacramentum, d. dist. 2.*

Virtus est charitatis] Plurimæ adhuc sunt virtutes aliæ hujus Sacramenti, ut obsignatio promissionis Evangelicæ de remissione peccatorum, fidei nostræ confirmatio, beneficiorum â Christo partorum communicatio &c:

unum evadimus] Cùm alii cibi transmutentur, hic cibus nos potiùs alterat, ut efficiamur divinæ naturæ consortes, 2. *Pet.* 1, 3. & membra corporis mystici, qvod est Christus, *Eph.* 5, 30.

Ponit, qvomodo & qvando tria, qvibus constat sacramentum Altaris, sint sacramenta. h. d.

a *cap. cùm Martha. §. distinguendum. extr. de celebra. missa. c. hoc est. d. dist.*

§. 9. His igitur repetitis apparet[a], primum qvidem sacramentum esse, non rem, secundum & rem esse simul & sacramentum, tertium verò rem esse sed non sacramentum. Sed primum qvidem sacramentum est geminæ rei, secundum est sacramentum unius & alterius res, tertium verò res est gemini sacramenti.

sacramentum esse, non rem] Qvia per transsubstantiationem ex mente Pontificiorum periit substantia panis & vini, qvod notavimus supra. Sacramentum autem ideò vocat, qvia sub visibili formâ invisibilem gratiam designat & continet. uti definivit supra *tit. 2. §. constant.*

simul & Sacramentum] Si secundum hoc separatim sumatur absqve primo, nego esse sacramentum, qvia omne sacramentum requirit externum aliqvod materiale & visibile signum cum cœlesti reunitum.

sed non sacramentum] Est tamen ex sacramento & effectus Sacramenti.

sacramentum est geminæ rei] Uti duplex est res visibilis, panis & vinum, ita qvoqve duplex est res invisibilis, corpus & sangvis. Et in hoc sensu admitti potest, qvod hic dicit autor. Potest & ita explicari, in unaqvaqve specie geminæ rei esse sacramentum. Et hoc rectè, si intelligas rem cœlestem & terrestrem, ex qvarum unitione constituitur Sacramentum. Autor autem antea negavit, panem esse rem, qvomodo ergo erit sacramentum geminæ rei. Ipse igitur hoc sentit, formam panis esse sacramentum corpo-

corporis Christi & unitatis, ita in secundo, corpus Christi esse sacramentum unitatis & esse rem sacramenti, in tertio, unitatem esse rem gemini sacramenti, i.e. corporis Christi, qvod est sacramentum unitatis, & specierum panis & vini, qvæ sunt sacramentum corporis Christi. Ita ut primum sit tantùm sacramentum signans; secundum & signans & signatum; tertium signatum tantùm. Sed enim effectus Sacramenti, qvi in tertio isto consideratur, non debet confundi cum materiâ sacramenti, neq; finis intentus signatum propriè dici potest ejus actionis, qvæ propter eum instituitur. Neq; etiam panis solus est sacramentum, tantum abest, ut sit sacramentum signans; si verò panis unitus fuerit corpori Christi, tum demum est sacramentum, & tùm qvoq; non malè dicitur signum exhibitivum tùm rei cœlestis substantiali præsentiâ sibi unitæ, tùm fructûs & effectûs spiritualis.

DE EXTREMA UNCTIONE,

TITULUS VII.

Extrema unctio solet exhiberi iis, de qvorum morte dubitatur, & duplex unctio, exterior & interior; & interiorem exterior designat. h.d.

§. 1. Hactenus loqvuti fuimus de his sacramentis, qvæ ad ingressum, & ad progressum in Ecclesia comparata sunt: consequens nunc est, ut de iis videamus, qvæ propter egressum ab Ecclesia sunt constituta. Sciendum est igitur, graviter ægrotantibus, & de qvorum morte probabiliter timeri potest, certas corporis partes sanctificato oleo à presbyteris ex institutione divina inungi debere: qvæ qvidem inunctio, non minùs interiùs animæ, qvàm exteriùs corporis sanitatem operatur. Sunt [a] enim unctionis duæ species, Exterior, qvæ materialis & visibilis, & in-

[a] *cap. 1. §. sciri te. extra. de sacr. unction.*

& interior, qvæ ſpiritualis eſt & inviſibilis. Exteriore viſibiliter inungitur corpus, Interiore inviſibiliter cor inungitur. Hæc, qvòd in extremitate vitæ conſtitutis exhiberi conſvevit, meritò extremæ unctionis nomen eſt ſortita.

de his ſacramentis] Unctionem extremam non eſſe Sacramentum, jam ſupra diximus, cum de Sacramentis ageremus. Dicendum nunc eſt diſtinctiùs.

de qvorum morte probabiliter timeri poteſt] Atqvi Apoſtolorum unctio, à qvâ ſc. ſuum hoc Sacramentum deducunt Pontificii, non morituris, ſed illis ægrotis conferebatur, qvibus ſpes erat ſanitatis. Poſtqvam enim primitivæ Eccleſiæ donum ſanationis conceſſum fuerat, ſolebant Apoſtoli & poſt eos presbyteri alii, externum ſymbolum unctionis olei adhibere, non qvod per oleum iſtud ſanitas reſtitueretur, & ſemper adhibendum id eſſet, cum etiam contactu, umbra, ſudariis, impoſitione manuum ægrotos ſanarent, ſed qvod ſymbolum id videretur maximè idoneum, per qvod donum ſanationis exercerent, & manifeſtarent.

certas corporis partes] oculos ſcilicet, aures, nares, labia, manus, pedes, & tandem renes, qvod ibi ſit ſedes concupiſcentiæ.

ſanctificato oleo] qvod ſc. conſecratum eſt ab Epiſcopo feriâ qvintâ cœnæ dominicæ & ſub certis exorciſmis. de qvibus videri poteſt Chemnitius *in Exam. Concil. Trid. part. 2.*

à presbyteris] His enim adminiſtrationem Sacramentorum largiuntur Pontificii, Diaconis excluſis aut non niſi ex conceſſione admiſſis.

ex inſtitutione divinâ] Atqvi à Chriſto inſtitutam hanc ceremoniam negant ex ipſis Pontificiis Hugo de S. Victore *l. 2. de ſacram. c. 2.* Lombard. *4. diſt. 23.* Alenſis *4. part. qvæſt. 8. membr. 2. art. 1.* Altiſiodorenſis *l. 4. ſumm. tract. 7. c. 1.* Bonaventura *4. diſt. 23. art. 1. q. 1.* Recurrunt tamen Pontificii ad dicta, qvæ extant *Marc. 6, 13. & Jacob. 5, 14.* Sed apud Mar-

Marcum nihil dicitur aliud, qvàm qvomodo Apoſtoli in primâ legatione poteſtate ſanandi ſibi à DEO conceſsâ uſi fuerint, ſanaſſe ſc. infirmos, adhibito externo ſymbolo unctionis olei. Jacobus itidem de dono iſto & poteſtate ſanandi loqvitur, & præſcribit modum & formam, qvomodo piè, ſalutariter, & ad ædificationem dono illo utendum ſit. Docet igitur, infirmum commonefaciendum prius eſſe de causâ morbi, ut agnoſceret peccata & crederet, atq; ita per remiſſionem peccatorum cauſa morbi, h. e. peccatum tolleretur. Adjungi etiam vult preces communes, utqve ipſe etiam infirmus ſimul oret &c. Jacobus ergo non dicit, unctionem illam vel inſtitutam eſſe pro morituris vel uſurpandam eſſe in articulo mortis, ſed dicit eam adhiberi ad reſtituendam per donum ſanationis incolumitatem. Deficiente curationis dono manſit ritus ungendi, qvamvis ſine effectu. Atq; hinc videmus, Sacramentum hoc divinitùs neqvaqvam eſſe inſtitutum.

inungi debere] additâ verborum formulâ: *Per iſtam unctionem & piiſſimam miſericordiam ſuam indulgeat tibi Dominus, qvicqvid deliqviſti per viſum, per auditum, per odoratum, &c.*

non minus interius animæ] Atqvi in hunc finem, uti diximus, primitùs non fuit adhibita unctio, ſed recuperandæ ſanitatis ergo. Cujus rei vel hoc argumentum eſſe poteſt, qvod hodiè apud Pontificios extremo ſupplicio afficiendi non unguntur. Si unctio animæ ſanitatem operatur, qvis magis indigeat, qvàm illi? Sin ad valetudinem, illis conferre ridiculum fuerit.

Magis dignum trahit ad ſe minùs dignum. h. d.

§. 2. Sanctificatum autem oleum hoc loco accipimus, non modò, qvod ipſum totum conſecratum eſt, ſed etiam qvod eſt conſecrato admixtum [b]. Poſtqvam hucusq; de iis ſacramẽtis, qvæ qvoqvô modo neceſſitatis ſunt, tractatum habuimus: reliqvum nunc eſt, ut de iis loqvamur, qvæ dignitatis ſunt & voluntatis.

[b] *gloſſ. fin. cap. qvod in dubiis. extr. de conſecrat. Eccleſiæ.*

ſed

sed etiam, qvod est consecrato admixtum] Ita sc. cõmunicari volunt virtutem. Qvid verò, si tam sæpè admisceatur non consecratum, ut aliud novum & planè diversum videri possit, num adhuc habendum erit pro sanctificato? Non dubito, responsuros pontificios ex *l. 76. ff. de judic.* adhuc pro sanctificato esse habendum.

Postqvam de iis sacramentis] De hâc distinctione diximus supra *tit. 2.*

DE SACRAMENTO ORDINIS,

TITULUS VIII.

Qvid sit ordo. h. d.

Ex Mag. sententiis lib 4. dist. 24.

§. 1. Voluntatis sacramenta sunt (ut paulò antè exposuimus) Ordo sacer, & Matrimonium. Est autem ordo nihil aliud, qvàm signaculum qvoddam Ecclesiæ, per qvod spiritualis potestas traditur ordinato: de cujus speciebus, differentiis, & gradibus, satis videtur superiore libro dictum esse. Unde solùm nunc restat, ut ad matrimonii materiam orationem vertamus.

& matrimonium] Non voluntatis, sed necessitatis hoc esse, dogma est Rabbinorum. Vid. Selden. *de Uxor. Hebr. lib. 1. c. 9. & de jur. nat. gent. & civ. l. 5. c. 3.*

Est autem ordo] Ordinem esse Sacramentum, negavimus supra *tit. 2.* Nec ipsi etiam pontificii definire possunt, qvot & qvæ ordinationes Sacramenta sint. Nam cum ordinatio presbyteri sive Sacerdotis specie differat ab Ordinatione Diaconi, & hujus ab ordinatione subdiaconi, & sic de reliqvis minoribus ordinibus, inde efficietur, sacramenta non tantùm septem esse, sed omninò plura, & ordines qvoqz ipsos multum inter se differre. Posito autem, septem tantùm esse ordines, & non dari

dari ordinem presbyteratu ſuperiorem, uti volunt Pontificii, negandum non erit, Epiſcopatum non eſſe ordinem alium & diſtinctum à presbyteratu, ſive, Epiſcopatum non conferre ex inſtitutione divinâ ſpiritualem poteſtatem diverſam à poteſtate presbyterorum, neq; diverſum characterem imprimere, per conſeqvens, ſi de jure divino agatur, nec diſtinctum eſſe nec ſuperiorem. Vid. qvæ diximus *l.1. tit.5. ſub init.*

ſignaculum] propter characterem, qvem fingunt. Vid. qvæ diximus *tit.2.*

ſpiritualis poteſtas] ligandi, ſolvendi & remittendi peccata, prædicandi, ſacramenta adminiſtrandi, & qvæ ſunt ejusmodi alia, peragendi.

DE SACRAMENTO MATRIMONII, *TITULUS IX.*

Qvid ſit matrimonium. h.d.

§. 1. Matrimonium[a] eſt viri & mulieris conjunctio, indi viduam vitæ conſvetudinem continens, cum divini & humani juris communicatione.

a *in ſum.27.q.2.§.ſanè.cap. illud.extr.de præſumpt.*

Matrimonium] Definitio hæc coaluit ex *§.1. Inſt. de patr. poteſt.& l.1.ff. de rit.nupt.*

& humani juris communicatione] qvid ſibi verba hæc velint, vid. apud Gerhard. *Loc. de conjug. n.427.428.* Franc.Duaren. *in tit.ff. ſol. matrim. rubric. de nuptiis.*

Matrimonium præcedit alia ſacramenta, ratione loci in qvo inſtitutum eſt, temporis, amplitudinis, & myſterii. h.d.

§. 2. Et meritò inter alia ſacramenta Matrimonium qvoq; annumerari meruit, cùm cæteris loci, temporis, amplitudinis, & myſterii ratione etiam præcel-

c.ſicut.32.q.2.

lat. Siqvidem ab orbis primordio in Paradiſo à Deo ipſo inſtitutum eſt, ut eſſet omnibus etiam infidelibus commune, qvod in aliis minimè contingit. His illud qvoq; accedit b, qvòd animorum conſenſus & corporum commixtio, qvæ in matrimonio intercedunt, primum qvidem charitatem ſignificat, qvæ conſiſtit in ſpiritu inter Deum & juſtam animam, vel Eccleſiam: alterum verò ſacroſanctum conjugium deſignat, qvod inter Chriſtum & Eccleſiam per incarnationis myſterium eſt contractum.

b *cap. debitũ. extr. de bigamis.*

inter alia Sacramenta] Matrimonium non eſt tale Sacramentum, qvale eſt baptiſmus & Euchariſtia. Non enim eſt inſtitutum in N. T. non conſtat materiâ ſeu elemento viſibili, non habet adjunctam promiſſionem de applicatione & obſignatione gratuitæ reconciliationis & remiſſionis peccatorum, non deniq; eſt Chriſtianorum proprium, qvod *ipſe mox* fatetur Autor. Vid. M. Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 5. c. 11. n. 24. ſeq.* Pontificii ipſi in definiendâ naturâ hujus Sacramenti non ſatis conveniunt. Negant alii Sacramentum eſſe, niſi ſolennia ſacra ſacerq; adſit miniſter. Alii aſſerunt, ipſos conjuges eſſe, qvi ſacramentum efficiunt, non miniſtrum ſacrum, neq; actum ejus verbáve eſſe ex neceſſitate ſacramenti, ſed tantùm præcepti, materiamq; ſimul & formam, & cauſam efficientem eſſe in ipſis, qvi contrahunt, qvà contrahunt. Vid. Melch. Canus *l. 8. Loc. Commun. cap. 5.* Guil. Eſthius *in 4. ſent. diſt. 26. §. 7.*

per incarnationis myſterium] Hoc verò per copulam conjugum carnalem minùs promtè illuſtrabitur. Magis eſt, ut ad mentem Apoſtoli *1. Cor. VII. 15. 16. 17. & Epheſ. V. 30.* ex copulâ carnali myſterium unionis Chriſti & fidelium conſideremus, cùm tàm arcta ſubſtantiarum unio inter ſubſtantiam ſc. divinam & humanam nullo magis congruo exemplo illuſtrari qveat, qvàm qvod ex unione maris & fœminæ deſumitur. Vid. Hülſeman. *breviar. c. 14. th. 1.*

Bona

Bona matrimonii sunt sacramentum, fides, proles, & fornicationis remedium. b. d.

§. 3. Consequuntur & inde præter sacramentum, & alia bona: utputà [c], fides, & proles, & qvòd humana infirmitas in ruinam turpitudinis prona, honestate excepta conjugii, minimè læditur. Initiatur autem matrimonium sponsione, consensu ratificatur, & copula consummatur: de qvibus singulis distinctiùs dispiciamus.

[c] *can. omne. 27. q. 2. c. sicut 32. q. 2.*

utputa fides] sc. conjugalis, qvæ excludit adulterium.

minimè læditur] Qvid est ergò, qvòd Sacerdotibus conjugio interdicant, & in iis humanam infirmitatem lædi faciant?

copulâ consummatur] Diversimodè hodie dicitur consummari conjugium (1.) per Sponsalia (2.) per ἱερολογίαν seu benedictionem sacerdotalem (3.) per copulam carnalem aut saltem conscensionem thalami, qvorum modorum unusqvisq; singularem habet effectum juris, Carpzov. *l. 5. respons. 108. n. 11. seqv.* Succedet igitur conjux conjugi ipso nuptiarum die defuncto, qvatenus conjugium pro consummato habetur per statutum. Hahn. *ad Wesenbec. tit. de Sponsalib. n. 7. verb. contrarium.*

DE SPONSALIBUS,

TITULUS X.

Qvid sint sponsalia, & unde dicantur. b. d.

§. 1. Sponsalia [d] sunt futurarum nuptiarum mentio, & repromissio: & dicta sunt à spondendo, qvòd per ea sibi invicem se futuros conjuges viri & mulieres spondent.

[d] *can. nostrates. 30. qv. 5. gloss. 1. cap. licet. extra. de transl. episc.*

Digitized by Google

ſunt futurarum] Verba hæc, qvæ jure Civili in *l. 1. ff. de Sponſal.* tantùm conveniunt ſponſalibus de futuro, videtur Autor etiam ſponſalibus de præſenti adaptare, qvæ jus Civile aliàs ignorat. Etſi enim verba ſint collata in præſens tempus, jure tamen Pontificio ſponſa nondum eſt uxor, ſponſus nondum maritus, anteqvam accedat ἐυχολογία, & Eccleſiæ qvaſi conſenſus. Reſpectu igitur talis perfectionis nuptiæ rectè dicuntur futuræ, & ſponſalia etiam de præſenti nuptiæ nondum ſunt, qvanqvam in qvibusdam cauſis loco nuptiarum habeantur.

Sponſalia contrahuntur re, verbis, literis, & conſenſu. h.d.

§. 2. Contrahuntur autem ſponſalia variis modis: utputà, re, verbis, literis, & conſenſu. Re contrahuntur per nudam ſubarrhationem, vel anuli immiſſionem[c]. Verbis, ut ſi inter virum & mulierem promiſſio ſuper futuro matrimonio interceſſerit, veluti altero alteri vice mutua dicente: *Ego te accipiam in meum maritum: & ego te in meam uxorem*, ſive in hunc ſenſum verba ſimilia protulerint. Literis, ut cum abſentes inter ſe de futuris nuptiis per epiſtolam paciſcuntur: qvod ipſum & per nuncium, vel procuratorem fieri poterit.

c. ſi qvis uxorem. 37. q. 2. it. gloſſ. in c. his nobis. de deſpõ. Impub.

c cap. pen. extra eod.

Contrahuntur autem] Matrimonium tamen propriè non eſt contractus, utut in multis permagna nuptiis cum contractibus intercedat ſimilitudo. Perſonarum enim, qvæ matrimonium ineunt, libertas & ipſum inſuper ſtipulationis nuptialis objectum, qvatenus non de corporum tantùm, ſed animorum etiam copulatione agitur, id omninò efficiunt, ut Matrimonium reliqvos contractus omnes qvaſi tranſcendat & ſupergrediatur. Atqve hinc benè Chryſoſtomus *hom. 74. in Matth.* graviſſimè invehitur in eos, qvi nuptias συναλλαγμα dicunt, qviq; curiosè nimis tabulas & cautiones dotales, non aliter ac ſi de emendo & vendendo ageretur, adhibent. Add. Hahn. *in Weſenb. tit. de rit. nupt. n. 3.*

Me-

Digitized by Google

utputare, verbis, literis] Abutitur hic Autor terminis juris Civilis. Nec enim uti contractus realis ſine rei traditione non perficitur, ita & Sponſalia imperfecta dici poterunt ſine annuli traditione, neqve uti contractus verbalis certas reqvirit verborum conceptiones, ita easdem qvoq; reqvirunt ſponſalia. nec porrò uti ex literis naſcitur obligatio, talis ſcilicet, ut qværendum non ſit, an debitor pecuniam acceperit, ſed an ſe debere ſcripſerit, ita etiam ex literis talia conficientur ſponſalia, ut qværendum non ſit, an ex utraqve parte celebrata verè fuerint ſponſalia, ſed an alterutra tantùm ſpondere ſe ſcripſerit. Magis igitur conſenſu abſolvi ſponſalia dicemus, qvi vel verbis, vel literis, vel qvibuscunqve aliis mediis exprimi poteſt. Kitzel. *de matrimon. c. 5. theorem 3. 4.* Zoëſ. *ad tit. X. de ſponſalib. n. 7. 8.*

per nudam ſubarrhationem] Solam annuli traditionem etiam ejus, qvi aliàs ad conſtituenda ſponſalia dari ſolet, nõinducere ſponſalia, niſi fortè inter multos, rectè aſſerit Cypræus *de ſponſalib. c. 11. §. 5. n. 3.*

Procurator ad contrahendum matrimonium, non poteſt ſubſtituere, niſi hoc habeat in mandatis. h. d.

§. 3. Procurator[a] tamen ad hoc ſpecialiter conſtitutus, ob magnum, qvod ex facto tam arduo poſſet periculum imminere, alium ſubſtituere non poterit, niſi hoc ei ſpecialiter commiſſum fuerit. [a] *cap. fin. de procur in 6.*

Specialiter conſtitutus] Ubi neceſſe eſt, ut etiam exprimatur perſona, cum qvâ matrimonium contrahi debet, *l. 34. ff. de ritu nupt.* Camill. Borell. *deciſ. 66. n. 162.*

alium ſubſtituere] qvia cenſetur electa induſtria perſonæ. Ipſe etiam, anteqvam contraxerit, ſi â Domino revocatus fuerit, & ipſe hoc neſciat, atqve matrimonium contrahat, nullius iſtud eſt momenti, *c. ult. de procurator. in 6.* ut maximè aliàs revocatio procuratoris actum non invalidet, niſi procurator, vel is cujus intereſt, certior factus ſit, Franc. Card. Mantica *Lucubr. Vatican. l. 7. tit. 21. n. 34.* Ratio ſpecialitatis eſt, qvia in cæteris contractibus poteſt jus ſupplere conſenſum contrahentium, illisqve renitenti-

bus dominium transferre. In matrimonio autem ita ſupplere eum non poteſt. Aug. Barboſa *ad d. c. fin.* Conf. infr. *tit de procurat. §. Non ſic.*

Si duo impuberes, qvorum prudentia non ſupplet ætatem, & qvi pubertati non ſint proximi, vel etiam alter tantùm ſit impubes, per verba de præſenti matrimonium contraxerint, talis contractus reſolvitur in ſponſalia de futuro: & ex eo inducitur juſtitiæ publicæ honeſtatis. h. d

b *cap. 1. §. idem de deſponſat. impub. in 6.*

§. 4. Conſenſu [b] contrahuntur ſponſalia: ut cùm pubes & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in qvibus ætatem prudentia non ſupplet, matrimonium per verba contraxerint de præſenti. Licet enim verba in præſens matrimonium ſonent, juris tamen interpretatione in ſponſalia de futuro reſolvuntur. Qvo caſu dicta ſponſalia, licet contrahentes matrimonium celebrare intenderent, conjugium, qvod ab initio ætate impediente, ut matrimonium non tenuit, per adventum pubertatis minimè convaleſcit, niſi per carnis copulam ſeqvutam, vel alium modum contrahentes cum ejusdem perſeverantia voluntatis, ad pubertatis tempora perveniſſe evidenter conſtiterit: per dictum tamen contractum, qvi valuit ut potuit, non ſicuti agebatur, publicæ honeſtatis juſtitia cenſetur inducta.

Conſenſu contrahuntur] Omnia in univerſum ſponſalia ſolo conſenſu contrahuntur. Arrha enim, annulus, juramentum, & ſi qvæ alia acceſſerint, majoris certitudinis cauſa adhibentur. Cypræus *de ſponſal. c. 3. §. 1.* Ut adeò ab autore hîc fruſtrà ſpecies ſingularis, reliqvis contradiſtincta, efficiatur.

non

non proximi pubertati] Sponſalia enim inter impuberes tùm demum effici poſſunt, ſi non ſint minores qvàm ſeptem annis, *l. 14. ff. de ſponſal.* Facta autem inter infantes , vel cum infante, pro infectis habentur, qvia nullum conſenſum habent utriusqve partis, qvalis conſenſus poteſt haberi ab iis, qvi ſeptem annorum complerunt ætatem , *c. 4. & 5. X. de ſponſal. impub.* Vellem autem clariùs enunciaſſet Pontifex , & poſt eum Autor, qvos habeant pro pubertati proximis aut non proximis , qvippe qvòd ea res inter Doctores maximè ſit controverſa, uti videre licet apud Arnold. Vinn. *ad §. 9. Inſt. de inutil. ſtipul. n. 2.* Sanè cùm generandi potentia hìc maximè attendi debeat, mallem, qvod hanc qvidem materiam concernit, facere cum illis, qvi pubertati proximos dicunt tùm, qvando annum agunt ætatis duodecimum aut decimum tertium , ſi maſculi fuerint, aut ſi fœminæ, annum undecimum Qvi annos iſtos nondum attigerunt, non proximi pubertati dicendi erunt.

ætatem prudentia non ſupplet] In textu avthentico legitur: *malitia non ſupplet &c.* qvod rectius eſt, & negotio huic magis conveniens. Dicitur autem malitia ætatem ſupplere tùm, qvando qvis coitum appetit, annos pubertatis nondum egreſſus. Prudentiæ tamen vocabulum habetur in *c. fin. X. de deſponſ. impub.* Add. Anton. Gubert. Coſtan. *de matrimon. num. 50.* Barboſ. *ad c. 9. X. de de ſponſ. impub.*

tamen interpretatione] Qvia ſcilicet conventio de ſponſalibus non eſt planè diverſa à conventione de matrimonio, ſed ab illâ ad hanc pervenitur. Licet enim ſit diverſitas in modo conſtituendi inter id, qvod agitur, & id, qvod agi potuit, includit tamen id, qvod agitur, omnes effectus, qvi poſſunt cauſari ex eo, atq; idcircò per interpretationem ſuſtineri poteſt, ut valeat eo modo, qvo agi potuit. Hieron. Torniell. *tract. ſi qvod ago, non val. n. 7. & 17.*

reſolvuntur] In illis igitur, qvi proximi ſunt pubertati, tali reſolutione opus non eſt, præſertim cùm plurimi tales copulâ carnali jungi & generare poſſint. Ita Salomon duodecim annos natus Roboamum genuit, & Ahaz Ezechiam novem vel decem annorum puer.

vel alium modum] Verba hæc attentè conſiderat Andreas Fachinæus *l. 3. controv. cap. 32.* ut exinde conficiat, oſcula, amplexus & ſimilia, etiamſi nulla copula ſubſecuta fuerit, matrimonium tali caſu inducere. Cui adſtipulatur Mozzius *de ſponſal. ſub rubr. de natural. ſponſal. n. 4.*

n. 4. Didac. Spino à Caceres *in ſpecul. teſtam. gloſs. 15. n. 61.* Magis tamen placet ſententia Didaci Covarruviæ, qvi per alium modum intelligit ſponſæ traductionem ad domum ſponſi, vel ſubarrhationem, *part. 1. de ſponſal. c. 4. §. 2. n. 7.* Canoniſtæ hodierni juxta decreta concilii Tridentini contendunt, non ſufficere copulam, ut inde efficiatur matrimonium de præſenti, ſed neceſſarium adhuc eſſe novum conſenſum coram Parocho & teſtibus. Didac. Spino à Caceres *d. l. n. 61.* Aug. Barboſa *ad c. un. de deſponſat. impub. in 6. n. 7.*

publicæ honeſtatis juſtitia] Hinc ergò poſt ſponſalia contracta cum puellâ majore infante, in qvæ ipſa jam pubes facta pubertative proxima non conſentit, ipſo qvidem jure vir abſolutus eſt fide, qvam dedit, qvia per eum non ſtat, qvò minùs fidem præſtet, honeſtiùs tamen abſtinet nuptiis matris puellæ, qvia fuiſſe eum filiæ ſponſum verum eſt. *c. 5. X. de deſponſat. impub.*

In re denominanda potiùs effectum attendimus, qvàm modum. b. d.

§. 5. Et ideo hoc caſu conſenſu contracta ſponſalia dicimus: qvia, ſi verba ſpectes, non ſponſalia, ſed ipſum matrimonium contractum videri poterit. Cenſuerunt autem jura eos, qvi, cùm nō poſſent, conjugium de facto contraxerunt, voluiſſe etiam in caſu qvo poſſent, contrahere: ideoq; ſaltem, ut ſponſalia, valere conventionem.

c. à nobis de ſponſ. impub.

Et ideò hoc caſu conſenſu] Non tàm conſenſu, qvàm interpretatione; qvum & ipſe conſenſus, non nuda tantùm verba, in matrimonium ordinetur. Nec in ſponſalia conſentire qvis poteſt, niſi propter matrimonium, & jam ante dixi, incongruè ſingularem ſponſaliorum, qvæ conſenſu tantùm perficerentur, ab reliqvis diſtinctam ſpeciem fingi, eò qvòd omnia ſponſalia ſolo conſenſu perficiantur.

voluiſſe etiam] Particula ETIAM παρέλκει, & ſenſum obſcurum reddit, qvi hic eſt: jura voluiſſe ea, qvæ non valent, ut aguntur, valere, ut poſſunt.

ſponſa-

Digitized by Google

Sponſalia contrahuntur tripliciter, purè, in diem, & ſub conditione. & qvi contraxerunt ſponſalia purè, compellendi ſunt etiam matrimonium contrahere. & conſanguinei contrahentium non debent cum ipſis contrahentibus contrahere. h.d.

§. 6. Rurſus contrahuntur ſponſalia, aut purè, aut adjecta die, aut ſub conditione. Purè [c], ut cùm vir & mulier ſe invicem futuros conjuges pollicentur. Et hoc caſu nullus conſanguineorum aliqvo pacto alterum ex contrahentibus matrimonio ſibi copulare poterit: imò qvi contraxerunt, ut ſe invicem recipiant, & mutua conjugali affectione pertractent, moneri, & niſi rationabilis cauſa obſiſtet, Eccleſiaſtica cenſura compelli poterunt.

c *cap.2.& cap ex literis.el.2 extr.eod.tit.*

nullus conſanguineorum] qvia hoc prohibet juſtitia publicæ honeſtatis, *§.9. I. de nupt.l.8. C. de inceſt.nupt.* Etſi enim perfecta affinitas per concubitum demum contrahatur, incoatur tamen ea per deſponſationem. Utcunq; verò impedimentũ hinc aliqvod naſcatur matrimonio adhuc contrahendo, per diſpenſationem tamen removeri id à principe poteſt, & ſi contractum jam matrimonium fuerit, dirimere id & reſcindere propterea non licet. Vid. Gerhard. *loc.de conjug.n.359.ſeqq.* Carpzov.*de arb.conſangv. diſp.1.th.46. & 58. & in definit. Conſiſtor. l.2. defin.107.108.*

Eccleſiaſticâ cenſurâ] irrogatâ ſc. excommunicatione. Civiles etiam pœnæ tùm locum habent, carcer, relegatio, immiſsio in bona contumacis &c. de qvibus videri poterit Carpzov. *lib.5. reſponſ.108. n.26. & part.4. conſt.20. def.10.* Erneſt.Cothman. *conſil.86.n.100.*

compelli poterunt] Verum id eſt in ſponſalibus de præſenti. Carpzov. *lib.2. defin. conſiſt.132.133. & ſeq.* Franc. Cardinal. Mantica *lib.3. lucubr. Vatican. tit.18.* At ſponſalia de futuro nexum indiſſolubilem non inducunt, neq; tùm cogi poterunt partes ad promiſſum conjugium; moneri tamen debent de promiſsione, ut fidem datam liberent, & tùm concio pœni-

tentiæ graviter acuenda est erga conscientias. Chemnit. *loc. de conjug. p. m. 214.*

Si per contrahentem sponsalia in diem non stetit, qvò minùs matrimonium contraheret intra terminum, cum alia postmodum matrimonium contrahere poterit. h. d.

§. 7. Dies adjicitur sponsalibus, cùm qvis intra certum temporis spatium aliqvam se ducturũ in uxorem convenit[a]: in qva specie, si per eum non steterit, qvò minùs intra præfixum terminum cum eadem matrimonium contraheret, liberè ad nuptias alterius transire poterit.

[a] *c. 22. extr. de desp. imp.*

liberè ad nuptias alterius] Hoc adprobari neqvaqvam potest. Nec enim dies idonea est ratio solvendæ obligationis. Si namq; mandatur alicui, ut alii ad certum diem rem certam exsolvat, non ideò erit à mandato solutus, si solvere neqviverit die datâ, imò ad solutionem elapso etiam die solutioni præfixo tenetur. *c. 6. X. de dolo & contumac.* Qvomodo ergò, qvi diem nuptiis condixit, post eam diem fide datâ absolvatur? Imò verò ex promissione statim nascitur obligatio, licet dies nuptiarum conferatur in futurum tempus. Et qvod aliàs in negotiis hominum obtinet, ut ad tempus obligatio constitui non possit, *l. 44. §. placet. ff. de O. & A.* id multò magis in sponsalibus locum invenit. Nec moveor exemplo patris filiam suam desponsantis sub conditione, si eam sponsus intra annum domum duxerit. De tali enim conditione qvæstio nunc non est, sed de casu, qvo sine conditione aliqvam uxorem ducturum qvis promittit intra annum.

Sponsalia contracta sub conditione, evanescunt conditione deficiente, nisi ab ea recessum fuerit. h. d.

§. 8. Sub conditione celebrantur sponsalia, cùm qvis, si qvid fiet vel contigerit, nuptias se contracturum pollicetur: veluti si dictum fuerit, *Ego* [b] *te in uxorem acci-*

[b] *cap. de illis. & cap. per*

accipiam, si centum mihi dederis. aut, si pater meus consenserit. qvibus conditionibus deficientibus, ad matrimonium qvis compelli non poterit, nisi consensus de præsenti, aut carnalis sit inter eos commixtio subseqvuta, cùm his casib. à conditionibus recessum videatur. *tuas extr. de cõdit. appos.*

si centum mihi dederis] Conditionem hanc neqve contra bonos mores esse, neq; pro non adjectâ haberi debere ostendit Gerhard. *loc. de conjug. n. 140.*

nisi consensus de præsenti] Ergò si consensus de præsenti accesserit, utcunq; pater sponsi aut sponsæ non consenserit, compelli poterit ad matrimonium contrahens spreto patris consensu? Immò verò invalida esse & nulla prorsus talia sponsalia, dudum evicérunt nostri. Consensus ergò de præsenti non purificat sponsalia sub conditione paterni consensûs celebrata, nisi hic simul accesserit. Cumq; hîc Autor duo diversa capitula 3. & 6. X. *de condit. adposit.* in unum collegerit contextum, imprudens conjunxit ea, qvæ distingvenda & separanda erant.

Turpes conditiones adjectæ sponsalibus vel matrimonio non vitiant, sed vitiantur, nisi sint contra substantiam & naturam conjugii. h.d.

§. 9. Hoc tamen de his conditionibus intelligere nos oportet, qvæ honestæ sunt, & Canonicis institutis non contrariæ: nam si turpes sint, aut impossibiles, ob favorem matrimonii debent pro non adjectis censeri: si tamen non solùm turpes sint, sed etiam contra substantiam, vel naturam conjugii: putà, si alter dicat alteri: [b] *Tecum contraho, si generationem prolis evitaveris, vel donec aliam honore vel facul-* [b] *c. fin. extr. ad conditiõ. appos.*

tatibus digniorem inveniam, aut si pro quæstu adulterandam te tradideris: matrimonialis contractus, quantumcunq; sit favorabilis, omni carebit effectu.

pro non adjectis censeri] Alii contractus vitiantur per adjectionem turpis vel impossibilis conditionis, *l. 26. l. 137. §. 6. ff. de V. O. §. 11. J. de inut. stip. l. 31. ff. de O. & A.* quia sc. jus præsumit contrahentes advertisse impossibilitatem & turpitudinem conditionis & procul dubio talem cogitationem habuisse, ut nihil agi existiment adpositâ eâ conditione. Sed matrimonium propterea non vitiatur, idq; propter favorem ejus receptum est, quemadmodum etiam favore ultimæ voluntatis receptum est, ut per impossibilem vel turpem conditionem heredis institutio & legatum non vitietur. *l. 3. ff. de condit. & demonstr. l. 9. l. 14. ff. de cond. inst. l. 112. §. pen. & ult. ff. de leg. 1.*

si tamen non solùm turpes sint] In ratione diversitatis investigandâ multus est Christophorus Haunoldus Jesuita *in Disp. de contract. natur. art. 7. n. 9. seq.* Nos putamus, per has posteriores conditiones ideò sponsalia effectu suo destitui, quia ipsa substantia matrimonii evertitur, & consensus conjugalis manifestè abest. At in prioribus conditionibus non omnis prorsus abest consensus, sed sub conditione turpi suspenditur, quæ ipsum etiam contractum, ut alios omnes, vitiaret, nisi favor matrimonii prohiberet. Solus ergò favor matrimonii consensum hunc sustinet, rejectâ conditione, & pro non adjectâ habitâ.

puta si alter] Primum exemplum pugnat cum naturâ conjugii ideò, quia matrimonium sui naturâ ordinatum est, & fit liberorum procreandorum causâ. Alterum ideò, quia matrimonium perpetuam & individuam vitæ consvetudinem continet. Tertium ideò, quia ipsum fidei conjugalis vinculum turpi lenocinio rumpit, quo genere nihil fœdius, nihil à sanctitate conjugii alienius est.

Minores septennio non possunt sponsalia contrahere, & contracta lapsu temporis non convalescunt, nisi nova voluntas accesserit, aut nixus copula intervenerit. h. d.

§. 10. Non tamen omnibus, cujuscunq; sint ætatis, licet

cet ſponſalia contrahere: nam inter minores ſeptennio [c] celebrata, nullius roboris efficaciam ſortiuntur: ideoq; ſi infantes, vel unus major ſeptennio [d], alter minor, ſponſalia contraxerint ipſi, vel parentes pro eis, niſi per cohabitationem eorum mutuam, ſive aliàs verbo, vel facto eosdem in eadem voluntate factos majores perdurare liqvidò appareat, ſponſalia hujusmodi, qvæ ab initio nulla erant, per lapſum dicti temporis minimè convaleſcunt: & ideò cùm ſint nulla, ratione defectus conſenſus, publicæ honeſtatis juſtitiam non inducunt. Si tamen cum ea, qvam nondum ſeptennem domum qvis traduxerit, copulæ nixus interceſſerit, aliud ſtatuendum erit.

c *cap. acceſſit. extra. de deſponſ. imp.*

d *cap. 1. in pri. de deſponſ. impub. in 6.*

nullius roboris] qvia ignorare præſumuntur ea, qvæ geruntur, & nuptiarum finem nondum intelligunt, animos etiam planè inſtabiles habent. Cypræus *de ſponſalib. c. 9. §. 3. & 4.*

niſi per cohabitationem eorum mutuam] ſolam cohabitationem ſponſalia facere, aut ex nullis valida reddere, præſertim inter pueros puellasq; contracta ſi fuerint, nullus mihi Papa perſvadebit, qvum cohabitatio illa nullâ prorſus firmandorum ſponſaliorum intentione, ſed aliâ prorſus fini fieri poſſit. Et videtur error hic natus ex eo, qvod de jure civili deductionem in domum aliqvi ad ſubſtantiam matrimonii facere dicant, contra qvos diſputat Franzkius *exercit. 2. qv. 7.*

vel facto] dant exemplum, ſi poſt ſeptennium ſimul jaceant, vel ſe oſculentur ut ſponſi, vel ſi alter alterius domum petat, vel mittat munuſcula à ſponſis mitti ſolita &c. Aug. Barboſa *ad c. 1. de deſponſ. impub. in 6.* Verùm & hæc facta conſenſum infantilem integrare, aut validum reddere

Digitized by Google

neqveunt, ſed ſi qvid poſſunt ad inducendum matrimonium, id totum ex novo, qvi ſubeſt, provenit conſenſu.

copulæ nixus interceſſerit] At cùm puella nondum ſeptennis in copulam, qvam non intelligit, conſentire neqveat, qvomodo ex tali alterius nixu conſenſus puellæ, ſine qvo tamen nec ſponſalia nec nuptiæ ſubſiſtunt, elici poterit? Confer. Didac. Covarruv. *de ſponſalib. p. 1. c. 4. §. 1. n. 27. 28.* Qvin imò ſolum conatum aut nixum copulæ non ſufficere ad inducendum matrimonium clarè dicitur in *c. fin. X. de ſponſal. & c. 10. X. de deſponſ. impub.* Addat. Andr. Fachineus *l. 3. controv. 30.*

Qvi contraxerunt ſponſalia, debent compelli ad matrimonium, niſi aliqvid triſte timeatur. h. d.

§. 11. Initiatum igitur ſponſalibus matrimonium fide conſenſus ratificari debet. Qvòdſi, qvi de contrahendo matrimonio fidem ſibi dederunt [a], ſe invicem admittere omnino noluerint: inſtar eorum, qvi ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eandem ſibi remittunt, diſſolutio tolerari poterit: cùm coactiones difficiles ſoleant exitus freqventer habere.

[a] *cap. 3. extr. eod.*

diſſolutio tolerari poterit] Interpretes *cap. 6. X. de ſponſal.* ex qvo hic paragraphus deſumptus eſt, explicant de ſponſalibus, qvæ dicuntur de futuro. In qvibus tolerari poterit ſententia, qvam hîc Autor exponit, obſervatis iis, qvæ diximus ſuprà ad §. *rurſus*. Plurimi tamen hinc in genere conficiunt, ſponſalia mutuo diſſenſu diſſolvi poſſe, interqvos eſt Didacus Covarruvias *de ſponſal. part. 1. c. 5. n. 1.* it. Auguſtinus Barboſa *ad d. c. 2.* Nec aliter capi poſſunt verba textus, ſi rectè attendantur, ut bene obſervat Cypræus *de ſponſal. cap. 13 §. 11, n. 3.* Id igitur ſi voluit Pontifex, & cum eo hîc Autor, ferendum planè non eſt, & propterea capitulum hoc tanqvam licitum ab Eccleſia non approbari, dicit Durandus de S. Portiano *lib. 4. diſtinct. 27. qv. 3.* notante Carpzov. *libs. reſp. 108. n. n. 24.* Qvos enim Deus conjunxit, ſepa-

ſeparari humanâ diremptione nõ poſſunt. Matt. *XIX,6.* Vid. Sigism. Finkelthaus *Obſ. 42.* Societatis exemplum, qvod allegatur, diſſimile eſt, qvum ea facilè diſſolvatur ex utriusq; contrario conſenſu, qvod in matrimonio dicere nefas eſt. Anton. Auguſtin. *in not. ad hoc capit. in collect. 1. h. t.* His ita obſervatis, neceſſe non eſt rationem & modum tolerationis diſcere â Barbosâ, qvi in eâ exponendâ impensè diligens & fortè nimius fuit.

Non ſunt audiendi impuberes volentes diſſolvere ſponſalia, ſed expectandum tempus pubertatis. h. d.

§. 12. De [b] illis, qvi infra annos aptos matrimonio ſponſalia contrahunt, qværi poterit: & ſanè, ſive uterqve, ſive alter reclamet, & anteqvam ad annos matrimoniis aptos pervenerint, ſeparari poſtulent, non ſunt audiendi: ſi verò alteruter iſtorum ad pubertatis annos pervenerit, infra eosdem annos altero exiſtente, cùm ſponſalia contraherentur, ſi is, qvi minoris eſt ætatis, ad pubertatis annos perveniens reclamaverit nec in alterum conſentire voluerit, judicio Eccleſiæ ſeparari poterunt.

b *cap. de illis. extr. de deſponſ. impub.*

non ſunt audiendi] Qvia ſcilicet impuberes nec conſentire nec diſſentire nec qvicqvam ante pubertatem intelligere exiſtimantur; Expectanda igitur erit pubertas, ut tùm geſta ante pubertatem vel probent, vel improbent. Qvamprimum autem alteruter eorum (ſi uterq; impubes contraxerit ſponſalia) ad pubertatis annos pervenit, non tenetur alterius pubertatem exſpectare, ſi vult reſilire, qvũ etiamſi alterum expectaret, ut ad pubertatem perveniret, non poſſet ad matrimonium contrahendum cum illo cogi. Joh Bapt. Vivianus *ad c. 7. X. de deſponſat. impub.*

ſi is qvi minoris eſt ætatis] Alter enim diſſentire pro lubitu non poteſt, qvia pubes qvum eſſet, ſemel conſenſit, & hinc ex conſenſu proprio obligatur. Sed profectò, ſi ſponſalia demum intelliguntur, ubi

ubi utrinqve consensus intercesſit , utiqve obligatio non poteſt esſe μονόπλευρος.

Mulier viripotens contrahens cum impubere, non poteſt reſilire, ſed impubes factus pubes poteſt. h. d.

c *cap. de illis. § mulier. extra. de despōſa. impub.*

§. 13. Mulier c qvoq;, qvæ nubiles annos attingens, ei, qvi nondum matrimonio erat aptus, nupſit, cùm in eum ſemel conſenſerit, ampliùs diſſentire non poterit, niſi ipſe, cui nupſit, poſtqvam ad legitimam ætatem pervenerit , in eam ſuum negaverit præſtare conſenſum.

ampliùs diſſentire non poterit] Inſipidum hoc eſt, ſponſalia esſe contractum ultro citroq; obligatorium, uti volunt Canoniſtæ, & unum tamen tàm arctè obligari, ut pœnitere non poſſit , alterum ita non obligari. Qvæ abſurditas induxit Andream Fachinæum, ut diſſentiret, *l. 3. controv. cap. 34.* non ſatis attentus ad Conſtitutionem Pontificiam, aut de induſtriâ eam contemnens.

Contrahens ſponſalia cum impubere coactè, non tenetur expectare impuberem. h. d.

§. 14. Hæc tamen de his dicta intelliguntur, qvæ ſponte cum minoribus ſponſalia contraxerint. Si qva enim non tam ſponte ſua, qvàm à parentibus coacta, cum impubere contraxerit, & domum traducta fuerit, licet aliqvando ibi invita permanſerit, ſi puerum usq; ad annum decimum qvartum minimè expectandum duxerit, ei alium ſibi virum accipiendi libera concedenda facultas erit.

e. II. X. de de ſponſ. impub.

à pa-

à parentibus coacta] minis scilicet & verberibus. Solum enim reverentialem metum non sufficere, constans est Doctorum sententia. Didac: Covarruv. *de matrimon. part. 2. c. 3. §. 6. n. 3. seq.* Beust. *de matrim p. 2. c. 44.*

domum traducta fuerit] ad consummationem enim matrimonii & mutuam conversationem necessarium esse videtur, ut conjuges in unas ædes conveniant. Et hinc ex deductione in mariti domum, matrimonium colligere licet, si qvidem non invita, ut hic contigit, deducta fuerit.

invita permanserit] Aliàs si non invita, sed cessante jam metu, sponte cohabitasset, metus antecedens purgatus, novusqve consensus intercessisse præsumeretur. Menoch. *l. 3. præsumt. 4. n. 30.* Gail. *2. Obs. 93. num. 28.*

facultas erit] Prævià tamen monitione, ut, si fieri possit, aliis interim nuptiis abstineat.

Sponsalia contracta à parentibus, non tenent, nisi filii assentiant & ratificent. h. d.

§. 15. Non absimile est[d], qvod de sponsalibus, qvæ parentes pro filiis puberibus freqventer contrahunt, statuitur: nam si qvidem ipsi filii expressè consenserint, vel tacitè, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur: & ex eis oritur publicæ honestatis justitia. Idem etiam obtinet, si filii tempore sponsaliorum absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia pòst scientes, & prudentes ratificaverunt tacitè, vel expressè: aliàs ex sponsalibus contractis à parentibus pro filiis, nec ipsi obligantur, nec publicæ honestatis justitia inde exoritur.

d *c. 1. §. fin. de desponsi. impub. in 6.*

Non absimile est] Vid Carpzov. *lib. 2.* Jp. *Consist. def. 26.* Est autem hoc speciale in parentibus. Alius enim extraneus si desponsaverit Titiâ, etsi illa non contradicat, propterea tamen non obligatur, nec sponsalia valida sunt, qvia de suo qvem promittere oportet, non de alieno, *l. 83. ff. de V. O.* Cæterùm de Jure Civili major hîc fuit potestas patris in filiam, qvàm in filium. Hic enim dissentire poterat ex qvacunqve causâ, illa non aliter, nisi indignus moribus vel turpis sponsus à patre electus fuisset, *l. 12. ff. de sponsal. c. 7. §. 4.*

nec contradixerint] Ex Jure Civili id de filiabus tantùm intellectum volunt, nec tacitum filiorum consensum sufficere. Vid. Bachov. *ad Wesenbec. de sponsal. n. 4.*

ratificaverunt] Hoc igitur casu non sufficit desponsationem parentum compertam habere & non contradicere, sed opus est actum aliqvem alium ratificationis accedere.

nec ipsi obligantur] Qvia qvoad matrimonium filii censentur sui juris, nec dependent à patriâ potestate, ita, ut inviti ad matrimonium cogi neqveant. Loqvitur autem hîc Autor de filiis puberibus. De filiis autem impuberibus decidit Papa *c. 1. X. de desponsat. impub.* posse talem à patre, cui velit, matrimonio tradi, & postqvam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omninò debere hoc adimplere. Qvæ constitutio qvum dura videatur, variæ excogitantur explicationes. Et fatetur atq; agnoscit Joh. Bapt. Vivianus *ad istum Textum*, qvoad Juris vinculum nullam ex paternâ hac desponsatione ipsi Filio oriri obligationem, & propterea honestum qvidem esse ait, ut filius pòst adultus adimpleat sponsionem patris, necessarium tamen præcisè non esse, qvam explicationem etiam tenet Glossa. Sed hæc non satisfacit Paulo Laymanno *l. 5. theol. mor. tr. 10. p. 1. c. 1. n 12.* Ipse igitur aliam confingit, nempe non absolutè intelligi debere Pontificis verba, sed ad hoc, ut matrimonium valeat, necesse esse, ut filius post pubertatem consensu suo ratificet. Diffusior est in hoc nodo resolvendo & intricatior Augustinus Barbosa *ad. d. c.* Sed nihil agit, qvum tàm perspicua sint verba Pontificis, ut intortum sensum non ferant. Et absolutam filio imponi necessitatem tuetur Cujacius *ad d. cap.* ex eâ scilicet ratione, qvia pater perinde ut tutor consensum & judicium impuberis suppleverit, ut æqvè ratum sit, qvod fecit pater, ac si fecisset ipse filius. Sed enim firma adhuc manet regula, non cogi posse à patre filium ad matrimonium ex sponsione patris promissum-

missum, potiusqve est, ut Pontificem hîc juris naturæ vincula violâsse dicamus.

Sponsalia dissolvuntur ipso jure, qvando non habetur ratio voluntatis contrahentium. h. d.

§. 16. Dissolvuntur sponsalia aut ipso jure aut facto hominis. Ipso jure tunc dicuntur sponsalia dissolvi, ut cùm nulla habita ratione voluntatis & consensus partium, ex certa superveniente causa distrahuntur: ut ex contractu matrimonii, sacrum ordinum susceptione, religionis ingressu, cognationis interventu.

ipso jure] Præcedente tamen sententiâ super facto, de qvo si non constet, neq; lex qvidem executionem ipso jure operabitur. Est autem verborum *ipso jure* hic effectus, ut operentur non demum â sententiâ, sed ab ipso momento, qvo qvid factum est. Joh. Petr. de Ferrariis *in prax. tit. 45. gloss. 8.* Bachov. *in Treutler. vol. 2. disputat. 29. th. 1. lit. A.*

Matrimonium per verba de præsenti contractum tollit sponsalia præcedentia, & juramento firmata: sed matrimonium contractum per verba de præsenti, non iritatur etiam sequtâ copulâ. h. d.

§. 17. Si qvis igitur eam, [a] qvæ tibi desponsata fuerat, per verba sibi junxerit de præsenti, etiamsi interte & ipsam sponsalia juramento firmata extitissent, dum tamen copula non interveneri t, nihilo minùs per secundum matrimonium, etiam te invito, tolluntur: licet fidem frangentib. salutaris sit injungenda pœnitentia. qvanqvam, si priùs per verba contra-

a *c. 31. X. de desponsi. impub.*

b *ex. X. de desponſ. duor.*

xiſſes de præſenti, ita firmum maneret matrimonium, ut per ſecundum, etiam ſecutâ copulâ, tolli non poſſit. Nec enim ut pactionis fidem interdum frangi jura ſuſtinent, ita etiam fidem conſenſus aboleri permittunt b.

qvæ tibi deſponſata fuerat] per verba de futuro, qvibus nondum induci efficacem obligationem matrimonii jam ante dixi.

de præſenti] Qvando ſcilicet partes mutuâ pactione categoricè de conjugio in præſenti paciſcuntur, h. e. qvando ipſe conjugii contractus categoricè purâ pactione in præſenti celebratur, cum intentione, ut absolutè matrimonium ineatur. Talis enim pactio inducit efficacem obligationem, nexum & vinculum conjugale, atq; adeò eſt initium veri conjugii.

juramento firmata extitiſſent] Sponſalia enim qvia de futuro ſunt, juramentum additum ſimiliter id qvod futurum eſt reſpicit. At in terminis fortioribus conſiſtit id, qvod fit de præſenti. Qvemadmodum ſi perfecto contractu Titio vendiderim ædes meas, plus confectum intelligitur, qvàm ſi promiſerim, etiam ſub juramento, vendere me ei velle.

copula non intervenerit] Per hanc enim ſponſalia de futuro in ipſum tranſeunt matrimonium. Et tale matrimonium dicitur præſumptum *c. 30. X. de ſponſal.* qvod propter copulam intervenientem potentius eſt poſteriore matrimonio ſolenniter reapſe cum aliâ perſonâ contracto.

ſecundum matrimonium] Ita dicuntur ſponſalia de præſenti inſecuta. Sponſalia enim de præſenti faciunt matrimonium initiatũ & ratum, qvo animi qvoad propoſitũ ad cohabitationẽ conjugalẽ à DEO ipſo eõjunguntur & uniuntur. Et licet ipſa etiam in futurum reſpiciant, qvod ſcil. ſponſa adhuc tradenda & adducenda ſit ſponſo, verè tamen conjugium ſunt, & jam initium factum eſt præſentis conjugii. qvemadmodum verè jam emptio facta eſt, etſi traditio poſſeſſionis ad futurum aliqvod tempus differatur.

tollun-

tolluntur] Regula igitur hæc est: *Sponsalia de futuro etiam juncta dissolvuntur per alia sponsalia de præsenti.* Vid. Carpzov. *Jp. Consist. l. 2. def. 18.*

salutaris sit injungenda pœnitentia] Per pœnitentiam hîc intelligit pœnam & censuram Ecclesiasticam, qvam salutarem dicit ex pharisaico supercilio, & nimiâ in merito bonorum operum fiduciâ. Rectè autem puniuntur, qvi fidem datam frangunt.

tolli non possit] Ratio est, qvia priora sponsalia matrimonium perfeciſſe intelliguntur. Ergò qvod seqvitur matrimonium, adulterium sive stuprum potius est, qvàm matrimonium. Subsistent tamen sponsalia posteriora de præsenti contracta, & concubitu confirmata, si prior sponsa nolit cum adultero matrimonium consummare, id qvod ipsius arbitrio committendum est. Joach. â Beust *de sponsal. c. 10.* Hâc igitur ratione per adulteriũ videntur sponsalia priora hactenus soluta, ut nisi per novum sponsæ prioris consensum & accedentem condonationem redintegrentur, ex parte ejus obligatio planè cesset. Cæterùm majorem adhuc effectum tribuunt nonnulli benedictioni Ecclesiasticæ, dum statuunt, sponsalia priora per posteriora propter carnalem copulam non tolli, tolli tamen propter ἱερολογίαν, si ea posterioribus sponsalibus accesserit. Vid. Carpzov. *l. 2. definit. Consist. 65. & 66.* Cui reponi posset, qvod copula carnalis ad usum conjugii & sic ad naturalia ejusdem pertineat, benedictio autem sacerdotalis extrinsecus ex constitutione Ecclesiasticâ advenerit. Vid. Joh. Selden. *in Uxor. Hebr. l. c. 2. 29.* & proinde non videantur fortius ligari sponsalia per benedictionem sacerdotalem, qvàm per copulam. Etsi enim necessaria sit benedictio sacerdotalis & hodiè ad formam externam conjugii pertineat, ita ut omissâ eâ liberi nec legitimi dici, nec ad patris hereditatem cum aliis legitimis admitti debeant, uti anno 1642. mens. Januar. pronunciavit Facultas juridica Lipsiensis, referente Sam. Mosbach *disp. ad L. civitas. in corollar. 1.* non alia tamen ejus est necessitas, qvàm præcepti, h. e. extrinseca, cùm copula carnalis ante omne præceptum Ecclesiæ ex ipsâ institutione divinâ ad usum matrimonii pertinuerit.

Nec enim ut pactionis fidem] Qvid sit fides pactionis & fides consensûs, explicatur in *can. ult. 27. q. 2. & c. 1. X. de sponsi. duor.* Sed admodum obscurè. Augustinus, qvi illic Autor ejus distinctionis fingitur, qvo in loco eam proponat, nemo adhuc dicere potuit, qvod fatetur & Antonius Augustinus & Cujacius. Sensus ex mente Augustini Barbosæ, Johannis

terie apud Covarruv. *in c. quamvis p.2. §.3. n.1. 2.3.4.* Augustin.Barbos. *ad d. c.16. X. h.t.*

religionem ingrediatur] h. e. ordinem monasticum. Pontificii enim religionem κατ' ἐξοχὴν sumunt pro statu eorum, qvi per professionem castitatis, paupertatis & obedientiæ se prælati vel abbatis imperio subjecérunt. Bart. Cartagena *in expos. titul. jur. can. l.3. tit.31. obs.3.*

Affinitas superveniens dirimit sponsalia de futuro. h.d.

§. 19. Item si inter sponsum & sponsam affinitas superveniat: utputà, si sponsum [b] propinqvam sponsæ cognovisse, aut manifestum sit, aut de hoc sit publicè diffamatus, aut spiritualis inter eos cognatio intercesserit: dissolventur inter eos sponsalia, nec ad matrimonium perveniri poterit.

b *cap. 2. extr. de consangv. & affin.*

affinitas superveniat] Imò sufficit fornicatio sponsi aut sponsæ etiam sine affinitate, ut repudio locus fit. Carpzov. *l.2. definit. Consist. 184. & 186.*

publicè diffamatus] Puto tamen, famam fulciri debere qvibusdam conjecturis, ut præsumptivè saltem constet de fornicatione interveniente, Carpz. *d. l. def.185.* Fallacissimam enim ex sola fama peti probationem nemo ignorat. Sed fama tamen sola sufficere videtur ad dissolvenda sponsalia de futuro, & de his intelligendus est hic textus, uti apparet ex *c.2. X. de consangv. & affin.* Add. Kitzel. *de matrim. c.8. theor.13. lit.b.*

aut spiritualis inter eos cognatio] Dicam de tali cognatione *ad tit.13.*

Ponit, qvomodo facto hominis sponsalia dissolvantur. h.d.

§. 20. Facto hominis dissolvuntur sponsalia, vel contrario utriusq; contrahentis consensu, vel cùm legitima emergente causa, dissolutio alterius tantùm volun-

voluntati permittitur: veluti, ex fornicatione[c], absentia, membrorum amissione, incurabilis morbi interventu.

c *can.231.q.1. can.apost. & can. omnes. 32.q.7.capit. discretionē. ext.de eo,qui cogn. consangv.*

Facto hominis] Non qvidem judicis, sed alterutrius, aut utriusq;, qvi fidem sibi dedérunt. Factum tamen judicis, h.e. sententia dirimens ut accedat, necesse est.

Sponsalia dissolvuntur contrario consensu, nec pœnæ appositio, sponsalibus appositæ, aliqvid operatur. h.d.

§. 21. Si contrahentes igitur vel sese invicem liberent, vel impubes contrahens adveniente pubertate, ratum nolit habere matrimonium, dissolventur sponsalia: nec aliqvid proderit, qvòd sub certa pœna cōtracta fuerint: cùm enim libera matrimonia a esse deceat, pœnarum inanis omnis est adjectio.

c. preterea 1.h.tit.

a *cap.gemma. 29. §. cùm itaq;. extra. eod.tit.*

sese invicem liberent] Si accipiatur hoc de sponsalibus, qvæ vocantur de futuro, salva res est, dum tamen moneantur prius partes, ut potius fidem datam servent, qvàm hîc committant aliqvid, cujus pœnitere aliqvando eas possit. Sponsalia autem de præsenti dissolvi mutuo dissensu haudqvaqvam possunt. Dixi eâ de re jam supra. Vid. Carpzov. *Jp. Consist. l.2. def.173.* Finkelth. *obs.42.*

vel impubes] Hæc ex iis, qvæ supra diximus, plana jam sunt, atq; perspicua.

inanis omnis est adjectio] Hoc etiam jure civili obtinet, qvo & ipso inhonestum visum est vinculo pœnæ matrimonia obstringi sive futura, sive jam contracta *l.134. ff. de V.O. & l. ult. in fin. C. de sponsal.* nec refert, parentes, an verò ipsi liberi pœnam sponsalibus adjiciant, qvia utroq; casu verendum est, ne liberi præter voluntatem matrimonio assentiantur, tantùm ut pœnam evitent. Anton. Gubern. Costan. *de sponsalib.tit.qvot mod. sponsal.*

ſponſal. dic.n.8. Admittit tamen Sichardus *ad d. l.fin.C.de ſponſ.n.23.* pœnam aliqvam modicam, per qvam libertas ſponſaliorum non tollitur. Admittit etiam *num.27.* pœnam ab extraneo promiſſam. Adhuc longiùs procedit Simon à Grœnewegen *de Leg.abrog. in Holland. ad d.l.fin.n.9.* dum putat, ſubſiſtere hodiè ſponſalibus adjectam ſtipulationem pœnalem, ideò, qvod contractis legitimè ſponſalibus contrahentes hodiè cogi poſſint ad matrimonium conſummandum. Qvæ ratio non videtur eſſe nullius momenti, præſertim cùm & à Leone Imperatore *novell.18.* ut in ſponſalibus conſtituta pœna exigatur, ſancitum ſit. Add. Cypræ. *de ſponſal. c.8. §.18.* Beuſt. *de ſponſalib. c.4.* Didac. Covarruv. *de matrim.p.2.c.3. §.7.n.7.* qvi omnes ſponſalia & matrimonia ab omni pœnâ libera eſſe debere, magno cum applauſu contendunt. Sed qvalis olim ea libertas fuerit, optimè explicatur *in l.2. C.de inutil. ſtipul. Libem* (dicitur ibi) *matrimonia eſſe antiqvitus placuit.* (Nota hîc iſtud *antiqvitus*, qvod mox explicatur; hodiè enim etiam libera ſunt, non tamen, ut antiqvitus) *Ideoq; pacta, ne liceret divertere, non valere: & ſtipulationes, qvibus pœna irrogarentur ei, qvi qvæve divortium feciſſet, ratas non haberi conſtat.* Ex qvo textu patet, qvæ fuerit illa libertas, qvam ita ſanctè cuſtoditam voluérunt Romani, ut ne pœnam qvidem in contrarium admitterent, nempe libertas, aut licentia potius, contrahendi & diſtrahendi pro lubitu, qvam meritò hodiè abominamur. Doctores igitur, qvæ propter hanc libertatem conſtituta fuérunt, cùm libera eſſe matrimonia contrahenda debere paſſim inculcant, ſimul illa qvoq; applicant, non attendentes, longè alium eorum fuiſſe finem.

Ob fornicationem poſt ſponſalia etiam juramento firmata commiſſam, poteſt qvis licitè reſilire; & id qvod conjunctos disjungit, multò magis impedit conjungendos. h. d.

§. 22. Unius qvoq; tantùm diſſenſu etiam jurati ſolvuntur interdum ſponſalia, veluti [b] ſi qvis aliqvam ſe in uxorem ducturum juraverit, & ea poſtmodum fornicata fuerit: nam licet eidem fornicationem non poſſit opponere præcedentem, ob ſubſeqventem tamen poterit eandem in conjugem non duce-

b *cap.qvemadmodum. extra. de jurejurand.*

re. qvia illi juramento talis ineſt conditio, ſi illa contra regulam deſponſationis non venerit: alioqvi ſi poſt hujusmodi juramentum publica meretrix fieret, teneretur eam in uxorem ducere: qvod eſt prorſus abſurdum. Nam ſi poſt contractum conjugium, vir propter fornicationem licitè poteſt à ſua cohabitatione recedere: longè fortiùs ante cónjugium celebratum ſponſus ſponſam poterit non admittere.

fornicata fuerit] Vocabulum fornicationis hoc loco generaliter ſumendum eſt pro qvovis concubitu illicito. Aliàs enim denotat ſoluti cum meretrice ſolutâ, qvæ ſe proſtituit, concubitum. Hîc verò non neceſſe eſt, ut pluribus ſe proſtituat, ſufficit, ſi uni tantùm corporis ſui copiam faciat ſponſa.

non poſſit opponere præcedentem] Aliter & rectiùs Leo Imp. *Novell. 93.* dum tamen tempore ſponſaliorum ſponſus fornicationis fuerit ignarus, Carpzov. *Jp. Conſiſt. l. 2. deſin. 187.* Schäffer *part. 1. qv. 11. n. 14. ſeq.* Compreſſam igitur ab alio ignoranter qvi ducit, juſtè errorem prætendit; dumq; adeò ex ejus parte conſiſtit error, ex parte ſponſæ dolus, qvalis tùm intercedat conſenſus, judicare poterit etiam, qvi infirmius habet judicium. Conf. Alberic. Gentil. *lib. 6. de nupt. c. 13.* Andr. Gerhard. *exerc. Juſtinian. 2. n. 7.* Val. Riemer. *decad. 2. qvæſt. 6.* Dominic. Arumæ. *exercitat. Juſtinian. 2. n. 15.* Utrum autem propter ſponſi etiam fornicationem præcedentem ſolvi debeant ſponſalia, diſſentiunt Doctores. Negant Paulus Cypræ. *de ſponſal. c. 13. §. 57.* Hilliger *in Donell. enucl. lib. 13. c. 20. lit. A.* & Domini Lipſienſes apud Sig. Finkelthaus *obſerv. 30. n. 85. 86. 87.* Affirmat Carpz. *lib. 2. Jp. Conſiſtor. def. 188.* cujus ſententia maximè nititur in eo, qvod fides matrimonialis debeat eſſe reciproca, nec debeat qvicqvam licitum eſſe ſponſo, qvod ſponſæ æqvè non liceat.

talis ineſt conditio] tacita ſcil. qvæ à voluntate contrahentium non additur, ſed tacitè ſubintelligitur ex juris autoritate, & negocii naturâ. Tacitæ autem ejusmodi conditiones propriè ſic dictæ conditiones

nes non ſunt, nec ſuſpendunt negocium, cui inſunt. H. Hahn *obſerv. ad Weſenbec. tit. de ſponſal. num. 3.*

publica meretrix fieret] Argumentum hoc non ſatis firmiter concludit. Nec enim ab uno illicitæ commixtionis actu, aut illicitâ ſponſæ cum altero eoq; uno tantùm habitâ conſvetudine argumentari protinus licet ad vitam meretriciam. Nec ergo valebit argumentum, ſi qvis dicere vellet: Sponſus non poteſt repudiare ſponſam, qvæ poſt ſponſalia cum alio rem habuit, Ergo nec poteſt repudiare, qvæ palàm ſe proſtituit. Palam enim proſtituere ſe dicitur illa, qvæ paſſim, hoc eſt, ſine delectu ſe proſtituit, non ſi qva adulteris vel ſtupratoribus ſe committit, *l. 43. ff. de rit. nupt.* Et hinc dubitant Doctores, utrum ea qvæ ſingulari amore ducta copiam ſui amaſio facit, meretrix ſit dicenda? uti videre licet ap. Menoch. *lib. 2. de arb. qveſt. c. 328.* Aut ergò autor qvæſtionem à ſe motam de promiſcuâ proſtitutione intellectam vult, aut non vult. Priori caſu nihil aliud hic dicit, qvàm qvod eſt in theſi, nec ullam propterea infert abſurditatem: Poſteriori caſu, nihil concludit, qvia, ut dixi, ab ea, qvæ uni tantùm ſui copiam facit, ad commune proſtibulum non licet argumentari. Neq; hîc ergò aliqvod inferri poterit abſurdum.

à ſuâ cohabitatione recedere] Hæc verba innuunt tantùm ſeparationem qvoad thorum, qvam admittunt Canoniſtæ poſt adulterium commiſſum; ſeparationem autem qvoad vinculum non admittunt. Vid. *c. interveniente 1. c. apoſtolus 3. cauſ. 32. q. 7.* Sed in noſtris Eccleſiis ipſum etiam matrimonii vinculum rumpi docetur. Vid. qvæ dicentur infr. ad *tit. 16. huj. libr. §. ſæpius.*

Carnalis, & ſpiritualis fornicatio æqviparantur. h. d.

§. 23. Idem erit, ſi ſponſus, vel ſponſa idololatrando, vel hæreſim ſeqvendo in ſpiritualem fornicationem inciderit. *c. 2. de Divort.*

Idem erit] Hæc non eſt ſufficiens cauſa diſſolvendi ſponſalia contracta. Vid. Carpzov. *in Jpr. Conſiſtor. lib. 2. def. 7.* Qvod ſi contracta nondum ſint, non diffiteor, rectius abſtineri ab iſtiusmodi conjugiis, propter periculum ſeductionis, qvod ſubeſt.

Si ſponſi conferant ſe ad remotas regiones, ſponſæ poſſunt ſe ad aliorum nuptias conferre, receptâ, ſi pejeraverint, pœnitentiâ. h. d.

c *cap. de illis. extra. eod.*

§. 24. Sed [c] & ſi qvi præſtito juramento promittant aliqvas ſe mulieres ducturos, poſteaq; illis non cognitis, procul recedentes, ad alias partes ſe transferant, liberum erit mulieribus ad alia migrare vota: receptâ tamen de perjurio, ſi fortè juramentum præſtiterint, pœnitentiâ, ſi per eas ſteterit, qvò minùs fuerit matrimonium conſummatum.

præſtito juramento] imò etiam non præſtito. Jusjurandum enim huic negocio nihil confert, ſed idem erit dicendum de ſponſalibus injuratis.

illis non cognitis] Hoc dicit ideò, qvia Canoniſtæ non admittunt, per deſertionem malitioſam diſſolvi conjugium, ita ut parti deſertæ aliud inire liceat. Qvod tamen admittunt Eccleſiæ noſtræ, poſito, qvod proceſſus deſertionis legitimè ſit peractus.

procul recedentes] De caſu abſentiæ multa intricatè diſputant Doctores, qvamdiu ſponſa expectare teneatur ſponſum abſentem, & permulti etiam in hoc qværunt aliqvod diſcrimen, utrum extra provinciam ſit ſponſus, annon. uti videre licet apud Schneidewein *ad tit. Inſt. de nupt. part. 4. n. 45.* Sed textus juris Canonici, ex qvo hic paragraphus deſumptus eſt, de tempore nihil definit, ſed qvæſtionem, utrum ſponſæ à ſponſo deſertæ alii nubere liceat, indeterminatè, qvod qvidem tempus concernit, decidit. Agit tamen de diſcesſione, qvæ procul fit, h.e. tali, ex qvâ probabiliter concludi poſſit, qvod animum revertendi depoſuerit, qvod plerumq; fit, ſi in aliam provinciam, ſive, ut hîc dicitur, ad alias partes & qvidem procul diſſitas ſine juſtâ causâ ſponſus ſe transferat.

pœnitentiâ] nolumus repetere, qvod ſæpè jam diximus, pœnitentiam hanc à Pontificiis ἀθεολόγως conſtitui in merito.

Lepra, vel ſimilis morbus ſponſalia dirimit, licet non dirimat matrimonium. hoc dicit.

§. 25. Item

§. 25. Item ſi ſponſus, aut ſponſa, leproſus fiat [d], vel leproſa: paralyticus, vel paralytica: aut naſum, vel oculos amittat: aut qvid ſibi turpius eveniat: ad cõſummandam maritalem copulam compelli nõ debent: licet jam contractum matrimonium ſuperveniens lepra, vel alius morbus non dirimat.

d. c. qvemadmodum. in fin. d *cap. 1. & fin. extr. de conjugio leprof. c. 25. X. de jurejur.*

leproſus fiat] Loqvitur qvidem textus in *c. fin. X. de conjug. leproſ.* de ſponſalibus qvæ dicuntur de futuro. Extendunt tamen pleriq; eum ad ſponſalia etiam de præſenti, qvanqvam Panormitanus diſſentiat. Imò verò lepram tàm gravem ſponſaliorum dirimendorum cauſam ſtatuunt nonnulli, ut ſi vel maximè ſanus cum leproſo matrimonium conſummare velit, nullâ lepræ ratione habitâ, tamen à magiſtratu non ſit illi permittendum, ne contagium latiùs ſerpat & propagetur. Vid. Gerhard. *loc. de conjug. n. 167.* præſertim cùm morbus ille in liberos transfundatur. Maximè tamen placet eorum ſententia, qvi tempus aliqvod curationis præfigi debere ſtatuunt, anteqvam ſponſalia diſſolvantur, ut ſcil. inde clarum fiat, num curari fortè morbus iſte poſſit, an verò prorſus inſanabilis ſit.

aut naſum vel oculos amittat] Non eodem modo ſe habet hæc deformitas, qvo ſe habet lepra, aut morbus Gallicus; cùm per illam non inficiatur pars altera, nec ad liberos ea transfundatur, nec proinde Reip. damnum detur. Nec igitur, uti propter leproſorum contagium cura habenda eſt magiſtratui, ne latius ſerpat, ſic etiam deformitas alterutrius efficiet, ut magiſtratus ejusmodi conjugia prohibeat, aut impediat; ſed ante omnia tentanda hoc caſu eſt conjunctio animorum, ut deformitate non obſtante matrimonium conſumment. Qvod ſi tanta alterius partis fuerit averſatio, ut nullo modo perſvaderi qveat ad amorem conjugalem, præſtabit, diſſolvere ſponſalia, qvàm difficile & triſte componere conjugium. Vid. Carpzov. *Jp. Conſiſt. l. 2. def. 181.*

non dirimat] nec qvoad thorum qvidem, uti communiter volunt Canoniſtæ *per c. 2. X. de conjug. leproſ.* qvod tamen tùm demum admittunt nonnulli, niſi ſubſit probabile periculum infectionis, cum nemo ſe obliget ad matrimonii contractum, niſi ſalvâ vitæ incolumitate. H. Zoëſ.

ad tit. X. de conjug. leprof. n. 2. Sed enim limitatio hæc diſertè contrariatur textui, qvi in fine expreſſa hæc habet verba: *cui præcepto nulla in hoc caſu exceptio invenitur.* Et vereor ego, ne limitatio iſta ſemper obſtet, cùm nunqvam non â leproſo periculum infectionis immineat. In reipsâ tamen facilè conſentio, non eſſe partem ſanam cogendam, ut connubialem præſtet amplexum, per ea, qvæ notat Dionyſ. Gothofred. *ad Schneidewin. tit. Inſtit. de nupt. part. 4. n. 50.* Et hinc etiam Antonius Faber. *Cod. lib. 5. tit. 12. def. 2.* admittit ſeparationem thori. *Durum eſt,* inqvit Gothofredus *d. l. ut conjux, qvi morbo contagioſo non tenetur, conjugi ita contagioſo convivere & conjugalem amplexum reddere teneatur. Non licet malum facere, ut eveniant bona. Malum fieret, ſi morbo illi propagando occaſio daretur, hoc uno colore, qvod conjux non ſit deſerendus.* &c.

DE NUPTIIS.

TITULUS XI.

Ponit ſubordinationem præſentis Tituli ad præcedentia, & ſeqventia. h. d.

§. 1. Expoſuimus hactenus, qvid eſſet matrimonium, qvâve ratione inter ſacramenta reponatur, admonentes illud initiari ſponſalibus, conſenſu ratificari, & copula conſummari. Sed cùm proximè de ſponſalibus tanqvàm de principio tractatum habuerimus: reliqvum nunc eſt, ut de conſenſu & copula, qvibus ſubſtantia & perfectio matrimonii continetur, diſſeramus: qvid impediat nuptias contrahi vel contractas dirimat, cum cæteris qvæ tractatui adjacent, recenſentes.

conſenſu ratificari] Hoc perpetuum non eſt, ſed locum habet tantùm

tùm illis in casibus, qvando ex parte contrahentium plenus ab initio non adest consensus. Aliàs ipsa etiam sponsalia consensu incipiunt. Et certè, si verum est, qvod eo ipso dum initiatur conjugium, conjugii nomen adsciscatur, uti verbis Ambrosii notat Gratianus *c. cum initiatur 27. q. 2.* non potest istiusmodi initiatio fieri sine consensu, cum sine consensu conjugium non subsistat.

& copulâ confirmari] Sed & initiatum & consummatum matrimonium diversimodè dicitur, uti exponit Henr. Hahn. *tit. de rit. nupt. num. 2.* Hîc autem consummatio per copulam perinde se habet, uti consummatio contractûs venditionis per traditionem. Uti igitur hæc ad substantiam contractus non reqviritur, sic neqve copula ad essentiam matrimonii. Qvanqvam enim in matrimonio ineundo duplex ex parte contrahentium adsit consensus, alter directus in conjugalem societatem, seu animorum conjunctionem, alter in copulam; posterior tamen hic illi subsit, & illum consequitur, prior autem totum negocium matrimoniale absolvit.

qvibus substantia] Copula non pertinet ad substantiam matrimonii, nec ad ejus perfectionem, sed ad consummationem & usum. Uti enim emptio & venditio dicitur perfecta, simulatq; de merce & pretio conventum fuerit; sic & conjugium perfectum est, postqvam de conjunctione animorum consensum utrinq; fuit. Etsi enim in sponsalibus de præsenti (de his enim loqvimur,) deficiat adhuc implementum & perfectio secunda, seu executio & consummatio, qvæ fit per concubitum; revera tamen illa jam sunt nuptiæ & qvidem perfectæ, qvæ inducunt obligationem immediatam ad usûs conjugii, sed qvi usûs substantiam ipsam non ingrediuntur.

Nuptiæ consensu partium contrahuntur, nec sufficit consensus parentum. h. d.

§. 2. Nuptias igitur, sive matrimonium inter se contrahunt viri puberes, & mulieres viripotentes, simulatq; in se invicem consenserunt. Ubi enim non est utriusqve consensus, non potest esse matrimonium: ideoq;, si ex altera parte pater puellæ tantùm consense- *c. sufficiat 27. qvæst. 2.*

ſenſerit, ex altera, qvi ſe cupit maritum fieri, nil agitur: qvanqvam honeſtè faciant filii, ſi paternæ voluntati minimè reluctentur.

ſimul atqve] Hic ipſe deſtruit autor, qvod paragrapho antecedente adſtruxerat, copulam ſcilicet pertinere ad ſubſtantiam & perfectionem matrimonii, de qvâ re ulterius videri poterit Gerhard. *loc. de conjug. num. 413.*

utriusq; conſenſus] Isqve ſimultaneus, adeò ut licet qvis puellam in matrimonium petat, iſta verò ſuum conſenſum poſt longum temporis intervallũ addat, ſi prior ille vel tacitè vel expreſsè voluntatem interea mutaverit & pœnituerit, nullum adhuc inter eos contractum dici poſsit matrimonium. Vid. Didac. Covarruv. *de matrimon. part. 2. c. 4. in princ. n. 10.* Ut tamen præcisè in eodem temporis momento utriusqve conſenſus præſtetur, neceſſarium non eſt, ſed ſufficit, ſi conjungi poſſint, qvamdiu ſcilicet prioris illius voluntas mutata & petitio revocata non fuerit. A. Barboſ. *ad c. 24. n. 7. X. de ſponſal.*

nihil agitur] Scilicet nihil tale, qvod gerere poſſit ſpeciem matrimonii. Celebrari tamen hoc modô poſſunt ſponſalia ſcil. de futuro. *cap. 1. X. de deſponſat. impub. cap. 1. eod. in 6.*

qvanqvam honeſtè faciant filii] Probat hîc autor ſententiam Canoniſtarum ſtatuentium, jure Canonico Patris conſenſum ad nuptias filii honeſtè, non neceſſariò, reqviri, ſecus atqve de jure civili. Adducunt in hanc rem textum in *c. ſufficiat 27. q. 2.* ſed malè, cùm ibi ſolennitates, qvæ ſunt circa matrimonium, excludantur, parentum conſenſus neqvaqvam. Vid. Bernh. Sutholt. *diſſertat. 2. n. 57.* Cypræ. *de ſponſal. c. 6. §. 6. n. 7.* Herm. Vultej. *ad pr. Inſt. de nupt. num. 16.* Adducunt porrò *cap. 6. X. de raptor.* Sed in eo hoc tantùm deciditur, puellam volentem abductam & vitiatam â marito recedere non debere, id qvod ſingulare eſt, & ad univerſale extra iſtum caſum axioma conficiendum minus ſufficiens. Et hi textus præcipui ſunt, qvibus hactenus innixa eſt ſententia Canoniſtarum; ſed illis perpetuò ἐξ ἐναντίας objecti ſunt alii, imprimis *c. aliter 30. q. 5. c. non omnis 32. q. 2.* ubi Gratianus diſertè conſenſum patris neceſſarium dicit, ita, ut ſine eo nuptiæ filii legitimæ non ſint. Add. Franc. Duaren. *de nupt. c. 2. ad tit.*

tit. solut. matr. Joh. Coras. *l. 1. miscell. c. 17.* Et qvanqvam in Concilio Tridentino diversum qvid superiore seculo statutum fuerit, factum tamen id est ex pravâ opinione Sacramenti in matrimonio asserti. Et qvàm variè hæc res in isto Concilio disceptata fuerit, accuratè notavit Petrus Svavis *in hist. lib. 7. & 8. imprimis pag. 746. & 844.* Id insuper addo, ὑπαλλάττι subesse in verbis autoris, dum de filiis thesin format, non de filiabus, cum tamen paulo ante de patre puellæ verba concepisset. Et hic scilicet videtur amplecti sententiam eorum, qvi putant in filio indistinctè reqviri consensum patris, in filiâ tantùm nubente ante annum vigesimum qvintum, qvos solidè refutat Bachovius *ad Treutl. vol. 2. disp. 6. th. 5. lit. C.*

Pubertas æstimatur non tam annis, qvàm corporis habitu & minores qvatuordecim annis non possunt contrahere matrimonium, nisi pro bono pacis, & ex necessitate. h. d.

§. 3. Sed qvi sint puberes, videamus: & qvidam [a] ex annis tantùm pubertatem judicandam asserunt, eum esse puberem rati, qvi qvatuordecim annos impleverit: & viripotentem, qvæ duodecim, qvamvis tardissimè pubescant. Prævaluit tamen opinio existimantium, ex habitu corporis pubertatem debere censeri; atq; eos qvi generare possint, etiamsi minores annis sint, in proposito puberes reputari. Itaq;, si malitia ætatem suppleat, etiam minores ea ætate conjungi possunt. Idem, si fortè urgentissima necessitas [b] interveniat: utpote qvòd pro bono pacis talium conjunctio sit toleranda.

a *cap. 2. inf. & cap. 3. extra. de desponsi. imp.*

b *cap. 2. inst. etm. de desponsi impuber.*

& qvidam ex annis] Dissentiebant hâc de re olim Proculiani & Cassiani. Proculiani ex annis pubertatem æstimabant, qvamvis nondum pubuisset puberale, nec vesticeps factus qvis fuisset. Cassiani autem sive Sabiniani puberem eum esse dicebant, qvi ex habitu corporis talis

lis appareret, qvive generare posset, ut adeò pubertas jure Pontificio ex potentiâ coëundi æstimetur. Jure verò civili ex constitutione Imperatorum obtinuit sententia Proculianorum, *l. 4. C. qvi testam. fac. poss. l. fin. C. qvand. tut. vel cur. esse def.* Add. Arn. Vinnius *ad pr. Inst. qvib. mod. tut. finit.* In hoc dissensu juris civilis & Canonici ad materiam, de qvâ agitur, respiciendum est. In materiâ enim connubiali & ubi de matrimonio ineundo agitur, Canonici juris decisio adhiberi potest; sed circa finiendas tutelas jus civile potius attendendum erit, qvod facultas generandi nihil omninò faciat, ut qvis in suam tutelam venisse dicatur, sed intellectûs potius & judicii firmitas & incrementum, qvod ex annis æstimatur. Imò verò etiam in nuptiis contrahendis videtur jus canonicum ad ætatem legitimam, sive ad pubertatem legibus definitam respexisse. Disertè enim Nicolaus Papa *c. 2. X. de despons. impub. Districtius inhibemus*, inqvit, *ne aliqvi qvorum uterq; vel alter ad ætatem legibus vel canonibus* (consentiunt igitur leges & canones in ætate matrimonio aptâ definiendâ) *determinatam non pervenerit, conjungantur*, &c: Nuptiæ enim & matrimonia affectu & animo ineuntur, qvi propè nullus adhuc est apud impuberes.

conjungi possunt] Possunt qvidem, sed id prohibuit Nicolaus Papa *c. 2. X. de desponsat. impub.* uti modo dixi. ut adeò opus sit dispensatione, per ea, qvæ notat Aug. Barbosa *ibid.*

pro bono pacis] Qvia Sacramentum faciunt ex matrimonio Pontificii, dubitare meritò licet, utrum propter bonum pacis in Sacramento aliqva institui possit mutatio. Sed enim qvidnî possit, cùm, qvod magis abominandum est, etiam in gradibus jure divino prohibitis propter bonum pacis dispensare soleant Pontifices, idqve potestate, si diis placet, *sibi* solis competente.

Qvantum ad Ecclesiam, etiam verba sunt necessaria ad contrahendum matrimonium; at muti & surdi signis nuptias possunt contrahere. h. d.

§. 4. Licet[c] autem per solum legitimum viri & mulieris consensum matrimonium contrahatur, attamen qvantum ad Ecclesiam, verba præsentem consensum exprimentia sunt necessaria, si contrahentes loqvi

[c] *cap. tua fraternitatis. extra. de sponsa.*

Digitized by Google

loqvi poterunt. Muti verò & ſurdi [d], qvi loqvi non poſſunt & exaudire, ſi contrahere velint, & qvod verbis oſtendere neqviverint, ſignis declaraverint, procul dubio legitimas nuptias contrahent.

[d] *cap. cùm apud. ext. de ſponſ.*

viri & mulieris conſenſum] Verbis aut factis extrinſecus ſe exſerentem, cùm aliàs non conſenſum, ſed ſimul ſenſum ſit. Hahn *obſerv. ad Weſenbec. tit. de rit. nupt. n. 8.* Facto autem declarari conſenſum poſſe notat Panormitanus *in c. tuæ fraternitatis X. de ſponſal.* Cui non obſtat, qvod veretur Cypræus *de ſponſal. c. 4. §. 22. n. 4.* hâc ratione futurum eſſe, ut ſi v. g. amantes ſibi obviam fiant, hoc ipſo conſenſu ſolo animo ſponſalia intelligantur. Qvia non qvodlibet factum, ſed ad hunc actum ſponſalitium deſtinatum & habile reqviritur.

qvantum ad Eccleſiam] Ut facilius poſſit probari matrimonium contractum, & ut Eccleſia de matrimonio revera contracto judicare poſſit. Verba igitur talia faciunt ad probationem; ad conſtitutionem autem matrimonii præcisè neceſſaria non ſunt, qvia etiam mutus contrahere poteſt matrimonium, uti mox ſeqvitur.

Muti verò & ſurdi] Non intelliguntur hîc ſurdi tantùm, qvi caſu tales facti ſunt, qvod facere verba illi ſatis clarè poſſint, ſed vel muti tantùm, vel muti & ſurdi ſimul. Muti etiam, qvi morbo aut caſu ſuperveniente vocem amiſérunt, literis animi ſui ſententiam exponere poterunt.

Ponit qvasdam verborum conceptiones aptas ad matrimonium contrahendum. h. d.

§. 5. Verba autem ad hoc apta ſunt: verbi gratia [e], *Ego te in meam uxorem accipio· ego te accipio in meum maritum·* vel, *promitto qvòd te ab hoc tempore pro conjuge tenebo, & tibi ſicuti uxori meæ fidem ſervabo;* &

[e] *cap. ex parte. extra. de ſponſ.*

Digitized by Google

contrà, *Promitto me tè pro marito habituram, & tibi tanqvam viro proprio fidem ſervaturam·* vel ſimilia conſenſum de præſenti exprimentia.

vel ſimilia] Non iſta tantùm & ſimilia, qvæ in præſenti enunciantur, ſed alia etiam, cum futuri temporis verba adhibentur, ſponſalia de præſenti & matrimonium faciunt, dum tamen de præſentibus nuptiis diſpoſitivè agatur. Chemnit. *Loco de conjug. p. 213.* Gerhard. *de conjug. n. 130.* Carpzov. *in Jp. Conſiſt. l. 2. def. 18. & lib. 5. reſponſ. 109.*

Verba prolata in contrahendo matrimonio ſunt accipienda ſecundum communem intelligentiam. h. d.

§. 6· Inde qværitur, ſi alter conjugum ita loqvutus fuerit[a], ut, qvod propoſitum eſt, altera pars non intellexiſſe ſe affirmet, qvid agendum ſit, ſi tali prætextu cauſæ diſſidii qværantur? in qva ſpecie, ſi matrimonium contracturi judicio & ætate ſint idonei, ſi alter, qvod alter propoſuit, non intellexerit, ſtatutum eſt, ad communem verbi intelligentiam eſſe recurrendum, cogendiq; erunt ambo verba prolata in eum ſenſum accipere, qvem ſolent rectè intelligentibus generare.

a *cap. ex literis. el. 1. extr. de ſponſ.*

Inde qværitur] Parum commodè paragraphus hic ſubnectitur antecedenti. Hactenus enim egit de verbis conſenſum matrimonialem exprimentibus, ipſumqve matrimonium perficientibus, de qvibus paragraphus, qvi jam ſeqvitur, accipiendus non eſt. Qvis enim conſentientem dicet eum, qvi non intelligit, qvod ab altero profertur. Potius igitur eſt, ut textum in *cap. 7. X. de ſponſal.* ex qvo hic paragraphus deſumptus eſt, cum Cujacio interpretemur de caſu, qvo non de ipſis ſponſalibus diſſidium eſt, ſed de pactorum & conventorum ſenſu, utroqve interim retinente animum perveni-

veniendi ad matrimonium, & ſponſalium fidem obſervante. Qvo caſu, qvia matrimonium jam ſubſiſtit, & de verbis tantùm matrimonium ipſum non concernentibus, ſed aliqva circa matrimonium exprimentibus, dubium ortum erat, rectè dicitur, in hoc dubio interpretationem faciendam eſſe ſecundum communem uſum loqvendi.

non intellexiſſe ſe affirmet] vel qvia idiotiſmi eſt ignara, vel qvia verba qvædam non benè percepit, vel qvia aliter accepit ea, qvàm pars adverſa protulit; qvod ultimum maximè videtur eſſe hujus loci.

ad communem verbi intelligentiam] Si enim nulla ſit conjectura, qvæ ducat aliò, verba intelligenda ſunt ex proprietate, non Grammaticâ, qvæ eſt ex origine, ſed populari ex uſu. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 16. n. 2.*

Servi poſſunt etiam invitis dominis contrahere matrimonium, dum tamen dominos non fraudent debitis obſeqviis. h. d.

§. 7. Illud qvoq; explorati juris eſt, qvòd matrimonia inter ſe contrahunt, non ſolùm liberi homines, verùm etiam ſervi [b]. Sicut enim neq; liber, neq; ſervus eſt ab aliis ſacramentis Eccleſiæ removendus, ita nec inter ſervos matrimonia prohiberi debent: ideoq;, qvanqvam contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nullâ ratione propterea ſunt diſſolvenda. Servi tamen, qvi contraxerint, proprios dominos debitis & conſvetis obſeqviis minimè fraudare debent.

[b] *cap. 1. extr. de conjug. ſervor.*

verum etiam ſervi] ſecus atqve de jure civili, qvo inter ſervos & cum ſervis nullum omninò fuit matrimonium, eò ſcil. qvod ſervus eſſet ἀνέφαλος, nec ſine domini voluntate qvicqvam polliceri de ſe poſ-

ſe poſſet, nec corporis ſui poteſtatem haberet, & juris civilis, ex qvo nuptiæ æſtimabantur, communionem planè non haberet. *pr. Inſt. de nupt. l. 3. C. de inceſt. nupt.*

ab aliis Sacramentis Eccleſiæ] Conjugium dum ſacramentis Eccleſiæ accenſeri nolumus, alia nobis erit qværenda ratio, eaq; haud paulo firmior & expeditior; qvod ſcil. ſervi non debeant excludi his, qvæ ſunt juris naturæ. Ejus juris uſum etſi ſervis concesſerint Romani, adſtrictè tamen nimis civitatis ſuæ jura limitárunt, dum nuptias non alias voluérunt eſſe juſtas, qvàm qvæ inter cives contraherentur. Sic igitur nuptiæ qvidem aliqvæ inter ſervos intelligi poterant, ſed non juſtæ, h. e. non legitimæ & ſecundum jura civitatis, qvod in nudis terminis juris naturæ ſubſiſterent.

contradicentibus dominis & invitis] qvia ſcil. in naturalibus iſtiusmodi nulla domino competit poteſtas, ita ut ne qvidem ad hoc & nunc ea reſtringi poſſit, ſed libera in toto hoc negocio ſervo competit electio.

& conſvetis obſeqviis] qvod ſi enim dominus inſolita juſſerit, & talia, qvæ matrimonio contracto repugnant, non obligabitur ſervus. Nec tamen, ſi qvid minus conſvetum mandaverit dominus, obſeqvium protinus denegare debet ſervus, ut maximè ad tempus uſu matrimonii deſtituatur; cùm matrimonium ſervile ſemper intelligatur ſalvo jure dominii. Temperabit tamen & ipſe ſibi dominus, ne difficilem ſe nimis matrimonio iſti præbeat. Atqve hinc volunt Canoniſtæ, ſervum, qvi Domino conſentiente matrimonium contrahit, magis ad debitum reddendum, qvàm ad obſeqvium teneri. Martin. Azpilcuet. Navarr. *tom. 3. c. 22. n. 33.*

Si unus conjugum comperiatur poſt contractum matrimonium ſervilis conditionis, poteſt diſſolvi matrimonium, niſi poſt talem cognitionem fuerit renovatus conſenſus, vel ſeqvuta copula. Et, liberi ſunt ex libero ventre nati, niſi aliud inducat lex, & mos regionis. h. d.

c *cap. 1. & fin. extr. de conjug. ſerv.*

§. 8. Si qvis tamen [c], vel ſi qva inſciens eum, vel eam ſumpſerit in conjugem, qvem vel qvam poſteà ſervilis compertum ſit eſſe conditionis, nec poſt diem

veræ

veræ cognitionis habitæ se invicem cognoverint, aut aliter facto invicem in se consenserint, ita separari poterunt, ut utriq; libera cum aliis contrahendi facultas non denegetur. Liberi autem sunt, qvi sunt ex libero ventre nati, nisi qvis patris conditionem secundum leges & consvetudinem provinciæ, sequatur.

c.unico, de natis ex libero ventre, & liber. sit.

'ita separari poterunt]Negari neqvit, servitutem bonis matrimonii admodum adversari, tùm qvia individua vitæ societas actu qvandoq; secundo & exercitio planè destituitur, postqvam scil. in domo domini habitare tenetur servus, & mitti qvandoq; ab eo solet in terras remotiores inibi vendendus, tùm qvia debitum reddere conjugi pro lubitu non potest, tùm deniq; qvia prolem alere neqvit, cùm omnia acqvirat domino. Sed propterea tamen matrimonium, qvod cum servo aut servâ ex errore contractum est, dissolvi debere, à Canonici juris autoribus parum piè asseritur. Nec enim error hic substantiam matrimonii impetit, etiamsi hoc inde seqvatur, qvod debitum conjugale liberè & pro lubitu reddi non possit. Nec igitur comparatio hîc facienda est cum omnimodâ coëundi impotentiâ, qvod sicut hæc ignorata impediat matrimonium, ita etiam conditio servitutis ignorata, ut vult Thomas *p.3.q.52. art.1.in addit.* Cæterùm qvod addit hîc autor, renunciare huic impedimento & juri sibi competenti eum, qvi, postqvam de conditione conjugis servili certior factus fuerit, cum eâ rem habuerit, id universale est in omnibus illis casibus, qvibus separatio locum habet. Ita ubi adulterium commissum fuit, dubium non est, tolli ipsum matrimonii vinculum; sed redintegratur istud, si post adulterium compertum pars innocens adulteranti carnaliter se commiscuerit, eò scil. qvia tùm probare videtur ejus mores, & delictum commissum condonasse. Vid. Anton. de Gamma *decis. 273.* Did. Covarruv. *de matrim. p. 2. c. 7. §. 7. n. 11.*

ex libero ventre nati] Vid. qvæ notavi ad Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 5. §. 29.* Et in hoc scil. convenit jus canonicum cum jure civili, ut maximè matrimonium inter servos juri civili adversetur.

Ob-

Obſervat tamen Cujacius ad *c. un. X. de nat. ex lib. ventr.* cum regulariter utroq; jure liberi, qvi matrimonio interveniente naſcuntur, patrem ſeqvantur, ex hoc tamen connubio, qvod inter ſervum & liberam eſt, liberos natos jure Canonico matrem ſeqvi.

ſecundum leges & conſvetudinem] Eſt enim hoc ex jure poſitivo, qvod pro inſtituto civitatum variare poteſt. Et mentio fit talis legis in *c. 3. X. de conjug. ſerv.*

Error in perſona impedit matrimonium. h. d.

cunico 29. q. 1. §. 9. Multò magis matrimonium invalidatur, cùm qvis in perſona erraverit: utputà, ſi exiſtimans ſe cum Gemma contrahere, cum Berta contrahat.

cum qvis in perſonâ erraverit] Dum tamen revera in perſonâ, non in nomine tantùm erratum fuerit. Et ratio eſt, qvia talis error conſenſum impedit circa ſubſtantialia matrimonii. Animus enim contrahentis eſt, non in qvamcunq; perſonam conſentire, ſed in certam certâ intentione deſtinatam. Cæterùm de errore, qvatenus per eum vitientur ſponſalia, enucleatè agit Franzkius *ad pr. Inſt. de nupt.*

Si alter contrahentium utitur verbis dubiis animo decipiendi mulièrem, & eam poſtmodum carnaliter cognoſcit, judicatur pro matrimonio in foro judiciali, ſecus in pœnitentiali. h. d.

§. 10. De eo qvæſitum eſt, qvi cùm non aliter mulierem, ut ſibi carnaliter commiſceretur, perducere poſſet, qvàm ſi eandem deſponſaſſet, proprium mentitus nomen, illam per hæc verba deſponſavit [d]: *Te Joannes deſponſat*, an qvia vir illo nomine non vocaretur, nec ullum nubendi haberet propoſitum, ſed copulam tantùm carnalem exeqvendi, inter prædictos matrimonium ſit celebratum, cùm

[d] *cap. tua nos. extr. de ſponſ.*

tamen

Digitized by Google

tamen mulier in virum consenserit? Et responsum est, non debere ex isto facto conjugium judicari, cùm in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium inveniri valeat: qvoniam ex altera parte solummodò dolus adfuit, consensus omninò defuit: sine qvo cætera fœdus conjugale perficere neqveunt. Sed donec expressè non appareat, qvòd is, qvi mulierem desponsavit in propria persona, sub nomine tamen alieno, qvo vocari tunc se finxit, dissensit, interim erit pro matrimonio præsumendum.

De eo qvæsitum est] Decisionem hanc in foro exteriori vix posse probari, notat Augustinus Barbosa *ad c.26. X. de sponsal.* Falsum enim est, nomen ementitum vitiare sponsalia, cum nec ullus alius contractus per errorem nominis vitietur. *l.9. §.1. ff. de contr. empt. l.80. ff. de judic. l.32. ff. de V. O.* Sufficit igitur de personâ & corpore constare, & qvod voluerit mulier cum tali personâ, & non cum alia matrimonium contrahere. In qvam rem non malè philosophatur Paulus Laymannus *in Theol. mor. lib. 5. tr. 10. part. 1. c. 1. n. 11. Mulier*, inqvit, *copiam sui corporis faciendo, instituit contractum nominatum: do tibi corpus meum eâ lege, ut matrimonium mecum contrahas: qvare, si mulier ex suâ parte promissum impleat, alter acceptare non potest, nisi ex naturali æqvitate & justitiâ contrahendo obligationem implendi etiam idipsum, cujus causa pars altera impleverat: qvamobrem deceptor in omni foro ad id compelli potest.* Hactenus Laymannus. Atq; ideircò minus probari poterit hæc Pontificis decisio, qvæ jam diu exagitata fuit Bezæ *de divort. pag. 83.* Paul. Cypræ. de *sponsal. c. 4. §. 13. n. 4. 5.*

consensus omninò defuit] De consensu constare aliunde nō potest, nisi ex verbis aut factis. Jam consideres qvæso totum hunc casum complexivè & in sensu composito secundum omnes suas circumstantias, & facilè apparebit, non deesse consensum, saltem præsumptum, postqvam non

aliter copiam sui facere voluit mulier, nisi sub fiduciâ matrimonii promissi, nec aliter in amplexûs mulieris venire potuit stuprator, nisi sub fide conjugii, qvam eo ipso dedit, dum mulieris promissionem acceptavit, & sub eâ qvalitate cum eâ concubuit. Simile ferè est, qvod statuunt hodiè Canonistæ, sponsalia de futuro non dissolvi per alia sponsalia de futuro, etiam copulâ carnali firmata, nisi copula ista facta fuerit affectu maritali. Mart. Azpilcuet. Navarr. *tom. 3. c. 22. n. 26. & 28.* cum tamen copula semper faciat sponsalia transire in ipsum matrimonium. Et unde verò constare poterit, copulam factam fuisse affectu maritali, aut eo affectu factam non fuisse. Imò verò propter antecedentia sponsalia semper præsumptio erit de affectu maritali.

donec expressè non appareat] qvomodo hoc expressè apparere possit, non video. Et subdubitat ipse Pontifex in *d. c. 26. X. de sponsal.* dum ait: *qvod qvaliter tibi constiterit, non videmus.* Decidendum igitur hoc casu erit pro matrimonio, & adigendus impostor ad cohabitationem, cum verba prolata in eum sensum accipienda sint, qvem solent negocia matrimonialia tractantibus & intelligentibus generare, *arg. eor. qvæ dixit supr. §. inde qværitur.*

QVÆ MATRIMONIUM IMPEDIRE POSSUNT,

TITULUS XII.

Error personæ, & conditionis impedit matrimonium, non autem qvalitatis & fortunæ. h. d.

canico. 29. q. 1.

§. 1. Ergo non omnis error matrimonium impedit: nam si qvis corruptam in uxorem accipit, qvam virginem arbitratur: vel, qvi accipit meretricem, qvam putat esse castam: uterq; qvidem errat, neutro tamen casu ob errorem matrimonium infringitur.

Ergo non omnis error] Sæpè distingvitur inter matrimonium adhuc contrahendum & jam contractum. Qvod contractum jam est, difficulter dirimitur. Et in genere notetur, ea, qvæ non labefactant integrita-

gritatem vinculi seu fidei conjugalis, ne existat aut existens videtur, neqve debitum thori impediunt, neq; à Deo interdicta sunt, ea, inqvam, essentiam conjugii jam contracti destruere non posse.

neutro tamen casu] imò verò infringi & dissolvi potest matrimonium propter talem errorem, qvippe qvi non nudæ qvalitatis est, sed circa aliqvid versatur, qvod ad ipsam conjugii substantiam pertinet, aut saltem ad qvalitatem intrinsecam, adeoq; naturalem & de virgine tacitè semper subintellectam. Vid. Gerhard. *Loc. de conjug. §. 109. seq.* Wesenbec. *tit. de ric. nupt. n. 8.* Andr. Gerhard. JCt. *in exercitat. Justin. dec. 2. q. 7.* Alberic. Gentil. *l. 6. de nupt. c. 13.* Philipp. Hoenon. *disp. 2. th. 7. qvæst. 2.* Sig. Finkelthaus *observ. 30.*

Ei, qvi scienter ducit in uxorem publicam meretricem, peccata remittuntur. hoc dicit.

§. 2. Qvin potiùs qvi scientes & prudentes, mulieres publicas de lupanari extraxerint [a], & in uxores duxerint, qvod agent, in remissionem proficiet peccatorum: cùm inter opera charitatis non minimum sit, errantem ab erroris semita revocare.

capit. inter opera. exer. de sponsal.

in remissionem proficiet peccatorum] Uti nullum aliàs ex parte nostrâ agnoscimus meritum, sed remissionem peccatorum merè statuimus gratuitam, ita ex meretriciis nuptiis justificari hominem posse, prorsus negamus. Negligentes autem esse oportet Pontificios, & salutis suæ parum sedulos procuratores, qvod lupanaria tàm referta relinqvant, & novis identidem prostibulis ea impleant.

Qvalis sit error personæ, conditionis, fortunæ, & qvalitatis. h. d.

§. 3. Solùm igitur personæ, & conditionis error obstat matrimonio: qvalitatis verò, & fortunæ non obstat. Est autem error personæ, cùm hic, qvi est Joannes, Paulus putatur. Conditionis, cùm is, qvi

d. c. unico.

ſervus eſt, liber creditur. Fortunæ, ut cùm is, qvi pauper eſt, dives exiſtimatur, vel contrà. Qvalitatis, cùm is reputatur bonus, qvi tamen eſt malus. Sunt & alii plures modi, qvibus matrimonia impediuntur: utputà, conditio appoſita & non impleta, ſecundum ea, qvæ ſuprà diximus de ſponſalibus.

& conditionis error] Hic non tàm matrimonio obſtare videtur, qvàm libero ejus uſui. Datur etiam inter ſervitutes laxior alia, alia adſtrictior. Et præcipuum atq; generale impedimentum, qvod ex ſervitute naſcitur, in eo ſubſiſtit, qvod ſervus non habeat poteſtatem corporis ſui, nec utendum proinde iſtud dare poſſit alii.

qvalitatis verò & fortunæ] Talia enim adeſſe & abeſſe poſſunt ſalvâ matrimonii ſubſtantiâ. Et hinc valet matrimonium tali ſub errore contractum, etiamſi dolus cauſam dederit, e.g. ſi fœmina divitem ſe aut nobilem mentiendo juvenem ad nuptias contrahendas inducat & perſvadeat. Did. Covarruv. *de matrim. p. 2. cap. 3. §. 7. n. 4.* Nec enim audiendus eſt, qvi pecuniæ magis, qvàm perſonæ amore conjugium ſe iniviſſe dixerit.

conditio adpoſita] non matrimonio, ſed ſponſalibus. Matrimonium enim definitur, qvod ſit conjunctio maris & fœminæ de præſenti, & talis qvidem, qvæ individuam vitæ conſvetudinem contineat. Ejus igitur natura pati neqvit, ut conjunctionem talem factam, & nihilominus in futurum & incertum eventum ſuſpenſam dicamus.

& non impleta] Num verò conditione pendente pœnitere licebit, & à ſponſalibus diſcedere? Ita ſentiunt nonnulli. Verior tamen eſt negantium opinio. Etſi enim pendente conditione obligatio nata nondum ſit, concepta tamen jam eſt, ita ut negocium interim vivificetur qvaſi, & ſuſtenteretur ad eum effectum, ut contrahentium alter invito altero pœnitere neqveat. Vid. Oſwald. Hillig. *in Donell. enucl. l. 15. cap. 11. lit. A.* Jacob. Thoming. *dict. ſ. 10.* Fr. Card. Mantica *lucubrat. Vatican. lib. 14. tit. 41. num. 9. 10.* Qvod ſi verò qvis poſt conditionaliter contracta, anteqvam eveniat conditio, alia ſponſalia de præſenti purè contrahat, id qvidem illi impune eſſe

non

non debet, sed prævalent tamen posteriora hæc, & per adimpletionem conditionis, qvæ prioribus adposita erat, non dissolvuntur.

Sacer ordo, & votum solenne impediunt matrimonium contrahendum, & contractum dirimunt: votum autem simplex solùm impedit contrahendum, & pro voto simplici fracto imponenda est pœnitentia. h. d.

§. 4. Item voti [b] solennis emissio, & sacri ordinis susceptio, tam matrimonium impedit contrahendum, qvàm postea contractum dirimit. Secus verò statuitur in voto simplici: qvanqvam enim contrahendum impediat, non tamen contractum dissolvit. Sic & religionis habitus sine professione susceptus, ne contrahantur, impedit, sed jam contractas nuptias neqvaqvam tollit. Huic [c] tamen, qvi nubendo votum simplex fecit irritum, qvanto illud manifestiùs emiserit, tanto propter plurium scandalum erit durior imponenda pœnitentia.

b *cap. 1. & 2. & per totũ tit. ext. qvi cler. vel vovẽt. matrim cõtrah. poss.*

c *c. unic. de voto & voti Redemtion. in 6.*

Item voti solennis] Simplex votum vocant promissionem cœlibatus perpetui factam Deo privatim liberà ex voluntate excellentioris alicujus boni (perfectionis scilicet & operum supererogationis) gratiâ. Solenne votum appellant promissionem castitatis, sive perpetuæ à conjugio abstinentiæ factam in conspectu Ecclesiæ, cui se vovens post magnam deliberationem & diuturnam probationem sponte subjicit. Illud, ajunt, impedire matrimonium contrahendum, non dirimere contractum; hoc & contrahendum impedire, & contractum dirimere. Verum primò, differentia hæc non est essentialis, sed accidentalis tantùm, neq; ea coram DEO, sed tantùm coram Ecclesia locum habet. Vid. qvæ dixi supr. *lib. 1. tit. 30. ad §. illud qværi potest.* Et fatetur ipse Pontifex, simplex votum apud DEUM non minus obligare, qvàm solenne *c. rursus 6. X. qvi cler. vel vov. matr.* Deinde nec ipsi inter se Pontificii conveniunt, utrum matrimonium illud, qvod post votum solenne contrahitur, sit irritum jure Ecclesiastico tantùm, an verò etiam

tiam jure divino & naturali, fatente Bellarmino *lib. de monach. c. 34.* Unde Michael Medina *l. 4. de continent. c. 23.* docet, qvod distinctio voti in simplex & solenne ante Cœlestinum III. & Alexandrum III. in Ecclesiâ non fuerit audita. Et Bellarminus *de matrimonio c. 21. prop. 3.* agnoscit distinctionem hanc neq; ex Scripturis, neq; evidenti aliqvâ ratione demonstrari posse. Conf. Petr. Svav. *in histor. Concil. Trid. lib. 7.* Tertiò utrumq; falsum est, votum cœlibatus qvalecunqve id fuerit, sive solenne sive simplex, & impedimentum esse matrimonii contrahendi & rescisiorium contracti. Vid. imprimis Calixtus *singulari tractat. de conjug. Cler.* & Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. l. 2. c. 12. n. 31. seqq.* Fecit autem sacra hæc voti solennis consideratio, ut statuerent nonnulli apud JCtos Dillingenses *in compos. pac.* sacrilegium committere eum eamq;, qvi vel qvæ monasterium, cui se voto obstrinxit, relinqvit, & ad vota matrimonialia transit, posseq; summo jure ab Episcopo, Abbate vel ordinario repeti, ubicunq; in Imperio fuerit. Transire namq; ejusmodi personam per votum religionis in potestatem monasterii, cui processu judiciali perseqvi eam jure liceat. Sed hæc sacrilegii species sacris Literis & naturæ religionis Christianæ, imò ipsi etiam praxi pontificiorum, qvi sæpè ob bonum temporale Cardinalium, Episcoporum, Monachorum vota laxant, & ad conjugium non impediendum solvunt, repugnat. Conf. Paludan. *in 4. sent. dist. 38. q. 4. art. 4. conclus. 10. & 11.* & Richard. de Media villa *ibid. art. 9. q. 1.* Didac. Spino Caceres à *in spec. testam. gloss. 2. n. 26.* Illud valdè dilutum est, qvod statuunt nonnulli, tenere qvidem matrimonium, qvando qvis uxorem ducit, qvi simplici voto religionem vovit, sed non posse eum exigere debitum sine pontificiâ dispensatione, reddere tamen id sine dispensatione posse. Fr. Tolet. *in instruct. Sacerdot. l. 4. c. 18.* Qvæ verò hæc est servitus? habere Uxorem matrimonio sibi junctam, non posse tamen cum eâ rem habere, nisi petitâ veniâ à Pontifice, aut nisi ipsa Uxor flagitet.

& sacri ordinis susceptio] Conjugium clericorum primus Hildebrandus sive Gregorius VII. Papa spiritu parum sancto notabiliter actus ex Ecclesiâ Romanâ sustulit. Verba sunt Georgii Wicelii *in viâ regiâ pag. mihi 78.* qvi omninò videndus. Qvantas autem ea res turbas dederit, legi possunt Sigebertus Gemblacensis & Lambertus Schaffnaburgensis *in historiâ anni 1074.* In hoc tamen capite potissima tyrannidis papalis pars subsistit, & ex prohibitione conjugii sustinetur. Ita enim Cardinalis Carpensis in consistorio Pontificis apud Petr. Svav. *hist. Concil. Trid. l. 5. Si connubia permittantur Sacerdotibus, idinde secutu-*

rum,

vum, ut familiam, Uxorem ac liberos alentes ad principis quisque sui obedientiam respiciens, Pontificis obsequium detrectet: ut liberorum charitas ab officio ad omnem Ecclesiæ fraudem as præjudicium abducat: ut de sacerdotiis in familias suas hereditario jure adscisendis cogitent, ut denique intra breve tempus sedes apostolica urbis Romanæ cancellos non exscendat. ante institutum cœlibatū Sedem Romanam nullum ex aliis civitatibus ac regionibus fructum percepisse per hunc adeptum dominatum omnium sacerdotiorū, quæ matrimonium exiguo tempore illi eriperet. &c: Ut verò clariùs pateat, antiquos Ecclesiæ canones non ita iniquos fuisse matrimonio Clericorum, uti hodiernos Romanenses, recensebimus ex illis nonnullos eosque, ne prolixi simus, tres tantùm præcipuos. Canones, qui apostolici dicuntur, sine dubio sunt antiquissimi. Inter eos sextus ita se habet: *Episcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat. Si verò rejecerit, excommunicetur: sed si perseveraverit, dejiciatur.* Hic addit Franciscus Sylvius & Canonem ita interpretatur: *Isto canone Episcopus aut presbyter non sic prohibetur abjicere Uxorem antea ductam, ut jubeatur operam dare liberis procreandis, sed tantùm jubetur ejus curam habere, ipsique de omnibus ad vitam honestè degendam requisitis providere Ut cum dicitur, ne abjiciat, subaudiatur vel intelligatur, à suâ curâ.* Eandem interpretationem profert & tuetur Franciscus Longus à Coriolano, sed argumentis & probationibus minus congruis, petitis scilicet ex novioribus canonibus, de quibus scilicet lis est, num cum antiquis satis conveniant. Sanè Nicolaus Papa Canonem hunc apostolicum verbis suis ita reddit *c. nosse 30. q. 1. nullius religionis obtentu debet conjux dimittere conjugem.* Dimittere, inquit, h. e. thoro separare, non tantùm curam non habere. Et quo verò religionis prætextu potuisset à presbytero cura separatæ à se conjugis denegari aut in dubium vocari? cum religio curam proximi habere enixè jubeat. Sequenda igitur potius est interpretatio Synodi Constantinopolitanæ sextæ in Trullo habitæ, quæ legitur *c. quoniam 14. dist. 31.* his verbis: *quoniam in Romani ordine canonis esse cognovimus traditum, eos, qui ordinati sunt diaconi, vel presbyteri, confiteri, quod non suis jam copulentur Uxoribus, nos antiquum sequentes canonem apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum Virorum, legales nuptias amodo valere volumus: nullo modo cum Uxoribus suis eorum connubia dissolventes aut privantes eos familiaritate ad invicem in tempore oportuno. Quicunque ergo diligens inventus fuerit in subdiaconali ordinatione aut diaconali, aut sacerdotali, hi nullo modo prohibeantur ad talem ascendere gradum pro Uxoris suæ cohabitatione, nec etiam tempore ordinationis suæ profiteri castitatem cogantur, quod abstinere debeant à legalis Uxoris fami-*

familiaritate. Si quis igitur præsumpserit contra apostolicos canones aliquos presbyterorum & diaconorum privare à contactu & a communione legalis Uxoris suæ, deponatur. &c: Hujus canonis verbis cum premerentur Pontificii, omnes in universum sextæ Synodi Trullanæ canones rejecerunt, præsertim cum vidissent, illis etiam æqualitatem Episcopi Romani & Constantinopolitani adstrui. Vid. post alios Franc. Long. à Coriolan. *ad d. can. 6. apostol.* & Henr. Cuyck. *in specul. concubinar. c. 26.* Sed strenuè eos vindicarunt, Gerhardus, Calixtus & alii. Digna verò est etiam Johannis Zonaræ ad eundem canonem annotatio, quæ hic adscribatur, & ita se habet: *Olim licebat solvere conjugatos etiam absque causa, quoties vellent. At Dominus, ut in Evangeliis scriptum est, id interdixit. Quare secundum Christi mandatum etiam apostoli idipsum prohibent. Et nunc de iis loquitur canon, qui sunt in sacris. Si prætextu pietatis, qui in sacris est, uxorem suam dimittat, separetur à communione, videlicet, donec animum inducat eam resumere; quod si perseverarverit eam non resumere, etiam excommunicator. Universaliter enim id pertinere ad calumniam conjugii, quasi impuritatem coitus induceret. At hunc honorabilem scriptura dicit, & cubile impollutum. Meminit autem Canon etiam Episcoporum habentium Uxores, quia tum etiam Episcopis erat libera cum mulieribus legitima copulatio.* Hæc Zonaras, qui vixit circa annum MCXVIII. Et ex his patet, canonem sextum apostolicum de ipsâ consvetudine matrimoniali, non de curâ tantùm intellectum olim fuisse. Qvis autem in eo significetur obtentus religionis, pulchrè explicat Joh. Selden. *in Uxor. Hebr. lib. 3. c. 31.* Secundo loco videbimus canonem decimum Concilii Ancyrani habiti anno CCCXIV. adductum âGratiano *can. diaconi 8. dist. 28.* Ejus hæc sunt verba: *Diaconi qvicunqve cùm ordinantur, si in ipsâ ordinatione protestati sunt, dicentes, se velle habere Uxores, nec posse se continere, hi si postea ad nuptias pervenerint, maneant in ministerio, propterea qvod his Episcopus licentiam dederit* &c: Hic addit Franciscus Sylvius in summ. Barth. Caranzæ: *Qvoniam ordo sacer non semper fuit impedimentum dirimens matrimonium; matrimonia eorum, qui erant in sacris, non fuerunt ab initio irrita, sed temporis progressu edicti sunt canones illa irritantes* &c: Sed Franciscus Longus *ad istum can.* & Card. Baronius *ad ann. 314. n. 88.* in diversa & alia omnia eunt, sensum planè pervertentes & meras nugas agentes, ut cuivis ex ipsâ lectione patet. Verba canonis satis clara sunt & perspicua, nec opus habent interpretatione longius arcessitâ. Sensus hic est: Diaconis licere post ordinationem ducere uxores, si in ipsâ ordinatione eâ de re protestati fuerint, & non obstantibus nuptiis manere debere in ministerio. Post annos verò trecentos

centos Martinus Bracarensis in Hispaniâ Episcopus, planè contrarium statuit, qvi nec ordinari qvidem voluit diaconum de conjugio protestantem. Verba ejus leguntur *can. diaconus .2 dist. 27.* Et inter hos discordantes canones concordia iniri vix poterit, ne Gratiano qvidem conciliatore. Sed omninò fatendum est, cum ipso Gratiano, *ad c. de Syracusana 13. dist. 28.* ex tempore & loco diversitatem petendam esse. Ex tempore, qvia nondum introducta erat continentia ministrorum altaris. Ex loco, qvia Synodus orientalis est, & orientalis Ecclesia non suscepit generale votum castitatis. Manet ergò qvod ante dixi, antiqvis canonibus cœlibatum non ita alligatum fuisse ministerio Ecclesiastico. Tertio loco occurrit canon qvartus Concilii Gangrensis habiti anno CCCXXX. â Gratiano itidem adductus *c. siqvis 15. dist. 28.* Verba sunt: *Si qvis discernit presbyterum conjugatum tanqvam occasione nuptiarum, qvod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideò abstinet, anathema sit.* De presbytero loqvitur conjugato. Sed pontificii hodiè, ut conjugii interdictum tueantur, canonem hunc interpretantur de eo, qvi Uxorem habuit, sed non amplius eâ utitur. In codice canonum Ecclesiæ universæ, uti is editus est â Christophoro Justello, in idiomate Græco legitur: εἴ τις ἀμκρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος. At γεγαμηκότες dicuntur, qvi matrimonio juncti sunt, & illis imperat Paulus μὴ χωρισθῆναι, *1. Cor. VII, 10.* Occasionem & causam canoni dedit Eustathius Sebastenus superstitiosissimus monasticæ vitæ admirator, qvi in ædibus conjugatorum precationes fieri vetuit & presbyteri habentis Uxorem (sunt verba Socratis *lib. 2. hist. Eccles. c. 43.* ex interpretatione Christophorsoni) qvam lege, cum esset Laicus, duxisset, benedictionem & communionem tanqvam scelus declinandam præcepit. Sacerdotium igitur olim non separabat conjuges, neq; conjugium excludebat â clericatu; sed, uti Impp. Honorius & Theodosius *in l. 19. C. de Episc. & Cler.* hanc conjugii & clericatûs combinationem commendant, Uxores non relinqvi castitatis hortatur affectio, qvæ ante sacerdotium maritorum legitimum meruere cohjugium. neqve enim clericis incompetenter adjunctæ sunt, qvæ dignos sacerdotio Viros suâ conversatione fecérunt. Vid. omninò Jacobus Gothofredus *ad l. 44. Cod Theodos. de. Episc. Eccles. & Cler.*

qvàm postea contractum dirimit] Non dirimit. Est enim votum matrimonii prius & antiqvius; & potentius igitur, qvàm ut alio voto elidatur, præsertim tali, qvod ex jure Ecclesiastico robur accipit, cum prius illud juri divino debeat originem.

religionis habitus] Interdum tamen per habitus ſuſceptionem tacitè fit profeſſio. Vid. ſupr. *lib. 1. tit. 30. §. utrum autem.*

Chriſtiani non debent nubere infidelibus & ſi nubant, ſunt excommunicandi. h. d.

§. 5. Cultus qvoq; diſparitas matrimonium, & contrahendum impedit, & contractum interdum dirimit: ſi qvis [a] enim Judææ conjugali ſocietate jungi voluerit, ſive Chriſtiana Judæo, vel aliàs infideli, ſive Judæa, vel aliàs infidelis Chriſtiano carnali conſortio miſceatur, qvicunq; eorum id commiſiſſe deprehenditur, â Chriſtiano cœtu & Eccleſiæ communione protinus ſegregandus erit.

a *can. ſi qvis Judaicæ. 28. q. 1.*

cultus qvoqve diſparitas] Propter ſeductionis periculum intuta qvidem ſunt talia conjugia, non tamen abſolutè interdicta, *1. Cor. VII, 12. 13.* Et rectè qvidem monentur atq; deterrentur orthodoxæ fidei ſectatores, ne cum illis, qvi diverſæ & pravæ religionis ſunt, contrahant matrimonium, ipſa tamen religionis diverſitas matrimonium contractum non dirimit. Infidelitas enim aut hæreſis non evertit ſubſtantialia matrimonii, neq; cum naturâ ejus per ſe pugnat. Unde non matrimonia tantùm inter gentiles & Chriſtianos contracta fuérunt, ſed arctiſſimæ etiam & fideliſſimæ amicitiæ. Vid. Rittershuſ. *in Salvian. p. 378.* Bergeron. *ad Papon. l. 1. tit. 2. areſt. 7.*

ſi qvis enim Judææ] Prohibita jam olim & ſatis ſeverè fuérunt ejusmodi conjugia, imprimis in *l. 6. C. de Jud.* ubi adulterii vicem commiſſi hujusmodi crimen obtinere, ſtatuitur. Durum tamen id videtur Weſenbecio *in pandtitl. ff. de rit. nupt. in fin.* Magis durum videtur, qvod inferunt aliqvi, capite puniendum eſſe Chriſtianum, qvi Judæam non duxerit, ſed per ſtuprum tantùm cognoverit, & perinde habendum, ac ſi cum mare aut bruto congreſſus fuiſſet. Add. qvos citat Bajardus *ad Jul. Clar. §. fornicatio n. 26. ſeqq.* Vid. Anton. Matthæ. de *criminib. tit. de adulter. c. n. 1.*

itized by Google

2. n. 16. Ideircò si matrimonium tale contrahendum adhuc sit, impediri id qvovis modo debere, non repugnaverim. at si contractum jam fuerit, satius erit, integrum id conservare, qvàm temerè dissolvere. Vid. Andr. Gerhard. in exercitat. Justinian. dec. 2. q. 5. Qvir. Kubach. *cent. 2. dec. 1. qv. 5.* Nec ergò excommunicatio tùm locum habebit, cum emendari per eam non possit tale matrimonium; pœna tamen alia Ecclesiastica, tùm & civilis, ut decernatur, id ex merito fit.

Si unus infidelium conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit sibi cohabitare, vel non sine peccato mortali, solvitur conjugium, & conversus cum alia contrahere poterit, & proles communis converso assignabitur. h. d.

§. 6. Item [b] si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, & alter, qvi in infidelitate remansit, vel nullo pacto, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut Catholicum ad mortale peccatum protrahat, ei cohabitare voluerit, conversus, qvasi priore matrimonio dissoluto, licitè ad secunda vota convolare poterit [c], & communis proles ipsi converso assignabitur.

[b] *c. qvanto. §. si enim alter extr. de divort. vide 29. qv. 2.*

[c] *c. finale de conversione infidelium.*

qvasi priore matrimonio dissoluto] Hoc indistinctè de casibus propositis asserendum non est, sed locum tantùm habet in casu primo, qvando scilicet infidelis ad fidem converso nullo modo cohabitare vult. Tùm enim per desertionem suam conjugale vinculum disrumpit. At in reliqvis duobus casibus, qvando scilicet infidelis cum blasphemiâ & injuriâ creatoris, it. cum perpetuâ svasione & seductione, ut conversum ad infidelitatem revocet, ei cohabitat, nego, repudio locum esse. Huc enim neqvaqvam trahendum est dictum Apostoli *1. Cor. VII, 15.* qvippe, qvod de solâ agit desertione ab infideli factâ. Vid. Gerhard. *loc. de conjug. num. 666.* Carpzov. *in pnx. Criminal. qvæst. 58. n. 6.* Cohabitabit igitur conversus infideli, sed ita, ut ejus blasphemias aversetur, & blanditias insuper habeat. Canonistæ autem ideò eos penitus separari hoc casu volunt, qvia non est inter eos Sacramentum, sed contractus tantùm. Martin. Azpilcuet. Navarr. *tom. 3. cap. 22. num. 21.* Sed enim conjugium si Sacramentum esse negetur,

uti districtè negamus, nulla planè est ratio adducta. Et qvánqvam inter contractus referri conjugium possit, talis tamen non est, ut pro lubitu dissolvi mutuo consensu possit. Unde & ipse Azpilcueta *d. l.* statuit, posse catholicum discedere à cohabitatione conjugis Lutheranæ, non tamen novè contrahere. secus atq; hîc statuit autor.

Si alter infidelium conjugum convertatur, & anteqvam alii legitimè conjunctus fuerit, alius qvoq; convertatur, debent seinvicem recipere. b, d.

§. 7. Qvòd si conversum [c] ad fidem & uxor conversa seqvatur, anteqvam propter causas prædictas legitimam maritus ducat uxorem, eam recipere compelletur: nec qvicqvam converso proderit, qvòd jam secundum [d] ritum suum eandem repudiaverit, cum repudium ipsum veritas Evangelica repudiaverit: sed nec fornicationem dimissor dimissæ poterit objicere, propterea qvòd alii post repudium nupserit, nisi aliàs fornicata fuerit.

c *cap. gnudemus. §. qvòd si conversum ext. de divor.*

d *d. cap. gaudemus §. qvi autem. de divort.*

qvod jam secundum ritum suum] Perperam hîc conjungit Autor, qvæ sejungenda omninò sunt. Qvis enim est ritus ille conversi, secundum qvem Uxorem repudiavit? qvod si etiam ritus ille conversi est, qvid est, qvod dicit, repudiatum esse istud repudium per veritatem Evangelicam? Utiq;, si conversus est, absurdè ritum observat, qvem repudiat veritas Evangelica. præsertim cùm hoc ipso paragrapho loqvatur autor de matrimonio propter causas paragrapho præcedente probatas soluto. Debuisset scilicet autor seqvi ductum Pontificis in *c. 18. X. de divort.* nec ὕστερον πρότερον committere. Agit ibi Pontifex de polygamiâ gentilium, qvam reprobatam dicit in Scripturâ sacrâ. Postmodum qvæstionem formar de pagano, qvi secundum ritum suum (apud gentiles scilicet usitatum) legitimam repudiavit Uxorem, utrum, si post istud repudium ad fidem Christi conversus fuerit, eâ vivente aliam ducere possit, atq; id negat. Non igitur agit de converso post conversionem â conjuge infideli ex causis paragrapho autoris antecedente adductis soluto. Tandem verò qværit, utrum con-

converſus,qvi poſt converſionem ex illis cauſis uxore liberatus eſt, ſi & ipſa deinceps converſa fuerit, recipere eam teneatur? idq; affirmat. Adeoqve malè autor, qvod de pagani repudio dictum eſt, Converſi divortio ſubnectit.

veritas Evangelica repudiaverit] Non veritas tantum Evangelica, ſed totum jus divinum, notante Chriſto *Matth. XIX, 8.* Vid. Tertullian. *de Monogam. cap. 5.*

poſt repudium nupſerit] Qvia ſcilicet ipſe per repudium cauſam dedit. De tali autem repudiatæ conjugio veterum ſententiæ videri poſſunt apud Joh. Selden. *in Uxor. Hebr. l. 3. c. 31. 32.*

Si paganus priùs plures uxores habeat, poſt fidem ſuſceptam adhærebit primæ. h. d.

§. 8. Qvia verò[c] pagani in plures ſimul fœminas affectum conjugalem dividunt, utrùm poſt converſionem omnes, vel qvam ex omnibus converſus retinere valeat, non immerito dubitari poterit. Et cùm nulli unqvam licuerit plures habere ſimul uxores, niſi cui divina fuit revelatione conceſſum, nec cuiqvam uxore etiam ob fornicationem dimiſſa, aliam liceat ſuperinducere, evidenter apparet, pluralitatem in utroq; ſexu (cùm inter conjuges ſervanda ſit æqvalitas) circa matrimonium reprobandam, & de pluribus primam tantùm retinendam.

[c] *d. cap. gnudemus §. qvia verò. extrau. de divort.*

in plures ſimul fœminas] Apud omnes ferè gentes invaluerat olim polygamia, ſemper tamen laudatâ monogamiâ. Vid. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 5. num 9. & ibi not.*

nulli unqvam licuerit] Facit qvidem Socrates *lib. 4. hiſt.*

hist. Eccles. cap. 26. mentionem alicujus legis à Valentiniano Imperatore latæ, ut cuilibet pro lubitu fas esset duas habere uxores, eamqve ait promulgasse tùm, cùm ipse Justinam Severæ superinduxisset, ne hoc contra legem feciſſe videretur. Verùm & de facto ipso & de lege latâ adhuc eruditi subdubitãt neq; à Socrate perſvaderi possût. Vid. Selden. *in Uxor. Heb. lib. 1. cap. 9.*

divinâ fuit revelatione conceſſum] Sive nudam permisſionem ex parte DEI, ſive diſpenſationem hîc ſtatuas, qvod utrumqve dici poteſt, manet tamen lex certa de monogamiâ, qvam transgredi exemplo Patriarcharum haudqvaqvam licet. Vid. Gerhard. *Loc. de conjug. num. 222. ſeqq.* Dn. Calov. *adverſ. Grot. in Levit. XIIX, 18.*

etiam ob fornicationem dimiſsâ] Adulterium tollit carnis unitatem, & vinculum conjugale totaliter diſrumpit & ſolvit. Poſito hoc, non erunt parti innocenti denegandæ nuptiæ ſecundæ, ſed poterit illa etiam vivente adhuc conjuge priore, qvæ adulterium commiſit, novum cum aliâ perſonâ inire matrimonium. Vid. Joh. Nevizan. *in Sylv. nupt. libr. 1. num. 107. ſeqq.* Qvirin. Kubach. *cent. 2. dec. 1. qvæſt. 6.* Exceptio enim approbata à Chriſto, *Matth. XIX, 9.* & dans facultatem dimittendi conjugem adulteram, dat ex intentione Chriſti etiam facultatem parti innocenti, ut dimiſsâ adulterâ ducat conjugem aliam.

in utroq; ſexu] Polygamiam ab mulieribus freqventatam non facilè legitur. De Viris pleni ſunt omnium gentium libri.

primam tantùm retinendam] Qvia ſcilicet ſolum cum primâ verum eſt conjugium. Et hæc ſententia conſcientias reddit tutiores, qvanqvam non deſint, qvæ pro contrariâ moveri posſint, de qvibus agit Gerhardus *Loc. de Conjug. num. 226.*

Matrimonium non ſolvitur altero conjugum fidelium in hæreſin lapſo. h. d.

§. 9. Alia ſanè cauſa eſt eorum conjugum[f], qvorum alter vel in hæreſim labitur, vel ad infidelium tranſit errorem: neq; enim hoc caſu, qvi relinqvitur, ad ſecundas nuptias deſcendere poterit. Nam etſi matrimonium verum inter infideles ſit, non tamen eſt ratum:

f *c. unico de voto & voti Redemtio in 5.*

ratum: inter fideles autem & verum & ratum existit, qvia sacramentum fidei, qvod semel est admissum, nunqvam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus, ipso durante, perduret.

Alia sanè causa est eorum] Sensus antecedentium & hujus paragraphi hic est: Propter infidelitatem præcedentem qvando uterq; conjux primò est infidelis, & postea alteruter ad fidem convertitur, locum habet divortium qvoad vinculum; propter infidelitatem seqventem, qvando uterq; conjugum primo est fidelis, & postmodum alter à fide discedit, locum habet divortium qvoad thorum & mensam tantùm, non etiam qvoad vinculum. Nos utrumq; negamus, qvia infidelitas, uti dixi, sive antecedens ea fuerit, sive conseqvens, unitatem carnis neutiqvam dirimit.

vel in hæresin labitur] At Cœlestinus III. olim docuit, per hæresin ita solvi matrimonium, ut liceret conjugium aliud inire illi, cujus conjux prior in hæresin inciderit. Decretalis ipsa hodiè qvidem nullibi reperitur; extitisse tamé olim fatentur Pontificii, inter cæteros Ostiensis *in c. qvãto X. de divort.* Vid. Joh. Rainold. *in colloq. cum Hart. c. 7. sect. 7. p. 248.* Cæterum disqviunt Moralistæ, utrũ denunciare Inqvisitori teneatur Uxor fidelis apostasiam mariti; & respondent, non teneri, si periculũ aut discrimen metuatur in bonis fortunæ, famæ, vitæ &c. per conseqvens nec discedere tùm teneri. Thom. Hurtad. *tract. 1. resol. 13. num. 107.* Qvando igitur tale discrimen non subest, seqvitur, & denunciationem fieri oportere, & discessionem. Sed restringit tamen sententiam suam Hurtadus *d. l.* ad eas terras, in qvibus non est permissum matrimonium Catholici cum hæretico. Nostra verò id omninò nihil refert, qvod conjugii vinculum neqvaqvam ad religionem ita adstringamus, ut propter hujus diversitatem dirimi illud debeat, cum nihilominus id ratum habeat Apostolus *1. Cor. VII, 12.* Esse autem conjugium cum hæretico qvandoq; permissum, ante Hurtadum cum aliis tenet Becanus *in man. contr. l. 5. c. 13.* ubi censet canonem *cave, & c. non oportet 28. q. 1.* in Germaniâ non tenere, aut contrariâ consvetudine esse abrogatos.

qvi relinqvitur] nudo prolapsu in hæresin, aut infidelitatem, nisi desertio accedat, dici non potest, qvod alter conjux relinqvatur.

At

At ubi desertio accedit, ei, qvi relinqvitur, non deneganda est ad secundas nuptias descendendi potestas. Qvando enim pars infidelis etiam sit pars desertrix, non tenetur pars innocens illâ servitute non nubendi, qvâ tenetur pars deserens (ut maneat inupta *1. Cor. VII, 11.*) sed soluta est servitute illâ & vinculo, *1. Cor. VII, 15.*

qvia sacramentum fidei] Conjugii firmitas non pendet ex Sacramentali qvâdam ratione, qvæ tota fictitia est, sed ex divinâ institutione, & ex hâc, non ex illâ ejus insolubilitas est petenda. Qvicqvid igitur hîc de vero & rato matrimonio dicitur, non magis subsistit, qvàm, qvod in hoc negocio fingitur, Sacramentum.

Per dationem instantiæ solvitur argumentum. h.d.

a *d.cap. qvanto. §. nec obstat. extr. de divort.*

§. 10. Nec[a] refert, qvod à qvibusdam forsan objici posset, qvòd fidelis relictus non debeat jure suo sine culpa privari, cùm idem multis casibus contingat, ut si alter conjugum incidatur. Ex hoc qvoq; qvorundam malitiæ occurritur, qvi odio conjugum simularent hæresim, ut postmodum nubentibus conjugibus ab ipsa resilirent. Qvinimmò, qvi in fide permanserit, ad eum, qvi ab hæresi vel infidelitate ad Ecclesiam revertitur, vel invitus redire cogendus erit, nisi ad religionem transire maluerit.

ut si alter conjugum incidatur] At tali in casu, ubi in totum inutilis factus est maritus, Uxori novi matrimonii potestas non est deneganda. Vid. Gerhard. *loc. de conjug. n. 662.* Et jam ante dixi, in casu malitiosæ desertionis, partem innocentem ad novum cum aliâ personâ matrimonium admitti.

simularent hæresin] Anteqvam igitur hoc constitueretur, creditum fuit, per solam hæresin ita rumpi vinculum matrimoniale, ut liceret parti orthodoxæ novum inire conjugium. Idq; est, qvod in Cœlestini III. constitutione repertum fuisse, antea dixi.

invi-

Digitized by Google

invitus redire cogendus erit]rectè. qvia falsum est per hæresin vinculum conjugale rumpi. Qvod si verò desertio malitiosa accesserit,& pars innocens, processu desertionis absoluto, novum jam matrimonium contraxerit, redire ad priorem conjugem non tenetur.

nisi ad religionem] Negamus per ingressum in religionem solvi matrimonium. Qvod enim divinitus conjunctum est, homo separare non debet. Et jam ante dixi, votum matrimoniale antiqvius esse & potentius voto monastico. Conf. Gerhard. *loc. de conjug. num. 671.*

Conjugiorum aliud est legitimum & non ratum, aliud legitimum & ratum, aliud ratum & non legitimum. h. d.

§. 11. Ex his apparet, conjugium [b] aliud esse legitimum, & non ratum: aliud legitimum, & ratum: qvoddam verò, qvod ratum qvidem est, sed non legitimum. Legitimum, & non ratum conjugium est, qvod legali institutione, vel provinciæ moribus contrahitur: hoc inter infideles ratum non est, qvia dissolvi potest dato libello repudii, lege fori, & non lege poli, qvam non seqvuntur. Inter fideles verò semper ratum est conjugium, cùm conjugia semel inter eos contracta nunqvam solvi possint. Horum verò qvædam sunt etiam legitima, veluti cùm servatis nuptialibus ritibus, uxor sponso traditur. Illorum verò conjugia, qvi contemptis legitimis solennitatibus, solo affectu aliqvam sibi deligunt in conjugem, non legitima, sed rata tantummodò esse creduntur [c]: qvanqvam enim spretis ritibus Ecclesiæ,

b *can. fin. §. item illud. 28. q. 1.*

c *c. 2. de matrimonio cõtracto contra interd. Eccl.*

matrimonium contrahi non debeat, non tamen ob id ſolum ſacramentum conjugii diſſolvi debet. Qvin potiùs ſi tale matrimonium fuerit ab Eccleſia poſtmodum comprobatum, filii generati, & legitimi judicandi erunt, & hæredes: aliqva tamen illis erit imponenda pœnitentia, qvi contemptis Eccleſiæ præceptionibus matrimonium contraxerunt.

c. qvod nobis. qvi filii ſint legitimi.

Legitimum & non ratum] Ratum vocat conjugium, qvod tantùm inter fideles eſt, & non poteſt diſſolvi. Legitimum verò, qvod habet ſolennitates legibus aut moribus provinciæ conformes. At aliàs qvod ratum eſt, etiam eſt legitimum, & vice versâ. Et ſupra ipſe Autor dixit, conſenſu ratificari conjugia, qvi conſenſus etiam eſt inter infideles.

nunqvam ſolvi poſſint] Imò verò, qvâ ratione ſolvi poſſint, & ſupra dictum eſt, & porrò dicetur infra *tit. de divortiis.*

contemptis legitimis ſolennitatibus] Inter iſtas ſolennitates refertur ἱερολογία ſeu benedictio Eccleſiaſtica, de cujus antiqvitate videri poterit Hahnius *in Weſenbec. tit. de rit. nupt. n. 5.* inprimis Johannes Seldenus *de Uxor. Hebr. lib. 2. c. 28. 29.*

ſacramentum conjugii diſſolvi debet] At non convenit inter Pontificios de Sacramento hoc ſuo. Aliqvi negant, Sacramentum eſſe, niſi benedictio, ſacerq; acceſſerit miniſter, aliis omninò ſententiam contrariam tenentibus, ipſosq; conjuges eſſe, non miniſtrum ſacrum, qvi ſacramentum efficiunt, aſſerentibus; neq; actum miniſtri, verbave ejus eſſe ex neceſſitate Sacramenti, ſed tantùm præcepti, materiamq; ſimul & formam & cauſam efficientem eſſe in ipſis, qvi contrahunt, qvâ contrahunt. Qvam ſententiam etiam autor ſeqvi videtur.

& legitimi judicandi erunt] an ergò omiſsâ ἱερολογία liberi non erunt legitimi? Non arbitror, niſi expreſsè ita conſtitutum fuerit. Non eſt enim de ſubſtantiâ matrimonii ἱερολογία. Ejus tamen omiſsione ſuâ non caret maculâ matrimonium. Carpzov. *in Jp. Conſiſt. lib. 2. def. 142.*

Sed

Sed jure pontificio non videtur esse legitimum conjugium sine ἱερολογίᾳ, *can.1.30.q.5.* cui etiam adstipulatur Leo Philosophus *Novell.74.*

Justus metus, nisi purgatus fuerit, impedit matrimonium. h.d.

§. 12. Coactio qvoq; & justus violentiæ metus matrimonium impediunt. Cùm [d] enim solo consensu conjugium contrahatur, plena debet ille securitate gaudere, cujus est animus indagandus, ne metu impulsus dicat sibi placere qvod odit. Planè [a] qvæ invita probat se sponsalia contraxisse, si comperiatur postmodum spontè cognita, ad matrimonii dissolutionem proclamare & metum causari non poterit.

[d] *cap. cùm locum. ext. de sponsal.*

[a] *cap. insuper. extr. qui matrim. accus. poss.*

justus violentiæ metus] Hic scil. ipso jure nullum facit matrimonium etiam juramento confirmatum. Carpzov. *in Jp. Consist. lib.3. def. 55.* Atqve hoc speciale est in matrimonio, cùm aliàs per vim & metum gesta ipso jure valeant, & rescissione atqve restitutione Prætoris egeant. Matrimonium enim non solum consensum simplicem & qvalemcunq;, sed etiam omninò liberum reqvirit. Qvis autem justus dicendus sit metus, judicis arbitrio factâ personarum collatione erit æstimandum. Cæterùm reverentialis metus, à qvo absunt verbera, vincula & minæ cum paratâ executione, matrimonio contrahendo non obstat, qvo minus illud, si contractum fuerit, validum habeatur. Vid. Franzk. *ad pr. Inst. de nupt. Hahn observ. ad Wesenbec. tit. de rit. nupt. n.8. verb. Eadem est ratio &c.*

matrimonium impediunt] Excogitavit tamen Raphael Aversa casum, in qvo censet ipse, ne qvidem jure positivo fore invalidum matrimonium injustissimo licet metu extortum, qvem refert Christophorus Haunoldus Jesuita *disp. de contract. natur. art.4. n.6.* hâc facti specie: *Titius in loco, ubi Tridentinum Concilium irritans clandestina matrimonia non est receptum, metu mortis adegit Sempronium, ut filiam suam duceret in matrimonium & matrimonium statim consummaret. Qvo casu, si Sempronius non potest contrahere validum matrimonium non obstante injusto metu, sequitur eò necessitatis adductum esse, ut vel debeat mori vel fornicari: qvorum utrumq;*

cum gravissimum malum sit Sempronio, malitq; jugum matrimonii ferre, quam alterutrum illorum incurrere, dicendum videtur, nec naturæ, nec Legislatoris Ecclesiastici intentionem fuisse hujusmodi matrimonium invalidare ob receptissimam regulam: quod in alicujus favorem introductum est, non debet in ejus odium detorqueri: irritatio autem matrimonii ex injusto metu inducta in favorem metum passi introducta est, in casu verò posito cederet in maximum ejus damnum. Ergo dicendum est, posse Sempronium cedere favori Ecclesiæ & validare matrimonium. Hucusq; Haunoldus. Sed casum hunc novum non esse, nec ab Aversâ primum excogitatum, sed jam diu in scholis ventilatum, ostendunt ea, qvæ disputat Andreas Fachineus *lib. 3. controv. cap. 28.* ubi in diversam planè & contrariam abit sententiam.

metum causari non poterit] Metus enim tùm purgatur, & matrimonium tanqvam ex novo consensu convalescit. P. Cypræ. *de sponsal. c. 13. §. 23. n. 2. & §. 25.*

Furor impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum. hoc dicit.

b *capit. dilectus filius. ext. de sponsa.* c *can. neq; furiosus 32. q. 7.*

§. 13. Furor [b] qvoq;, qvia consensum impedit, nuptias contrahi prohibet: contractas autem non dirimit [c].

Furor qvoq;] Furiosus enim planè nescit, qvid agat, & propterea nullum negocium rectè gerit, neq; qvo obligetur, neq; qvo obligationem sibi acqvirat *l. 1. §. 12. ff. de O. & A. l. 5. & l. 40. ff. de R. J.* Si tamen in intervallo & intermissione furoris matrimonium contraxit, ratum id haberi debet, neq; furore insequente perimitur. Vid. Gerhard. *Loc. de conjug. num 189.* Carpzov. *in Jp. Consist. lib. 2. def. 182. 183.*

Frigiditas & coëundi impotentia matrimonium impediunt. h. d.

d *ext. per totũ tit. de frig. & malef.* e *cap. 2. ext. de frig. & malef.* f *cap. ex literis. ext. de frig. & malef.*

§. 14. Item frigiditas [d], & coëundi impotentia legitimum matrimoniis impedimentum afferunt. Sicut enim puer [e], qvi debitum reddere non potest, non est aptus conjugio: sic, qvi ita sunt naturâ impotentes, ut [f] nec ope medicorum sine mortis periculo juvari

vari possint, apti ad contrahenda matrimonia minimè putantur. Ea igitur, qvæ adeò est arcta g, ut mulier fieri & alteri carnaliter commisceri non possit, nisi per incisionem, ad matrimonium contrahendum non debet idonea judicari.

g *cap. fraternitatis extr. d. tit. §. per hæc autem.*

Item frigiditas] perpetua scil. & incurabilis, & talis, qvæ congressum conjugalem prorsus impedit, non ea qvæ generationis duntaxat effectum intervertit, qvanqvam de his qvoqve, qvod matrimonium non contrahant validè, asserat Paulus Zacchias *qvæst. Medico-legal. lib. 3. tit. 1. qvæst. 5. n. 28.* Et hæc igitur de frigidis decisio ex jure Canonico depromitur. Jure civili autem spado, qvi castratus non est, matrimonium contrahere potest *l. 39. §. de jur. dot.* Sed & jure Canonico diversa hâc de re fuisse decreta & diversas sententias, memorat Pontifex in *c. 2. de frigid. & malefic.* prout extat in prima collectione, & consvetudinem Romanæ Ecclesiæ fuisse, ut, si non possit aliqvis mulierem sicut Uxorem habere, ipsam habeat, sicut sororem. Qvæ & sententia est Lucii III. Pontif. *in c. 4. X. eod.* Ea tamen deinceps mutata videtur, dum invitus invitave manere cum impotente non cogebatur, *cap. 5. X. eod.* Id certum est, inhabilitatem corporis, qvæ unionem carnis non admittit, neq; conjugium admittere, eò qvod ex institutione matrimonii divinâ oporteat duos coire in carnem unam. *Matth. XIX, 6.* Circumspecte tamen hîc agat judex, nec omnibus de frigiditate & impotentiâ factis allegationibus promiscuè fidem adhibeat, cùm sæpè impotentia allegetur, qvæ corrigi & curari successu temporis possit. Vid. Paul. Zacchias *d. l.* Joh. Gerhard. *Loc. de conjug. n. 658. seq.* Anton. Gubert. Costan. *de matrimon. tit. de his qvi nupt. contrah. poss. n. 65.* Annæ. Robert. *l. 4. rer. jud. c. 10.* Carpzov. *in Jp. Consist. l. 2. def. 200. & 201.*

Sicut enim puer] Imò aptior hic est conjugio, qvàm naturâ frigidus, eò qvod successu temporis supereſse possit negocio, cujus causâ matrimonium institutum est; de frigido verò sperari id planè non possit.

naturâ impotentes] Triplicem faciunt impotentiam Canonistæ, naturalem, accidentalem & maleficialem, sive maleficiis causatam. De naturali, & tali, qvæ in adulto atq; aliàs habili ex vitio qvodam conforma-

tionis & frigiditate nimiâ contingit, certa eis est concluſio, propter eam & matrimonium contrahendum impediri & contractum dirimi. Et hoc qvidem de maſculis. In fœminis verò, qvia impotentia plerumq; ex arctâ nimis uteri conſtitutione naſcitur, Medicorum exauditur deciſio, utrum curari poſſit mulier an minus, ut hoc caſu idem obtineat, qvod de maſculis dixi, illo autem nec impediatur nec dirimatur matrimonium. Accidentalis ſi fuerit impotentia, à morbo vel ferro procurata, diſtingvunt, utrum ea matrimonium præceſſerit, an ſecuta fuerit, ut illo caſu matrimonium diſſolvatur, hoc verò matrimonio nihil obſtet, qvo minus ſubſiſtat. Circa impotentiam deniq; ex maleficio provenientem cohabitare jubent conjuges per triennium, eo elapſo, ſi de impotentiâ coëundi & ipſorum conjugum & ſeptem propinqvorum juramento conſtet, ſolvi debere volunt matrimonium, per *c. 5. & c. ult. X. de frigid. & malef.* Addatur Gratianus *ad c. qvod autem 27. qvæſt. 2.*

qvæ adeò eſt arcta] Eam nec ſanam qvidem eſſe dicit JCtus in *l. 14. §. 7. ff. de ædil. edict.* Maximum enim ac præcipuum munus fœminarum eſt concipere ac tueri conceptum. *§. 1. cod.*

Leproſi poſſunt matrimonium contrahere. h. d.

h *cap. 2. ext. de cõjug. leproſ.*

§. 15. Alia eſt cauſa leproſorum h: nam ſi mulierem invenerint, qvæ ſibi velit nubere, vel mulier leproſa virum, liberum erit illis conjugali vinculo colligari.

Alia eſt cauſa leproſorum] Sed qvid, ſi maritus leproſæ cohabitare nolit? Alexander III. aut reddendum debitum aut continentiam ſervandam pronunciat *c. 1. & 2. X. de conjug. leproſ.* At Gregorius III. *in Epiſt. ad Bonifacium tomis Conciliorum inſertâ: Qvod ſi mulier*, inqvit, *infirmitate correpta non valuerit debitum Viro reddere, qvid ejus faciat jugalis? bonum eſſet, ſi ſic permaneret, ut abſtinentia vacaret; ſed qvia hoc magnorum eſt, ille qvi ſe non poterit continere, nubat magis*, &c. Sed vicisſim Patres Tridentini anathema dicunt, ſi qvis dixerit propter hæreſin aut moleſtam cohabitationem diſſolvi poſſe matrimonii vinculum. Ut ita perpetuis contradictionibus implicetur cathedra papalis. Et ipſi qvoq; inter ſe Canoniſtæ non ſatis conveniunt, qvos notat Paulus Zacchias *qvæſt. Medico-legal. lib. 3. tit. 3. q. 6. n. 13. ſeq.* Cæterùm id tantùm hîc dicit autor, non eſſe prohibendos conjugio leproſos, de qvâ re jam diximus ſub *tit. anteced.* In hoc tamen conſen-

Digitized by Google

ſentimus cum Canoniſtis, non eſſe diſſolvendum matrimonium propter lepram ſupervenientem *c.2. X.de conjug.leproſ.* Förſter.*de nupt.c. ult.*

Publicæ honeſtatis juſtitia impedit matrimonium contrahendum, & contractum dirimit. h. d.

§. 16. Publicæ[i] qvoq; honeſtatis Juſtitia tam matrimonium contrahendum impedit, qvàm contractum irritat. Eſt autem publicæ honeſtatis Juſtitia, qvæ ex legitimis ſponſalibus oritur mulieris, qvæ illi conjuncta eſt, cum qva nunc vir matrimonium contrahere deſiderat: ut, ecce cum Berta ſponſalia contraxi, volo nunc cum Gemma, qvæ Bertæ cognationis vinculo eſt conjuncta, matrimonium contrahere:[k] publica honeſtate impedior. Inhoneſtum enim ac turpiſſimi viſum eſt exempli, ut ei qvis nubere valeat, cujus conjunctam ſponſalia frangendo deceperit, ne in eandem ejus nubendo conjunctæ, qvaſi injuriam cumulet.

i *cap. referente. ext. qvi filii ſint legitim. cap. juvenis.. & ſeq. ext. de ſponſal.*

k *c. ſi qvis uxorem 27. qv. 1.*

Publicæ qvoq; honeſtatis] Naſci volunt iſtiusmodi juſtitiam ex ſponſalibus, ita ut conſangvinei ſponſi cum ſponsâ per mortem ſponſi vel alio modo ſponſalibus diſſolutis, matrimonium contrahere non poſſint. Nomen, ſecundum Thomæ Aq. ſententiam, ex eo ductum eſt, qvod iſta juſtitia ab Eccleſia inſtituta eſſet propter honeſtatem nudam. Ab Eccleſia, inqvit Cujacius *ad.c.10. X. qvi fil. ſint legit.* id eſt, à Pontificibus, qvi non contenti per cauſam cognationis & affinitatis & fictitiæ cujusdam cognationis ſpiritalis longiſſimè porrexiſſe prohibitionem nuptiarum, & hanc cauſam ſuperadduxére ſub ſpecie publicæ honeſtatis privatim à ſe conſictæ, cujus vim, qvod ad nuptias inhibendas attinet, non minorem eſſe volebant, qvam cognationem vel affinitatem. &c. Dubium autem nullum eſt, impe-

impedimenta hæc excogitata esse ad multiplicandas dispensationes Pontificias & hunc locupletandum Pontificis fiscum. Sed cùm in concilio Tridentino eâ de re disceptatum fuisset, multum deinceps à patribus restrictus fuit ejus impedimenti ambitus.

qvàm contractum irritat] Difficilius solvitur matrimonium jam contractum, qvàm impeditur contrahendum. Vid. qvæ dixi supr. *sub tit. 10. ad §. Rursus contrahuntur.*

sponsalia frangendo deceperit] Hæc non est vera causa, qvia publicæ honestatis justitia impedit etiam tùm, qvando Bertha mortua est, & in mea non est amplius potestate, illam ducere. Nec ergò ex qvâdam injuriæ cumulatione argumentum peti eo casu potest.

Sponsalia pura, & certa ex consensu valida, licet aliàs nulla, inducunt publicæ honestatis justitiam, qvæ sequentia sponsalia dirimit, non præterita. h. d.

1 cap. 1. de spõsa. in 6. it. c. literas c. accessit de spõs.

§. 17. Usq; adeò autem ex puris & certis sponsalibus 1 impedimentum justitiæ publicæ honestatis exoritur, ut etiamsi illa consangvinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut alia qvavis ratione nulla sint, dum tamen non sint nulla ex defectu consensus, nihilominus & impedire, & dirimere sequentia sponsalia, vel matrimonia dignoscantur, licet præcedentia dissolvere non valeant. Qvare, qvi sponsalia purè, ac determinatè cum aliqva muliere contraxit, & postmodum cum secunda prioris consangvinea idem fecit, ex priorum sponsaliorum vigore ad matrimonium contrahendum cum prima remanet obligatus.

dum

dum tamen non sint nulla] At nulla qvæ sunt in se, nullum etiam retrò faciunt & de jure invalidum consensum. Et qvod est nullum ipso jure, non præstat impedimentum *l.4.§.6.ff. de re jud.* sed perinde est, ac si nullo modo fuisset factum. Menoch. *cons.230.n.13.* Et hinc Patres Tridentini jus hoc emendantes, justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia qvâcunq; ratione invalida sunt, prorsus sustulérunt, *sess.24. cap.3.*

licet præcedentia dissolvere] Non necesse est, ut attendatur hoc casu justitia publicæ honestatis, qvæ in seqventibus subesse possit sponsalibus. Præcedentia enim qvia nullo modo per seqventia tolli possunt, per se stant, sive jam in seqventibus aliqvod subsit impedimentum, sive minùs.

Filii nati ex matrimonio, cui obsistit publicæ honestatis justitia, non succedunt patri scienter contrahenti. h.d.

§. 18. Filii qvoq; nati ex matrimonio, qvod publicæ honestatis Justicia [a] impediente contractum fuit, cùm nec Ecclesiæ permissionem, nec patris allegare possint ignorantiam, ad successionem bonorum paternorum minimè admittentur.

[a] *cap. referente. ext. qui filii sint legitim.*

nec Ecclesiæ permissionem] h.e. concessionem. Seqvitur autem hinc, si repugnat matrimonium tale honestati publicæ, posse Ecclesiam concessione suâ ex inhonesto facere honestum. qvod Ecclesiæ integritati parum convenit.

minimè admittentur] Imò vero admittentur; supra enim diximus, prohibitum qvidem esse, sponsæ defunctæ consangvineam ducere; si tamen cum tali contractum jam matrimonium fuerit, istud non dirimi.

DE TRIPLICI COGNATIONE,

TITULUS XIII.

Cognatio est triplex, spiritualis, legalis, & naturalis. & spiritualis cognatio impedit matrimonium contrahendum, & contractum dirimit. hoc dicit.

Digitized by Google

§. 1. Multò magis cognatio matrimonio interdum eſt impedimento. Eſt autem cognatio triplex, ſpiritualis, legalis, & naturalis. Spiritualis [b] cognatio eſt attinentia qvædam proveniens ex ſacramenti collatione, vel ad ſacramentum detentione. Non ſolùm igitur [c] inter baptizantem, & illum qvi eum de baptiſmo ſuſcepit, item inter baptizatum & ſuſcipientis filios, & uxorem ante ſuſceptionem à ſuſcipiente carnaliter cognitam: verùm etiam inter ſuſcipientem, parentesq; baptizati, cognatio ſpiritualis contrahitur, qvæ & contrahendum matrimonium impedit, & dirimit poſtea contractum. [d] Et qvæ de ſuſcipiente dicta ſunt, eadem etiam de baptizante ſunt intelligenda.

b *gloſſ. in verſ. ſpiritualis. cap. 1. de cognat. ſpir. in 6.*

c *d. cap. 1. de cognat. ſpir. in 6.*

d *d. c. 1. in fine. vide ibi gloſſ.*

Spiritualis cognatio eſt] Omnem eam cognationem ſpiritualem merum inventum humanum & multis abſurditatibus involutum, tùm & conſcientiis grave eſſe, prolixè & ſolidè oſtendit Gerhardus *de conjug. num. 364. ſeqq.* Unde nec fruſtra impedimentum hoc omninò tollendum eſſe conſuluerunt olim nonnulli in Concilio Tridentino. Petr. Svav. *in hiſt. Concil. Trid. lib. 8. pag. 856.* Perſtrinxit iſtud Papiſmi ἀποκύημα jam ſuo tempore Johannes Petrus de Ferrariis *in prax. tit. 33. gloſſ. 4. num. 11. Et amplius*, inqvit, *in ſumma nota, qvod ſunt viginti caſus, qvibus per ſpiritualem cognationem matrimonium impeditur, inventi per jus Canonicum, & ignorati per jus civile, qvi habent Laicos illaqveare, nec fundantur vivâ & concludenti aliqvâ ratione, ut inqvit Azo* &c. Qvod dicit, ignoratos fuiſſe iſtos caſus per jus civile, id verum eſt, ſi excipias unicum illum, qvando qværitur de conjugio perſonarum ſuſcipientium & ſuſceptarum. Tales enim ad invicem matrimonio jungi, prohibuit Juſtinianus Imp. *in l. 26. C. de nupt.* perſvaſus ſcil. ab Epiſcopis ſuis, nihil aliud ſic inducere poſſe paternam affectionem & juſtam nuptia-

nuptiarum prohibitionem, qvàm hujusmodi nexum, per qvem, ut ait ibidem Imperator, DEO mediante animæ eorum copulatæ sunt. Et credibile hinc est, hanc prohibitionem antiqvitus ideò factam fuisse, qvod magnum qvoddam vinculum necessitudinis videretur solennis illa susceptio in sacrâ ablutione, idq; propter ingentem affectum erga religionem, qvi ferè in priscis hominibus conspiciebatur. Franc. Duaren. *tit. solut. matr. sub rubr. de nupt. c. 3.* Seqvioribus verò temporibus Pontifices non inter susscipientes tantùm & susceptos prohibitum voluérunt matrimonium, sed etiam inter susceptorem & parentes baptizati, inter baptizatum & filios susceptoris, inter patrem baptizati & viduam susceptoris, inter baptizantem & baptizatum, & plures alias personas. Et ex hoc triplicem olim fecérunt cognationem spiritualem, paternitatem scil. compaternitatem, & fraternitatem. Illam contrahi voluérunt inter baptizantem & baptizatum, it: inter baptizatum & patrinum. Istam inter patrem & matrem baptizati ex unâ parte, & baptizantem atq; patrinum ex alterâ. Hanc inter baptizatum & filios naturales baptizantis atq; patrinorum. Mart. Azpilcuet. Navarr. *tom. 3. cap. 22. n. 36.* Ea autem extensio, cum extra verbum & præceptum divinum ex solo Pontificis cerebro nata, & conscientiis valdè onerosa sit, nostris Ecclesiis meritò rejecta est.

ad Sacramentum detentione] qvæ fit à patrinis seu susceptoribus, qvi & ipsi si plures fuerint, inter se matrimonio jungi lege pontificiâ prohibentur.

verum etiam inter susscipientem] Contrarium rescripsit olim Nicolaus Papa *c. nosse 30. q. 1.* Prohibitio tamen ista denuò repetita est in Concilio Tridentino, per qvod aliàs cognatio hujusmodi ficta & imaginaria multùm coarctata est.

& dirimit postea contractum] Matrimonii institutio divina est, ita ut homini, qvod DEUS conjunxit, separare nullo modo liceat. Jam certum est, cognationis hujusmodi spiritualis inventum merè humanum & arbitrium totum in hominibus esse, nec ullam ejus memoriam vetustiorem tempore Justiniani inveniri. Qvis ergò persvaderi sibi patiatur, legem pontificiam derogare aut contrariari potius debere legi divinæ, ita ut matrimonia ex voluntate divinâ contracta dirimi lege pontificiâ possint.

Excepto baptismate, & confirmatione, non oritur ex sacramentis cognatio impeditiva matrimonii. h. d.

Digitized by Google

e *cap. 1. §. fin. de cognat. spirit. in 6.*

§. 2. Eisdem modis ex confirmatione [e] spiritualis cognatio contrahitur, matrimonia similiter impediens contrahenda, & postea contracta dirimens. Ex datione verò aliorum sacramentorum cognatio spiritualis neqvaqvam oritur, qvæ matrimonium impediat, vel dissolvat.

ex confirmatione] Qvid de confirmationis Sacramento sentiendum sit, supra exposuimus. Etsi verò ex baptismo aliqvam cognationem spiritualem nasci ponamus, non tamen similiter illa in confirmatione admittenda erit. Cùm enim confirmatio non sit Sacramentum, sed complementum tantùm baptismi, nec novis ea indigeat susceptoribus, non poterit novam inducere cognationem. Ita sc. olim obtinebat, ut illi iidem susceptores, qvi baptizandum offerebant, offerrent etiam chrismandum; & sic unicam, non duas spirituales cognationes & compaternitates contrahebant. Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 5. c. 5. in fin.* Aliud tamen in Ecclesia Romana observatum fuisse ostendit *c. 99. de consecrat. dist. 4.*

Cognatio spiritualis per Catechismum contracta, impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum. h. d.

f *cap. 2. de cognat. spirit. in 6.*

§. 3. Per Catechismum [f] an spiritualis cognatio contrahatur, dubitatum est: & constitutum est, contrahi qvidem illam, sed non tantam: licet enim ex ea contrahendum matrimonium impediatur, post eam tamen contractum minimè dissolvetur.

Per catechismum] De catechismo, qvis fuerit, jam supra dixi sub *tit. 4. de sacram. Chrism. §. illud commune.* Dubitatum autem circa cognationem fuit propterea, qvod ex interpretatione Pontificiorum catechismus non sit Sacramentum, sed aliqvid Sacramentale. H. Altenstaig *in Lexic. vocab. catechismus.* Sed uti impropriè dicitur Sacramentale, qvod sacramentum qvoqvo modo antecedit; ita nullo planè fundamento nititur prohibi-

hibitio hæc conjugii. Nec igitur ſine ratione dixit Cujacius, in nuptiis coërcendis coarctandisve nimiam poſteriorum Urbis Romæ Pontificum ſeveritatem qvocunq; colore, qvacunq; vel levi, vel fictâ ratione parum abeſſe videri à nuptiarum prohibitione perpetuâ. *ad rubr. X. de conſang. & aff.*

Spiritualis cognatio non dirimit matrimonium antea contractum. h.d.

§. 4. Diximus autem, hujusmodi cognationem matrimonia contracta dirimere, non ſimpliciter, ſed poſtea contracta. nam [a] ſi vir, vel mulier ex ignorantia, vel dolo proprium filium de ſacro fonte ſuſceperit, propter hoc ſeparari non debent, nec alter alteri debitum ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci: qvia, ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis proprius dolus patrocinari non debet. [b] Qvinimmò pro tali auſu, matrimonio ſua firmitate durante, pœnitentia imponenda erit.

a *cap.2.ext.de cognat.ſpirit.*

b *c.de eo,30. qv.1.it.c.pervenit ibidem.*

propter hoc ſeparari non debent] Non enim eſt novum, ut, qvæ ſemel utiliter conſtituta & conſummata ſunt, durent: licet ille caſus poſtea extiterit, à qvo initium capere non potuérunt. *l.85.ff. de R.J. l.140.§.2.ff. de V.O.*

proprius dolus patrocinari non debet] Alioqvi ſcientibus & divertere cupientibus hâc viâ ad divortium patefieret aditus.

Filii, per qvorum neutrum ventum eſt ad compaternitatem, copulari poſſunt, niſi mos regionis aliud inducat. h.d.

§. 5. De [c] filiis qvoq;, per qvorum neutrum ad com-

c *cap.ſuper eo. extr. de cognat.ſpirit.*

paternitatem ventum est, an copulari possint, qvæsitum est: & sanè, nisi consvetudo Ecclesiæ, ubi de contrahendis nuptiis agitur, vel aliarum vicinarum aliter se habeat, tali conjugio minimè obsistendum erit.

qvæsitum est] diversimodè etiam & per contrarios canones responsum, *c.1. X. de cognat.spir.* ubi videri possunt, qvæ notat Antonius Augustinus *ad c.1.h.t. in primâ collectione.* Nos istum dissensum parùm curamus, & dissensum istum pro argumento habemus, cognationem spiritualem ex solâ lege positivâ proficisci, qvæ rectè abrogatur, sicubi onerosa conscientiis existat.

Licet plures non debeant esse patrini, si plures tamen fuerint, cum omnibus spiritualis cognatio contrahitur.

d *cap. final. de cognat. spirit. in 6.*

§. 6. De eo qvoq; admonendi sumus, qvòd, licet [d] nõ plures, qvàm unus vir, vel una mulier ad suscipiendum de sacro fonte infantem accedere debeant: si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio æqvè, qvoad omnes, inde contrahitur, tam matrimonia contrahenda impediens, qvàm etiam postea contracta dissolvens. Circa qvod idem statuitur & de confirmatione.

licet non plures, qvam unq vir] De numero patrinorum aut susceptorum dixi supr. *sub tit. 4. §. admonendi.*

æqvè qvoad omnes inde contrahitur] Verba hæc obscura sunt, & duplicem habent sensum; alterum, qvod inter susceptum & omnes suscipientes contrahatur cognatio; alterum, qvod etiam suscipientes inter se talem cognationem contrahant. Uterq; sensus probatur Cano-

Canoniſtis. Noviſimè tamen Concilium Tridentinum inter patrinos ipſos ad invicem cognationem contrahi noluit, *ſeſſ. 24. de reform. c. 2.* ubi videri poterit Auguſtinus Barboſa, etſi contrarium ſentiat Cujacius *ad rubr. de cognat. ſpirit.* Hinc verò patet, cognationem ſpiritualem præcipuè fundari in cerebro pontificis, qvi ut leges figit atq; refigit, ita cognationem inducit & tollit.

Legalis cognatio modò affert temporale impedimentum matrimoniis, modò perpetuum. h. d.

§. 7. Legalis cognatio eſt[e] proximitas per adoptionem proveniens. Ejus autem duæ ſunt ſpecies: una, qvæ temporalem impediendi matrimonii cauſam continet: alia, qvæ perpetuam. Temporalem cauſam impedimenti continet ea[f], qvæ inter te & eam, qvæ tibi per adoptionem ſoror eſſe cœperit, intercedit. Nam per adoptionem[g] qvæſita fraternitas, eousq; nuptias impedit, donec manet. Perpetuam prohibitionis cauſam continet, utputà, qvæ inter adoptantem & adoptatum, item inter adoptantẽ uxoremq; adoptati, & inter adoptatum uxoremq; adoptantis, intercedit. Nam & per emancipationem, diſſoluta adoptione, matrimonium impeditur.

e *gloſſ. nat. ext. de cognat. leg.*

f *c. un. ext. de cognat. legal.*

g *can. per adoptionem. 30. qvæſt. 3.*

Legalis cognatio eſt] Hoc totum eſt ex jure civili, uti patet *ex §. 1. & 2. Inſt. de nupt. l. 12. & 14. ff. de rit. nupt.* Impedimentum igitur hoc non poteſt naſci aliunde, qvàm ex lege poſitivâ. Neq; tamen tùm illud ad matrimonii contracti diſſolutionem rectè extenditur, qvia ſcil. vinculum divinum non debet ſolvi autoritate & arbitrio humano. Cumqi maximâ ex parte adoptio hodiè ſit abolita, nec in divinis legibus prohibitivis

Digitized by Google

bitivis ulla ejus fiat mentio, cumq; per eam nulla contrahatur carnis propinqvitas, non neceſſe eſt, ut cognationem hanc legalem prolixè examinemus. Id tamen obſervamus & miramur, civilem hanc cognationem ita canonizatam eſſe, ut etiam ſolennia juris civilis reqvirant Interpretes, neq; aliter contrahi cognationem velint, niſi ſolenni ritu adoptio facta fuiſſet.

Perpetuam prohibitionis cauſam] Totum hunc paragraphum breviter ſed enucleatè ita exhibet Paulus JCtus *tit. 6. Adoptiva cognatio impedit nuptias inter parentes ac liberos omnimodo: inter fratres eatenus, qvatenus capitis minutio non intervenit.*

Qvid ſit naturalis cognatio, qvid conſangvinitas, qvid affinitas. h. d.

§. 8. Naturalis cognatio eſt, qvæ medio conſangvinitatis, vel affinitatis contracta reperitur. Eſt autem conſangvinitas [h] attinentia perſonarum ex eo proveniens, qvòd una deſcendit ab altera, vel ambæ ab eadem: vel, Conſangvinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum. Et dicitur Conſangvinitas, qvaſi ſangvinis unitas, qvia ſcilicet conſangvinei de communi ſangvine deſcendunt. Affinitas [a] eſt qvædam perſonarum proximitas ex coitu proveniens: ex eo dicta, qvaſi duorum ſit ad unum finem unitas. Cùm enim duæ cognationes diverſæ per aliqvorum copulam conjunguntur, alter ad alterius cognationis, qvaſi qvosdam fines accedere videtur.

h *Addi. ad Arbor. conſang. in 6. in declar.*

a *in declarat. arbor. affin.*

Eſt autem conſangvinitas] Hoc vocabulum latius accipitur in jure Canonico, qvàm in jure Civili. In jure civili conſangvinei ſunt

ſunt fratres ſororesq; ex eodem patre, tametſi diverſis matribus nati. Conſangvinitas ergò fraternitatem tantùm denotat. At jure Canonico generaliter accipitur pro cognatione omni & jure ſangvinis.

Affinitas] Clariùs: Affinitas eſt jus neceſſitudinis, qvo devincti inter ſe ſunt Uxor & cognati mariti, & contra maritus & cognati Uxoris. Coitum autem reqvirunt Canoniſtæ, & qvidem perfectum, per qvem ſemen Viri in vas fœminæ naturale ad generandum mittitur, nec ſufficere volunt violationem virginitatis, nec qvamlibet aliam turpitudinem. Martin. Azpilcuet. Navarr. *com. 3. cap. 22. n. 42.* Nos hâc de re disqvirere nunc nolumus, ſed obſcœnas iſtas qvæſtiones Canoniſtis diſcutiendas relinqvimus; putamus tamen, impediendo matrimonio, ex cauſa affinitatis, qvamvis illicitam commixtionem ſufficere.

Affinitas & conſangvinitas contrahitur etiam ex damnato coitu. b. d.

§. 9. Nec[b] intererit, qvòd ad conſangvinitatem, vel affinitatem contrahendam, ex juſtis nuptiis aliqvi, an ex damnato coitu invicem copulati fuerint.

b *in d. declaratione arbor. affin. in fin.* c. *ſuper eo. de Conſang. & Affinit.* c. *nec nam 35. q. 3.*

vel affinitatem contrahendam] Hoc etiam de jure civili obtinet. Nec enim ob aliam cauſam, qvàm ob affinitatem prohibetur filius patris ſui concubinam Uxorem ducere, *l. 4. C. de nupt.* aut in concubinatu habere *l. 1. §. 3. ff. de concubin. Conf.* Andr. Rauchbar *p. 2. q. 13.* Sig. Scaccia *de judic. l. 2. c. 2. n. 563.* Mozz. *de matrim. c. ult. n. 41.* Matth. Berlich *p. 4. concl. 35. n. 27. 28.* Sic igitur ex ſtupro affinitas contrahitur ex parte Viri cum cognatis ſtupratæ mulieris, ex parte mulieris cum cognatis ſtupratoris.

Hodie matrimonia usq; ad qvartum gradum inclusivè sunt prohibita, & de facto contracta temporis cursu non validantur. b. d.

§. 10. Conſtitutum igitur erat olim, ut qvicunq; vel ſeptimo conſangvinitatis, ſive affinitatis gradu ſeſe invicem contingerent, legitimas nuptias contrahere non poſſent: qvod ipſum non ſolùm in primo, verùm etiam in ſecundo & tertio affinitatis genere

ſibi locum vendicabat: nec ſoboles ex ſecundo matrimonio ſuſcepta, cognationi præmortui viri copulari poterat. Sed cùm hujusmodi prohibitiones difficultatem freqventer inducerent, & aliqvando periculum parerent animarum, evidenti utilitate ſvadente, hujuſmodi conſtitutiones abrogatæ fuerunt [c], ſancitumq;, ut prohibitio copulæ conjugalis qvartum conſangvinitatis gradum primi duntaxat generis non excedat. Vir [d] igitur, qvi à ſtipite qvarto gradu, & mulier, qvæ ex alio latere diſtat qvinto, licitè conjungi poterunt. Aliàs ſi propiore gradu ſeſe invicem contingant, temerè contractum matrimonium adeò erit irritum, qvòd nullo poterit annorum numero defendi.

c *cap. non debet. ext. de conſang. & affin.*

d *cap. fin. ext. de conſang. & affin.*

Conſtitutum igitur] In definiendis limitibus & determinandis gradibus conſangvinitatis & affinitatis, qvousq; illicita debeant eſſe conjugia, ad jus naturale, qvod ex jure divino maximè addiſcitur, reſpiciendum eſt. Sunt verò, qvi jure naturæ prohibita eſſe dicunt ſola matrimonia in primo gradu lineæ rectæ, non verò in reliqvis ejusdem lineæ, neq; in primo lineæ transverſalis. Cui addunt alii, ſolis parentibus immediatis deberi per ſe honorem & reverentiam, avis & proavis non deberi per ſe ordine naturali, etſi debeatur in ordine politico & ex diſpoſitione juris. Ex qvibus conficiunt porrò, Sodomiticam conjunctionem in primo ſolùm gradu eſſe inceſtuoſam. Vid. Thom. Hurtad. *tr. 1. reſol. 28. n. 299. ſeq.* Perperam hæc omnia, & inſigni cum impietate dicuntur. Morale eſſe & jure naturali conforme totum caput decimum octavum Levitici, jam diu oſtendérunt Theologi. Et ſi gradûs illic prohibiti non pertinerent ad prohibitiones juris naturæ, qvare terra habitatores ſuos evomuiſſe diceretur ob violatos illos gra-

gradûs? Evomitio enim ista, ex concessione Cornelii à Lapide & aliorum, est supplicium malefici contra ipsum jus terræ & naturalem instinctum peccantis.

septimo consangvinitatis] secundum computationem Juris Canonici. Ea enim, cùm de nuptiis qværitur, licitæ sint nec ne, ideò observatur, qvia ejus rei cognitionem, qvæ olim erat principum vel populi, Pontifices suam fecêre conniventibus Principibus, uti notat Cujacius *ad rubr. tit. X. de consang. & affin.* E diverso qvia cognitionem de hereditatibus vel tutelis proximis cognatis deferendis Pontifices non usurparunt, mansit in illis computatio juris civilis. Et eruditè ibidem observat Cujacius, rationem computandi jure Pontificio receptam, non ita vetustam esse, nec antecedere tempora Gregorii I. & Zachariæ Pontificum.

sive affinitatis gradu] Jure civili gradȝ affinitatis nulli sunt, *l. 4. §. 5. ff. de grad. & affin.* Gradus enim proveniunt ex generatione *§. 7. Inst. eod.* Affines autem ab affinibus non generantur, sed causa & fundamentum affinitatis in novis consistit nuptiis, *d. l. 4. §. 3. ff. de grad.* Obtinuit tamen jure Canonico aliqva graduum affinitatis computatio, qvod affinitas simulacrum qvoddam consangvinitatis videretur. Et hinc igitur per modum derivationis ex ratione & gradibus cognationis constituuntur gradus affinitatis; ex se solis & per se non subsistunt. Imò nec considerari possunt sine respectu ad cognationem. Norma enim computandi talis est: *Qvoto gradu cognati conjugum jure consangvinitatis junguntur eorum uni, eodem gradu jure affinitatis jungi intelliguntur alteri.*

& tertio affinitatis genere] Etiam hæc genera sunt inventum juris Pontificii, qvæ tamen qvot numero sint, nisi per canones definitum jam esset, dubitari adhuc non sine ratione posset. Cum enim affinitas non propagatione, sed duorum in unam carnem unione contrahatur, unio autem successivè mortuis prioribus alternatim personis, in infinitum multiplicari qveat, videri hinc posset, in infinitum etiam produci affinitates. Substitêrunt tamen Pontifices in numero ternario, nec affinitatem ultra tria genera extendi voluêrunt. Qvin & posterioribus temporibus secundum & tertium genus temerè excogitatum abrogârunt, eò qvod qvi Uxori non sunt consangvinei, marito ineptè dicerentur affines, & contra. ac proinde non prohibetur qvis Uxorem ducere eam, qvæ fratri Uxoris suæ qvondam nupta fuit. *c. 8. X. de consang. & aff.* Did. Covarruv. *de matrim. part. 2. c. 6. §. 7. num. 6.*

qvartum consanguinitatis gradum] Mutatio hæc facta est in Concilio Lateranensi habito sub Innocentio III. anno Christi MCCXV. Cujacius verò ad *cap. penult. X. de consang. & affin.* putat istam mutationem valdè levem esse; Veteres enim, qvi nuptias prohibuérunt usq; ad septimum gradum cognationis, eam computasse, ut juris civilis auctores; eisq; hominibus simplicioribus hanc mentem fuisse, ut qvem finem leges dederant cognationi (dederant autem septimo gradui, qvia nec ultra eum gradum ferè rerum natura vitam cognatorum consistere patitur) eundem finem imponerent prohibitioni nuptiarum. Per Lateranense igitur Concilium, qvod gradus longè aliter numeravit, non valdè coangustatam esse prohibitionem nuptiarum, neq; enim tres gradus detractos esse, sed unum tantùm. Circa hanc Cujacii sententiam non disputabo, utrum veteres, qvi ad septimum gradum nuptias primùm prohibuérunt, juris civilis computationem secuti fuerint; Id tamen certum est, ante Lateranense concilium, qvod sub Innocentio III. habitum est, prohibitionem usq; ad septimum gradum intellectam fuisse secundum computationem Canonicam. Disertus eâ de re habetur textus *in c. ad sedem 35. q. 5.* ubi Alexander II. qvæstionem, qvam à qvibusdam legum & canonum imperitis excitatam dicit, utrum videlicet legum, an verò canonum computatio in tali prohibitione intelligi & adplicari debeat, ex synodo itidem Lateranensi à se habitâ decisam proponit, & computationem canonicam magno verborum apparatu adstruit. Papatum autem tenuit Alexander II. circa annum MLXIII. Innocentius III. verò circa annum MCCXV. ut adeò intermedio isto tempore, qvod ab Alexandro sancitum fuit, observatum & usu receptum videatur. Nec ergò dici potest, unum tantùm gradum per Innocentii concilium detractum fuisse, (imò nec unus qvidem detractus esset, cùm sobrini sui filiam, qvæ secundum legalem computationem in septimo gradu, secundum canonicam verò in qvarto gradu juncta est, ducere uxorem adhuc prohibitum sit) sed revera tres ultimi gradus revocati sunt, uti dicitur *c. 3. X. de clandestin. desponsat.* Qvod autem ad qvartum usq; gradum inclusivè restricta sit prohibitio, festiva admodum à Pontifice adducitur ratio, *c. 8. X. de consang. & affin.* qvia scil. qvatuor sunt humores in corpore, qvi constant ex qvatuor Elementis, cur non etiam, qvia qvatuor sunt mundi plagæ & cardines? Et tamen istam rationem defendit Bellarminus *de matrimon. c. 29.* Cæterùm, qvæ Pontifici Romano in jure Canonico adscribitur potestas restringendi aut ampliandi gradûs, eam nos tribuimus in qvâvis Rep. illi, qvi τὸ κύριον tenet, dummodo hoc observet, ut ne qvid mutet in gradibus lege divinâ prohibitis; in illis enim nihil qvic-

qvicqvam Principi licet, & nec Pontifici qvidem, ut maximè hoc temerè jactitet. Carpzov. *in Jp. Conſiſt. lib. 2. def. 106.*

primi duntaxat generis] Hæc verba non poſſunt referri ad conſangvinitatem, cujus hîc tantùm fit mentio, ſed affinitatis modum reſpiciunt, cujus ſcilicet ſecundum & tertium genus nuptiis amplius impedimento non eſt. *c. non debet X. de conſang. & aff.* Unde diſtinctionem illam plurium affinitatis generum tantummodo propter canones antiqvos docendi & perſpicuitatis causâ tolerari, cæteroqvi exiguum ejus eſſe uſum, ſcribit Bachovius *not. ad Treutl. vol. 2. diſp. 6. th. 3. lit. B.*

adeò erit irritum] Hoc non dicitur in *cap. penult. X. de conſang. & aff.* unde hæc verba deſumpta ſunt. Et qvorſum aliàs prodeſſet Pontificis diſpenſandi poteſtas toties jactata? ſi ex poſtfacto ille ſubvenire nolit. Concedimus tamen cognationem naturalem in gradibus jure divino prohibitis impedimentum eſſe matrimonii, & contrahendum impediens & contractum dirimens. Vid. Gerhard. *de conjug. num. 649.* imò non tam dirimit matrimonium, qvàm negat formam matrimonio, ut planè non ſit matrimoniû qvanqvâ non deſint, qvi cum Joachimo â Beuſt *tract. de jur. connub. part. 2. n. 52.* putent, remotiores gradus Levitici, ſi qvi ex errore vel ignorantiâ intra illos jam coiérunt, non impedire, ut ſit matrimonium, eò qvod ſingulis non videatur capitis pœna impoſita. Tutius tamen eſt, contrariam tenere ſententiam, cùm de lege nemo planè, niſi qvi eam dedit, diſpenſare poſſit. Atq; hinc neq; cum illis facere poſſum, qvi putant, in caſu ignorantiæ, ubi uterq; conjugum ignorat iſtud impedimentum, neqve â Confeſſore qvidem id eis manifeſtari debere, ſed eos potius in ſuâ ignorantiâ relinqvendos eſſe. Thom. Sanchez *l. 2. de matrim. diſp. 28. n. 6. & 7.*

Infideles intra qvartum gradum conjuncti ſi convertantur, non ſunt ſeparandi, & eorum proles eſt legitima. h. d.

§. 11. Si tamen infideles [c], qvi ſecundum veteris, vel propriæ legis inſtituta, circa gradus conſangvinitatis, vel affinitatis à Canonibus notatos, conjuncti ſunt, Domino inſpirante converſi fuerint, matri-

cap. de infidelib. extr. de conſang. & affin. c. gaudemus. in princ. de Divort.

Digitized by Google

monium antea contractum non erit poſt baptiſmi lavacrum irritandum: cùm per ſacramentum baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur. Unde & proles inde nata legitima cenſebitur.

Si tamen infideles] Matrimonium iſtud ſi in gradibus lege divinâ prohibitis ſubſiſtat, contraria ſententia verior eſt, irritandum ſcilicet eſſe iſtud matrimonium, cùm nemini inter mortales tanta competat poteſtas, ut, qvod irritum eſſe voluit DEUS, ipſe validum reddere qveat. Et imprimis notandum, qvod capitis ſupplicio gradûs prohibitos DEUS muniverit. Qvæ igitur commixtiones jure divino ſub capitis pœna interdictæ ſunt, nunqvam fiunt matrimonia, nec licita nec valida: qvantacunq; etiam humana diſpenſatio accedat; ſed ſunt pertinaces inceſtûs.

non ſolvantur conjugia] Sed nec validantur. Et remittuntur qvidem per baptiſmum crimina, ſi ab eis deſiſtatur, non ſi ea continuentur. Manet enim in permanenti & perpetuo crimine, qvi in matrimonio vivit inceſtuoſo.

Propinqvitas viri reputatur uxoris, & propinqvitas uxoris reputatur viri. h. d.

§. 12. Admonendi etiam ſumus, perinde virum à conſangvineis & propinqvis uxoris abſtinere debere, & uxorem à propinqvis viri, atqve à propriis. Hujus autem rei manifeſta ratio illa eſt, qvia, ſi ſecundum divinam ſententiã ego & uxor mea una caro ſumus[a], profectò mihi & illi mea ſuaq; cognatio una propinqvitas efficitur. Qvocirca ego & ſoror meæ uxoris in uno & primo gradu erimus, filius verò ejus in ſecun-

i. æqualiter cum duobus ſeqq. 35. q. 3.

a cap. fin. in medio extr. de bigamis.

ſecundo gradu erit à me, nepos tertio, & ſic deinceps. Uxorem verò propinqvi, cujuscunq; gradus ſit, ita me oportet attendere, qvemadmodum ſi ejusdem gradus fœmina propriæ propinqvitatis exiſtat: qvod nimirum & uxori meæ de propinqvitate mea, in cunctis cognationis gradibus, convenit obſervare.

una caro ſumus] Hæc ratio ſola non videtur ſufficere, niſi qvatenus affinitas per copulam carnalem jam conſummata eſt. Una caro enim fiunt conjuges demum per copulam. At verò affinitas etiam per ſponſalia contrahitur, propterea qvia inter perſonas deſponſatas per fidem conjugalem matrimonium jam inchoatum eſt, & in hoc ſcilicet juſtitia publicæ honeſtatis attenditur.

mihi & illi mea ſuaqve] Obſcura hæc eſt ſententia. Senſus hic eſt: cognatos Uxoris mihi, & meos cognatos Uxori fieri propinqvos. Utriusqve autem cognatio non fit una inter ſe propinqvitas, uti ex ſeqvente paragrapho patebit.

qvemadmodum ſi ejusdem gradus fœmina] Eodem ſcilicet gradu, qvo qvis cognatus eſt marito, fit Uxori affinis & qvaſi cognatus: & ex contrario, qvo gradu qvis uxori cognatus eſt, eodem fit affinis & qvaſi conſangvineus marito.

Conjuncti uxoris non impediuntur matrimonium contrahere cum conjunctis viri. b. d.

§. 13. Qvanqvam autem omnes conſangvinei viri[b] uxoris ſint affines, inter conſangvineos tamen uxoris & viri nulla intelligitur eſſe affinitas contracta, propter qvam inter eos matrimonium debeat impedi-

b *cap. qvod ſuper. extr. de conſang. & affin.*

pediri. Pater igitur & filius cum matre & filia, item duo cognati cum duobus cognatis, licitè contrahere poterunt.

nulla intelligitur esse affinitas contracta] Qvia scilicet maritus & Uxor fiunt per copulam carnalem una caro, non autem utriusqve cognati fiunt inter se una caro, aut si in nudis sponsalibus subsistimus, sponsus & sponsa sibi invicem, qvod fieri velint una caro, promittunt, id verò non promittunt utriusq; cognati. Et hinc JCti illud Modestini *in l. 4. §. 3. ff. de gradib.* dum ait, *affines ideò dici, qvod inter duas cognationes altera ad alterius finem accedat*, illustrant exemplo agrorum confinium. Ut enim ager meus non toti agro vicini mei est affinis, sed fini tantùm & extremitati ejus: ita cognatio mea non toti cognationi Uxoris meæ est affinis, sed fini tantùm ejus, i. e. Uxori meæ, & contra.

Pater igitur & filius] Nec enim filia meæ Uxoris ex alio marito, filio meo ex aliâ Uxore affinis est, etiamsi fratrem communem ex novo nostro matrimonio susceptum habeant, *l. 34. §. 2. ff. de R.N.* nec confoceri qvoqve, i. e. pater mariti, & mater Uxoris inter se sunt affines,

Qvi cognovit consangvineam uxoris sua, non potest debitum petere, licet reddere teneatur & uxori superstes, carebit spe conjugii. h. d.

c *l. transmisse. extr. de eo qvi cognov. consang.*

§. 14. Si[c] qvis autem, contracto matrimonio, consangvineam uxoris suæ cognoverit: utputà, si vitricus privignam, vel maritus sororem propriæ uxoris adulteravit, matrimonium qvidem antea contractum non dirimitur: sed qvi se ita contra leges alteri commiscuit, à conjuge nunqvam debitum petere poterit, nec cum aliqva legitimas unqvam nuptias contrahere, licet propriæ uxori supervixerit.

matrimonium qvidem antea contractum non dirimi-

rimitur] Aliud sentit Zacharias Papa *c. concubuisti 32. q. 7.* ubi uxori innocenti potestatem dat nubendi, cui velit. Et sanè, ut supra diximus, ex mente & explicatione Salvatoris nostri contra juris Canonici placita tenendum est, per adulterium, etiam simplex & non conjunctum cum incestu, solvi matrimonium qvoad ipsum vinculum, ita ut integrum sit parti innocenti aliud inire matrimonium. Si tamen post commissum adulterium inter partes copula carnalis repetita fuerit, dum tamen pars innocens adulterium commissum non ignoraverit, reconciliatio facta, & noviter consensus in matrimonium utrinqve datus, matrimoniumq; ipsum redintegratum censetur.

nunqvam debitum petere poterit] Reddere tamen id potest & debet, si provocatus fuerit & reqvisitus, & tunc ad ipsam non sine gravi cordis dolore accedat, uti habetur *c. X. de eo qvi cognov. consf.* Sed enim non satis congrua hæc videtur esse pœna, nec benè conveniunt, adstruere matrimonium, & in eo tamen destruere jus mariti.

nec cum aliqva] Valde id durum est, ustionibus, qvæ abesse vix possunt, omnem denegare extinctionem. Qvin potius facimus cum Gerhardo *de conjug. num. 622.* & in tali casu, ubi continere incestuosus amplius non potest, sub certis conditionibus, qvæ ibi latius explicantur, potestatem ei damus ineundi novum matrimonium.

Uxor, cujus consangvinea à proprio viro cognita est, monenda est, non cogenda, ad continentiam. h. d.

§. 15. Uxor qvoqve, cujus consangvinea à proprio marito fuit cognita, diligenter est commonenda, ut à commixtione viri abstineat [d], & in continentia maneat, donec vir viam universæ carnis ingressus fuerit. Qvòd si forte monitionibus parere recusans, talis fuerit, ut de lapsu ipsius probabiliter timeri possit, vir ejus & poterit & debebit debitum sibi solvere

[d] *cap. pen. & fin. extr. de eo qvi cogn. consang.*

Digitized by Google

e *cap. discretionem. in fin. & cap. pen. extra. d. tit.*

conjugale : cùm e affinitas poſt matrimonium iniqvè contracta illi nocere non debeat, qvæ iniqvitatis particeps non exiſtit.

ut â commixtione Viri abſtineat] At iniqvum planè eſt, ut pars innocens privetur ſuo debito, culpâ partis fœdifragæ qvoqvo modo contractâ. qvod & agnoſcit in fine hujus paragraphi autor. Et cur verò ipſa abſtinere debeat, cum matrimonium inceſtu prius fuerit, atq; id nullâ ſuâ culpâ violatum.

Subſeqvens affinitas non dirimit matrimonium, ſed præcedens legitimè probata. h. d.

§. 16. Ergo præcedens affinitas, non ſubſeqvens, dirimit matrimonium. Sed nec id qvidem indiſtinctè obtinet. nam [a] etſi utriusq; conjugum conſtet aſſertione, acclamante etiã vicinia, qvòd conjugatus ante contractum matrimonium uxoris ſuæ conſangvineam cognoverit, propterea conjuges ſeparari non debent: nec enim talis confeſſio momentum habere debet, cùm alioqvi facilè fieri poſſit, ut, qvicunqve inter ſe contra matrimonium velint colludere, ad confeſſionem inceſtus facilè proſiliant, ſi ſuæ aſſertioni Eccleſiæ judicium acceſſurum credant. Rumor autem viciniæ non eſt adeò judicandus validus, ut, niſi fide dignæ probationes accedant, poſſit ritè contractum matrimonium irritare.

a *cap. ſupr. eo. extra. de ea qvi cogno. conſang.*

diri-

dirimit matrimonium] Affinitas per fornicationem contracta, ut si qvis duceret sororem Titiæ, qvam Titiam antea polluerat per stuprum vel adulterium, non est causa privativa dirimens matrimonium jam contractum, sed est causa negativa prohibens, ne inter tales existere possit matrimonium.

nam etsi utriusq;] Multum facit confessio utriusq; partis in judicio, multum etiam testimonium viciniæ, nisi favor rei repugnet. Dornsperg. *in syntagm. jur. lib. 1. c. 4. n. 11.* Contra matrimonium igitur, cujus favor semper est maximus, si tales probationes obveniant, cautus omninò & circumspectus debet esse judex, ne promiscuè omnibus credat, cum fieri possit, ut ex collusione nascantur, qvâ scilicet id agitur, ut divortii causa instruatur. Si tamen pateat, utrumq; velle matrimoniũ valere, & uterq; nihilominus impedimentum dirimens confiteatur, concurrente famâ vel tertio accusante, videtur sufficere ista confessio ad dissolutionem. Vid. H. Zoes. *ad decretal. tit. qvi matrim. accus. poss. num. 9.*

DE CLANDESTINA DESPONSATIONE,

TITULUS XIIII.

DUbitare licet, utrum rubrica hæc nigro respondeat. Agitur enim hîc de matrimonio & nuptiis, non de sponsalibus clandestinis, neq; prohibitio clandestini matrimonii extendi debet ad clandestina sponsalia, præsertim cum causam prohibitioni dederit adulteriorũ freqventia, qvæ in sponsalibus non ita occurrebat. H. Zoes. *ad h. t. Decretal. n. 5.* Sponsalia autem in Ecclesiis nostris duplici modo clandestina fiunt & dicuntur. 1. strictè & propriè, qvando nullis adhibitis testibus inter partes sui juris contrahuntur, 2. latè, qvando à liberis sine consensu parentum celebrantur, ut maximè plurimi adhibeantur testes.

Prohibentur matrimonia contrahi clandestinè, ne postea oporteat illa dissolvere. h. d.

§. 1. Ne[b] tamen post secutam copulam & susceptam prolem, detectis qvibusdam impedimentis, non sine gravi scandalo contracta matrimonia retractari

b *glo. in sum. 30. q. 5. & can. si qvis divinis. §. his itaqve. d. 30. q. 5.*

Digitized by Google

oporteat, néve, ſi alter conjugum, qvi clàm contraxerint, conjugium negaverit, legitimis probationibus deficientibus, Judicis ſententiâ ritè fuerit abſolutus, uterqve aliis nubendo reatum incurrat adulterii, conſultiſſimè conſtitutum eſt[c], ut nullus fidelium occultè nuptias contrahat. Sed cum matrimonia contrahenda fuerint[d], per presbyterum proponantur publicè, competenti termino præfinito, intra qvem, qvi voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat, & ut ipſe qvoqve presbyter per ſe inveſtiget, utrum aliqvod futuro matrimonio obſiſtat impedimentum.

c *can. 22. 30. q. 5.*

d *cap. cùm inhibitio. in prin. extra. de Claud. deſp.*

proponantur publicè] Finis hujus denunciationis eſt duplex, alter, cujus hîc fit mentio, ut de impedimento matrimonii, ſi qvod fuerit, conſtet; alter, ut Eccleſiæ precibus novi conjuges commendentur. Apud nos, eos in fines tribus diſtinctis vicibus ex ſuggeſtu denunciantur, niſi ſpecialiter diſpenſatio impetrata fuerit. Vid. Carpzov. *in Jp. Conſiſt. lib. 2. def. 137. ſeq.*

ipſe qvoqve presbyter] Inveſtigatio hæc presbyteri etiam ante proclamationem fieri debet. Nec enim proclamari debent deſponſati, ſicubi impedimentum aliqvod compertum fuerit. Inveſtigatio autem illa qvomodo fieri debeat, enucleatè traditur in ordinatione Eccleſiaſtica Elect. Saxon. *art. gen. 13. & Ordin. matrim. punct. 5.*

e *d. cap. cùm inhibitio. §. cùm autem. ext. eod. tit.*

Suſpenditur contractus matrimonii, donec extat præſumptio, qvòd non poſſit contrahi. h. d.

§. 2. Cujus[e] ſi apparuit probabilis conjectura, contra-

tractus expreſsè interdicetur, donec, qvid fieri debeat, manifeſtis conſtiterit documentis.

contractus expreſsè interdicetur] nuptialis ſcil. qvo conſummatur matrimonium. Sponſalitius enim contractus, qvi præceſſit, interim eſt in ſuſpenſo, donec de impedimento definiatur.

Nati ex clandeſtinis & interdictis matrimoniis non ſunt legitimi, licet nati ex matrimonio contracto in faciem Eccleſiæ ante ſententiam divortii ſint legitimi, niſi uterq; conjugum noverit impedimentum. h.d.

§. 3. Qvicunq; [f] verò hujusmodi clandeſtina & interdicta conjugia inire auſus fuerit, etiam ignoranter, proles ex hujusmodi conjunctione ſuſcepta, prorſus illegitima cenſebitur, nec de parentum ignorantia ullum eſt habitura ſubſidium: cùm ſic contrahentes, vel non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur, licet alioqvi, ſi ignorantes [g] in faciem Eccleſiæ contraxerint, ante latam ſententiam divortii nati, & legitimi habeantur, & in bona paterna hæreditario jure ſuccedant. Idem juris erit, ſi in conſpectu qvidem Eccleſiæ contraxerint, ſed impedimentum ambo noverint.

f *d. cap. cùm inhibitio. §. ſi qvis. extr. eod. tit.*

g *c. cum inter. Qvi filii ſint legitimi.*

etiam ignoranter] ſcil. in gradu prohibito, uti additur in *c. fin. §. ſi qvis. X. h. t.* & omninò addendum eſt, cum aliàs ſenſus naſcatur obſcurior. Clandeſtina enim conjugia nemo facilè ignoranter inire dicetur. Cæterùm de clandeſtinitate ſolâ, cui nullum aliud accedit impedimentum, notant Canoniſtæ, denunciationes & celebrationem nuptiarum in facie Eccle-

fiæ ſpectare duntaxat ad ſolennitatem, & propterea ſi omittantur, non irritari propterea matrimonium, ſed reddi tantùm clandeſtinum. Andr. Vallenſ. *tit. de clandeſt. deſponſ. n. 5.* Tridentina tamen ſynodus ea omninò irrita pronunciavit, *ſeſſ. 24. c. 1. de reform.* Id verò num potuerit, meritò dubitamus, cum Eccleſiæ in jus naturæ & divinum nulla omninò competat poteſtas, qvod qvidem ſubſtantiam negocii concernit. Sed & apud veteres Eccleſiæ Doctores reprehenſa fuérunt ſæpiuſculè iſtiusmodi conjugia. Graviter Tertullianus *lib. de pudicit. c. 4. penes nos*, inqvit, *occultæ qvoq; conjunctiones, i. e. non prius apud Eccleſiam profeſſæ juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.*

cum ſic contrahentes] Maxima enim ſuſpicio eſt adverſus eos, qvi legum ſolennia contempsére. Non igitur ſufficit bona fides ſive ignorantia impedimenti, ſi clam contractum fuerit matrimonium. Nec è contrario ſufficit ritè & publicè celebratum conjugium, ſi contrahentes impedimentum ſubeſſe ab initio notum habuerint. Duo enim reqviruntur, ut filii legitimi dicantur, videlicet ſolennis conjugii ritus & parentum bona fides. Gabr. Palæotus *de noth. & ſpur. cap. 9. n. 5.*

licet alioqvin] Senſus hic eſt: Excuſata non eſt eorum ignorantia, qvi clam fecérunt nuptias. At ſi palam celebratæ fuerint nuptiæ in conſpectu totius Eccleſiæ, ita excuſata eſt eorum ignorantia, ut, etiamſi poſtea impedimentum aliqvod ſe exſeruerit, & propter id per ſententiam divortium interceſſerit, liberi tamen ante iſtam ſententiam & nati & concepti pro legitimis haberi debeant. Qvod verò hîc dicitur de contractu nuptiali, qvi fit in conſpectu Eccleſiæ, id tùm de publica denunciatione intelligi poteſt, tùm de benedictione & copulatione Sacerdotali. Sanè Conjuges olim fermè ab Eccleſiaſticis poſtulabantur, atq; hi ſuper matrimonio conſulebantur, aut ſaltem apud eos matrimonii profeſſio fiebat, qvi deinde benedictionem addebant. Vid. Selden. *de Uxor. Hebr. l. 2. c. 28. 29.* Sed iſte benedictionis ritus primis Eccleſiæ ſeculis domi fiebat, non in conſpectu totius Eccleſiæ, uti obſervat Jacobus Gothofredus *ad l. 3. Cod. Theod. de nupt.* Qvæ tamen deinceps ut præſente populo fieret, ad honeſtatem pertinuiſſe viſum fuit.

Idem juris erit] ſcil. qvod proles ſit illegitima. Verba enim proximè antecedentia (*licet alioqvi* &c.) parentheſi includenda ſunt.

Sacerdos contemnens conſtitutiones Eccleſiæ punitur pro qvalitate culpæ, & clandeſtina matrimonia, ſi publicentur, recipit Eccleſia. h. d.

§. 4. Sa-

Digitized by Google

§. 4. Sanè [a] si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, per triennium ab officio suspendendus erit: graviùs etiam puniendus, si culpæ qvalitas postulaverit. [b] Verùm (ut suprà indicavimus) si contrahentes clandestina matrimonia publicare voluerint, nisi alia causa impediat, ab Ecclesia recipienda sunt, tanqvam à principio in Ecclesiæ conspectu contracta.

[a] *d. cap. cùm inhibitio. §. fin. extr. eod. tit.*

[b] *c. qvod nobis, ver. verum h.t.*

si parochialis sacerdos] i. e. rector & minister Ecclesiæ, qvi certæ Ecclesiæ sibi destinatæ præest, & totam parochiam gubernat.

tanqvam à principio] Consequitur hinc, etiam liberos ex eo matrimonio natos, post ratihabitionem & approbationem Ecclesiæ esse legitimos, uti expressus habetur textus in *c. 9. X. qvi fil. sint leg.* Hic enim est effectus retrotractionis. Et in hoc benignius est jus Canonicum, qvàm civile, qvippe qvod nuptias sine patris consensu à filio factas, post ratihabitionem patris non ita confirmat, ut retrò legitimæ efficiantur, sed ex eo demum tempore justæ intelliguntur nuptiæ, ex qvo eas ratas habuit pater *l. 11. ff. de stat. hom. l. 65. §. 1. ff. de R.N. l. 13. §. 6. ff. ad L. Jul. de adult.*

QVI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSUNT, VEL CONTRA ILLUD TESTIFICARI,

TITULUS XV.

Non admittitur ad accusandum matrimonium, qvi tempore denunciationis siluit, nisi juret de calumnia, & qvòd post denunciationem cognovit, qvæ objecturus est, & negligentia authoris mei non intelligitur esse mea. h.d.

§. 1. Non tamen qvandocunq;, aut indistinctè omnes ad matrimonium impugnandum admittendi e-

ſiæ ſpectare duntaxat ad ſolennitatem, & propterea ſi omittantur, non irritari propterea matrimonium, ſed reddi tantùm clandeſtinum. Andr. Vallenſ. *tit. de clandeſt. deſponſ. n. 5.* Tridentina tamen ſynodus ea omninò irrita pronunciavit, *ſeſſ. 24. c. 1. de reform.* Id verò num potuerit, meritò dubitamus, cum Eccleſiæ in jus naturæ & divinum nulla omninò competat poteſtas, qvod qvidem ſubſtantiam negocii concernit. Sed & apud veteres Eccleſiæ Doctores reprehenſa fuérunt ſæpiuſculè iſtiusmodi conjugia. Graviter Tertullianus *lib. de pudicit. c. 4. penes nos*, inqvit, *occultæ qvoq; conjunctiones, i. e. non prius apud Eccleſiam profeſſæ juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.*

cum ſic contrahentes] Maxima enim ſuſpicio eſt adverſus eos, qvi legum ſolennia contempsére. Non igitur ſufficit bona fides ſive ignorantia impedimenti, ſi clam contractum fuerit matrimonium. Nec è contrario ſufficit ritè & publicè celebratum conjugium, ſi contrahentes impedimentum ſubeſſe ab initio notum habuerint. Duo enim reqviruntur, ut filii legitimi dicantur, videlicet ſolennis conjugii ritus & parentum bona fides. Gabr. Palæotus *de noth. & ſpur. cap. 9. n. 5.*

licet alioqvin] Senſus hic eſt: Excuſata non eſt eorum ignorantia, qvi clam fecérunt nuptias. At ſi palam celebratæ fuerint nuptiæ in conſpectu totius Eccleſiæ, ita excuſata eſt eorum ignorantia, ut, etiamſi poſtea impedimentum aliqvod ſe exſeruerit, & propter id per ſententiam divortium interceſſerit, liberi tamen ante iſtam ſententiam & nati & concepti pro legitimis haberi debeant. Qvod verò hîc dicitur de contractu nuptiali, qvi fit in conſpectu Eccleſiæ, id tùm de publica denunciatione intelligi poteſt, tùm de benedictione & copulatione Sacerdotali. Sanè Conjuges olim fermè ab Eccleſiaſticis poſtulabantur, atq; hi ſuper matrimonio conſulebantur, aut ſaltem apud eos matrimonii profeſſio fiebat, qvi deinde benedictionem addebant. Vid. Selden. *de Uxor. Hebr. l. 2. c. 28. 29.* Sed iſte benedictionis ritus primis Eccleſiæ ſeculis domi fiebat, non in conſpectu totius Eccleſiæ, uti obſervat Jacobus Gothofredus *ad l. 3. Cod. Theod. de nupt.* Qvæ tamen deinceps ut præſente populo fierent, ad honeſtatem pertinuiſſe viſum fuit.

Idem juris erit] ſcil. qvod proles ſit illegitima. Verba enim proximè antecedentia (*licet alioqvi* &c.) parentheſi includenda ſunt.

Sacerdos contemnens conſtitutiones Eccleſiæ punitur pro qvalitate culpæ, & clandeſtina matrimonia, ſi publicentur, recipit Eccleſia. h. d.

§. 4. Sa-

Digitized by Google

§. 4. Sanè [a] si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, per triennium ab officio suspendendus erit: graviùs etiam puniendus, si culpæ qvalitas postulaverit. [b] Verùm (ut suprà indicavimus) si contrahentes clandestina matrimonia publicare voluerint, nisi alia causa impediat, ab Ecclesia recipienda sunt, tanqvam à principio in Ecclesiæ conspectu contracta.

[a] *d. cap. cùm inhibitio. §. fin. extr. eod. tit.*

[b] *c. qvod nobis, ver. verum. h. t.*

si parochialis sacerdos] i. e. rector & minister Ecclesiæ, qvi certæ Ecclesiæ sibi destinatæ præest, & totam parochiam gubernat.

tanqvam à principio] Consequitur hinc, etiam liberos ex eo matrimonio natos, post ratihabitionem & approbationem Ecclesiæ esse legitimos, uti expressus habetur textus in *c. 9. X. qvi fil. sint leg.* Hic enim est effectus retrotractionis. Et in hoc benignius est jus Canonicum, qvàm civile, qvippe qvod nuptias sine patris consensu à filio factas, post ratihabitionem patris non ita confirmat, ut retrò legitimæ efficiantur, sed ex eo demum tempore justæ intelliguntur nuptiæ, ex qvo eas ratas habuit pater *l. 11. ff. de stat. hom. l. 65. §. 1. ff. de R. N. l. 13. §. 6. ff. ad L. Jul. de adult.*

QVI MATRIMONIUM ACCUSARE POSSUNT, VEL CONTRA ILLUD TESTIFICARI.

TITULUS XV.

Non admittitur ad accusandum matrimonium, qvi tempore denunciationis siluit, nisi juret de calumnia, & qvòd post denunciationem cognovit, qvæ objecturus est, & negligentia authoris mei non intelligitur esse mea. h. d.

§. 1. Non tamen qvandocunq;, aut indistinctè omnes ad matrimonium impugnandum admittendi e-

di erunt. Nam si qvis tempore factæ à sacerdote denunciationis [c] in ipsa diœcesi constitutus, nihil contra matrimonium dixerit, eidem mox conjunctos impetere minimè concedendum erit, nisi proprio firmaverit juramento, qvòd ea, qvæ objecturus est, posteà didicerit, qvodq; ad accusandum dolo non prosiliat: qvo casu etiam si, qvod objecturus est, ab illis didicisset, qvi denunciationis tempore siluerunt, claudi non debet ei accusandi aditus: qvoniam, etsi ab impetitione hujusmodi, culpa ex tali silentio contracta, authores excludat, iste tamen, qvi culpa caret, amoveri non debet.

[c] *cap. cùm in tua. §. alioqvin. extra. qvi matrim. accus. poss.*

minimè concedendum erit] Habent enim trinæ istæ proclamationes seu denunciationes vim peremptoriæ citationis cum adjunctâ pœnâ silentii, qvod post destinati temporis effluxum, qvi matrimonium istud impedire velint, audiri amplius non debeant, etsi matrimonium benedictione sacerdotali nondum fuerit consummatum. Matth. Berlich *decis. 76.* Distingvendum tamen puto, utrum allegetur ab accusante impedimentum, qvod dirimit matrimonium, an verò tale, qvod planè negat matrimonium. Circa prius dubium non est, post terminum præfixum admitti id amplius non debere. E.g. si qvis sciens matrimonium consummari & audiens denunciationes Ecclesiasticas, velit deinde post effluxum terminum conjugium id propterea dirimi, qvòd ipse cum novâ nuptâ priora habuerit sponsalia, ille utiq; audiri deinde amplius non debet, cum utiq; per silentium suum qvasi cesserit jure suo, & grave nunc sit matrimonium jam plenè consummatum dirimere. Qvod si verò tale allegetur impedimentum, qvod planè negat matrimonium, & ita obstat, ut matrimonium existere omninò non possit, ei utiq; per silentium ejus, qvi compertum id habet, præscribi non potest. E.g. si juncti fuerint sibi in gradibus lege divinâ prohibitis; qvale conjugium, ut maximè tacuerit is, qvi ejus rei conscius fuerit, nullo unqvam tempore convalescit.

valeſcit. Et huc pertinet id, qvod dixit autor ſupra *tit. 13. §. conſtitutum igitur, in fin.* matrimonium tale ita irritum eſſe, ut nullo annorum numero defendi poſſit. Proinde facere neqveo cum Alexandro III. Pontifice, qvi *cap. 3. eod. in prim. compil.* matrimonium inter conſangvineos contractum excluſo accuſatore confirmat, niſi talem conſangvinitatis gradum intellectum velit, qvi non jure divino, ſed Eccleſiaſtico & Pontificio fuit prohibitus. Hoc enim ut ſentiam, facit ratio ibidem adducta, qvod ſcil. tolerabilius ſit aliqvos contra ſtatuta hominum copulatos relinqvere, qvàm conjunctos qvoslibet legitimè contra ſtatuta domini ſeparare.

autores excludat] At poſſent illi ita ſubornare tertium, illi hoc manifeſtando, & ad accuſandum inſtigando, ut propterea, qvod ipſis per ſe facere integrum non eſt, per alium efficere non prohibeantur. Huic verò incommodo obviam itur per juramentum, de qvo dixit, qvo ſcil. jurare tenetur accuſator, qvod ad accuſandum dolo non proſiliat. At dolo non caret, qvi inſtigante alio accuſat, aliàs non accuſaturus.

Ex cauſa etiam poſt denunciationem poteſt qvis matrimonium accuſare, hoc dicit.

§. 2. Idem juris erit [d], ſi tempore denunciationis, vel extra diœceſim commorabatur, vel aliàs denunciatio ad ejus notitiam pervenire non potuit: utputà, ſi nimiæ infirmitatis fervore laborans, mentis non erat compos, vel in annis tam teneris conſtitutus erat, ut ad talium rerum perceptionem ejus ætas ſufficere non valeret, ſive alia legitima cauſa fuerit impeditus.

d *cap. cùm ut tua. §. ſuper qvo. extra eod. tit.*

extra diœceſin commorabatur] Nec abſentia qvidem regulariter per ſe ſola excuſat, niſi talis fuerit, ut id, de qvo qværitur, veriſimiliter ad notitiam abſentis pervenire non potuerit. Aug. Barboſ. *ad c. 6. X. h. t. num. 3.*

Ad accuſandum matrimonium, non ex cauſa delicti, ſoli conjuges admittuntur. h. d.

§. 3. Sed nec omnes ad accuſationem, teſtimoniumve dicendum admitti debent: nam ſi de tali impedimento agendum ſit, qvod neq; conjugum in ſe delictum contineat, nec ob id matrimonium diſſolvi cujusqvam interſit, præterqvam ipſorum conjugum (utputà, ſi erratum in conditione ſtatus fuerit, vel ſi mulier ita ſit arcta, ut cognoſci non poſſit, vel vir ita frigidus, ut coire neqveat) ſoli ipſi conjuges admittentur.

c. propoſuit, de Conjug. ſerv. c. conſultationi. de frigidis.

cujusqvam interſit] Jus tertii enim non poteſt ab alio opponi, ſi ipſe tertius nunqvam eâ de re fuerit conqveſtus. Roland. à Valle 2. *conſil. 57. num. 10.* Fieri tamen poteſt, ut alterius alicujus interſit, conjugium inter tales perſonas initum fuiſſe. E. g. Rex Hiſpaniæ unicum habet filium Regni ſucceſſorem & heredem: filius ducit Uxorem, eam verò ita arctam, ut mulier fieri non poſſit. Qværitur, an non pater hic accuſare poſſit matrimonium filii, qvod ſua interſit, familiam & ſtemma conſervari? Canoniſtæ hic ſine dubio affirmativam eligent ſententiam. Ego tamen nihil muto, dummodo ipſimet conjuges diſcedere matrimonio nolint. His enim ſeparationem flagitantibus, qvin pater ſuo qvoq; nomine accedere poſſit, nullus dubito.

Ad accuſandum matrimonium ex cauſa delicti, omnes admittuntur, ſed potiſſimùm conjunctiores, antiqviores, & honeſtiores. h. d.

§. 4. Qvòd ſi delictum contineat, ut, qvia aliqvi in gradu vetito vel contraxiſſe, vel contrahere velle dicantur, tunc qvilibet qvidem ad accuſandum recipitur; ſed omnium maximè parentes [a], &, ſi ii deſint, proximiores, id eſt, ſoror, frater, patruus, avunculus,

[a] *cap. videtur. ext. eod. tit.*

culus , amita, matertera, eorumq; deſcendentes. Qvòd ſi progenies tota defecerit[b], ab antiqvioribus,& honeſtioribus , qvibus eadem propinqvitas nota veriſimiliter eſſe debeat , accuſatio, teſtimoniumve recipi poterit. Ideò autem omnium maximè parentes, & conjunctiores admittuntur, qvoniam unusqvisq; ſuam genealogiam cum teſtibus & chartis,tum verò ex recitatione majorum ſcire laborat. Nulli igitur decentiùs admitti debent,qvàm qvi meliùs ſciunt.

b *can. 1. cum palea ſeqv. 35. q. 6.*

ſed omnium maximè] Videndum tamen, ne & hi ſint corrupti,& conjugium temerè impugnent,ſaltem ut divortium,qvod alter conjugum petit,eò facilius decernat judex.

Speciale eſt in cauſa matrimonii , qvòd pater admittitur in cauſa filii,& è contrà. Et teſtimonium parentum interdum non debet admitti, ubi eſt diſparitas inter conjuges. h.d.

§. 5. Qvod[c] autem legitur , pater non recipiatur in cauſa filii,nec filius in cauſa patris , in criminalibus cauſis & contractibus ſibi locum vendicat. In matrimonio verò conjungendo & impediendo , ex ipſius conjugii prærogativa , &, qvia favorabilis res eſt, congruè admittuntur. Ubi tamen[d] alter conjugum divitiis, honore, nobilitate,& potentia ſuperior eſſet,teſtimonium illius , qvi parens eſſet inferioris , adeò ſuſpectum redditur,ut illud nullo mo-

c *cap. videtur. §. qvod verò. extr. eod. tit.*

d *capit. ſuper eo. extr. de teſtib.*

Digitized by Google

do sit admittendum: cùm parentes filiorum incrementum, & honorem affectare procul dubio comperiantur.

in criminalibus causis] ita ut in his no qvidem contra se invicem admittantur. In liberis enim obstat reverentia naturalis, in parentibus amor erga liberos. Utrobiq; perjurii suspicio, qvæ subest, à testimonio repellit. Sunt tamen, qvi in casu, qvo veritas aliter haberi non potest, etiam contra parentes vel liberos testimonium admittunt, Prosper Farinac. *de testib. qv. 54. num. 171.* Anton. Gomez *tom. 3. resolut. c. 12. n. 24.* Id tamen testimonium imbecillius est, qvàm ut inde probatio haberi possit omni exceptione major.

In matrimonio verò conjungendo] Cæteris paribus, qvando scil. in talibus personis non concurrit alia qvalitas, por qvam à testimonio rejiciantur. Si enim qvalitas alia concurrit ultra aut præter consangvinitatem, standum erit tùm regulæ communi, qvæ habetur in *l. 9. ff. de testib. & l. 6. Cod. eod.* Petr. Paul. Paris. *part. 3. consil. 56. n. 30, 31.* Atq; hinc, qvando qvæstio est, an matrimonium contractum sit vel non, alterutrâ parte negante, testes non erunt admittendi pater aut filius. Prosper Farinac. *de testib. qv. 54. n. 192.*

qvi parens esset inferioris] Judicis arbitrio id committendum est, qvi dispiciet, utrum testes ejusmodi sint, qvi lucri causâ videantur ad facinus qvodvis prompti ac proclives. Suspectos verò non paupertas sed egestas facit. Pauperes unde vivant, habent: egeni nihil habent. Illos non tenuitas, sed mores suspectos faciunt; hos etiam sola mendicitas suspectos reddere potest. Anton. Matthæ. *de criminib. tit. de probat. cap. 2. num. 10.* præsertim si concurrant alia, qvæ suspicionem aggravare solent.

Qvales esse, & qvaliter jurare debeant testes super consangvinitate. h. d.

e *cap. qvoties. ext. de testib. e. notificamus tibi 35. qv. 6.*

§. 6. Qvoties[e] ergo aliqvi propter cognationem propinqvitatis separari petuntur, duobus vel tribus ejusdem consangvinitatis testibus adhibitis, vel totidem

tidem senioribus & melioribus ejusdem loci, id debet legitimè comprobari. Testium autem examinatio in hac causa duplicis interventu juramenti fieri debet: ut jurent, scilicet, & se non privato odio, neq; amicitiâ, nec alicujus proprii commodi intuitu, ad hoc jurandum inductos: &, sicut ipsi dicunt, rei veritatem à majoribus accepisse, & se credere ita esse.

c. *parentula 2. ibid.*

duplicis interventu juramenti] At non duplex necesse est ut formetur juramentum, sed qvæcunq; hic recēsentur, omnia ea juramento testium uni & simplici inseri solent. Sigism. Scaccia *de judic. lib. 2. c. 8. num. 619.* Ayrer. *in process. l. 1. c. 8. num. 8. 15.* nisi ex diversis capitibus, qvæ qvandoq; continet formula, diversum qvoqve & multiplex facere velis juramentum, totqve juramenta præstari dixeris, qvot fuerint capita.

Probatio matrimonialis impedimenti non potest reprobari. h. d.

§. 7. Præstitis f autem juramentis, & impedimento matrimonii legitimè probato, si qvis contra præcedentem probationem partibus publicatam, qvasi matrimonium impediri jure non valeat, probare velit, audiendus non erit, sed priori standum erit probationi.

f *capit. jurav. extr. de probat.*

audiendus non erit] Desumptus est hic paragraphus ex *cap. juravit 6. X. de probat.* sed qvod ipsum mutilatum fuit â compositore juris Canonici, dum antiqva decretalis, qvæ extat in secundâ compilatione *cap. 4. eod. tit.* unum tantùm testem in contrarium introductum fuisse, & de unius hinc testimonio curandum non esse disertè definit. Hæc dum omisit autor juris Canonici, & generaliter de probationibus contrariis non admit-

mittendis capitulum concepit, id suâ hâc mutilatione fecit, ut multùm nunc sint solliciti Interpretes, qvâ ratione conciliari cum hoc capitulo qveat textus in *cap. series 26. X. de testib.* qvi graviter obstare videtur. Alii *cap. junvit* interpretantur de matrimonio contrahendo per verba de futuro, *cap. series* autem de matrimonio contrahendo per verba de præsenti, qvod post publicata attestata illic nõ admittantur aliæ, hic autẽ admittantur probationes, ideò scil: qvia in matrimonio de præsenti vertitur periculum animæ, qvale non sit in matrimonio de futuro. Joh. Aloys. Riccius *decis. 1769.* Alii *cap. juvavit* accipiunt de eo casu, qvando publicata jam sunt attestata, *cap. series* autem, qvando publicata ea nondum sunt. Cujac. *ad d. cap. juvavit.* Alii aliter. Sed hæc ita ferè divinare nunc licet, cum in textu altero tale qvid disertè non habeatur, & solâ compilatoris culpâ talis contrarietas contigerit, non extitura aliàs, si verba & sensum decretalis primævum retinuisset.

DE DIVORTIIS,

TITULUS XVI.

Divortium est dissolutio matrimonii. Et separatio thori potest appellari divortium. h. d.

§. 1. Divortium[a] est dissolutio matrimonii, qvæ utroqve vivente conjuge contingit. Sed & simplicem thori separationem divortium non malè appellamus.

a *can. 1. in gloss. 32. q. 7. & glos. 2. in can. omne 27. q. 2.*

non male] Non tamen propriè, qvia divortium proprium perpetuum discessum includit, *l. 3 ff. de divort.* at separatio qvoad thorum & mensam fit tantùm ad aliqvod tempus, nec tali separatione, uti per verum divortium, solvitur ipsum matrimonii vinculum. Carpzov. *in Jp. consistor. lib. 2. def. 210.* Latius igitur patet divortii appellatio in jure Canonico, qvàm in jure civili. Cujac. *ad c. 1. X. de divort.*

Matrimonium regulariter dissolvi non potest, & nisi sequuta sit copula, solvitur per ingressum monasterii, ita ut remanens in seculo possit alteri liberè nubere. h. d.

§. 2. Sci-

§. 2. Sciendum eſt igitur, legitimè contractum matrimonium diſſolvi non poſſe, qvippe à Deo conjuncti ab homine ſeparari nec debent, nec valent: ſi tamen alter conjugum [b], qvi per verba contraxit de præſenti, copulâ non ſecutâ, ſeſe ad obſervantiam regularem voluerit aſtringere, poterit id altero etiam inconſulto efficere: & ei, qvi in ſeculo remanere voluerit, alteri ſe jungere permittendum erit. nec cauſari poterit religionem ingreſſus, ſe falſa ad id cauſa inductum, putà qvòd conjugem leprâ percuſſam crediderit, & ob id ejus abominatus complexus fuerit, cùm & ſine cauſa id ipſum facere potuerit.

b *cap. ex parte. §. nos autẽ. extra de converſ. conjugat.*

ſeſe ad obſervantiam regularem] Matrimonium, qvod tantùm ratum dicunt, eſt verum & in eſſentiâ ſuâ perfectum matrimonium, nec differt à conſummato, niſi accidentaliter. Ergo non minus eſt infolubile, qvàm conſummatum. Deinde per matrimonium tantùm ratum utraq; pars alteri dat poteſtatem ſui corporis *1. Cor. VII, 4.* Ergo neutra alterâ invitâ vovere poteſt continentiam præſertim perpetuam. Atqve hæc argumenta graviſſima vocat Bellarminus *lib. de Monach. c. 38. §. 1.* qvibus qvod reponit, totum futile eſt & nullius momenti. 3. Conſtitutiones humanæ, qvales ſunt vota monaſtica, nec poſſunt nec debent vel impedire vel dirimere ordinationem DEI, qvalis eſt matrimonium. Qvod ſi urgeas Canoniſtas, ut fundamentum hujus ſuæ aſſertionis prodant, cum obſtare ſibi videant regulam, qvos DEUS conjunxit, homo non ſeparet, non audent illi legem aliqvam Eccleſiæ poſitivam ſuggerere; ſed divortium id ex divinâ autoritate fieri profitentur, qvam tamen cum ex Scripturis probare neqveant, ex traditione petunt. Vid. Didac. Covarruv. *de matrim. p. 2. c. 7. §. 4. n. 11.* At enim miſerum hoc eſt effugium & Pontificiis admodum ſolenne, ut, ex Scri-

Scripturis qvod exſculpere non poſſunt, traditionum autoritate muniant, ſed qvæ vel dubiæ ſunt fidei, vel inter ſe contrariæ, vel Scripturis ipſis etiam adverſæ. Et de votis monaſticis qvid ſentiendum ſit, dixi lib. 1. *tit. ult.*

nec cauſari poterit] Senſus hic eſt, eum, qvi religionem ingreſſus eſt, pœnitere non poſſe, nec juvari, ſi ob cauſam, qvæ nunc falſa inveniatur, ſe religionem ingreſſum dixerit, ideò qvod cauſa nulla reqviratur, & qvis ſine omni cauſa religionem ingredi qveat. At profectò planè inſubtilis eſt hæc illatio, & omninò nihil concludit. Pone, donatum aut datum alicui aliqvid fuiſſe ob cauſam; an cauſa non exiſtente repeti non poterit id, qvod datum eſt, qvia etiam ſine cauſa donare potuiſſet? Sed contrarium deciditur â JCto haud paulo æqviore, in *leg. 2. §. 7. ff. de donat.* qvia ſcilicet ratio donandi donationi ita cohæret, ut eam modificet. Ita etiamſi falſa cauſa non vitiet legatum, non valebit tamen iſtud, ſicubi probaverit heres, teſtatorem legaturum non fuiſſe, ſi cauſam qvam adjecit, falſam eſſe ſciviſſet *l. 72. §. 6. ff. de cond. & demonſtr.*

Dicenti, ſe velle ingredi religionem, eſt certum tempus præfigendum, intra qvod vel ingrediatur, vel ad uxorem redeat. h. d.

c *cap. ex publico. extr. de converſ. conjugia.*

§. 3. Ei [c] autem, qvi ſe ad religionem tranſire velle dictitat, certum eſt præfigendum tempus, intra qvod legitimè caveat, qvòd aut ad religionem ſe transferet, vel redibit ad conjugem.

Ei autem] Hoc intelligendum eſt de eo, qvi nondum conſummavit matrimonium per carnalem copulam *c. 7. X. de converſ. conjug.* Et ſtatuit inſuper Pontifex *in c. commiſſum. 16. X. de ſponſal.* nec juramentum qvidem ſponſalibus adjectum religionis ingreſſum impedire poſſe, ita tamé, ut tutius ſit, priùs omnia peragere, ſolâ exceptâ copulâ carnali, & tum demum profeſſionem edere. In qvo ſanè, etſi neq; hoc qvidem neceſſarium eſſe ſtatuat Covarruvias *de ſponſalib. p. 1. c. 5. n. 11.* qvantum DEO illudatur, oſtendit Cujacius *ad iſtum textum & ad c. 6. X. de jurejur.* Ratio Pontificii juris unica hæc eſt, qvia ad frugem melioris & perfectioris vitæ tranſit, qvi monachiſmum amplectitur. Sed qvalis illa ſit perfectio, libro primo, titu-

titulo ultimo ostendimus. Breviter: Perfectio ista est merè cerebrina, & hinc DEO odiosa.

Reddit rationem, cur non secutâ copulâ per religionis ingressum matrimonium dissolvitur. h. d.

§. 4. Neq; mirum videri debet, qvòd post legitimum de præsenti præstitum consensum, carnis non secuta commistione [d], alter conjugum etiam altero invito ad vitam regularem transitum facere valeat: qvia cùm nondum una caro effecti sint, satis probabiliter, uno ad Deum transeunte, alter in seculo remanere poterit.

[d] *cap. 2. extr. de conuers. conjugat.*

cum nondum una caro] At copula carnalis non pertinet ad essentiam matrimonii, neq; ad ejus integritatem, sed ad usum. Et fatentur ipsi Pontificii, sacramentum matrimonii totum ac plenum, qvantum ad partes essentiales, inveniri in contractu per verba de præsenti. Ergo indissolubilitas ex contractu illo provenit, non ab accedente copulâ. Nimirum consensus facit matrimonium, non concubitus, voluntas, non copula: conjugalis fides & pactio, non virginitatis defloratio. Inter Josephum & Mariam verum fuit conjugium absq; copula. Per consequens igitur non ratum minùs, qvàm consummatum conjugium per votum monasticum solvi non potest. Vid. omninò Claud. Espencæus *de continent. lib. 6. cap. 4.*

Per sacri ordinis susceptionem non dissolvitur matrimonium, etiam non consummatum. h. d.

§. 5. Diversum statuitur, si qvis, posthabito Canonico religionis ingressu, post aliqvam per verba de præsenti desponsatam, sacros ordines susceperit: qvanqvam enim votum per sacri susceptionem ordinis firmatum, ad impediendum matrimonium futurum,

c. ex parte hac tit.

turum,ac dirimendum posteà contractum habeatur efficax, ad dissolvendum tamen priùs contractum etiam non consummatum, invalidum censetur.. Ideoq; talium ordinum non obstante susceptione, si ad profitendam probatam religionem induci non valeat,& sponsa ejus institerit contractum matrimonium consummare,per censuram Ecclesiasticam compellendus erit.

Diversum statuitur] Rationem diversitatis Canonistæ reddunt istam,qvod dissolutio causetur in vitâ Monasticâ per mortem civilem, qvam inducit professio, non etiam Ordinis susceptio, cùm maneat promotus sui juris, non resignatâ voluntate suâ in arbitrium alterius. Votum autem castitatis solenne ordini adjunctum proficisci ajunt non ex naturâ ordinis,sed ex Ecclesiæ statuto. Henr.Zoes. *ad tit. de convers. conjugat. n.30.* Sed frivolam hanc esse rationem, & imò pro ratione hic voluntatem esse,agnoscit & ingenuè fatetur Claud. Espencæus *d.l. 6. de continent. c.5.*

Cultus disparitas,& creatoris contumelia sunt justa causa dirimendi: & qvod facit Papa,Deus censetur facere. h. d.

§. 6. Sed & si inter infideles matrimonio contracto seqvuta copula fuerit, si alter,qvi in infidelitate permanserit [a], velit à fideli disjungi, aut non,nisi cum contumelia creatoris, cum altero commorari, licebit Christiano non modò matrimonium dissolvere, sed etiam (ut suprà diximus [b]) alteri se matrimonio jungere. Qvibus casibus cùm authoritate sedis Apostolicæ, & Romani Pontificis matrimonium distra-

a *cap.qvanto. extra.de divort.*

b *suprà titul. qva matrimped.poss: §. item. & §. seq.*

Digitized by Google

trahatur, non jam humana, ſed potiùs divina poteſtate conjugium diſſolutum intelligitur.

Sed & ſi inter infideles] Dixi ſupra ad *tit. XII.*

non niſi cum contumelia] Sed etſi velit infidelis cum fideli vitam agere absq; contumeliâ, ſtatuunt Canoniſtæ, non teneri fidelem ad cohabitandum, licet posſit hanc cohabitationem admittere. Didac Covarruv. *d. p. 2. c. 7. §. 4. n. 8.* Contrarium verò præcipit Apoſtolus *1. Cor. VII, 12. 13.* Et jam ſupra dixi, infidelitatem non eſſe cauſam ſufficientem divortii, & nec ſeparationis qvidem qvoad thorum & menſam.

non jam humanâ] Qvia Papa DEUS eſt. Scilicet! Eo tamen nomine qvàm ſæpiſſimè â ſuis paraſitis inſigniri ſolet, uti conqveritur Georgius Wicelius in viâ regiâ. Et una omnium Germanorum de concilio Tridentino expectatio fuit, emendatum iri abuſus Canoniſtarum Papam Deum vocantium, infallibilitatem ei adſcribentium, idemq; tribunal utriq; aſſerentium, referente Petr. Svav. *in hiſt. Concil. Trid. l. 2.*

Ob veram coeundi impotentiam, non ob putativam diſſolvitur matrimonium. h. d.

§. 7. Item [c] ſiqvis ignarus virginem in uxorem duxerit, qvæ adeò arcta ſit, ut mulier fieri non poſſit, vel ſimile vitium à natura contraxerit, ut ope medicorum non posſit adjuvari: Aut mulier virum acceperit, qvi adeò frigidæ ſit naturæ, ut eidem carnaliter commiſceri non poſſit, poterunt invicem ſeparari: & qvi matrimonio aptus erit, ad ſecundas nuptias liberè tranſitum facere. Si qvis tamen coëundi impotentiam cauſatus, poſt ſeparationem aliam acceperit: aut ea [d] qvæ arcta putabatur, aliqvem invene-

ſuprà tit. qve matr. imped. poſſ. §. itẽ frigiditas. & 33. q. 1. & 2. per totũ. & extr. de frigi. & mal.

[d] *cap. fraternitatis. inf. extr. de frigi. & malef.*

Digitized by Google

rit, qvi sibi seras reseraret, utroq; casu post peractam pœnitentiam, ad priora conjugia redire impellendi erunt.

ignarus] An ergo diversum obtinebit, si qvis sciens ejusmodi mulierem duxerit? Ita vult Pontifex Lucius III. in *c. consultationi 4. X. de frigid. & malefic.* ubi dicit: *Licet incredibile videatur, qvod aliqvis cum talibus contrahat matrimonium; Romana tamen Ecclesia consvevit in consimilibus judicare, ut, qvas tanqvam Uxores habere non possunt, habeant ut sorores.* Consilium hoc & judicium Romanæ Ecclesiæ non resolvit qvæstionem propositam. Qvæstio talis est, utrum subsistat matrimonium cum tali fœmina? respondet Pontifex, eam non haberi debere ut Uxorem, sed ut Sororem. At cum sorore nullum est matrimonium, & sine Uxore non poterit intelligi matrimonium. Ergo non erit matrimonium verum & validum, sed erit potius societas qvædam ad cohabitationem non qvidem matrimonialem, sed ad similitudinem fratris & sororis simul contrahentium. Didac. Covarruv. *de frigid. & malefic. cap. 7.* Dissolvi igitur ea, ut omnis alia societas, sine dubio poterit.

ut ope medicorum] Canonistæ volunt, mulierem talem teneri incisionem pati, qvando morali conjecturâ argumentum sumi potest, post incisionem aptam fore eam viro, cui nupsit, & qvando sine periculo corporali incisio fieri potest. Covarruv. *d.l. qvæst. 1.* Hoc autem totum ex ipsius clausuræ naturâ & conditione dependere ostendit Paulus Zacchias *qvæst. med. leg. l. 3. tit. 1. q. 7. num. 29.* ubi *num. 32.* ex Talliacotio refert, omnes istas incisiones in fœminis non exiguo cum periculo administrari, qvod etiam ex Aretio memorat Covarruvias *d. l. in fin.* Et hinc tradit Paulus Laymannus *theol. mor. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 1.* maritum non expectato incisionis eventu separationem petere & aliam ducere posse.

poterunt invicem separari] Non enim tenetur invitus neqve invita cum eo eave manere, qvem qvamve probavit negocio, cujus causâ matrimonium institutum est, superesse non posse. Sed separatio tamen illicò decernenda non est. Qvandoq; enim impotentia illa corrigi vel successu & lapsu temporis, vel aliis remediis potest, atq; tunc non licebit ad separationem properare; sed temporis aliqvod spacium, idq; non exiguum, qvod

qvod Justinianus *l. 10. C. de repud.* biennio, sed in *novell. 22. c. 6.* triennio terminavit, transigendum est, anteqvam separatio fiat. Conf. Gerhard. *Loc. de conjug. n. 660. seq.*

redire compellendi erunt] Rectè hoc negat Henr. Zoesius *tit. de frig. & malef. n. 13. 14. 15.* Qvia enim legitimè facta est separatio, propter materiæ pro tempore inhabilitatem, qvæ in relatione utriusq; conjugis apparebat, non poterunt illicitæ esse nuptiæ posteriores, nec proinde dirimi debent. Siqvidem impedimentum istud respectivum inter hunc Virum & hanc mulierem sufficiens fuit ad dissolutionem matrimonii etiam qvoad vinculum; qvia id creditum fuit esse perpetuum, qvod opere humano tolli non potuerit, nisi illicito. Qvod si igitur separatio facta fuerit, & postea ex novo conjugio constet, non potuisse fœminam â primo cognosci, nisi per usum secundi, nulla ratio apparet, cur primo sit restituenda. Vid. Covarruv. *d. l. qvæst. 3.*

Qvam qvis duxit vel retinuit sciens copulæ non idoneam, habebit ut sororem, si non potest habere velut uxorem. h. d.

§. 8. Planè si scienter [e] qvis cum ea, qvæ maribus impotens est commisceri, matrimonium contraxerit, vel alterius compertâ postmodum impotentiâ, simul morari consenserint, his casibus Ecclesia judicare consvevit, ut, qvas viri tanqvam uxores habere non possunt, habeant ut sorores.

[e] *cap. consul. tationi. ext. de frigi. & malefic.*

habeant ut sorores] si qvidem ita utriqve libuerit, & periculum fornicationis nullum metuatur. Talis autem conjunctio, uti ante dixi, non facit matrimonium, & proinde si ustionis malum accesserit & infestaverit partem sanam, dirimi istiusmodi conjunctionem debere, nullus dubito. Qvò facit *c. reqvisisti 33. q. 1.*

Ob fornicationem carnalem, vel spiritualem non solvitur matrimonium, sed fit separatio thori. h. d.

§. 9. Sæpiùs tamen accidit, ut, matrimonii remanente sacramento, thori tantùm fiat separatio: utputà, si

alter conjugum carnaliter, vel ſpiritualiter fornicatus fuerit: qvibus caſibus matrimonium minimè aboletur, ſed ſibi ſunt invicem conjuges, etiam ſeparati.

c. intervenientes 32. qvæſt. 7.

thori tantùm fiat ſeparatio] Hæc eſt à Canoniſtis primùm inventa.. Cum enim divortium verum nullum admitterent Pontificii, niſi in caſu infidelitatis, cum alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertitur, & infidelis ei cohabitare non vult, de qvo caſu alibi dixi, in ejus locum ſubſtituérunt ſeparationem qvoad thorum & menſam. Sed illi in applicatione errant. Nos eam non niſi ad tempus admittimus, & qvidem ob ſævitiam, inſidias & mortis intentatæ metum, tentatâ prius animorum reconciliatione. Vid. Carpzov. *in Jp. Conſiſtor. lib. 2. def. 210. 211.*

ſi alter conjugum carnaliter] Imò verò per adulterium ipſum conjugii vinculum ſolvitur, *Matth. V, 32. & XIX, 8. 9.* ubi dubium non eſt, qvin loqvatur Salvator de eodem repudii genere, cujus apud Judæos uſus erat, ejusq; licentiam adſtringere & ad unum adulterii punctum alligare. Illud autem non ſeparatio tantùm erat, qvoad thorum & menſam, ſed omnimoda, ut partibus disjunctis novum matrimonium inire liceret. Et cauti hâc in parte fuére Patres Tridentini, qvod anathema dicere noluérunt illis, qvi tale qvid ſtatuerent, cum præſertim Oratores Veneti fulmen iſtud deprecarentur & oſtenderent, Græcos in regnis Cypri, Cretæ, Corcyræ, Zacynthi, Cephaloniæ ſibi ſubjectis ab antiqviſſimis temporibus uxorem adulteram repudiare, aliamq; ducere conſveviſſe, non poſſe igitur illos abſentes, nec ad Concilium evocatos condemnari. Petr. Svav. *in hiſt. lib. 8.* Anathema igitur dixérunt Tridentini illis tantùm, qvi dixerint, Eccleſiam errare, cum docuit & docet, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi. Temperamentum ſanè perqvam ſubtile.

vel ſpiritualiter] Hæreſin non eſſe juſtam cauſam divortii, ne qvoad thorum qvidem & menſam, patet ex *1. Cor. VII, 12. 13.* Ea enim, qvæ ipſum vinculum matrimonii non lædunt, ſed charitati tantùm erga DEUM & proximum adverſa ſunt, divortio cauſam ſufficientem non præbent.

Pendente judicio ſuper adulterio, non habet locum ſeparatio thori. h. t.

§. 10. Sed

Digitized by Google

§. 10. Sed & ſeparatio non, inſtitutâ ſtatim de crimine accuſatione, facienda erit: ſed probatâ [a] & peractâ. Interim enim pendente judicio, conjugum alteruter, jure, qvod habet in altero, privari non poterit.

[a] *cap. 2. ext. ut lit. pendent.*

privari non poterit] Si tamen repetita fuerit copula carnalis, reconciliatio facta præſumitur & ex hâc matrimonium redintegratum. Cenſetur enim tùm conjux mores conjugis approbaſſe & adulterio commiſſo veniam dediſſe. Jul. Clar. *lib. 5. ſent. §. adulterium. n. 18.* Anton. de Gamma *deciſ. 273.* qvemadmodum omnis alia injuria diſſimulatione & amicâ converſatione tacitaq; remiſſione extingvitur. Carpzov. *pnax. crim. p. 2. q. 55. n. 40. ſeq.* Conrad. Rittershuſ. *ad Novell. part. 4. c. 10. num. 10.*

Factâ ſeparatione thori ob fornicationem carnalem, poſt emendationem non compelluntur conjuges ſe reſumere: ſecùs, ſi ob ſpiritualem, niſi alter velit monaſterium ingredi. h. d.

§. 11. Multum autem intereſt, utrum ob carnalem, an verò ob ſpiritualem fornicationem thori ſit facta ſeparatio. Primo enim caſu maritus adulteram uxorem etiam emendatam, niſi & ipſe ſimili fornicatione [b] pollutus fuerit, recipere non compellitur, ſed fornicatrix in clauſtris cum religioſis mulieribus ad perpetuam agendam pœnitentiam erit collocanda [c]. Secundo verò, ſi fornicatus ſpiritualiter, ab infidelitate revertatur, cogetur qvæ in fide remanſit, illum reſumere, niſi & ipſa ad religionem tranſitum face-

[b] *cap. pen. & fin. extr. de adult.*

[c] *cap. gaudemus. extra. de converſ. conjugat. c. de illa h. t.*

Digitized by Google

c. fin. de conversf. conjug.

facere voluerit: qvod etiam, nolente viro ad fidem reverso, exeqvi liberè poterit.

nisi & ipse simili fornicatione pollutus fuerit] An ergò si pollutus fuerit, recipere tenebitur? Ita videtur; periniqvum enim videtur esse, ut pudicitiam Vir ab Uxore exigat, qvam ipse non exhibet *l. 13. §. 5. ff. ad L. Jul. de adult.* posito sc. qvod Magistratus negligat adulteros tollere de medio. Atq; ita sentit Julius Clarus *d. l. n. 17.* Tota autem hæc doctrina fluit ex principiis juris Canonici, qvia hoc jure adulterium tantùm qvoad thorum & mensam, non etiam qvoad vinculum separationem inducit, & ita separatus aliam Uxorem ducere non potest. Qvod si ergò ipse non servet castitatem vel servare non possit, merito ad Uxorem dimissam, inter qvam & maritum vinculum adhuc durat, redire debet. Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 32. th. 2. in fin.* At in nostris Ecclesiis, qvæ per adulterium etiam vinculum rumpi docent, contrarium forte statuendum erit, posito, separationem legitimè per sententiam factam fuisse.

recipere non compellitur] At improbamus nos separationem qvoad thorum & mensam, qvæ fit in perpetuum. Fieri illa debet in spem emendationis & ut evitentur majora incommoda, non in eum principaliter finem, ut divellatur matrimonium.

sed fornicatrix in claustris] Pœna hæc est ex jure Justinianéo, *Novell. 134. c. 10.* Sed eam non esse delicto proportionatam, ostendit Antonius Matthæus *de criminib. tit. de adulter. c. 2. n. 2. 3.* Conf. Carpzov. *prax. crim. p. 2. q. 53. n. 10. seqq. & q. 54. n. 20. seq.*

qvod etiam nolente Viro] Hactenus dixit, per adulterium non solvi conjugium qvoad vinculum; supra verò dixit, in matrimonio tantùm rato & per copulam nondum consummato licere alteri alterâ parte invitâ monasterium ingredi. At hîc invitâ parte alterâ etiam in matrimonio consummato fieri id posse contendit, qvando hæresis intervenerit, utcunq; ad fidem reversa fuerit pars deficiens. Qvæ verò causa hujus rei sit, cum hæresis nihil commune habeat cum matrimonio, neq; cum substantiâ ejus pugnet, nondum video.

Regulariter uxor & vir non possunt disjungi, ut alter sumat sacros ordines, aut monasterium ingrediatur. fallit hoc in casibus præcedentibus & sequentibus. h. d.

§. 12. His

§. 12. His exceptis casibus alter conjugum, altero in seculo remanente, nec ad sacros ordines, nec ad regularem suscipiendus est observantiam, nisi fortè remanens ejus sit ætatis [d], ut sine suspicione incontinentiæ valeat in seculo remanere, aut ipsam continentiam vovere voluerit. Alioqvin qvanqvam de uxoris licentia [e] monasterium qvis ingressus fuerit, & professionem fecerit, non uxor ad continentiam cogi, sed vir ad uxoris thorum evocari poterit, nisi post conjugis ingressum fornicata fuerit, aut se invicem continentiam promittendo absolverint.

d *cap. cum sis. in fin. cap. ad Apostolicam. c. significâsti. & cap. dudū. in fin. extr. de conv. conjug.*

e *cap. 1. de convers. conjug.*

nec ad sacros ordines] Non omninò excludit Covarruvias conjugatum sacris ordinibus, sed dicit talem uti conjugio non posse in occidentali Ecclesia, h.e. uti mox explicat, non exigere posse conjugale debitum ab Uxore, reddere tamen Uxori petenti teneri, *de matrim. part. 2. cap. 6. §. 3. num. 3.* & in seqventibus cum Thoma *2.2.q.88. art. 11.* statuit, impedimentum sacri ordinis jure humano Pontificio institutum esse, non naturali, nec divino. Conf. qvæ diximus *tit. 12.*

nisi forte] Sensus hic est: ex licentiâ & consensu Uxoris posse maritum sacris ordinibus insigniri, ipsam tamen, si juvenis est, aut suspecta circa continentiam, compelli religionem profiteri, si suspecta non est, sufficere, si extra religionem voveat continentiam. Covarruv. *d. l. n. 4.* ubi addit, in Episcopi Uxore id speciatim caveri, ut, qvamvis suspecta non sit, religionem profiteri cogatur.

fornicata fuerit] Sed hujus fornicationis causam præbuit ipse maritus, dum religionem ingressus est, qvod ipsi sine consensu Uxoris non licuit. Et hinc dicunt Doctores, excusari mulierem, cui maritus dedit occasionem adulterii. Franc. Marc. *decis. 729. p. 2. Si tu abstines*, inqvit Augustinus *ap. Gratian. c. si tu 27. q. 2. sine Uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tua imputabitur abstinentiæ.*

continentiam promittendo absolverint] Fuit hoc qvandoq; veteribus Christianis in usu, ut Conjuges post unam alteramve susceptam sobolem deinde mutuo consensu continentiam servarent. Tertull. *lib.1.ad.Uxor.c.6.& de virg. vel. c.13.* Sidon. Apollinar. *lib.9. ep.6.* Claud. Espencæus *lib.6. de continent. c.1.& 3.* At votum semper intercessisse affirmare non ausim. Sed & temerarium id fuisset, sicubi donum continentiæ non habuisset uterq;. Qvin,utcunq; promissio saltem mutua interceserit de continentiâ servandâ, si tamen alterutra pars ustionibus pertentetur,omnem eam promissionem,veluti de impossibilibus factam, irritam reddere satius erit.

Qvi invitâ uxore ingressus est monasterium & ab eadem uxore redire coactus, eâ mortuâ,non cogitur rursus in monasterium reverti, sed non poterit amplius uxorem ducere. Qvòd si uxore non contradicente fuerit ingressus,illâ mortuâ non poterit exire, præsertim si fuerit professus consentiente uxore. h.d.

f *cap.qvidam. extr. de conversſ.conjug.*

§. 13. Qvæsitum tamen est, si qvis uxore invita [f] monasterium intraverit, & repetitus ad eam redire coactus fuerit, an eâdem mortuâ, cogendus sit ad monasterium reverti, an verò aliam possit in uxorem ducere? Et in hac specie responsum est,votum qvidem non tenuisse, & propterea ad monasterium redire minimè illum teneri: sed cùm ingrediendo monasterium, debitum se non exacturum, promisisse videatur, ulteriùs uxorem ducere non poterit: cùm id vovere in sua positum voluntate fuerit. Qvòd si qvis sciente [g] uxore, nec contradicente, vitam professus fuerit monachalem, uxore postmodum defunctâ, nec habitum,qvem semel assumpsit,

g *cap. consuluit.nos.ext. d.tit.*

abji-

abjicere, nec aliqvam sibi matrimonio copulare poterit. Matrimonium qvoq; temere[a] contractum dirimendum erit: qvod in eo, qvi consentiente uxore professus fuerit, multò magis obtinebit, qvanqvam monasterium nunqvam ingressus fuerit.

a *cap. ex part. extr. d. tit.*

debitum se non exacturum] qvasi verò continentia votiva in solâ exclusione exactionis debiti conjugalis consisteret. Sed & probabile est, non semper verbis qvibusdam solennibus & conceptis debitum istud inter conjuges flagitari, verum illici qvandoq; eosdem mutuâ qvâdam affectione in copulam, nullâ omninò exactione verbali aut petitione interveniente. Et ex hoc intelligi potest, utrum per votum tali exigendi potestate semetipsum privare aliqvis qveat. Qvod si verum est, votum non tenere, uti asserit cum Pontifice autor; neq; dici poterit, videri maritum promisisse, se debitum non exacturum. Relatio æqvalis est inter maritum & Uxorem; utriq; in alterum æqvalis competit, qvoad usum conjugii, potestas. *Mulier sui corporis potestatem non habet*, inqvit Apostolus *1. Cor. VII, 4. sed Vir, similiter autem & Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* At in casu præsenti Vir in corpus Uxoris potestatem non habet, ex mente autoris, qvia debitum exigere non potest, Mulier autem & sui & mariti corporis potestatem habet; qvam inæqvalitatem ex jure matrimoniali defendere nunqvã qvisqvam poterit. *Uxori Vir debitum reddat*, inqvit idem Apostolus, *vers. 3. similiter autem & Uxor Viro.* Utriq; reddendi incumbit officium. Uterq; igitur etiam exigere potest, & potestatem habet exigendi, qvia nulla est ἀντίδοσις sine δόσει.

uxorem ducere non poterit] Melius igitur secundum Canonistas erit uri, qvàm nubere, contra dissertam sententiam Apostoli.

cùm id vovere] Sed jam dixit, votum non tenere. Qvod autem non tenet, qvalis poterit esse ejus effectus. Non entis nullæ sunt operationes. Solus ingressus in monasterium absq; voto nullum inducit, nuptiarum impedimentum.

vitam professus fuerit monachalem] De tali professione qvid sentiendum sit, plenè tractavi *lib. 1. tit. ult.* Hic illud tantùm repe-

tendum est, nullo eam niti jure divino, sed esse inventum humanum, olim qvidem ex pietate profectum, nunc verò superstitione & multis abusibus involutum.

nunqvam ingressus fuerit] Proponitur casus in *c. 9. X. de conversi. conjug.* de marito, qvi graviter decumbens consentiente Uxore votum castitatis fecerat & hinc monachalem habitum susceperat, sed valetudini restitutus non Uxorem tantùm retinuerat, sed etiam eâ defunctâ aliam sibi junxerat. Professio igitur facta fuerat extra monasterium. Sed profectò planè temerarium hoc fuit votum, eo tempore nuncupatum, qvo ægrotans viribus suis destitutus explorare eas, & de continentiâ servandâ periculum facere non potuit. Accedit, qvod votum continentiæ in se consideratum versetur circa tale objectum, qvod non est simpliciter in nostrâ potestate, & hinc necessariò conditionem includat. Deficiente igitur conditione, qvando promissa continentia in potestate nostrâ esse desinit, simul etiam exspirat votum, & obligatorium esse desinit. Atq; hinc malè statuitur hic, dirimi debere matrimonium post votum contractum.

Qvæ credens virum esse mortuum, religionem est ingressa, à viro educta, si vir moriatur, non cogitur reverti ad monasterium, licet id sibi expediat. h. d.

§. 14. Qvid statuemus de ea, qvæ credens maritum mortuum [b], habitum religionis assumpsit, an si eo reverso, de monasterio educta fuerit, post obitum viri sit ad regularem observantiam compellenda? Et qvidem huic consultius ad salutem fuerit, si ad monasterium redeat, sed si ad hoc perduci non poterit, cogenda non erit.

b *cap. placet nobis. extr. de conversi. conjug.*

consultius] Mirum est, tàm modestè hîc agere Canonistas, cùm videri possit, reconvaluisse, per obitum mariti, professionem religionis ante hac factam. Sed utiqve meminisse oportet, votum ab initio non tenere, nec proinde ex post facto reconvalescere posse. Ut maximè enim bonâ fide professa fuerit mulier, qvæ maritum mortuum credidit, ex eventu tamen

tamen apparuit, votum hoc non tenuisse & ex erroneâ causâ nuncupatum fuisse.

cogenda non erit] Propter votum tamen, qvod fecit, ad secundas nuptias transire ei minimè licebit, ex identitate scilicet rationis in §. antecedente, & ex mente Canonistarum planè perversâ & erroneâ.

Etiam altero conjugum invito potest qui vovere peregrinationem. h. d.

§. 15. Licet autem alter conjugum altero invito religionis votum non possit assumere, viri tamen etiam præter uxorum assensum peregrinationis ad terram sanctam propositum vovere, & implere liberè valent. *c. 33 qvæst. 5.* *c. ex multa §. in tanta. de voto & voti Redempt.*

peregrinationis ad terram sanctam] Peregrinationes istas superstitiosas planè esse & idololatricas, ostendit Petrus Molineus *singulari tract. de peregrinat.* Add. Chemnit. *Exam. Concil. Trid. part. 4. p. 670. seq.*

Uxor non plenè certificata de morte viri, contrahere non potest, qvamvis continere neqveat. h. d.

§. 16. Et [c] qvamvis illi diutissimè in peregrinatione commorentur, vel etiam ab hostibus capti nuncientur, donec certum nuncium de virorum morte uxores non receperint, ad aliorum conjugium convolare non poterunt, qvamvis, ut certiorentur, magnam adhibuerint diligentiam, & ejus ætatis sint & fragilitatis, ut continere neqveant. *cap. in provincia nostri. extra. de sponsal.*

donec certum nuncium] Ita disertè legitur in *c. 19. X. de sponsal.* Sed hodierni Canonistæ docent, existentibus aliqvibus, qvi dicant

maritum esse mortuum, & aliis id negantibus, posse mulierem absq; peccato sequi opinionem quam maluerit, & licitè transire ad secundas nuptias. Vid. Thom. Hurtad. *tr. 3. c. 3. resol. 20.* Ex quo patet, quantum nunc denegerent quotidiè Jura Canonica. Jure civili quinquennium præscriptum fuit, post quod sive de morte mariti compertum quid fuerit, sive non, licentia data fuit nubendi. *Novell. 22. c. 7.* quod tamen deinceps mutatum est. *Novell. 117. capel. 11.* Vid. Rittershus. *ad Novel. part. 4. c. 7. n. 11.*

convolare non poterunt] Etsi nos peregrinationes istas, ut superstitiosas, planè rejiciamus, præsertim quando meritorias eas faciunt Pontificii; nolim tamen ab Autore dissentire, eò quod omnis ab marito dolus abest, & ille ex pietate, licet falsâ & verbo DEI minus conveniente, peregrinationem istam suscepit. Si tamen de malitiosâ desertione constet, utcunq; color pietatis peregrinationi inducatur, novo matrimonio, post observatas solennitates, mulier non erit interdicenda.

Agenti petitorio ad conjugem, obstat consanguinitatis exceptio, secus si possessorio: quia, antequam de exceptione cognoscatur, plenaria restitutio est facienda, nisi conventus excipiens juret de malitia, & probationes habeat in promptu, quo casu fiet restitutio quo ad alia, non quoad copulam. h. d.

§. 17. Ergo nisi legitima subsit exceptio, conjugibus temerè disjunctis, alterum alterius repetendi semper integrum jus manet. Erit autem legitima exceptio, cùm aliquis consanguinitatis gradus objicitur [d]: quo quidem casu, licet, si petitorio judicio actum sit, anteà de ipsa exceptione cognosci debeat: si tamen possessorio quis experiatur, antequàm de consanguinitate discutiatur, plenaria erit facienda restitutio, nisi is, qui convenitur, & de malitia juret, & super exceptione promptas probationes offerat.

[d] *cap. literas. extra. de restit. spoli.*

Quo

Qvo casu, exceptâ carnali commixtione, tantùm qvoad reliqva, restitutio facienda erit.

alterum alterius repetendi] Actionem ex constituto matrimonio ad cohabitandum comparatam esse ex jure personarum conjugali, indeq; præjudicialem utilem, contendit post alios Hahn *ad Wesenb. tit. de sponsal. n. 7. verb. illud qvoq; ad effectum &c*: Vid. eund. *tit. de judic. n. 4.*

si petitorio] Utrum in casu consangvinitatis objectæ subtilitates petitorii & possessorii judicii jure civili inventæ observari debeant, mecum ambigo. Causa matrimonialis ex ipsâ Canonistarum sententia spiritualis est, ad qvid ergò corporalis possessio tàm sollicitè exigitur, sicubi spirituale objiciatur impedimentum? Si consangvinitatis allegatur vinculum, satius erit, possessorium aut petitorium judicium non attendere, sed separare interim Conjuges, qvoad thorum & mensam, donec impedimenti allegati discussio peracta fuerit. Utiq; enim hic conscientiæ consulendum, qvam dubiam habet, cui impedimentum tale objectum est. At peccat ille, qvi qvid agit conscientiâ dissvadente.

& de malitiâ juret] Qvid opus est juramento malitiæ, sicubi promptas qvis offert probationes? Nec enim, qvi in his promptus est, ex malitiâ litem movisse dici potest.

exceptâ carnali commixtione] Qvomodo verò restitutâ Uxore seorsim hæc excipi poterit, cum nec alium in finem actio matrimonialis instituta videatur, nisi, ut qvis habeat usum conjugii? sed nec aliàs in contrahendis matrimoniis pacisci licet, ad impedimentum aut negationem copulæ carnalis.

Si mulier restituenda timeat sævitiam viri, debet ab eo præstari cautio, & si ea non putetur sufficiens, dum causa plenè cognoscitur, uxor est deponenda in loco honesto & tuto. h. d.

§. 18. Præstanda tamen erit idonea cautio [a], qvòd nullam restitutæ violentiam vir inferet: qvòd si tanta sit viri sævitia, aut odio tam capitali uxorem prose-

qva-

[a] *cap. literas in fi. ext. de rest. spol.*

qvatur, ut trepidanti mulieri ſufficiens ſecuritas provideri neqveat, usq; ad cauſæ deciſionem alicui probæ & honeſtæ mulieri ſtudioſiùs cuſtodienda committetur, in loco, ubi vir, vel ejus conjuncti, mulieri nullam poſſint injuriam inferre [b].

b *cap. ex transmiſſa. extr. d. tit.*

Præſtanda tamen erit] Pertinet hoc ad caſum, qvando unà cum conſangvinitatis impedimento arguitur ſævitia mariti; qvod itidem locum habet in ſolo ſævitiæ caſu. Dixi enim ſupra, propter ſævitiam conjugis fieri poſſe ſeparationem qvoad thorum & menſam. Solet igitur hoc caſu à conjuge ſæviente cautio de non offendendo exigi, ut eo facilius obtineatur inter eos reconciliatio; qvæ cautio idonea eſſe, h. e. vel per pignora, vel per fidejuſſores præſtari debet, nec ſufficit cautio juratoria, niſi pars læſa eâ contentus eſſe velit. Carpzov. *in Jp. Conſiſtor. lib. 2. def. 219.* Præſtitâ autem cautione, ſeparatio qvoad thorum & menſam rurſus abolebitur, & conjuges ad cohabitationem adiguntur. Id. *def. 220.* Et notant Doctores, teneri Maritum ad cautionem, etſi ſævitia mariti proveniat culpâ Uxoris. Schneidevv. *ad tit. de nupt. p. 4. n. 16.*

odio tam capitali] Puta, ſi capitali judicio Uxorem accuſaverit, ſi caput petierit Uxoris, vitam & fortunas ejusdem.

cuſtodienda committetur] tanqvam in ſeqveſtrum. Debet autem judex arbitrari, an & qvando ſit tanta ſævitia, ut non poſſit provideri remedio cautionis. Similis ſeqveſtratio habetur in *leg. 3. §. ult. ff. de libb. exhib.*

Ob ſolam traductionem mulieris ad domum, nullum jus oritur impeditivum ſeqventis matrimonii. h. d.

§. 19. Et hæc qvidem obtinent, ſecuto inter viros & mulieres matrimonio. Cæterùm [c] ſi nullis præcedentibus ſponſalibus, vel legitimo conſenſu mulier

c *cap. ex parte. ext. de reſtit. ſpol.*

lier ad viri domum jam traducta, posteà abscedens alii fortè nubere voluerit, nulla facienda erit restitutio.

mulier ad Viri domum jam traducta] In ambiguâ re, ritu deductionis consensus declaratur, & nuptiæ ex festivitate atq; deductione intelliguntur perfectæ *l. 6. C. de donat. ant. nupt.* Franzk. *exerc. 2. q. 7. n. 20.* Vinnius *ad §. 1. n. 1. Inst. de patr. potest.* Deductio tamen sola uxorem vel sponsam non facit eam, qvæ justam ætatem non habet, si & is, in cujus domum ducitur, justam ætatem non habeat, nec ipsa postea habeat ratum, qvod parvula inopsq; consilii gesit, qvalis casus est in *c. 14. X. de restitut. spol.* ex qvo hic paragraphus desumptus est.

Qui vivente uxore etiam ab eo separatâ qvoad thorum secundam conscíam duxit uxorem, etiam primâ mortuâ separabitur à secunda, sed cum alia contrahere poterit. b. d.

§. 20. Fornicationis [d] qvoq; repetenti obstat exceptio, thoriq; ob eam causam seqvuta separatione, separata vivente, aliam usq; adeò superinducere qvis prohibetur, ut, si de facto duxerit, exq; ea filios suscep erit, etiam mortuâ adulterâ eandem retinere non possit: qvod ipsum & priore uxore minimè cognitâ sibi locum vendicat, licet aliam ducere minimè prohibeatur.

[d] *cap. ex literarum ext. eo qvi dux. in matri.* [c] *significasti de Divortiis.*

eandem retinere non possit] Qvia scilicet vivente uxore priore dedérunt sibi invicem fidem conjugalem. Si enim hoc factum non fuerit, aut factum qvidem, sed copula carnalis non accesserit, aut accesit etiam, sed fœmina ignoraverit, vivere uxorem priorem, contractas postea nuptias inter ejusmodi tales pro legitimis habent. *cap. 1. cap. 6. & cap. fin. X. de eo qvi dux. in matr.* At verò 1. falsum est, Uxorem adulterantem non violare aut rumpere vinculum conjugale. 2. posito, subsistere adhuc vinculum,

lum, irritus erit contractus cum aliâ, qvam qvis superinducit adulteræ viventi. irritus autem si fuerit, tenebit utiq; contractus repetitus cum ea post mortem adulteræ. & tùm vivente istâ fides conjugalis alteri data nihil qvicqvam operabitur, sed perinde est ac si data non fuisset. Nihil igitur est, utrum defunctâ demum Uxore primùm fides data fuerit adulteræ (qvod conjugium admittunt Canonistæ *per c. 6. X. de eo qvi dux. matr.*) an verò eâ vivente, & deinceps eâ defunctâ iterata fuerit, cùm hoc casu prior illa desponsatio nullius planè sit valoris, & iteratio, si res rectè consideretur, pro primâ desponsatio ne habenda sit. In nostris tamen Consistoriis, eo casu, qvo conjuge vivente fides alteri data & adulterium cum eâ commissum fuit, adulterantes deinde copulari perhibentur. Carpzov. *lib. 2. definit. Consist. 15.* fortè qvod vitæ prioris Conjugis insidiati credantur. licet sententia Consistorii Misnensis *n. 7.* adducta aliam, â jure Canonico diversam foveat sententiam.

Si mulier matrimonium contraxerit cum eo, qvem ignorabat conjugatum, uxore prima mortua erit in ejus potestate virum retinere. h. d.

c *cap. 1. extr. de eo qvi duxit in matri.*

§. 21. Hoc[c] tamen de ea intelligi oportet, qvam qvis non ignaram aliam vivere, forè aliqvid in mortem alterius machinatam, in uxorem duxit; nam si qva præcedentis matrimonii penitùs inscia alicui nupserit, priore mortua, nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt separandi. Nec enim substinendum est, ut vir, qvi scienter in legem commisit, de proprio dolo commodum reportet.

& fortè aliqvid] Hoc *fortè* de [suo addit] autor. Pontifex enim in *cap. 1. X. de eo qvi dux. in matr.* etiam tùm matrimonium nullum dicit, qvando fides tantùm data est, nullo habito respectu, an etiam machinatio in mortem alterius accesserit. Disjunctivè enim loqvitur: *cui fidem dederat Uxore suâ vivente, vel qvæ machinata est in mortem uxoris.* Et hinc alterutrum casum sufficere innuit. Nisi dicere velis, ex fide data præsumi machinationem, & hanc præsumptionem facere ut ex fide datâ pro valido haberi

beri ex post facto neqveat. Conf. P. Laymann: *theol. mor. lib. 5. tr. 10. p. 4. cap. 10. n. 1. 2.*

non sunt separandi] At verò, uti ante dixi, matrimonium tale propter vinculum prioris, qvod asserunt Canonistæ, planè constare non potuit. Nec igitur opus est separatione, cum non entis nullæ sint qvalitates, nullæ affectiones. Qvod si istud valere debet, ex novo contractu post mortem Uxoris necesse est, ut capiat initium, de qvo tamen in hoc casu nihil extat.

Cum ea, qvam qvis uxore vivente cognovit non sub specie matrimonii, defuncta uxore potest qvis contrahere, si neuter ipsorum machinatus est in mortem prædefunctæ uxoris. h. d.

§. 22. Cum ea autem, qvam qvis uxore vivente non prætextu matrimonii cognovit, si nihil in perniciem olim viventes uxoris vir, aut mulier cognita, machinati fuerint, nec fidem de contrahendo sibi invicem dederint, contractæ posteà nuptiæ legitimæ reputandæ erunt. Sed etsi fidem qvidem sibi invicem dederint, vel etiam de facto contraxerint [a], si nec antè, nec post, legitima conjuge superstite, carnalis interces sit copula, qvamvis uterq; graviter deliqverit, & propterea etiam sit imponenda pœnitentia, matrimonium tamen contractum post uxoris obitum, minimè dissolvetur.

c. significasti d. t.

a cap. fin. extr. de eo qvi duxit in matrim.

legitimæ reputandæ erunt] Observat Cujacius, in concilio Triburiensi, qvod anno DCCCXCV. habitum fuit, *can. 51.* (cujus verba sub falsâ inscriptione habentur apud Gratianum *c. illud 31. qv. 1.*) districtè & generaliter prohiberi matrimonium cum eâ, qvæ per adulterium vivente Uxore cognita est, non attento, utrum pellex ista in necem Uxoris legitimè machi-

machinata ſit, nec utrum illâ vivente qvaſi matrimonium cum marito illius aut ſponſalia fecerit. Et putat hinc Cujacius, Gratianum ſententiam hanc generalem ad iſtos duos caſus reſtrinxiſſe, ejusq; hanc reſtrictivam opinionem deinceps invaluiſſe. Sanè videtur Eccleſia nullo modo admittere voluiſſe tale conjugium, qvippe qvod votum inducere poſſit captandæ mortis. Et hinc Chriſtianæ Religioni minus convenire dicitur in *can. concilii Tribur.* ut ullus ducat in conjugium, qvam prius polluit per adulterium.

de facto contraxerint] Hæc verba, uti autor ponit, nihil differunt â prioribus. qvid enim diſtat, fidem ſibi invicem dare, & de facto contrahere? Pontifex in *cap. fin. X. de eo qvi dux.* magis perſpicuè rem decidit, & diſtingvit inter ſponſalia de præſenti & de futuro. Nec illa nec iſta dicit obſtare conjugio poſt mortem Uxoris.

ſi nec ante] Ex mente igitur Canoniſtarum ſola fides alteri uxore vivente data ſine copulâ carnali, nec ſola copula carnalis ſine fide datâ non impedit matrimonium inſeqvens. Sed impedimentum ex utroq; conjunctim naſcitur. Vid. Paul. Laymann. *theol. mor. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 3. ſeq.*

poſt uxoris obitum] Hæc verba pro diverſitate diſtinctionis & commatis, duplicem intellectum pariunt. Aut enim hoc volunt, matrimonium, qvod poſt Uxoris obitum contractum eſt, diſſolvi non debere. Et de hoc fortè nemo dubitat. Aut hoc dicunt, matrimonium anteà contractum diſſolvi poſt Uxoris obitum non debere. At de hoc ante dixi, non ſubſiſtere tale matrimonium durante vinculo priore, qvia deſtituitur formâ ſuâ; nec poteſtatem habet qvicqvam conjugum durante vinculo alteri fidem dare.

Bonum aliqvod ſubſeqvutum præcedens delictum, & ejus pœnam non abolet. h. d.

b *cap. 1. extr. de converſi. infideli.*

§. 23. Usq; adeò[b] autem machinatio in alterius conjugum obitum adhibita, inter ſuperſtites machinatores matrimonij ſpem excludit, ut, ſi infidelis cum Chriſtiana communicato conſilio ejusdem maritum de medio ſuſtulerit, licet poſtea per ſtudium ſuper-

Digitized by Google

perſtitis uxoris ad fidem Chriſtianã translatus fuerit, nõ tamen propterea magis cum ea nuptias legitimas contrahere, aut contractas retinere poterit. Nec enim hujusmodi lucro tam deteſtandum damnum Eccleſia reſarciri patitur.

ad fidem Chriſtianam] Ratio hæc eſt, qvia Evangelium non tollit politias. Et hinc propter converſionem ad fidem Chriſtianam nemo impunitatem conſeqvitur.

aut contractas] De contrahendis nolim movere dubium, ut publica honeſtas conſervetur, neq; licentiæ minimè ferendæ feneſtra aperiatur, cùm in exemplum facilè trahere, & occaſionem qvidvis perpetrandi captare hinc poſſint adulteri, ſi ſpem habere qveant contrahendi matrimonii. At matrimonium inter tales perſonas jam contractum dirimi debere propter crimen antea perpetratum, nullus mihi Pontifex perſvadebit. Improbavit DEUS conjugium Davidis, qvod poſt occiſum Uriam cum ejus Uxore adulterio priùs pollutâ inierat, non tamen ſeparavit eos, *2. Sam. XII. verſ. 9. 10. & 24.* Et hîc applicari debet, qvod vulgo dici ſolet, facilius impediri matrimonium contrahendum, qvàm dirimi contractum. Et hîc rectiùs faceret magiſtratus, ſi juſtâ animadverſione adulteros ex hominum conſpectu removeret, ne talibus qvæſtionibus opus eſſet. Conf. Gerhard. *Loc. de conjug. num. 383.*

Animus & propoſitum diſtingvunt maleficia. h. d.

§. 24. Diverſa [c] ratio eſt eorum, qvi ad fidem converſi, illorum ſibi matrimonio junxerunt uxores, qvos in belli certamine occiderunt: eorumq; qvi converſas duxerunt, qvarum infideles maritos ſimili modo interfecerunt. nam cùm tales virorum defunctorum interitum ſpecialiter non qvæſiverint,

[c] *cap. 1. extr. de converſ. infid. §. ad hoc.*

Digitized by Google

& matrimonium inter hujusmodi perſonas licitè poteſt contrahi, & ſic conjuncti divortium poſtulare neqveunt.

licitè poteſt contrahi] duabus ex cauſis 1. qvia occiſio non facta ideò, ut cum viduâ matrimonium ineatur, 2. qvia occiſio jure belli facta eſt. Qvæ ultima ratio facit, ut idem ſtatuere non dubitem, etſi defunctorum maritorum interitus ſpecialiter qvæſitus fuerit, uti hîc loqvitur autor, cum id jure belli non ſit illicitum, qvanqvam, ſi in hunc finem qvæſitus fuerit, ut cum viduis eorum matrimonia ineantur, ut maximè belli titulus concurrat, non ſatis honeſta videatur ratio conjugii. Nec enim matrimonii intentio juſtam cauſam bello præbet. Et cum ex finibus actiones hominum judicari debeant, non poterit jure belli ſuum tueri factum, qvi matrimonii ineundi causâ hoſtem occidit, ut maximè occidere juſtè potuiſſet, ſi Reipubl. commodum intendiſſet. Multum namq; intereſt, ex privata an publica cauſa occiſio fiat. Sic etiam more Græcorum antiqvo cum his, qvi extra bellum occidiſſent hominem, lavare, potum ſumere, multoq; magis ſacra facere fas non erat, cum his, qvi in bello, fas erat. Putant verò Moraliſtæ, ſi alterutrum eorum, qvæ ad hoc impedimentum reqviruntur, videlicet promiſſio vel adulterium utriusq; baptiſmum anteceſſit, impedimentum non contrahi: ut, ſi infidelis vivente Uxore ſuâ promiſerit mulieri infideli matrimonium, & poſtea ambo ad fidem converſi adulterium committant. Facinus enim ante baptiſmum commiſſum ab Eccleſia non puniri, & perinde cenſeri, ac ſi non accidiſſet, qvoad hoc impedimentum. P. Laymann. *d. l. n. 6.* Sed enim cum fidei matrimonialis promiſſio non ex Eccleſiaſtico jure ſuum capiat initium, ſed ex jure naturæ reſultet, nulla apparet ratio, cur talem promiſſionem ante baptiſmum factam Eccleſia attendere non debeat. Nec enim Matrimonium ita Eccleſiæ proprium eſt, ut inter infideles conſiſtere neqveat. Et per conſeqvens, cum impedimentum hoc ex naturali judicetur honeſtate, etiam ad infideles erit extendendum.

Punitur affectus, licet non ſeqvatur effectus. h. d.

§. 25. Sed etſi machinationem adhibitam in necem conjugis effectus conſeqvutus non fuerit, ſi inſidiator alteri ſupervixerit, ſpe conjugii [d] perpetuò deſtitutus

d *cap. 1. extr. de divortiis.*

tutus, ad ſecundas nuptias nunqvam aſpirare poterit: ſicut & in iis accidit, qvi inceſtum admiſerunt, ſacerdotem interfecerunt, & aliis pluribus caſibus.

effectus conſecutus non fuerit] Utrum machinatio mortis phyſicè fiat, an ſolum moraliter per juſſionem, aut conſilium, nihil intereſſe volunt, ſed hoc tamen reqvirunt, ut mors non tantùm attentata ſit, ſed etiam executioni mandata, ita ut nihil deſit ex parte machinantis, qvod mors non inſecuta fuerit. Paul. Laymann. *d. l. n. 1.* Cæterùm ex hactenus dictis hoc notandum eſt, triplex ſtatui à Canoniſtis ex crimine tali impedimentum. *Primum* dicunt oriri ex machinatione mortis alterius conjugis, qvo caſu non neceſſe eſt, ut accedat adulterium; reqviritur tamen, ut & conjux, & altera perſona, cujus matrimonium ambitur, ad machinationem iſtam concurrant, & qvidem animo ineundi matrimonii. *Secundum* ponit adulterium cum machinatione alterius tantùm. Hoc ergò caſu ſufficit machinatio mortis ex una tantùm parte, accedente tamen adulterio. *Tertium* ponit adulterium & ſimul factam promiſſionem fidei conjugalis. Vid. Henr. Zoeſ. *ad tit. de eo qvi dux in matr. n. 2. 3.*

ſpe conjugii perpetuò deſtitutus] Durum id eſt, & anſam præbet ſcortationibus atq; adulteriis, cùm nec aliàs adulteranti parti poſt divortium novæ denegandæ ſint nuptiæ. Gerhard. *de conjug. n. 622.* Optimè Lutherus: Die Laſter und Sünde ſol man ſtraffen/ aber mit anderer Straffe/ nicht mit Ehe verbiethen &c. *tom. 2. Jenenſ. German. lib.* vom Ehelichen Leben.

qvi inceſtum admiſerunt] Si tamen inceſtifici tales matrimonium contraxerint, non dirimitur iſtud, ſed perſonæ inceſtæ non licet debitum conjugale exigere *c. 4. X. de eo qvi cognov. conſ.* qvod utrum conveniat ſtatui conjugali, ex ſupra dictis judicare licet.

ſacerdotem interfecérunt] Cur verò tales matrimonio prohibeantur in qvod non peccárunt? Et qvæ hæc proportio eſt propter ſacerdoticidium, naturæ appetitum non illicitum coercere, eiq; vim inferre? Iniqvi ſunt naturæ æſtimatores Canoniſtæ, qvi, dum vivicomburio addicere neqveunt ſacerdotis occiſorem, eum naturæ uſtionibus exponunt, ut vel hâc ratione juſtam, ſi diis placet, vindictam exerceant.

& aliis

& aliis pluribus] Qvi ſint iſti plures caſus, non exponit autor. Sunt vero Pontifices in prohibitione conjugii admodum faciles, ut vel hinc, qvalis eorum ſit doctrina ex *1. Tim. IV, v. 1. & 3.* diſcere liceat. Sed qvæ ipſa, ut naturæ & Scripturæ adverſa, nec recipi debet, nec recepta ſemper eſt. Refert Laymannus *in fin. operis num. 2.* aliqva ejusmodi crimina, ob qvæ pœnitentiæ loco abſtinentia à conjugio decreta fuerit. Sed mox addit, impedimenta iſta per diuturnam conſvetudinem penitus eſſe ſublata.

Secunda nuptiæ absq; timore infamiæ intra annum luctus poſſunt celebrari, ſed non debent benedici, qvocunq; tempore contrahantur. h.d.

§. 26. Illud qvoq; admonendi ſumus, qvibus caſibus ſecundarum nuptiarum permiſſa eſt celebratio, minimè verendum eſſe nupturis, ne, ſi intra annum luctus ad ſecunda vota tranſeant, aliqva notentur infamia [c]. Cùm enim ſecundum Apoſtolum mulier viro mortuo ſit ab ejus lege ſoluta, ejusdem ſententia, & authoritate, omnis legalis infamia cenſetur abolita: cùm in his præſertim ſeculares leges non dedignentur ſacros Canones imitari. Vir [f] tamen & mulier ad bigamiam tranſiens, non debet à presbytero benedici: qvia cùm ſemel benedicti fuerint, hujusmodi benedictio iterari non debet.

c *cap. pen. & fin. extr. de ſecund. nupt.*

f *cap. vir autem. extr. de ſecund. nupt.*

ſecundum Apoſtolum] Dictum Apoſtoli *1. Cor. VII, 39.* tollit jus civile, nec ſeqvitur exinde, qvia mulier libera eſt ab lege Viri, & nubere poteſt, cui velit, Ergò nubere poteſt intra annum luctus. Vid. Hillig. *in Donell. enucl. lib. 13. c. 19. lit. Z.* Duæ autem vulgò redduntur rationes juris civilis 1. ut marito debitus præſtetur honos, 2. ut evitetur turbatio ſangvinis, generationis incertitudo, & ſuperfætationis periculum. Prima ratio per ſe ſola nihil facit, qvia etiam liberi ſummam parentibus debent reverentiam, &

tamen

tamen eorum nuptiæ illicò poſt obitum parentum celebratæ non notantur infamiâ, niſi dicere velis, reverentiam hic reqviri in conjuge ſuperſtite ſingularem propter vinculi, qvo antea ſibi invicem arctiſsimè devinciebantur, memoriam. Potior ergo & ſumma ratio eſt in ſuperfœtatione & turbatione ſangvinis, qvam etſi negent hodiè phyſicorum nonnulli, JCtos tamen veteres cum Hippocrate & Ariſtotele eam ſtatuiſſe, plurimi juris textus probant. Hahn. *ad Weſenbec. tit. de his qvi not. infam. n.5.* Et fortaſſe verior eſt ſententia, qvæ ſuperfœtationem adſtruit, qvam ſeqvuntur Paulus Zachias *qvæſt. Medicolegal. tit.3. qv.4.* Sperling. *de format. hom. c.4. q.3.* Sanctiora hic itaq; & æqviora legum ſcita, qvàm canonum. Hillig. *d. l.* Add. Spekhahn. *cent.2. claſſ.2. q.10.* inprimis verò Gerhardus *Loc. de conjug. §. 198. ſeq.* Utrum autem præter infamiam, reliqvæ etiam pœnæ, de qvibus Rittershuſ. *in Novell. part.4. c.3. n.8.* jure Canonico remiſsæ ſint, videri poſſunt Sichard. *ad rubr. Cod. de ſecund. nupt. n.14. 15. 16.* Anton. Gabriel. *l.3. concluſ. 5.6.7.* Geil. *2. Obſ. 98. num.8.*

imitari] At non imitatus eſt Juſtinianus, qvi locum Paulinum ſupra adductum optimè novit, & nihilominus de infamiâ legem confirmavit. Neq; id ullibi mutatum legitur. Vid. Marqv. Freher. *de infam. lib.3. cap.17. num.15.*

à presbytero benedici] Non apud Ethnicos tantùm monogamis olim in laude fuit, & ſecundæ nuptiæ in vituperio, ſed etiam apud veteres qvandoq; Chriſtianos matrimonium iteratum minus elegantibus exceptum fuit elogiis. Hieronymus ipſe parum favet ſecundis nuptiis *princ. comm. in Hagg. & lib.1. contr. Jovian.* ſed ex ludicrâ ratione, qvia ſcil. ſecundo die creationis omiſſum fuit כִּי טוֹב qvia bonum. In Concilio Neocæſarienſi *cap.7.* ſtatuitur, presbyterum convivio ſecundarum nuptiarum intereſſe non debere, maximè cum præcipiatur, ſecundis nuptiis pœnitentiam tribuere. Vid. ibi Franciſcum Longum à Coriolano. Similia paſſim leguntur alia, de qvibus vid. Gerhard. *loc. de conjug. n.178. ſeqqq.*

cum ſemel benedicti fuerint] Hæc ratio nec vera eſt, nec ſufficiens. Non ſufficiens, qvia (1) non ad perſonas tantùm, ſed ipſum etiam conjugium, qvod initur, referenda eſt benedictio. Qvoties igitur iteratur conjugium, toties etiam benedictio iterari debet, cum prius matrimonium per mortem penitus ſolutum ſit, & hinc etiam benedictio illi addita exſpiret. (2) qvia viduæ jungi poterit adoleſcens, & viduo virgo,

qvibus antea benedictum non fuit. An ergo isti à persona jam antea benedictâ accipient benedictionem, sicut aqva non benedicta aqvæ benedictæ juncta eandem acqvirit virtutem? Sed hoc nugari est, & fingere. Non vera, qvia ex eo potius benedictio negata fuit olim, qvod secundæ nuptiæ minus probatæ fuerint qvibusdam Veteris Ecclesiæ Patribus. Sed & Canonistis iteratio nuptiarum contra honestatem esse dicitur, aut si omninò in genere honestorum admittunt, honesta eis dicitur fornicatio. Sic enim legitur *in c. hâc ratione 31. q. 1. secundam qvidem accipere secundum præceptum Apostoli licitum est, secundum autem veritatis rationem verè fornicatio est, sed cum permittente DEO publicè & licenter committitur, fit honesta fornicatio* &c. Illa planè frivola ratio est, qvod ex secundis nuptiis contristetur anima mariti defuncti, qvam refert Joh. de Nevizanis *in sylv. nuptial. l. 2. n. 31. 32.*

DE REBUS SACRIS, SANCTIS, ET RELIGIOSIS,

TITULUS XVII.

Titulus seqvens solùm subordinat seqventia ad præcedentia. h. t.

Sacramentorum breviter explicato tractatu, illorumqve sectione, ac natura cognitis, transeamus jam ad res sacras & sanctas, qvales sunt Ecclesiæ, Altaria, Sanctorum in his conditæ reliqviæ, vasa, vestes, & similia ad divinum cultum principaliter comparata. Paulò mox & de religiosis dicturi, ut sunt, religiosæ domus, xenodochia, cœmeteria, & sepulturæ.

ad res sacras & sanctas] Non semper distingvuntur hæc nomina, sed indiscretè sæpè usurpantur. *Sanctum*, inqvit Trebatius apud Macrob. *3. Saturn. 3. interdum idem est, qvod sacrum, idemq; qvod religiosum, interdum aliud, nimirum, qvod venerabile, incorruptum, inviolatum est* &c. Sic & religiosi appellatione etiam sacra contineri, ex significatione vocabuli religionis haud frustra qvis dixerit. Aliàs tamen sacrum differt à sancto

Digitized by Google

ſancto & religioſo, qvod omne ſacrum eſt ſanctum & religioſum, non è converſo. Sunt enim & muri & portæ civitatis, & homines aliqvi ſancti, qvi tamen ſacri aut ſacrati non ſunt; religioſus etiam locus dicitur ſepultura qvæ tamen ſacrata non eſt. Verùm plerumq; jure etiam Eccleſiaſtico, qvicqvid eſt ſanctum vel religioſum, largè dicitur ſacrum, & vice verſa, & Eccleſia qvandoqve dicitur ſacra, qvandoqve ſancta, qvandoqve etiam religioſa. Auguſtin. Barboſ. *de jur. Eccl. lib. 3. c. 3. num. 9. 10.* Add. Dd. *ad §. 8. 9. & 10. Inſt. de R. D.*

DE CONSTRUENDIS, CONSECRANDIS, ET REPARANDIS ECCLESIIS, ET ALTARIBUS,

TITULUS XVIII.

Non licet celebrare, niſi in templis conſecratis, niſi ex privilegio, vel ex cauſa neceſſitatis. h. d.

§. 1. Eccleſiam [a] hoc loco accipimus non tam Chriſtianorum multitudinem fideliumqve congregationem, qvàm manufactum ipſum templum Dei, & orationis domum, ab eo, qvod continetur, ejus, qvod continet, ſumpta denominatione. Sicut ergo non alii [b], qvàm ſacrati Deo ſacerdotes, ſacramenta miniſtrare debent: ſic non in aliis, qvàm in Domino conſecratis locis, cum ſuis altaribus, vaſis, veſtibus & reliqvis ad divinum cultum explendum utenſilibus, itidem conſecratis, ſacrificia offerre licet: niſi qvis ſuper hoc ſpeciali ſit privilegio munitus, vel ſumma coëgerit neceſsitas: utpote [c], qvia combuſta ſit Eccleſia: qvo caſu, donec illa reſtauretur, in capellis cum ſacrata tabula celebrari poterit.

a *can. Eccleſia. de conſe. diſtinct. 1.*

b *can. ſicut nõ alii. & can. 1. ibi: ea qvæ. de conſecr. diſtinct. 1.*

c *can. concedi. mus, de conſecr. diſt. 1.*

Ecclesiam] De vocabulo Ecclesiæ vid. Selden. *de Synedr. lib. 1. c. 9. p. 275.* Nic. Fuller. *l. 2. miscell. c. 9.* Dav. Blondell. *in apol. de Episc. & presb. p. 218.* Francisc. à Victoria *Relect. 1. sect. 1. n. 1. 2. 3.*

non alii, qvàm sacrati DEO sacerdotes] scilicet ordinariè. Extraordinariè enim & in casu necessitatis etiam à Laico baptismum conferri posse, autor ipse proposuit supra.

sic non in aliis] Qvia consecratio templorum nullum speciale DEI mandatum habet, frustra alligabitur cultus divinus ejusmodi ceremoniæ. Et Athanasio qvidem jam olim crimini datum, qvod conventum habuerit in magnâ Ecclesiâ, priusqvam consecrata ea & consummata fuisset. At cum ea res majestatis crimen involveret, qvod sine Imperatoris mandato templi consecratio fieri non posset, & conventus ille non absimilis videretur dedicationi, crimen illud ita diluit Athanasius *in Apol. ad Constant.* nunqvam hanc veteres incessisse superstitionem, ut in loco non dedicato sacra agere nefas putarent. Nec impietate caret, qvod ceremoniarum apparatui opinio meriti & spiritualis sanctitatis efficacia adscribitur, uti hodiè volunt Pontificii. Et imò ipse Pontifex Gregorius IX. respondet de Ecclesiâ, in qvâ divina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, qvod privilegium immunitatis illi non sit denegandum *c. Ecclesia 9. X. de immun. Eccl.* Licebit ergo ex mente Gregorii in Ecclesiâ nondum consecratâ divina mysteria celebrare. add. Camill. Borell. *Decis. tit. 2. n. 40.* Sed & cœmeteria olim templorum vice fuisse, post Onuphrium Panvinium *de rit. sepel.* monet Joh. Steph. Durantus *de ritib. Eccles. cathol. l. 1. c. 33. n. 3.* Collectam autem ad cœmeteria magnam fuisse plebem, ex Prudentii de cœmeterio Cyriacæ in agro Verano & Hippolyti carmine docet Joh. Lud. de la Cerda *adverss. sacr. c. 86. n. 10.*

& reliqvis ad divinum cultum] Qvæ plerumqve ex ἀθελοθρησκείᾳ nata densissimæ superstitionis argumenta præbent. Qvorsum enim ista? ut consecretur in altari tribus mappis cooperto, ut adsint luminaria cerea, ut nihil omittatur ex vestibus sacerdotalibus, ut hæ & mappæ sint ab Episcopo benedictæ, ut adsit calix cum patenâ conveniens, cujus cuppa debeat esse argentea, vel aurea, vel stannea, non ærea vel vitrea, ut corporalia sint munda, & ex lino nec serico in medio ornata. Nobis qvidem in sacris nostris plurima etiam talia adhibentur, sed ad ornatum tantùm, & ita, ut inter adiaphora semper recenseantur, non ad superstitionem, nec ex necessitate.

Utrum

Utrum autem Episcopus possit in alienâ dioecesi cum paramentis Episcopalibus, mitrâ, baculo &c: celebrare, litigant adhuc pontificii, uti videre licet ap. Thom. Hurtad. *tr. 2. resolut. 22.*

speciali sit privilegio munitus] Aliter sentire videtur Becanus *part. 3. tr. 2. c. 25. part. 2. q. 7. Altare lapideum consecratum*, inqvit, *ita est necessarium, ut ne qvidem Pontifex dispensare possit: lumen verò seu lucerna aliqva ardens, ut sine eâ celebrare, semper sit peccatum mortale.*

vel summa coegerit necessitas] Necesitatem hanc nõ in omnibus agnoscit Johannes Chiffletius JCtus *libr. de Eucharistiâ reis non neg.* dum ait: *Ecclesia ob sacramenti reverentiam permittit potiùs hominem mori absqve viatico, qvàm sacerdotem sine sacris vestibus celebrare ad consecrandam hostiam, qvæ illi moribundo ministretur.*

in capellis] De origine hujus vocabuli vid. Schard. *in Lexic.* Henr. Spelman *in Glossar.*

cum sacratâ tabulâ] Superstitiosum hoc est, & seqvioris seculi inventum, qvod non nisi in sacratâ tabulâ administrare liceat. Tabulam autem istam volunt esse lapideam, lapidem ipsum ad minimum tantæ qvantitatis, ut in ipso poni possit major pars calicis & hostiæ, neq; admittunt, ut duo lapides sibi ita ligno aut ferro jungantur, ut in altero hostia, in altero calix poni qveat. Lapidem istum insuper volunt esse consecratum, & qvidem cum insertione reliqviarum, qvas volunt esse de essentiâ consecrationis. In genere dicunt maximè peccari, si qvid tale omissum fuerit, gravissimum autem esse peccatum, sine omni altari celebrare. Thom. Hurtad. *tr. 2. resol. 23.* Qvæ omnia apertissimam continent superstitionem.

Constitutis in itinere licet celebrare sub dio, & celebrans in privatis domibus est deponendus. h. d.

§. 2. In itinere[d] qvoq; constitutis, Ecclesiâ non repertâ, sub dio, sive in tentoriis, si tabula altaris, cæteraqve sacra ministeria adfuerint, missarum solennia celebrari permittendum erit: alioqvi si qvis in oratoriis[e] intra privatas domos constitutis, sine consen-

d *can. concedimus. vers. in itinere. de consecr. distin. 1.*

e *can. clericos. de consecr. distinct. 1.*

ſenſu Epiſcopi hoc facere auſus fuerit, deponendus erit.

in tentoriis] Ita Conſtantinus Magnus portatilem ſecum vehere conſvevit ſcenam Eccleſiaſticam, ut haberet tabernaculum ſacrum ordinario cultui divino & diſpenſandis myſteriis accommodatum. Sozom. *l. 1. hiſt. Eccl. c. 8.*

miſſarum ſolennia] De miſis hiſce qvid ſentiendum, diximus ſupra, *tit. de Euchariſtiâ.*

intra privatas domos] Invaluit circa ſeculum octavum & novum ſacellorum & oratoriorum privatorum uſus, juxta qvem proceres & qvi opulentiores erant, ſtructâ in domibus ſuis vel palatiis ædiculâ, neglectis publicis conventibus, à conducto mercede ſacrifico rem divinam fieri curabant. Et Luitbrandum Longobardorum Regem primum ſibi in ſuo palatio conſtruxiſſe oratorium, autor eſt Paulus Warnefridus *lib. 6. de geſt. Longobard. c. 58.* Jamdiu tamen Concilium Laodicenum *can. 57.* in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis vel presbyteris prohibuerat. Idem repetit Synodus qvinisexta in Trullo habita, Concilium Nicenum ſecundum, Cabilonenſe, Aqvisgranenſe, & plura alia, maximè Concilium Pariſienſe habitum Ludovico pio imperante, in qvo Epiſcopi congregati *lib. 3. c. 19.* orant Imperatorem, ut presbyteros & capellas palatinas abroget, qvò diebus ſolennibus proceres & palatini miniſtri ad publicas miſſarum celebrationes teneantur accedere. Qvanta verò inter privatos ejusmodi ſacrificulos tùm fuerit ruditas & morum pravitas, docet qverela Agobardi Lugdunenſis in Galliâ Epiſcopi *in tract. de privileg. & jur. ſacerdot.* Et hinc qvidem miſſæ ſolitariæ tùm introductæ maximum accepérunt incrementum.

Epiſcopus, excreſcentibus fidelibus, novam Eccleſiam conſtruere poteſt, & unam in plures dividere. h. d.

§. 3. Conſtruuntur autem Eccleſiæ vel ob incrementum populi, vel ob commoditatem plebium, vel certæ univerſitatis intuitu, aut in paſtoralis dignitatis privilegium. Ob incrementum populi tunc nova con-

conſtituenda eſt Eccleſia, cùm certis in regionibus adeò multitudo fidelium excrevit, ut illorum curæ unica ſit impar Eccleſia. Sicut[f] enim eâ ratione unus Epiſcopatus in duos, Antiſtitis accedente voluntate, dividi poteſt: ſic etiam Epiſcopus de Baptiſmalibus, & parochialibus Eccleſiis, Rectorum accedente conſenſu, facere poteſt: qvod cùm factum fuerit, illa pars populi, qvæ novis Eccleſiis ſupponitur, à jure prioris Eccleſiæ abſolvetur.

[f] *cam. præcipimus. § ſicut. 16. q. 1.*

Antiſtitis] Per Antiſtitem hîc intelligi debet ipſe Epiſcopus, ut cum ejus bonâ gratiâ diviſio fiat. Nec tamen præteriri debet conſenſus ArchiEpiſcopi, cum omnis mutatio Eccleſiarum fieri debeat cum conſenſu ſuperioris. Qvod ſi territorii Dominus ſuum qvoq; neceſſarium vult eſſe conſenſum, neq; hic negligendus eſt, qvicqvid etiam dicat Auguſtinus Barboſa *lib. 2. de jur. Eccl. c. 2. n. 3.* Pertinet enim hæc res ad poteſtatem Eccleſiaſticam externam, qvam Principi competere aliàs diximus.

de baptiſmalibus] Chriſtiani olim, ubi tranqvillitas data erat Eccleſiis, baptiſteria amplisſima & qvidem templis adjuncta, unum ſcilicet per ſingulas Urbes, exædificárunt. Onuphr. Panvin. *lib. de præcip. Urb. Rom. baſil.* & qvidem in paratis ibi fontibus vel alveis, in qvos plerumqve per gradus erat deſcenſus; baptiſmus enim per immerſionem ordinariè perageba-tur. Poſtea exſtrui cœpérunt baptiſteria intra Eccleſiam prope πρόναον ſeu veſtibulum. Atq; hinc Eccleſiæ baptiſmales dici cœpérunt.

& parochialibus] Diſtingvuntur aliàs Eccleſia Cathedralis, collegiata, & parochialis. Cathedralis Eccleſia dicitur illa, in qvâ Epiſcopus ipſe cum collegio ſeu capitulo reſidet. Collegiata eſt, qvæ collegium habet, nullum tamen apud ſe Epiſcopum, ſed Epiſcopo Eccleſiæ cathedralis ſubeſt, qvippe qvi plures collegiatas Eccleſias ſub ſe habere poteſt. Parochialis Eccleſia conſtat ex conventu & congregatione civium cohabitantium. In illis prioribus Clerici omnes ſunt in dignitate, eaq; annexam habet juris-

risdictionem. In hâc Clerici nullam dignitatem, sed personatum tantùm habent, hoc est, curam animæ & beneficia curata sine jurisdictione. Jure pontificio baptisteria solis concessa sunt parochiis. *c. 2. X. de capell. monach.* Joh. Coras. *de offic. elect. dign. & benef. p. 4. c. 4. num. 22.* ex qvo tamen inferre non licet, qvod omnis parochialis Ecclesia etiam sit baptismalis, cum nihilominus parochialis esse qveat sine baptisterio. Aug. Barbos. *de jur. Eccl. lib. 2. c. 1. n. 26.* Cæterùm ad parochialem Ecclesiam post alios reqvirit Camillus Borellus *in decis. tit. 2. n. 17.* (1) ut in eâ adsit sacerdos habens potestatem ligandi, (2) ut habeat certos fines, (3) ut curam exerceat nomine suo. (4) ut solus & non cum aliis administret. qvod ultimum tamen non videtur excludere diaconos.

Plures baptismales Ecclesiæ non debent fieri sub una terminatione, & terminationis controversia dirimenda est judicio plebium, vel sorte. h. d.

§. 4. Plures [a] tamen baptismales Ecclesias in una terminatione facere non poterit. Qvòd si determinatione duarum matricum Ecclesiarum contentio fuerit, plebes utrarumq; discernent: qvòd si non convenerint, Dei judicio controversia discernetur.

a *can. plures baptismales. 16. q. 1.*

Dei judicio] i. e. sorte. Sortes enim divisorias, qvibus utuntur homines, ut sciant, qvid utriqve tribuendum sit, non damnant Canonistæ, cum nec superstitionis qvid contineant, nec ordinentur ad rei incertæ cognitionem, nec contineant aliqvam invocationem dæmonis. Vid. Martin. Azpilcuet. Navarr. *tom. 3. cap. 11. n. 38.* Sixt. Senens. *bibl. sanct. lib. 5. annot. 166.* Illud miror, qvod patiantur Canonistæ terminationem Ecclesiarum â plebibus fieri, cùm tamen his omnem in rebus sacris dispositionem aliàs interdicant.

Non est perjurus Episcopus fabricans Ecclesiam, licet juraverit non alienare Ecclesiastica. h. d.

§. 5. Nec [b] qvicqvam Episcopo obstiterit, qvòd de rebus Ecclesiæ non alienandis juraverit: nam & tali non obstan-

b *cap. fi. ext. de eccl. ædific.*

obſtante juramento, populo indigenti ſuper baſilicarum inſtitutione ſalubriter providere poterit, & debebit.

non obſtante juramento] Ratio eſt, qvia juramentum ad ea, qvæ de novo accedunt, non extenditur, *arg. c. 2. X. de renunc.* & juramentum ſemper recipit eam interpretationem, ſi res maneat in eodem ſtatu. Qvæ igitur de novo emergunt, novo etiam indigent auxilio. Cum præſertim non moraliter tantùm, ſed phyſicè etiam per templi anguſtiam & nimium populi incrementum ad conſtitutionem novæ Eccleſiæ urgeatur Epiſcopus.

Ob commoditatem plebium nova Eccleſia ædificari poteſt, qvæ tamen matrici honorem exhibere debet. h. d.

§. 6. Plebium [c] commoditas tunc novam ædificare ſvadet Eccleſiam, cùm parochianorum pars adeò diſtat à veteri, ut certis temporibus non ſine magna difficultate, & periculo illam adire, & ibi congruis temporibus divinis intereſſe, & ſacramenta percipere poſſint: qvo qvidem caſu, maximè ſi miniſtro commodè pro ſubſtentatione ſua provideri poſſit, nova qvidem erit Eccleſia conſtruenda, ſed à filiali matrici Eccleſiæ pro facultate loci competens honor exhibendus erit.

[c] *cap. ad audientiam. cl. 1. extr. de eccl ædific.*

certis temporibus] tempore ſcil. hyberno & cum pluviæ nimiæ inundationes faciunt.

ſi miniſtro] illi ſcilicet, qvi in novâ Eccleſiâ conſtituendus eſt. Sed & Eccleſia matrix ita reditibus abundare debet, ut ejus miniſter ſufficientia poſſit habere alimenta, & ut carere poſſit proventibus illis, qvi

ex villâ, in qvâ ædificari debet nova Ecclesia, hactenus fuérunt exhibiti.

â filiali] Matrix Ecclesia dicitur qvasi aliarum ædicularum & capellarum mater, qvas scil. sibi subjectas habet, qvæq; proinde filiæ dicuntur. Petr. Rebuff. *de decim. q. 6. n. 7.*

pro facultate loci] loqvitur ergo de tali hîc honore, qvi ex collatione agrorum aut annuâ præstatione provenit, *cap. 3. X. de Eccles. ædif.* De hâc parochiarum divisione qvid agitatum fuerit in Concilio Tridentino, vid. ap. Petr. Svav. *lib. 6. p. 559.* Communiter hodiè reqvirunt 1. allegationem justæ causæ & ejus probationem. 2. consensum parochi Ecclesiæ prioris. 3. autoritatem Episcopi & ejus decretum. 4. consensum parochianorum, aut saltem majoris partis. Vid. Joh. Bapt. Costa *remed. subsid. 75.*

Universitatis intuitu potest nova Ecclesia ædificari, utputà pro leprosis. h. d.

§. 7. Universitatis intuitu nova Ecclesia ædificari permittitur: veluti cùm plures simul leprosi[d] sub communi vita congregati fuerint. Iis enim, qvòd Ecclesia cum cœmiterio & qvòd proprio gaudere valéant privilegio, permittendum erit. Cavebunt tamen hi, ut injurioſi veteribus Ecclesiis de jure parochiali neqvaqvam existant. Nec enim qvod eis ob pietatem indulgetur, ad aliorun injuriã flecti convenit.

[d] *cap. nextr. de eclee. ædific.*

leprosi] Solent leprosi propter contagii periculum â cæterorum consvetudine procul amoveri, & extra portas plerumq; collocari, qvâ ex causâ transportanei dicuntur Cassiodoro *lib. 10. var.* Qvocirca, si tot leprosi fuerint congregati, ut Ecclesiam cum cœmeterio sibi construere valeant, uti dicitur *c. 2. X. de Eccl. ædif.* id eis denegandum non est. Sed etsi construere non valeant, puto seorsim illis sacra administrari debere, ne vitiliginêâ humorum colluvie polluti aut purulento halitu aut aliis contagiosis exhalationibus reliqvos contaminent, & inficiant.

Digitized by Google

ut injurioſi] h. e. ne jus parochiale veteris Eccleſiæ ullo modo infringant. Qvod ſi tamen ipſi impetantur, qvin defendere tùm jura ſua poſſint, nullus dubito.

Epiſcopo conceditur pro ſepultura propria Eccleſiam ædificare, aut novum monaſterium conſtruere. h.d.

§. 8. Epiſcopo [e] qvoqve in ſua parochia novam Eccleſiam ædificare permittitur. Sed multum intererit, Eccleſiam monaſticis in formandam regulis conſtruat, an verò ex alia cauſa, & fortè pro propriis erigere velit ſepulturis: cùm primo caſu eandem ex rebus Eccleſiæ, cui præſidet, usqve ad qvinqvageſimam tantùm partem dotare debeat: ſecundo verò non amplius, qvàm centeſimam conferre licebit, eâ qvoq; adhibitâ cautelâ, ut unam tantummodò ex his duabus remunerationem eligat.

[e] *can. bona rei pen. 12. q. 2. & cap. pen. ext. de donatio.*

in ſuâ parochiâ] Ἐνορίαν Græci & παροικίαν dixére propriè territorium illud vel regionem univerſam, qvæ ſub Epiſcopo Civitatis erat; ἐπαρχίαν verò, i. e. provinciam, qvæ ſub Metropolitano: διοίκησιν autem multarum provinciarum complexionem, qvæ patriarchæ ſubeſt. Vid. Euchariſticon *de regionib. & Eccleſ. ſub urbicar. c. 4.*

qvàm centeſimam] imò ne centeſimam qvidem aut qvinqvageſimam, ſi inde grave Eccleſiæ inferatur damnum. c. 9. X. de donat. Proportio autem dupli menſuratur ex commodo ædificationis, qvia plus videtur prodeſſe, qvi monaſterium ædificat, qvàm qvi Eccleſiam ſuo ſepulchro deſtinat.

Qvæ ſervari debẽt in conſtruenda Eccleſia, vel conſecranda, & qvòd Eccleſia indomita conſecrari non debet. h.d.

§. 9. Qvacunqve tamen ex cauſa nova extruenda ſit Eccleſia, obſervandum eſtimprimis, ut civitatis Epiſcopus[a], ſine cujus aſſenſu id inchoari non debet, ad locum veniat, in qvo crucem ipſe figet, & publicè atrium deſignabit, nec illam antea patietur ædificari, aut munus impendet conſecrationis, qvàm dotem baſilicæ, & obſeqvium ipſius per donationem chartulâ confirmatam accipiat, qvæ ad luminaria, & ad cuſtodiam, & cuſtodum ſtipendia, ſufficere valeat.

a *can. nemo eccleſiã. de conſecr. diſtinct. 1.*

ut civitatis Epiſcopus] Qvod Epiſcopis ſolis conſecrandi hoc munus competat, non eſt ex jure divino, ſed ex conſvetudine & jure Eccleſiaſtico. Vid. Blondell. *apol. de Epiſc. & presbyt. ſect. 3. pag. 149.*

ſine cujus aſſenſu] Priùs enim exqvirendum eſt, an fructus & reditus adſint ſufficientes, ut & Eccleſia conſtrui, conſtructa conſervari, & miniſtri Eccleſiæ ſuſtentari qveant, num ædificium loco fiat congruo, num cauſa juſta ædificandi adſit, num fiat ædificatio in præjudicium alterius &c: Vid. Didac. Spino â Caceres *in ſpecul. teſtam. gloſſ. 3. n. 9. ſeq.* Jacob. Goar. *in Eucholog. fol. 609.* qvæ omnia ab Epiſcopis & in hiſce provinciis ab Conſiſtoriis, qvæ principis ſuſtinent vicem, expediri neceſſe eſt.

in qvo crucem ipſe figet] & orationem ibi dicet, *Novell. 67. c. 1.* Figenda autem eſt crux lignea in loco illo, ubi debet eſſe Altare, uti habetur in Pontificali Rom. Cæterùm, uti ceremonias, qvæ ad decentem ordinem in Eccleſiâ faciunt, non rejicimus, ita neqve hanc crucis poſitionem reprehendimus, niſi ſuperſtitionis accedat opinio. Sed qvia Pontificii ſignationem crucis habent pro medio ἐνεργητικῷ, atqve per illud rei ſignatæ meritum Chriſti, & majorem ſanctitatem applicare, eamqve â Diaboli inſidiis & inſultibus tutam præſtare intendunt, non poſſunt hoc ſigno crucis, niſi malè & ſuperſtitiosè uti. In Orientę ſunt qvædam Eccleſiæ, in qvibus poſt

poſt Epiſcopalem illam crucis fixionem, ubi perfectæ fuerint, alia crux Patriarchæ mandato figitur, qvæ propterea σταυροπήγια dicuntur. Et indicium hoc eſt, Eccleſiam iſtam jurisdictione Diœceſani exemptam, Patriarchæ immediatè ſubjectam eſſe. Jacob. Goar. *in Euchолog. pag. 612.*

qvàm dotem Baſilicæ] Nihil intereſt, à qvo dos ea conſtituatur. Si tamen Eccleſia ædificata jam eſt, & nulla aſſignata adhuc dos, onus dotandi ex neceſſitate incumbit ædificanti, aut qvi conſecrari eam fecit, *c. cum ſicut. 8. X. de conſecr. Eccleſ.*

ad luminaria] Luminarium adhibitio in ſacris inter adiaphora recenſenda eſt. Et uſi videntur iis veteres Chriſtiani præcipuè ad exterum ornatum cultûs publici, & ne de magnificentiâ religioſi apparatûs qvicqvam concederent gentilibus. Senſim tamen adhæſit huic ritui opinio religioſæ cujusdam neceſſitatis, qvaſi impium ſit & irreligioſum, ſine cereis cultum adminiſtrare, uti ex Hieronymi adverſus Vigilantium libro patet. Accesſit & hoc inſuper, qvod Pontificii communibus cereis non contenti, ſacerdotales conſecratos & exorciſatos reqvirant, iisq; vim ſupernaturales effectûs efficiendi pariter & ſignificandi tribuant, & eos in odorem ſvavitatis tanqvam ſacrum incenſum & ſacrificium propriè dictum DEO offerant. Ita enim orat Archidiaconus, uti habetur in ritual. Rom. *In hujus noctis gratiâ ſuſcipe S. Pater incenſi hujus ſacrificium veſpertinum, qvod tibi in hâc cerei oblatione ſolenni, per Miniſtrorum manûs de operibus apum S. ſancta reddit Eccleſia* &c. Qvæ omnia, cum ſuperſtitioſa ſint, & opinionem de religioſâ neceſſitate cereorum nec in S. Literis fundatam, nec à primis Chriſtianis receptam, ſed à ſeqviori & degenere poſteritate ſenſim introductam contineant, meritò à nobis rejiciuntur, retentis tamen alicubi luminaribus & habitis inter adiaphora.

Cuſtodum ſtipendia] Cuſtodum nomine hîc veniunt Rector & miniſtri Eccleſiæ reliqvi. *Novell. 67. cap. 2.* Rochus de Curte *de jur. patron. p. m. 370. ſeq.* Aliter accipiuntur in *l. 1. C. Theod. de fid. cathol.* ubi Chriſtiani ad cuſtodiam templorum gentilium, ut inde vim arceant, adponi prohibentur.

Conſtruenti novam Eccleſiam, poteſt novum opus nunciari. h. d.

§. 10. Sed [b] ſi qvis, dum nova conſtruitur Eccleſia, aut pro-

[b] *cap. 1. & ſeq. extr. de novi oper. nũciat.*

proprium jus imminui, aut ſibi qvoqvo modo noceri exiſtimet, novi operis nunciatione conſulere ſibi poterit: poſt qvam ſi legitima non ſit impetrata remiſſio, qvicqvid ædificatum fuerit, ſive illud jure, ſive injuriâ, omninò ædificantium impenſis deſtruendum erit, negociumq; ipſum ſecundum legum & canonum ſtatuta terminabitur.

ſive illud jure] Si tamen notorium ſit, jus nunciandi nuntiatori non competere, ſperni poterit nunciatio impunè. Vid. Dd. *ad tit. de nov. op. nunc.* Qvin dubitare adhuc licet, utrum nunciatio novi operis, qvam ex jure civili didicérunt Pontifices, ædificationem Eccleſiæ impedire debeat. Sanè leges civiles noluérunt nunciationem novi operis locum habere tùm, cum Reip. intereſt, ut primo qvoq; tempore novum opus fiat, uti patet *ex l. 5. §. 11. ff. de op. nov. nunc. l. 3. §. 8. ff. de riv. l. 1. §. 13. ff. de cloac.* Qvod ſi igitur eodem modo populi interſit, ut nova, qvàm primùm fieri poteſt, ædificetur Eccleſia, ſperni ſine dubio poterit iſta nunciatio. Accedit, qvod ſtatuant nonnulli, cogi poſſe dominos, ut vendant prædia ſua, ſicubi ædificanda aut amplianda fuerit Eccleſia. Thomas Grammat. *deciſ. 75.* Anton. de Padill. *in l. altius C. de ſervit. & aq. n. 21.* Petr. Nicol. Mozz. *de empt. & vend. tit. de reb. n. 58.* Id ſi verum eſt, fruſtra fiet nunciatio novi operis ei, qvi cogere poterit nunciantem, præſertim ſi poteſtas cogendi etiam ad eum caſum extendatur, qvando ſola per ædificationem intenditur loci amœnitas, uti vult Joh. Bapt. Coſta *remed. ſubſid. 76. n. 9.* de qvo tamen meritò dubitat Antonius Merenda *lib. 1. controv. 30. n. 13.*

Qvi præter Epiſcopi conſenſum Eccleſiam conſtruit, facit jacturam juris patronatus. h. d.

§. 11. Diverſum ſtatuetur in ea, qvæ præter Epiſcopi conſenſum conſtructa fuerit: hæc enim ſi nemini nocet, deſtruenda qvidem non erit, ſed ob ſuperio-

c. nobis. de jure patron.

ris

tis neglectum excluſo jure patronatus cum dotibus ſuis Epiſcopalibus juribus applicabitur. *c. omnes baſilicæ 16. qv. 7.*

excluſo jure patronatus] Non excludi id illicò poteſt aut debet. Admittunt enim Canoniſtæ conſenſum Epiſcopi etiam ex poſt facto accedentem. Auguſtin. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcopi part. 3. alleg. 70. n. 21.* ſed, ut videtur, ex benignitate & in favorem Eccleſiæ, non ejus, qvi ædificavit. Neq; tamen utile id ſemper erit Eccleſiæ, ut patronus jure ſuo excidat, præſertim, ſi nondum ſufficienter fuerit doctata. Hactenus enim nihil obeſt Eccleſiæ, qvod Epiſcopi conſenſus non fuerit petitus, nec ideò minus agere poteſt Eccleſia ad dotem conſeqvendam, confirmante & approbante ædificationem Epiſcopo. Petr. Gregor. *de benefic. cap. 13. num. 12.*

Eccleſia debet, qvanto poteſt citiùs, conſecrari. h. d.

§. 12. Baſilica igitur legitimè extructa non antè ſacris eſt deputanda * myſteriis, qvàm munus conſecrationis acceperit: qvod, ne qva divino cultui offeratur mora, qvanto poterit citiùs [c], conficiendum erit. * miniſteriis, fortè. c *cap. fin. extr. de conſecr. Eccleſ.*

non ante ſacris] Dixi ſupr. ad pr. hujus tit.

munus conſecrationis acceperit] Olim in conſecrationibus & dedicationibus templi primùm Eccleſia convocabatur, tùm verbum DEI & ſacramenta tractabantur, & deniq; precibus, hymnis, ac piis votis totus actus abſolvebatur. Adhibitæ tamen ſunt aliqvando proceſſiones & aliæ honeſtæ ceremoniæ, qvæ ex libertate Chriſtianâ ſine ſuperſtitione convenientes videbantur, qvemadmodum interdum etiam feſtivæ epulæ exhibitæ & xenia diſtributa ſunt. Et talis conſecratio illicò cum baſilicis extructis tempore Conſtantini Magni cœpit, uti autor eſt Euſeb. *l. 10. c. 2.* Seqvioribus temporibus plenæ ſuperſtitionis ceremoniæ eæq; nec paucæ fuérunt additæ. Ita enim Bellarminus *tom. 1. contr. l. 3. de cult. ſanct. c. 5. Primò pinguntur duodecim cruces, & ante ſingulas accenduntur ſingulæ lampades. Deinde pulſatur templum & aperitur. Tùm deſcribitur in pavimento ſuper cineres ad hoc*

hoc ſparſos baculo paſtorali alphabetum Græcum ab uno angulo ad alium, & rurſus alphabetum Latinum ab alio angulo ad alium, ita ut inde crux fiat. Tum fit mixtura ex aqvâ, vino, ſale & cineribus & inde adſpergitur templum. ac demum templum & ara Chriſmate inunguntur. Et his omnibus Pontificii non ſignificandi, ſed ſanctificandi etiam vim & virtutem tribuunt, ita ut templum ita conſecratum divinâ qvâdam virtute præditum éxiſtimari debeat. Nec ſufficit illis Eccleſias ita conſecrare, ſed altaria in iisdem eâdem ſuperſtitione dedicant & conſecrant. Petr. Peck. *de Eccleſ. repar. c. 36. n. 3.* Add. Petr. Gregor. *de benefic. Eccleſ. c. 16.* Sed iſta, uti à priſtina Eccleſiæ puritate in ſuperſtitionem deviant, ita à noſtris Eccleſiis meritò rejiciuntur. Vid. Blondell. *apol. de Epiſc. & presbyt. ſect. 3. p. 265. ſeqq.* Præterea nec illud ferri poteſt, qvod non DEO ſolùm, ſed & ſanctis ædificent & conſecrent Eccleſias. Sanè fuérunt qvidem jam olim ædes ſacræ in honorem Apoſtolorum, aliorumq; ſanctorum erectæ; ſed honor ille non religioſus fuit aut divinus cum fiduciâ de illorum meritis & beneficiis conjunctus, ſed humanus & charitativus in honorificâ eorum recordatione & commendatione virtutum, qvibus claruérunt illi, conſiſtens. Diſertè Auguſtinus *l. 1. adv. Maximin. Nonne ſi templū alicui S. angelo excellentiſſimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Chriſti & Eccleſiâ DEI, qvoniam creaturæ exhiberemus eam ſervitutem, qvæ uni tantùm debetur DEO.* Cæterum effectus dedicationis, ſi qvem peculiarem habet, eſt externa & ceremonialis ſanctitas ſeu ſeparatio hujus loci ab uſu communi & profano ad uſum ſacrum & Eccleſiaſticum publicâ Magiſtratus autoritate & communi ac ſolenni totius Eccleſiæ conſenſu ſancita. Hodiè non conſecrari amplius, ſed benedici tantùm Eccleſias, notat Didac. Spino à Caceres *in ſpecul. teſtam. gloſſ. 3. n. 14.*

Eccleſia conſecranda eſt ab epiſcopo, qvi priùs baptizavit incolas regionis, ubi conſtructa eſt. h. d.

d *cap. 1. extr. de relig. dom. c. poſſeſſio 16. qvæſt. 5.*

§. 13. Et[d] ſi dubitetur, à qvo dedicanda ſit, illud exqviri oportebit, cujus civitatis Epiſcopus, anteqvam fundaretur, incolas baptizaverit, & ad cujus conſignationem ſub annua devotione concurrerint: atqve is etiam ad conſecrationem vocandus erit.

cujus

cujus civitatis Episcopus] Solis enim Episcopis potestatem consecrandi competere dixit supra *l. 1. tit. 21. in f.* Sed hîc plurima qvotidiè dat privilegia Pontifex Romanus, præsertim illis, qvi apud Indos versantur. Episcopum autem simplici sacerdoti potestatem hanc mandare posse, negat Thom. Hurtad. *tr. 2. resol. 25.* ubi tamen nimis jejunè respondet ad *c. presbyter 26. q. 6.* concilium scil. ex qvo canon ille desumptus est, Africanum tertium, fuisse provinciale, & non potuisse dispensare in lege universali toti Ecclesiæ latâ à Leone I. *in c. qvamvis dist. 68.* Qvasi verò Concilium Africanum III. post constitutionem Leonis I. habitum fuisset, cum tamen antecesserit ejus pontificatum integris qvadraginta tribus annis. Nec probari potest, Leonis verba legis universalis vim habere, qvippe qvam ipse illis vix tribuisset Leo. Sunt ea desumpta ex *Epist 36.* qvæ est ad Episcopos Germaniæ. Tali scribendi genere non conduntur leges, nec Episcopi Germaniæ universalem constituunt Ecclesiam.

& ad cujus consignationem] Hæc verba accipit Panormitanus de chrismatione, *in c. 1. X. de relig. dom.* Sed ea potius videntur Eucharistiæ Sacramentum, qvod annuatim distribuendum dixit supra, innuere.

Ecclesia semel consecrata non debet amplius consecrari; nec dicitur iteratum, qvod ignoratur semel factum. h. d.

§. 14. Ecclesiæ [a] autem, vel altari semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi: qvia velut infans à sacerdote ritè baptizatus non debet iterum baptizari, ita nec locus semel Deo dicatus, iterum consecrari. Planè [b] si de Ecclesiarum, vel altarium consecratione dubitetur, nec de ea aut scriptura appareat, aut testes existant, sine ulla dubitatione erunt consecranda. Nec talis trepidatio iterationem facit: qvia iteratum dici non potest, qvod semel esse factum, ignoratur.

a *can. ecclesiis semel. de consecr. dist. 1.*

b *can. solennitates. §. de ecclesiarum. & can. ecclesia vel. de consecr. dist. 1.*

Digitized by Google

velut infans à Sacerdote] conſecrationem templorum cum baptiſmo infantum ſub pari religione habere, qvaſi eadem ſit conſecrationis ac baptiſmi neceſſitas, eadem virtus, idem repetitionis piaculum, præſumtuoſa qvædam eſt ſuperſtitio, & error minimè ferendus.

Eccleſia polluta debet reconciliari. h. d.

[a] *can. eccleſiis ſemel. verſ. niſi. de conſecrat. diſt. 1. cap. propoſuiſti. cap. cõſuluiſti. & c. fin. ext. de cõſecr. eccleſ.*

§. 15. Sed ſi Eccleſia aut [c] ab igne exuſta, aut fuſione ſangvinis, vel ſeminis, vel excommunicati humatione polluta fuerit, etiamſi ſemel antea conſecrata appareat, nihilo minùs diligentiſſimè expurgata, iteratò conſecranda, vel reconcilianda erit.

aut fuſione ſangvinis] Non omni effuſione ſangvinis polluì volunt Eccleſiam, ſed eâ tantùm, qvæ injurioſa eſt & injuſta. Unde per Sacerdotem occiſum in Eccleſiâ ab aggreſſore pollui eam dicunt, non pollui per aggreſſorem occiſum à Sacerdote. Petr. Peck. *de repar. Eccleſ. c. 37.*

pollut a fuerit] Fatetur gloſſa, eccleſiam non poſſe pollui à peccatis hominum, ſed iſtam reconciliationem fieri ad terrorem, ut homines inde intelligant, qvod ex facto atroci etiam ſancta polluantur, ita ut inducantur ad cogitandum, qvantum ſit elaborandum pro expiatione proprii peccati. Add. Zoeſ. *ad tit. de conſecrat. Eccleſ. n. 18.* Qvid ergo opus eſt ſolemni hâc & ceremoniali expurgatione, qvæ non minus ſuperſtitioſa eſt, qvàm ipſa ab initio facta conſecratio? Cumq; per primam conſecrationem ſanctitatem templo collatam velint Pontificii, utiq; ſanctitatem iſtam per pollutionem ei ablatam vix erit, ut negent. Et mirum ſanè, qvod à fœminâ menſtruatâ pollui Eccleſiam non perinde dicant. Sic enim præeuntem cauſari poſſent ſynodum Laodicenam, qvæ *can. 44.* mulieres ad altare ingredi prohibuit, propter menſtrui ſc. fluxum, uti commentatur Zonaras. Simile qvid conſtitutum ſeculo ſuperiore in Concilio Aqvenſi, uti refert Lud. Odeſpoun. Presbyter Feronenſ. *p. 489.* Sed Pontificiis ſanè idem reſponderi poterit, qvod Donatiſtis olim ab Optato Milevitano *lib. 7. qvid & parietes lavare voluiſtis, in qvibus humana non poſſunt poni veſtigia, parietes non calcare, ſed tantùm videre potuimus. Si & qvod tangit aſpectus, lavandi eſſe cenſetis, cur cætera dimiſiſtis illota? Videmus tectum, videmus & cælum, hæc à vobis lavari non poſſunt.*

possunt. — — Cum igitur alibi quasi diligentes videri vultis, alibi negligentes estis inventi, si tamen diligentia dicenda est stultitia, & ut vero nomine appelletur, vanitas vestra. nisi forte quia hoc faciendo in pavorem misistis populos imperitos, ut, quia lota est columna, lavarentur & corpora. Si in his rebus consilium latet, miseros subtiliter decepistis. Si nullis res sine consilio gesta est, manifesta est vestra hebetudo.

vel reconcilianda] Distingvunt Canonistæ inter reconsecrationem & reconciliationem. Illam locum habere volunt tùm, qvando Ecclesia vel totaliter vel maximam partem exusta aut destructa est. Hanc verò, qvando polluta tantùm. qvia sc. consecratio magnam partem consistit in unctione exteriori, qvæ fit in compagine lapidum, & ideò si parietes non sunt diruti aut notabiliter decrustati in toto, vel majore parte, consecratio non erit iteranda. Petr. Peckius *de Eccles. repar. c. 35. n 3.* At neutrâ opus est. Reconciliatio enim hominum est, non lapidum. Reconsecratio tamen, si fiat antiqvo Christianorum ritu cum orationibus, prædicatione verbi & administratione sacramentorum, sine superstitione & opinione meriti, ex libertate Christianâ ut peragatur, non repugnabimus.

Propter detrimentum altaris, ipsum altare, non Ecclesia est iterum consecranda. h. d.

§. 16. De eo dubitari contigit, si altare motum fuerit[d], aut lapis superpositus, qvi sigillum continet, confractus, aut diminutus, an Ecclesia debeat iterum consecrari? Et responsum est, ob id Ecclesiæ non esse consecrationem iterandam, sed ipsum solum altare denuò consecrandum.

[d] *cap. 1. extr. de consec. eccles. vel alt.*

si altare] Uti olim in primitivâ Ecclesiâ nulla fuére templa sive basilicæ, ita nec altaria qvidem tam splendida atq; fixa. mensas tamen veteres Christianos in conventibus suis habuisse, aut loca saltem editiora, ut in eis reponerentur oblationes sacræ, & qvæ ad sacram communionem pertinerent, dubium non est. Vid. Rittershus. *lib. 8. sacr. lect. c. 9.* Petr. Molineus *tr. de altarib. & sacrific. c. 7. 8.* Richard. Montacut. *de orig. Eccles. part. 2. p. 314. & 326.* Postea lapideæ ejusmodi moles cœpérunt exstrui, qvæ altaria dicta,

dicta, non qvod sacrificium in iis immolandum censerent, sed qvod sanctissimi sacrificii, cujus umbram typumqve gessérunt V. T. sacrificia, in eis fieret dispensatio. *Qvid est enim altare*, inqvit Optatus Milevitanus *adv. Parmen. lib. 6. nisi sedes & corporis & sanguinis Christi?* Vid. Dorsch. *de Missâ c. 8. §. 28. & in exercitat. ad Concil. Nicen. p. 98. seq.*

motum fuerit] qvod ita intelligunt, si vel ex toto destructum & postea reædificatum sit, vel in conjunctione mensæ seu tabulæ & inferioris structuræ ex amotione separatio facta sit, non si totum altare sine motione mensæ & dissolutione lapidum artificio qvodam moveatur de loco ad locum. Petr. Peck. *de Eccles. repar. c. 36. n. 6.*

qvi sigillum continet] Sigillum qvid sit, ita explicat Panormitanus *ad c. 1. de consecrat. dist. 1.* qvando consecratur altare, fit unum foramen parvum, vel in superiore parte in ipsâ mensâ lapideâ altaris, vel ante altare, vel in latere dextro altaris, & post consecrationem clauditur parvo lapide qvadrato, aut rotundo, & parvus ille lapis vocatur sigillum, qvod sicut denotat & designat ipsum sigillantem, ita ipse lapis denotat, locum esse consecratum. In ipso verò foramine adponuntur reliqviæ sanctorum, & nomen Episcopi consecrantis, & nomen sancti, in cujus honorem consecratur. Ubi notari velim (1) satis esse, si ea habeatur ratio reliqviarum, ne irreverenter & ignominiosè tractentur vel abjiciantur, cultum alium religiosum λατρείας aut δουλείας iis non competere. (2) perperam eos omnes haberi pro sanctis, & cultu religioso dignis, qvi â Papâ fuérunt canonisati. Rectè enim Augustinus: *Multorum corpora honorantur in terris, qvorum anima torqventur in gehennâ.* Conf. Georg. Cassand. *consult. art. 21.* (3) ridiculè inter reliqvias monstrari Mariæ crines, pepla, Mariæ Magdalenæ claves, Josephi caligas, plumas etiam Spiritûs S. & Laurentii Martyris carbones, & multa insuper alia, de qvibus dubitare licet, an unqvam talia fuerint, qvalia perhibentur. Vid. Glaber Rodolphus Monachus Cluniacensis *l. 4. hist. c. 30.* (4) Superstitiosum esse, qvod volunt Pontificii, non consecrari debere altare, nisi in eo reliqviæ aliqvæ sint positæ. (5) & istud superstitiosum esse, qvod in unâ Ecclesiâ numerosâ multitudine exstruantur altaria, qvemadmodum de Antverpiensi Ecclesiâ referunt septuaginta ibi altaria visa fuisse. (6) etiam hoc addo, ipsos inter se Pontificios de reliqviis non semper convenire, & sæpiusculè litigia movere. Ridiculum est, qvod refert Joh. Papo nius *lib. 1. tit. 1. arest. 5.* judicio rem terminatam esse. *Jurgio*, inqvit, *inter*

Digitized by Google

ter capitulum B. Virginis Parisiensis ab unâ parte, ab alterâ verò inter Abbatem, Religiosos & conventum S. Dionysii (quem nos Apostolum & Senatorem Atheniensem seu Areopagitam credimus) Capitulo videlicet contendente, penes se esse caput S. Dionysii; conventu verò corpus integrum, transactum fuit Aresto quodam, quod datum 19. Aprilis ann. 1410. quo dictum fuit, reliquias dicti capituli esse caput Dionysii Corinthii, at non Atheniensis &c: Quæso ego, unde hoc determinari, & unde probatio haberi potuit? Præsertim cum non neget ipse Paponius *aresto mox sequenti 6.* maximam circa reliquias sæpissimè committi impostu̇ram. (7) Maximè ridiculum, impium & idololatricum est, non solum vasa, terram, cinerem, aut pulverem carnium Sanctorum, verum etiam eorum vestimenta, & calceamenta, quibus inserviérunt Domino, posse & debere adorari, eâdem adoratione, quâ possunt & debent ipsimet, quorum illa fuérunt. Martin. ab Azpilcuet. Navarr. *tom. 3. c. 18. n. 27.*

denuò consecrandum] Rationem reddunt istam, quia confracto aut diminuto sigillo, aut moto altari, facilè de reliquiis ibi contentis vel excidere vel contaminari vel aliter quàm oportet tractari potuerit. Pett. Peck. *de Eccles. repar. c. 36. n. 8.*

Quibuscunque diebus potest Ecclesia consecrari, sed solùm ab Episcopis, qui ea, quæ sunt jurisdictionis, possunt demandare inferioribus, secus quæ sunt ordinis. b. d.

§. 17. Confici [e] autem poterit Ecclesiarum, Altariumque consecratio quibuscunque diebus, tam Dominicis, quàm privatis, sed non à quocunq;. Licet [f] enim aqua per Episcopum benedicta, per alium Episcopum, qui aquæ benedictionem non impenderit, Ecclesia reconciliari possit, idem tamen per sacerdotes simplices fieri non poterit: quia ea quidem, quæ jurisdictionis sunt, etiam inferioribus Episcopus de-

[e] *cap. 2. extr. d. tit.*

[f] *capit. aqua per. cap. 9. extr. de consecr. Eccle.*

mandare poteſt: ſed qvæ ordinis ſunt, inferioris gradus clericis committere non poteſt.

aqva per Epiſcopum benedicta] Etiam iſta multâ cum ſuperſtitione apud Pontificios invaluit. *Multi*, inqvit Jacobus Pontanus *progymnaſm. 99. aqvæ luſtralis ſunt effectus. Dæmones fugantur, peccata leviora ejus aſperſione remittuntur, cogitationes improbæ evaneſcunt, mens à rebus mundanis avocatur, ad preces caſtè faciendas comparatur, Sancti Spiritus favor impetratur &c.* Verùm, cum non aqvâ extra baptiſmum, ſed ſolo ſangvine Salvatoris eluantur & expientur animi ſordes, meritò cultum iſtum ad ſcholas gentilium aut Judæorum, unde profluxit, remittimus. Vid. Caſaub. *in not. ad Theophraſt. charact. Ethic.* Polydor. Virgil. *de invent. rer. l. 5. c. 8.* Richard. Montacut. *de orig. Eccleſ. p. 2. p. 79.* Reprehendit iſtum aqvæ uſum in Donatiſtis Optatus Milevitanus *lib 8. Jam illud, qvale eſt*, inqvit, *qvod in multis locis etiam parietes lavare voluiſtis, & ſine cauſa incluſa ſpacia falsâ aqvâ & ſpargi præcepiſtis. O aqva, qvæ dulcis à DEO creata es, -- reſtabat tibi poſt promotionem non leviter degradari. Præſentiâ Moyſis in te amaritudo moritur, & à Schismaticis hodie cum Catholicorum turba dulcedo tuo vexatur* &c. Conf. Dav. Blondell. *Pſeudoiſidor. ad Alexandri. Epiſt. 1. pag. 166.*

idem tamen per ſacerdotes ſimplices] Dixi ſupra ad verb: *ut civitatis Epiſcopus* &c:

committere non poteſt] qvippe ni? cum ordinis Sacramentum ex conceſſione Pontificiorum tantùm ſit unicum. & ex veriore ſententiâ qvoad ordinem nihil præcipui habeat Epiſcopus, qvod non habeat presbyter, qvanqvam ex conſvetudine & conſtitutione Eccleſiaſtica plura Epiſcopo conceſſa ſint axiomata.

Non debet conſecrari Eccleſia, ubi ſepulta ſunt corpora infidelium, niſi ſervatâ formâ hujus §. h. d.

§. 18. Illud etiam animadvertere conſecrantem oportebit, ne baſilicam [g], in qva infidelium ſepulta ſunt cadavera, ſanctificet. Sed ſi conſecrationi apta videbitur,

[g] *can. eccleſiâ in qva. & can. ſeq. de conſecr. diſtinct. 1.*

bitur, evulsis inde corporibus, & rasis parietibus & tignis, consecrari poterit.

ne basilicam] Notat Panormitanus *ad c. 1. X. de relig. dom* Basilicam dici ante consecrationem, post consecrationem verò dici Ecclesiam, promiscuè tamen sæpè usurpari ista vocabula. Vid. Blondell. *de Episcop. & presbyt. sect. 3. p. 248.* Martin. Azpilcuet. Navarr. *tom. 3. pag. 590.*

cadavera] ac si ipse locus infectus esset; cum tamen infidelitas in mente hæreat, mens autem in cadavere nulla amplius sit, nec per infidelitatem pollui possint parietes.

evulsis inde corporibus] Inhumanum hoc est, ne dicam improbum. Ipsa humanæ & communis sortis consideratio mortuos nobis commendat. Atq; idcircò scribit Eusebius *Eccles. histor. lib. 8.* cùm ingenti persecutione à Maximino excitata, sanctorum cadaverâ insepulta abjicerentur, Ethnicorum ipsorum qvàm plurimis inhumanitatem istam fuisse improbatam, non qvod eos misereret Christianorum, sed qvia communem ipsam mortalium omnium naturam violari existimarent. Add. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 19.*

Festa dedicationum Ecclesiarum debent celebrari. h. t. d.

§. 19. Solennitates [h] qvoqve dedicationum ipsarum Ecclesiarum per singulos annos erunt celebrandæ ipso Domino exemplum dante, qvi dum ad festum dedicationis templi celebrandum cum reliqvis populis accessit, omnibus idem faciendi formam tribuit.

h *tan. solennitates. de cõsecr. dist. 1.*

erunt celebrandæ] Potest istud admitti, si fiat in honorem DEI cum debitâ devotione & gratiarum actione, sine mixturâ superstitionis & sine abusibus aliis, in qvos admodum proni circa festivitates suas sunt Pontificii. Vid. Chemnit. *in Exam. concil. Trid. part. 4. p. 811. seqq.*

omnibus

Digitized by Google

omnibus idem faciendi] Non ex omni Christi actione exemplum est capiendum, qvod imitari oporteat. Viguit eo tempore synagoga & politia Judaica, ad cujus utriusqve instituta vitam suam peregit, & simul finem illis imposuit Salvator.

Reparatio Ecclesiæ pertinet ad possessorem beneficii, & Episcopus debet de suâ tertia contribuere. h. d.

§. 20. Hæc de ædificandis & consecrandis Ecclesiis, vel altáribus delibasse sufficiat: nam si reparandæ sint, vel emendandæ[a], id oneris procul dubio ad eum, qvi Ecclesiasticum possidet beneficium, pertinebit. Sed & Episcopus tertiam partem sibi obtingentem impendere debebit. Nunc de Ecclesiarum unionibus, paucis despiciamus.

[a] *cap. 1. & ca. de his extr. de Eccle. ædificand. c. unico. 10. qvæst. 3.*

qvi Ecclesiasticum possidet beneficium] Variant hâc in parte consvetudines & statuta. Modò enim decimæ & fructus Ecclesiæ in refectionem impenduntur, modò specialis aliqva portio in eam rem deputatur, modò Laicis id imponitur onus. de qvibus omnibus videatur singularis tractatus Petri Peckii *de Ecclesiis reparand. per tot.* Carpzov. *l. 2. definit. Consist. 334. & multis seqq.*

DE UNIONIBUS ECCLESIARUM,

TITULUS XIX.

Qvid sit unio, & qvotuplex. h. d.

§. 1. Unio nihil aliud est[1], qvàm duarum pluriúmve Ecclesiarum facta connexio: dicta ab uniendo, ex eo qvòd plures Ecclesiæ in unum conjungantur. Unionum

onum autem duæ ſunt ſpecies: aut enim perpetuæ ſunt, aut temporales. Perpetuæ ſunt, qvæ fiunt, ut ſine præfinitione temporis perdurent. Temporales ſunt, qvæ ad certum tempus, putà ad alicujus vitam, inſtituuntur.

Connexio] facit hæc connexio, ut unita Eccleſia mutet naturam priſtinam & ſeqvatur naturam Eccleſiæ, cui facta eſt unio. Et hinc non tantùm omnia privilegia, ſed & omnia onera regulariter communicantur, qvia participans de commodo etiam participat de incommodo. Debent tamen minores Eccleſiæ, tanqvam filiæ, majoris veluti matris regi diſciplinâ. Finkelthaus *de jur. patron. cap. 5. n. 57. 60.*

perpetuæ ſunt] Perpetuæ uniones rariſſimè locum habebunt, & non alio fortè, niſi eo tantùm caſu, qvando ob fructuũ tenuitatem aut ſoli ſterilitatem miniſter Eccleſiæ alimenta ſua habere neqvit. Aliàs enim tutius eſt, ad tempus unionem facere, ut Eccleſiæ unitæ facilior detur regreſſus ad ſeparationem, aut ſaltem perpetuitatem ita reſtringere, ut deſinat, ſicubi ceſſaverint cauſæ, propter qvas facta fuit unio, uti autor ait infra §. 8. ſed qvæ non tàm perpetua dici poteſt, qvàm ad tempus indefinitum facta unio.

ad alicujus vitam] Fieri id poteſt dupliciter, vel qvamdiu is, qvi univit vivit, vel qvamdiu is, cui eſt conceſſa. Plerumqve tamen in gratiam & favorem perſonarum uniones factæ reprobantur, qvod ſpeciem negociationis & lucrum turpe continere videantur. Cæterum unionis intentio primaria hæc eſſe debet, ut & miniſtris Eccleſiæ & plebibus conſultum ſit. Nec enim tenetur miniſter Eccleſiæ ſibi victum qværere aliunde, qvàm ex reditibus Eccleſiæ aut ex oblationibus Laicorum, qvibus ſervit, etiamſi maximus alioqvi artifex ſit, posſitq; commodè ex eâ induſtriâ alimenta capere, uti volunt Canoniſtæ. Did. Covarruv. *l. 1. reſol. 17. n. 3.* Sed majore tamen laude dignus eſt ille, qvi in levamentum Eccleſiæ ipſe qvoqve propriâ induſtriâ ſibi victum comparat, exemplo Apoſtoli *Act. XX, 33, 34. 1. Cor. IV, 12. 2. Theſſal. III, 8.*

a *c. præcipimus 16. qvæſt. 1.*

§. 2. Velut[a] ergo ex cauſa una Eccleſia, vel Epiſcopatus in plures dividi permittuntur, ſic etiam rebus ſvadentibus plures Eccleſiæ in unam conjungi poſſunt. Cauſæ verò unionum ſunt, aut[b] urgens neceſſitas aut evidens utilitas. Neceſſitas, veluti cùm duæ Eccleſiæ adeò ſunt pauperes[c], ut impoſſibile ſit earum proventus ad victum duorum ſacerdotum ſufficere: aut, ſi altera hoſtium[d] immanitate deſolata ſit. Utilitas[e], ut cùm locorum oportunitas id expoſcit, vel temporis qvalitas: puta, qvia in loco nunc Chriſtianorum dicatur imminutus numerus: aut, qvia ob fructuum tenuitatem non perinde idonei ſacerdotes ad beneficium procurandum inveniantur. His igitur caſibus, ne qvid detrimenti divinus cultus & animarum cura patiatur, debent plura beneficia, vel Eccleſiæ in unum conjungi.

b *cap. expoſuiſti. §. ſi evidens. ext. de præben.*

c *cap. eam te. ext. de ætat. & qual. in fin. & cano. unio. 10. q. 1. & 3.*

d *can. poſtqvam hoſtilis. 16. q. 1.*

e *can. & tẽporis. 16. q. 1.*

non perinde idonei] Poſſet hoc exemplum ad caſum neceſſitatis referri. De cauſis ipſis ſingulatim & in ſpecie agit Petrus Gregorius *de benefic. cap. 20. n. 14.* qvi *num. 12.* gravem movet qverelam de unionibus in papatu vitiosè qværi ſolitis: *Sunt*, inqvit, *Epiſcopi, qvi interdum ob lucrum vel ambitionem, vel invidiam Eccleſiarum uniones permittunt. Et ſunt qvædam collegia, qvæ ita opiparè vivere decreverunt, ut victum clericalem ſibi ſufficere non arbitrentur, niſi vocentur Rabini, & eâ ratione vel per obreptionem vel ſubreptionem uniri ſibi procurant beneficia parum poſtea de cultu illarum*

larum Ecclesiarum solliciti. Non enim cultum augere, sed culinam satagunt, &c.

debent plura beneficia] De abusu circa unionem beneficiorum, & qvod ille in concilio Tridentino non abrogatus, sed novis argutiis noviter palliatus fuerit, vid. Petr. Svav. *in histor. Concil. Trid. l. 2. pag. 279.* Et profectò in gratiam personarum magis, qvàm Ecclesiæ beneficia coacervare, qvamvis & genere & doctrinâ aliis antecellant, pessimi res est exempli & antiqvis canonibus omninò contraria. Qvia tamen in Pontificis id est potestate, *c. 28. X. de prabend.* solent captores beneficiorum Romam certatim cursitare, prætextu literaturæ aut nobilitatis veniam à Pontifice impetraturi, qvæ nemini, qvamlibet indigno nebuloni, modò is numeret, denegari consvevit. Prodigiosa verò res est in Ecclesiâ hæc beneficiorum cumulatio, qvæ sine delectu passim recipitur: nec minus monstrosi videntur, qvi tot personas in Ecclesiâ sustinent, qvàm Briareus ille, qvi manus centum habuit, ut est in fabulis, aut Geryon, qvem trium fuisse corporum perhibent. Duaren. *de SS. Eccles. minist. l. 8. c. 4.*

Sicut unire Episcopatus pertinet ad Romanum Pontificem, sic minores Ecclesias ad Episcopum, cui subsunt, inferiores verò non possunt unire. b. d.

§. 3. Non tamen omnibus passim qvascunqve Ecclesias uniendi potestas indistinctè permittitur, sed certis duntaxat servatis regulis. Et qvidem[f], sicut unire Episcopatus, atqve potestati alienæ subjicere ad summum Pontificem pertinere noscitur, sic ad Episcopum spectat Ecclesiarum suæ diœcesis unio atq; subjectio. Ab Episcopo itaqve inferiores uniendi potestatem minimè sibi vendicare poterunt. Ideoqve si Prior, vel Abbas monasterium monasterio subjecerit, vel unierit, Episcopi consensu minimè

f *cap. sicut unire. extra. de excess. pral.*

Digitized by Google

reqvisito, qvod inconsulto præsule fecerit, non subsistet, nec subjectionem, vel unionem Metropolitani cōsensus, vel confirmatio subsistinebit, cùm is in diœcesi sui suffraganei absq; ipsius assensu non debeat aliqvid contra constitutiones canonicas attentare.

ad summum Pontificem] imò potius ad patriarcham qvemqve in suâ diœcesi. Ut enim Episcopus Ecclesias parochiales sibi subjectas unire potest, sic & Patriarcha Episcopatus sibi subjectos, posito, qvod subjecti sint. In Galliis nulla omninò hîc Papæ tribuitur prærogativa. Et annullata aliqvando fuit unio â Pontifice facta, qvæ jam per trecentos annos subsistiterat, referente Papon. *lib. 19. tit. 2. arest. 8.*

Ecclesiarum suæ diœcesis] Variè sumptum fuisse vocabulum diœceseos, dixi supr. ad *lib. 1. tit. 3.*

minimè sibi vindicare] Ut decens in Ecclesiâ ordo servetur, & omnia κατὰ τάξιν peragantur, etiam in nostris Ecclesiis soli Episcopo potestas ea tribuitur. Et qvidem in provinciis Electoratûs Saronici hoc specialiter dispositum est, ut in solo Senatu Principis Ecclesiastico, non in Consistoriis reliqvis unionesEcclesiarum peragantur. Carpzov. *l. 1. definit. Consist. 155. n. 10.*

si Prior vel Abbas] Qvi monasterio præest, â Græcis appellatur Archimandrita & Cœnobiarcha, communiter verò Abbas. Multiplicatis tamen Monachorum ordinibus, nomina etiam multiplicata sunt. Unde apud Dominicanos vocatur Prior, apud Franciscanos Gvardianus, apud Trinitarios Minister. Barth. Carthagena *in exposit. tit. jur. Canon. tit. de stat. monach. obs. 1.* Communiter autem distingvunt priores in conventuales & claustrales. Illos per se cœnobio, in qvo non est abbas, præesse; hos verò sub abbate esse, & non nisi eo absente præesse dicunt. Petr. Gregor. *de benefic. cap. 10. n. 22.*

non debeat aliqvid] Ita etiam ad plenissimum effectum hypothecæ non sufficere dicunt Doctores consensum judicis superioris & mediati, sed immediati consensum reqvirendum esse. Berlich. *2. concl. 29. n. 34.* Carpzov. *part. 2. const. 23. def. 20. 21. & lib. 4. respons. 30. n. 11.*

Episco-

Episcopus unire potest Ecclesiam alteri, vel loco religioso donare, etiam non vacato Rectore, vel defensoribus, sed propria mensa non potest. h.d.

§. 4. Usq; adeò autem Episcopo in propria diœcesi facultas uniendi competit, ut, si per eundem, consentiente capitulo, Ecclesia Ecclesiæ, dignitati, vel præbendæ uniatur, aut religioso loco donetur, ex eo qvòd Rector ipsius ad hoc vocatus, vel si vacabat, defensor ei super hoc datus non extitit, neqvaqvam impugnari valeat. Aliud tamen obtinet, si qvam is Ecclesiam mensæ suæ, vel capitulo uniendam duxerit: id enim (etsi capituli consensus accesserit, & loci consvetudo suffragetur) irritum penitus erit: cùm unientium utilitas probabilem non rectè factæ unionis suspicionem ingerat. *c. fin. de rebus Eccles. non alien. in 6.*

defensor] Defensores istos Ecclesiarum Laicos fuisse, eorumq; officium constitisse in eo, ut vim omnem ac tumultum ab Ecclesiâ & pastoribus arcerent, & operam darent, ne qvid in Ecclesiâ per vim & sordes fieret, ostendit Hugo Grot. *de imper. summ. potest. circa sacr. c. 11. n. 19.* Add. Mart. Mager. à Schönberg *de advocat. arm. c. 2.*

irritum penitus erit] Notant Doctores, in vetusto exemplari *ad clem. 2. de reb. Eccl. non al.* addita fuisse verba: *nisi ad id superioris sui consensus accedat.* Potest enim Episcopus Ecclesiam Abbati subjectam ejus consensu cum sibi subjectâ unire. Petr. Gregor. *de benefic. c. 20. n. 6.*

In unione facienda requiritur consensus non solùm capituli, sed etiam eorum, qvi laedi possent. h.d.

§. 5. Nec solùm capituli unientis Episcopi in unione con-

consensus exigitur, sed etiam illorum, qvi ex unione lædi possent. Unde si aut collegiata, aut patronata, aut alicujus suffraganei Ecclesia sit unienda, collegii, patroni, & suffraganei assensum intervenire oportebit.

c. inter dilectos, in fine de Donationibus.

Nec solum capituli] Qvod si capitulum nolit unioni ex justâ causâ faciendæ consentire, nec rationem contradicendi habeat, poterit ad id compelli. Petr. Gregor. *d. l.*

patroni] Episcopum non posse beneficium patronatum sine patroni consensu alteri unire certum est. Sed summum tamen id posse Pontificem volunt Canonistæ, dum tamen in literis Apostolicis mentio fiat juris patronatus. Didac. Covarruv. *pract. qvæst. cap. 36. n. 11.*

& suffraganei assensum] & ipsorum etiam parochianorum, qvippe qvi & ipsi membra sunt Ecclesiæ, & eorum maximè interest bonum habere Pastorem. A. Barbosa *de offic. & pot. Episcopi p. 3. alleg. 66. n. 20.*

Qvis sit unionis effectus. h. d.

glossa est ne sede vacante.

§. 6. Secutâ verò unione Canonicâ, statim is, cujus Ecclesiæ alia per unionem est applicata, eandem in unitam nanciscitur potestatem, & jus, qvod in eam olim habebat, cui ab initio præfuit: statimq; unitæ Ecclesiæ eadem privilegia competunt, qvæ principali Ecclesiæ competere comperiuntur.

unitæ Ecclesiæ eadem privilegia] Ecclesia enim unita, uti supra dixi, mutat pristinam naturam, & seqvitur naturam Ecclesiæ, cui facta est unio, ex qvo porrò omnia communicantur onera & incommoda, perinde ut & commoda. Sed hîc tamen notandum est, triplicem vulgo statui unionem. 1. qvando beneficia ita conjunguntur, ut ex duobus unum tantùm & veluti tertium qvoddam genus fiat, retentione factâ in uno privilegiorum

rum utriusq; 2. qvando Ecclesia una alteri subjicitur, in qva qvæ jungitur non extingvitur, sed amittit nomen suum, & accipit ejus, cui subjicitur, aliàs enim nuda subjectio non facit unionem. 3. qvando Ecclesiæ unitæ remanent qvidem in suo statu, sed uni personæ subjiciuntur, ut tamen utraq; maneat principalis. Primum genus unionis proprium, reliqva minus propria esse dicit Petrus Gregorius *d. l. n. 1.*

Per unionem non præjudicatur Juribus Episcopalibus. h. d.

§. 7. Sed qværi poterit[a], si per Apostolicum Ecclesia in certa diœcesi constituta, putà in Perusina, Ecclesiæ alterius diœcesis, veluti Tiphernatis, unita fuerit, an Ecclesia per unionem alteri connexa, per hoc à jurisdictione præsulis Perusini censeatur exempta, & Tiphernati subjecta? Et responsum est, à jurisdictione prioris Episcopi unitam Ecclesiam non eximi, cùm Rom. Pontifex in hujusmodi unionibus singulis Episcopis jura sua inviolata servari velit.

[a] *cap. 2. extr. de religios. dom.*

non eximi] intelligendum id est de specie unionis tertiâ, qvando duæ Ecclesiæ ita junguntur, ut non fiat confusio. E. g. qvando duo Episcopatus duorum ArchiEpiscopatuum junguntur, remanent in suo jure Ecclesiæ singulæ, & unus Episcopus erit diversorum ArchiEpiscopatuum secundum Ecclesias sibi subjectas, cum uterq; metropolitanus retineat jus suum. Idem intelligendum est de Ecclesiis duorum Episcopatuum. Qvod si verò tales Ecclesiæ primo aut secundo unionis genere uniri debent, necesse est, ut accedat autorisatio & consensus ejus Diœcesani, ad qvem Ecclesia unienda spectat. Qvia autem ex unione talium Ecclesiarum confusio nasci solet, prohibuit Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 9. de reformat.* ne parochiales Ecclesiæ, Vicariæ perpetuæ, vel simplicia beneficia unius diœcesis conjungantur aut uniantur perpetuo beneficiis, monasteriis aut locis piis alterius diœcesis etiam prætextu augmenti cultûs divini, aut ratione augendi numerum beneficiatorum, aut qvâlibet ex causâ.

Unio

Unio dissolvitur temporis lapsu, & causæ cessatione, & ab his, qui habent jus uniendi. h.d.

§. 8. Dissolvetur autem unio, si temporalis sit, temporis lapsu: quòd si sit perpetua, cessantibus eisdem causis, ex quibus facta fuerit, ab iis itidem dissolvi poterit, quorum consensu & authoritate olim fuerit instituta: nihil est enim tam rationi consonum, quàm ut is destruendi habeat potestatem, cui construendi facultas conceditur.

c. omnes res. de regulis juris.

cessantibus eisdem causis] Supra dixi facere has causas, quæ cessare possunt, unionem temporalem, licet tempus istud sit incertum & indefinitum. Perpetuum enim, quando opponitur temporali, infinitum quid denotat, & continuum in secula seculorum tractum. Petr. Paul. Paris. *vol. 2. consil. 30. n. 24.* Quod si nulla planè appareat unionis causa, unio ipsa non valet, nisi ex præscriptione à tanto tempore, cujus initii non extet memoria. Quod si falsa allegetur unionis causa, unio tamdiu subsistit, donec falsitas fuerit probata. Petr. Gregor. *de benefic. d. l. n. 13.*

Licet vacans ecclesia possit uniri, unio tamen ecclesiarum vacantium dissolvi non potest. h.d.

§. 9. Illud inter instituendam, & dissolvendam unionem interest, quòd licet etiam vacans Ecclesia alteri possit uniri, si tamen Ecclesias per unionem connexas vacare contigerit, unio interim vacantium Ecclesiarum dissolvi minimè poterit.

c. 1. ne sede vacante.

dissolvi minimè poterit] Rationem ego diversitatis video omninò nullam, posito sc. superioris immediati consensu & dispositione id fieri. Quod enim dicitur, Ecclesiâ aut sede vacante nihil esse innovandum, tàm ad unionem, quàm ad dissolutionem pertinere videtur.

DE

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, ET SUBJECTIONE,

TITULUS XX.

Immunitas in hoc titulo largè assumitur, & qvid sit immunitas. h.d.

§. 1. Immunitas est à muneribus indulta exemptio. Sed hoc loco immunitatem largè accipimus, pro qvolibet Ecclesiarum favore, indulgentia, rigoris remissione, & privilegio.

largè accipimus] Ipsum etiam vocabulum muneris est πολύσημον, uti notat Paulus *l. 18. ff. de V. S.* & ibi Joh. Gœddæus. Omnis autem immunitas est nota privilegii, uti eleganter dicitur in *l. 12. C. de decurion.* Cæterùm, ut immunes Ecclesiæ haberentur, rerum divinarum svasit reverentia, qvæ etiam hostes, ut parcerent, commovit freqventissimè. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 3. c. 12. num. 6.*

Triplex est species immunitatis ecclesiarum, localis, personalis & realis. &, qvòd immunitas localis est, per qvam profana in ecclesiis, & non consecratis, vel ontoriis exerceri prohibentur. h.d.

§. 2. Est autem Ecclesiarum immunitas triplex: localis, personalis, & realis. Localis immunitas est, qvæ sacris ipsis domibus, aut aliqvibus sacrarum ædium intuitu conceditur. Cùm enim Ecclesia [a] secundum Evangelicam veritatem domus esse debeat orationis, meritò à profanis usibus esse convenit alienam.

[a] *cap. cum ecclesia. extr. eod. tit.*

sacris ipsis domibus] Loqvitur in genere, ut non templa tantùm, sed monasteria etiam, hospitalia, privata Oratoria ac sacella autoritate

Digitized by Google

Episcopi erecta comprehendat. Ad ista scil. omnia immunitatem & privilegia extendit Jus Pontificium. Panorm. *ad c. Ecclesia 9. X. h.t.*

aut aliqvibus] scil. personis, de qvibus dicendum erit infr. §. 6.

meritò à profanis usibus] Reverentiam Æthiopum, qvam exhibent ædibus sacris, refert Damianus à Goës *de Æthiop. morib. p. 431.*

Processus facti & sententiæ latæ in ecclesiis, vel cœmiteriis, sunt nulli. h.d.

b *cap. cùm ecclesia. §. seculares. extr. eod. tit.*

§. 3. Seculares [b] igitur judices causas, præcipuè ubi de sangvinis agitur effusione, & de pœna corporali tractatur, in Ecclesiis, vel earum cœmiteriis agere sub anathematis interminatione prohibentur. Absurdum est enim, ibi judicium sangvinis exerceri, ubi est tutela constituta refugii. Processus qvoq; [c], qvos ibi legitima contempta prohibitione, & spreta ultione divina faciendos duxerint, ac specialiter prolatæ sententiæ, omni firmitatis robore carebunt.

c *cap. 2. §. fin. eod. tit. in 6.*

sub anathematis interminatione] Durum id est, & nimium, præsertim si non destinato animo conventum ibi fuerit, ut sententia sangvinaria feratur, sed incidenter eâ de re colloqvia habita fuerint. Poterit igitur sufficere pœna aliqva mitior.

Absurdum est enim] Hæc ratio nihil concludit, tùm qvod illi, qvi alibi captivus detinetur & de cujus capite fortè agitur, templum de præsenti non præstet tutelam refugii, tùm qvod tutela ista ex ipsorum Canonistarum mente non omnibus delinqventibus concedatur, ut eorum saltem ratione judicium, si qvod exerceatur, non possit dici invalidum, tùm deniq; qvod tutela ista etiam in aliis delictis permitti facilè non debeat.

robore carebunt] excipiunt causas spirituales & Ecclesiasticas, de qvibus sententiam in Ecclesia latam validam esse dicunt, etsi in eâ feren-

ferendà ipſe etiam peccet judex Eccleſiaſticus. Mart. ab Azpilcuet. Navarr. *tom. 3. cap. 6. n. 36. 37.*

Conſilia publica, nundinæ & negocia ſecularia non debent tractari in eccleſiis. h. d.

§. 4. Publicæ qvoq; [d] qvarumlibet ſocietatum, & univerſitatum conciones, & conſilia, nundinarum, aliorumq; ſecularium tractationes negociorum, confabulationes, & profana colloqvia ab his penitùs amoveri debent.

[d] *cap. 2. §. ceſſent. eod. tit. in 6.*

tractationes negociorum] contractus tamen in Eccleſia initos validos eſſe volunt, non ita judicia. cùm tamen major ſanctitas in judiciis ſit, & plus placeat Deo judex condemnans, qvàm negociator non niſi lucrum intendens. Cæterum ſuperiore ſeculo ſeverè apud Gallos prohibita fuit negociorum qvorumcunq; in Eccleſiis tractatio, referente Joh. Papon. *lib. 1. tit. 1. areſt. 11.* Excipiuntur à Canoniſtis ea, qvæ ſunt voluntariæ jurisdictionis, ut ſunt manumiſſio, collatio Doctoratus, & ſimilia.

Convivia non debent fieri in Eccleſiis, niſi ex neceſſitate; & quod dicitur de Eccleſiis, intelligitur etiam de non conſecratis, & oratoriis. h. d.

§. 5. Sed [a] & convivia, & hoſpitia, licet illa deſpicere non oporteat, in ſacris domibus celebrari, vel exerceri à laicis non poterunt, nec etiam à clericis, niſi fortè tranſeuntes ob hoſpitiorum neceſſitatem illic reficiantur: qvod & in oratoriis [b] obſervari conveniet, ut nomini opera jugiter impenſa concordet: & ne, ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio. Idem ſtatuitur & de Eccleſia [c], in qva divina myſteria celebrantur, licet adhuc conſecrata

[a] *can. non oportet, & can. ſeq. 42. diſt.*

[b] *can. fin. diſt. 42.*

[c] *cap. pen. ext. eod. tit.*

crata non fuerit, qvia cùm obſeqviis divinis ſit dedicata, nullius temerariis auſibus eſt profananda.

Sed & convivia] Veteres tamen Chriſtiani in Eccleſiis agapas ſuas habuérunt. Erant autem agapæ convivia, ut ita dicam, charitativa, Chriſtiani enim ad S. Cœnam acceſſuri cibos adferebant, exqvibus panis & vinum, qvantum ſatis erat, ſeparabantur & accipiebantur ad Cœnæ dominicæ uſum, de reliqvis verò apparabatur convivium, cui accumbebant nullo habito diſcrimine tàm divites qvàm egeni, ibiq; piis colloqviis & hymnis ſe recreabant Vid. Tertullian. *apologet. c. 39.* Joh. à Wowern *in Minut. Felic. p. 164.* Gabriel. Albaſpinæ. *lib. 1. obſerv. 18.* Salmaſ. *ad jus Attic. p. 88. & p. 148.* Didac. Covarruv. *ad cap. fin. X. de teſtam. n. 3.* Hæc cœna poſtea templis eſt ejecta, & tandem penitus ſublata. Caſaub. *exerc. 16. n. 31.* qvod plurimi abuſus eam contaminaſſent. Succeſſitq; bono conſilio mos colligendi inter ſacra eleemoſynas, qvi etiamnum piè obſervatur.

ob hoſpitiorum neceſſitatem] Et hinc damnat Martinus Azpilcueta Navarrus *d. l. n. 30.* qvod vidit fieri, adminiſtrari prandium amicis in Eccleſia, æſtate, eò qvod eſſet ſubfrigida, & in hyeme, eò qvod eſſet ſubcalida.

conſecrata non fuerit] At ſupra *tit. 18. §. 12.* dixit, non debere myſteria in Eccleſia non conſecratà celebrari. Qvid ergo hîc movet dubium? Auguſtinus tamen Barboſa *ad c. 9. X. h. t.* immunitatem talem extendit etiam ad eas Eccleſias, in qvibus ſacra Officia nondum adminiſtrata ſunt, dum tamen illæ Epiſcopali autoritate exſtructæ fuerint; & verba, *in qvâ divina myſteria celebrantur*, hoc ſenſu explicat: in qvâ divina myſteria celebrari poſſunt. Sed hæc interpretatio violenta eſt, & à genuina verborum ſignificatione recedit.

Qvi invitum abſtrahit à ſacris locis, excommunicatur, & qvaſi ſacrilegus punitur.

§. 6. Sacrorum [d] locorum intuitu illis conceditur immunitas, qvi ad ipſam eccleſiam confugiunt: nam ſi eos, qvi ad ſtatuam Principis ſe proripiunt, ab

[d] *can. diſſimivit. 17. q. 4.*

ab omni violentia leges ſeculares vindicant, qvantò magis convenit ad templum Domini confugientes, loci ſancti reverentiâ, & authoritate defendi? Qvicunq; igitur inde hominem reluctantem, reclamantemq; violenter abſtraxerit, tam aliis pœnis pro ſacrilegio, qvod admiſit, qvã Eccleſiaſticæ ſubjacebit excommunicationi.

qvi ad ipſam Eccleſiam confugiunt] *Ego dico*, inqvit Petrus de Ferrariis *in prax. tit. 52. n. 47. qvod hæc jura facta ſunt ſine ratione & ad beneplacitum, imò & contra jus divinum.--Si enim DEUS noluit tolerare ementes & vendentes in Eccleſiâ, ſed eos ejecit, qvantò magis non vult receptari in ejus Eccleſiâ latrones & homicidas & ſimiles &c.* Et ſanè ſtatuta primitùs fuêre aſyla, ut reciperentur, qvi non tàm ſcelere noxii, qvàm humanâ imbecillitate lapſi veniam & miſerationem qvàm pœnam merebantur. *Novell. 17. c. 7. Nov. 37.* ubi nõ τοῖς ἀδικήσιν ἀλλὰ τοῖς ἀδικημένοις jus aſyli dari debere conſtitutum, qvemadmodum & jꝰ divinum *Exod. XXI, 13. ſeq. Num. XXXV, 11.* iis ſolùm aſyliam dari jubet, qvi ἀκουσίως ſangvinem effuderunt. Vid. Selden. *de jur. nat. & gent. lib. 4. c. 2.* Sed Jure Canonico, remotis ſolis nocturnis populatoribus agrorum & publicis latronibus cæteris, cujuscunqve facinoris rei immunitate Eccleſiarum gaudent. Vid. Didac. Covarruv. *2. var. reſol. c. 20. n. 8.* Panorm. *ad c. 6. X. de immun. Eccleſ. n. 14. ſeq.* Anton. Perez. *ad tit. C. de his qvi ad Eccleſ. conf. n. 6.*

qvi ad ſtatuam Principis] Vid. Briſſon. *l. 4. ant. c. 11.* Emund. Figrelius *de ſtat. illuſtr. Rom. & Dd. commun. ad tit. C. de his qvi ad ſtat. princ. conf.*

qvanto magis convenit] Non fuit tamen hæc ab initio, nec omnibus Eccleſiis data immunitas, etſi hoc poſt alios ſtatuat Aug. Barboſa *de jur. Eccl. l. 2. c. 3. n. 37.* Sed videtur ea ſenſim, & uſu invaluiſſe. Nec pro eâ qvicqvam ſtatuit Lex Theodoſii, Arcadii & Honorii *in l. 1. C. Theod. de his qvi ad Eccleſ. conf.* niſi qvod pravam conſvetudinem debitorum publicorum ad Eccleſiam ſe recipientium tollat. Nec videtur ſine conceſſione

Imperatorum talis immunitas olim locum habuiſſe. In Concilio enim Carthaginienſi anno CCCIX. decrevérunt Patres Africani legationem mittere ad Imperatores, ut pro confugientibus ad Eccleſiam qvocunq; reatu involutis legem de glorioſiſſimis principibus mererentur, ne qvis eos auderet abſtrahere. uti extat *in Cod. Can. Eccl. African.* à Chriſtoph. Juſtell. edito. Add. Petr. Sarpus *de jur. aſyl. c. 1.* Et proinde jure ſuo aſyla ſuſtulit Franciſcus I. Rex Galliæ. Vid. notat. ad Papon. *l. 1. tit. 1. areſt. 16.* imitatus exemplum Arcadii Imp. *in l. 3. Cod. Theod. de his qvi ad Eccl. conf.* ad qvam videri poteſt Jacobus Gothofredus.

& auctoritate defendi] Gratianus *c. reos 23. qv. 5.* ex Gregorio papa hanc ſententiam refert: *Reos ſangvinis defendat Eccleſia, ne effuſione ſangvinis particeps fiat.* At Burchardus & Ivo, ille *decret. l. 19. c. 109.* hic *decret. part. 15. c. 121.* velut ex Auguſtini dictis totidem afferunt verba, ſed negativè concepta: *Reos ſangvinis non defendat Eccleſia, ne effuſionis ſangvinis particeps fiat.*

pro ſacrilegio, qvod admiſit] Sacrilegium vulgò definitur qvod ſit furtum rei ſacræ è loco ſacro. At talis res ſacra non eſt delinqvens niſi ſacrum accipias pro eo, qvi eſt κατάρατος, execrandus & deteſtabilis. Vid. Marcell. Donat. *in Liv. lib. 2. p. 6.* in qvo tamen ſacrilegium committi non arbitror. Jure civili autem majeſtatis crimine tenetur, qvi confugientes ad Eccleſias abſtraxerit, *l. 2. C. de his qvi ad Eccleſ. conf.*

Non poteſt qvis invitus abſtrahi à domo Epiſcopi, vel ab Eccleſia circuitu, intra triginta paſſus. h. d.

c can. id conſtituimus. 17. q. 4.

§. 7. Nec[c] ab atriis tantùm Eccleſiæ qvenqvam invitum abſtrahere non licebit, verùm etiam nec à domo Epiſcopi, & ab Eccleſiæ circuitu intra triginta paſſus ab oſtio: qvod ſpacium Eccleſiæ reverentiâ defendi ſacri Canones voluerunt.

à domo Epiſcopi] non Epiſcopi tantùm, ſed aliâ qvâvis, qvæ intra triginta paſſus exiſtit. Tib. Decian. *tr. crim. lib. 6. c. 25. n. 16.* qvod tamen reſtringunt nonnulli ad caſum eum, qvando in illa domo habitant religioſi. Aug. Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib. 2. c. 3. n. 40.* Sed benigniores fuerunt Theodoſius

dosius & Valentinianus Impp. qvi á templi Constantinopolitani parietibus ad extremas usq; fores omnibus interjacentibus locis sive cellulis, sive domibus, hortulis, balneis atqve porticibus eandem immunitatem concessérunt, *l.4.Cod.Theod.de his qvi ad Eccles.confug.*

Liber homo non debet ab Ecclesia violenter abstrahi, nisi impetratâ vitâ, & membrorum incolumitate. h. d.

§. 8. Hæc tamen securitas non omnibus æqvè & indistinctè solet indulgeri, sed status habetur ratio & causarum, qvibus qvis fugiendum ad Ecclesiam duxerit. Si liber [f] igitur qvis sit, qvantumvis gravia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde ad mortem damnari debet, sed Ecclesiarum Rectores vitam & membra debent fugientibus obtinere: aliis tamen pœnis de eo, qvod iniqvè egerint, puniendi erunt.

[f] *cap. inter alia. §. si lib. extra. eod.*

debent fugientibus obtinere] Hoc scilicet est, qvod in Græcorum Urbibus improbat Tacitus *lib. 3. annal. flagitia hominum, ut ceremonias Deûm protegi.*

Publici latrones, & qvi in sacris locis immunitatis spe ducti delinqvunt, privilegiis sacrorum locorum non gaudent. h. d.

§. 9. Hoc autem [g] de publicis latronibus, vel nocturnis agrorum populatoribus, viarumqve obsessoribus intelligi non oportet. Hi enim secundum Canonicas sanctiones nulla impunitate præstita violenter, & egressionis adhibitis insidiis, ab Ecclesia extra-

[g] *d. cap. inter alia. §. super hoc. ext. eod.*

Digitized by Google

a *cap. fin. ext. eod.*

extrahi poterunt. Idem[a] & de his ſtatuendum erit, qvi impunitatem ſuorum exceſſuum obtinere ſperantes, homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, vel ipſarum cœmeteriis committere non verentur, qvæ niſi per Eccleſiam crederent ſe defendi, nullo pacto commiſſuri fuerant: tales enim, cùm in eo, in qvo qvis deliqvit, puniri debeat, & fruſtra legis in vocet auxilium, qvi in ipſam legem committit, immunitatis privilegio, qvo ſe fecerunt indignos, minimè gaudebunt.

Hoc autem de publicis] Exceptiones has ad alios qvoq; extendit caſus Antonius Perez. *ad tit. C. de his qvi ad Eccleſ. confug. n. 6.* qvod aliàs in criminalibus non licet, cum in pœnis non detur extenſio propter ſolam ſimilitudinem. Vid. Henr. Zoeſ. *ad tit. X. de immun. Eccl. n. 20.*

in ipſis Eccleſiis] Qværit Antonius Eſcobarius *Theol. moral. tract. 17. c. 3.* Num qvi ſagittâ vel plumbeâ glande in loco ſacro exiſtens alium extra locum ſacrum occidit, privilegium amittat immunitatis? & negat, qvia, licet homicidium fuiſſet in Eccleſiâ inchoatum, fuiſſet tamen extra Eccleſiam perfectum. Qvod annon diſertè contra mentem & intentionem Canonum adſeratur, judicet, qvi cerebrum habet, & conferat reclamantem Panormitanum *in c. fin. X. h. t.* Id verò inſuper notandum eſt, qvod in Galliâ Clericus in Eccleſiâ delinqvens non poſſit capi ab Epiſcopo aut judice Eccleſiaſtico, ſed â judice ſeculari. Vid. Car. Molinæ. *ad conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 41. n. 66.*

Dominus, præſtito juramento de impunitate, poteſt ſervum ſuum etiam invitum ab Eccleſia abducere. h. d.

b *cap. inter alia. §. fin. ext. eod.*

§. 10. Qvòd ſi ſervus ſit[b], qvi ad Eccleſiam confugerit, poſtqvam de impunitate Dominus clericis juramen-

ramentū præſtiterit, ad ſervitium Domini ſui redire compelletur: alioqvi ſi redire nolit, â dominooccupari poterit: famuli enim [c], qvi dominos metuunt, ſi ad Eccleſiæ ſepta confugerint, interceſſionem debent qværere, non latebra: snecqvenqvam religionis reverentiâ proprio jure fraudari convenit.

c *can. metuentes. 17. q. 4.*

compelletur] Benigniora hîc ſunt jura civilia, qvæ, ſi intolerabilis videatur ſævitia dominorum, cogunt ſervos ſuos bonis conditionibus vendere *§. 1. Inſt. de his qui ſui vel al.* Sanè, ſi nimia fuerit domini ſævitia, juramento ea parum temperabitur. Modica enim dominis dum caſtigatio permittitur, *l. un. C. de emend ſerv.* ſævienti etiam illa videbitur modica, qvæ nimia eſt, & hinc rarò ille mediocritatem ſervabit. Intereſt autem etiam ipſius domini, ut talis ſervus potius vendatur, ne, ſi invitus retineatur, aut aufugiat, aut manùs ſibi inferat, aut in perniciem domini aliqvid machinetur.

Clerici & monachi deſervientes Eccleſiæ, ſunt exempti â muneribus perſonalibus. h.d.

§. 11. Perſonalis [d] immunitas eſt, qvæ perſonis Eccleſiaſticis indulgetur. Cùm enim in clericorum miniſterio conſtituti, non niſi altari & ſacrificiis deſervire debeant, rectiſſimè conſtitutum eſt, ut Deo dicati ab omnibus perſonalibus muneribus reddantur immunes. Perſonalia autem munera ſunt, qvæ cum corporis labore & animi ſollicitudine, ac vigilantia principaliter ſuſtinentur. Generaliter igitur Epiſcopi, presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, monachi,

d *cap. non minus. ext. eo. tit. cap. clericis. eo. tit. in 6. & §. realiu.*

nachi, immunitate omnis tutelæ, & curæ ipso jure gaudebunt.

immunitate omnis tutelæ] Primùm videtur fuisse prohibitum, ne Clerici testamento tutores darentur, qvod ex Cypriani epistolis refert Cujacius *ad novell. 123.* Et ratio videtur esse ea, qvia, cùm unusqvisq; Clericis qvàm maximè confideret, nemo non liberis suis tutores testamento dabat Clericos, & sic numero tutelarum Clerici onerabantur. At â tutelis aliis tùm temporis nondum erant immunes, uti patet ex *can. 3. Concilii Chalcedonensis*, qvem refert Gratianus *c. ult. dist. 86.* Post Concilium Chalcedonense Justinianus Imperator *in l. 52. C. de Episc.* ab omni tutela, sive testamentaria ea fuerit, sive legitima, sive dativa, liberos eos fecit, qvod intelligunt interpretes, nisi ipsi immunitate hâc uti nolint, sed tutelam potius subire animum induxerint. Rittershus. *ad Novell. part. 8. c. 1. n. 7.* Postea verò idem Justinianus *in Novell. 123. c. 5.* de Episcopis & monachis hoc constituit, ut ne volentes qvidem ad tutelam admittantur; de presbyteris autem, diaconis & subdiaconis, ut, si velint tutelam legitimam subire, *ipsis* hoc liberum sit, & permissum. Cæterùm qvia de presbyteris, diaconis & subdiaconis tantùm loqvuntur Canones, non insubidè inde colligitur, Clericos eos, qvi in sacris non sunt constituti, invitos ad tutelam cogi posse. Vid. Gutierrez *de tutel. & cur. part. 1. c. 1. n. 26.* Anton. Piagg. *de tut. & cur. q. 3. n. 1. 2. 3.* Post Justiniani tempora videtur indistincte sancitum fuisse, ne monachi, aut qvoscunqve sacer ordo devinctos habet, tutorum officio fungantur. Idqve colligere licet ex *novell. Leonis 68.* qvi & ipse ab omni tutelâ eos arcet, solâ executione testamentorum, propter qvam tùm tutores dicebantur, permissâ.

Miserabilium personarum tutelam debent clerici suscipere h. d.

[c] *distinct. 87. in fum. & distinct. 88. in fum.*

§. 12. Viduarum [c] autem & orphanorum curam suscipere non solùm non prohibentur clerici, sed etiam jubentur, cùm ipsis cupiditatis negotia, non pietatis interdicantur.

cupiditatis negocia] Tutela cum sit onus exactissimis rationibus obnoxium, ipsa qvoqve inter pietatis opera erit referenda. præsertim, ubi

ubi nemo aliàs fuerit, qvi tutelam eam in se susciperе promptus sit. Unde sæpius tutores Curatoresq; vèl justâ excusatione hoc onere non liberantur, uti constat ex *tit. ff. de excus. tut.* Sed qvia Tutor ea, qvæ pupilli sunt, custodire, nomina exigere, & ubiq; commodum & utilitatem ejus qværere tenetur, cupiditatis id videtur negocium, h. e. tale, qvod pro meo & tuo rigidè jura examinat, & in divitiis hujus seculi occupatur.

Ad murorum custodiam etiam clerici tenentur tempore necessitatis. h. d.

§. 13. Excipitur [f] etiam ab his muneribus murorum custodia: à qva, si magna immineat necessitas, neminem excusari constitutum est, ut cunctis vigilantibus meliùs valeat civitas custodiri.

[f] *cap. 2. ext. eod. tit.*

murorum custodia] & defensio, uti constat ex praxi pontificiorum. Sic enim nostrâ ætate Muchavecius Jesuita in obsidione Zbarasianâ ad 200. Cosakos è sclopeto interfeciſſe dicitur. Joach. Pastorius *de bello Cosac. p. 48.* Id verò num conveniat præcepto generali, qvo ab omni causa sangvinis abstinere jubentur clerici, videant ipsi.

Personæ Ecclesiasticæ non possunt à secularibus potestatibus collectari. h. d.

§. 14. Realis immunitas est, per qvam res Ecclesiasticæ à censu, vel collectis potestatum secularium liberæ redduntur. Si qvidem [a] tam profanis legibus, qvàm sacris Canonibus sub excommunicationis & interdicti pœna constitutum est, ne qvis eorum, qvi jurisdictionem temporalem obtinent, possit tributa, collectas, seu qvascunqve exactiones, sub qvovis titulo, vel colore, imponere Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, pro domibus, prædijs, vel qvibuscunqve

[a] *cap. 1. §. volentes. eo tit. in 6. & §. personalis, d. tit.*

possessionibus legitimè acqvisitis, etiamsi ipsæ Ecclesiæ, vel personæ, vel res sint intra illorum territorium constitutæ.

vel qvibuscunqve possessionibus] Si domûs, prædia & possesiones acqvisitæ fuerint Ecclesiis, meritò â vectigalibus & tributis redduntur immunes, in tantum, ut nec conductores qvidem prædiorum Ecclesiasticorum, utcunq; Laici sint, collectas solvere teneantur, Carpzov. *l. 2. definit. Consist. 310.* qvanqvam, si nimium excrescant bona Ecclesiæ, Laicorumq; hinc bona decrescant, æqvum sit, ut fiscales tributorum pensitationes unà cum plebe istiusmodi oneribus maximè afflictâ, etiam ab Ecclesiâ solvantur, de qvâ re in utramq; partem disputat, in contrariam tamen sententiam propensior Annæus Robert. *rer. jud. lib. 2. cap. 2.* Qvia verò Clerici præter bona Ecclesiastica alia qvandoq; habent privata, qvæ patrimonialia dicuntur, & qvorum intuitu pro Laicis & civibus habentur, utiq; de his tributa & collectas solvere obligantur. Carpz. *d. l. def. 311.* Unde etiam ratione horum bonorum, si qvâ actione reali conveniuntur, coram Judice seculari, sub qvo res sitæ sunt, respondere tenentur. Carpzov. *l. 3. def. Consist. 7.* Carol. Molinæus *ad consvet. Paris. §. 46. n. 20.* Mynsing. *1. Obs. 22. & 2. Obs. 67.* Gail. *1. obs. 37. n. 4.* Tunc enim res ipsa qvasi in judicium trahitur, & Rei partes sustinet magis, qvam ipsa persona conventi. Malè igitur tùm jurisdictione tùm jure collectandi circa ejusmodi bona privantur Magistratûs Civiles; aut saltem vitio non erit vertendum Gallis, Britannis, Venetis, qvod prædia & bona immobilia Ecclesiæ aut Ordini Ecclesiastico dare & elargiri aliqvando prohibuerint. Bodin. *de Rep. l. 5. c. 2.* Goldast. *tom. 3. de monarch.* Add. epitome scripti â civitatibus Germaniæ in comitiis Spirensibus exhibiti apud Sleidan. *lib. 6. pag. 149.* Carol. Molinæ. *ad constitut. Friderici post l. 12. C. de SS. Eccles. & ad consvetud. Paris. §. 41. n. 90. 94.*

intra illorum territorium] Autor hoc vult, bona Ecclesiastica, aut etiam privata Clericorũ esse qvidem in territorio, nõ tn. esse de territorio, h. e. non subjacere jurisdictioni civili, Qvam distinctionem etsi aliàs non improbemus, cùm nõ pauci Comites, Barones, Nobiles in alicujus Principis districtu villas & castra habeant, qvæ tn. qvoad jurisdictionem illi subjecta non sunt; in præsenti tn. materiâ ideò eam admittere non possumus, qvia Pontificii & canonistæ nonnulli illicò jurisdictione Principis exempta dicunt

cunt prædia, qvamprimùm in Ecclesiam vel Clericum transferuntur, qvod falsum est. Vid. Augustin. Barbos. *de jur. Eccles. l. 1. cap. 39. §. 5. n. 35.* Et in Galliâ optimè constitutum est, ad solum Regem pertinere jus amortizandi. Joh. Papon. *lib. 1. tit. 14. arest. 1.* Jacob Gothofred. *ad l. 4. Cod. Theodos. de Episcop.* qvæ tamen amortizatio propterea non eximit bona supremâ jurisdictione regiâ. Carol. Molinæ. *ad consvet. Paris. tit. 1. §. 30. n. 26.* Si tamen prædia qvædam debito modo & consensu Principis ita exempta fuerint, neqve Clericis neqve Ecclesiis ea invidebimus. Interim negamus, bona data Ecclesiæ aut relicta, in manum mortuam seu Ecclesiasticam jurisdictionem ita transire aut transire debere, ut à superioritate Principis prorsus eximantur, qvod post Petrum Peckium *in tract. de amortizat. bonor.* contendit Antonius Perez *C. de SS. Eccles. n. 11.* Aliud ostendit *l. 14. C. de SS. Eccles. l. 23. cod. Novell. 7. Novell. 120.* & aliæ Imperatorum Constitutiones plures. Add. Jacob. Alemann. *consult. 5. per tot.* Duaren. *de sacr. Eccles. minist. l. 5. c. 10.* Car. Molinæ. *ad consvet. Paris. §. 41. n. 89.*

Ob magnam necessitatem, vel utilitatem, consulto Pontifice, possunt clerici, sine tamen coactione, laicis subvenire. h. d.

§. 15. Si tanta [b] tamen sit in Republica necessitas, aut utilitas, ut Episcopus cum clero suo, laicorum non suppetentibus facultatibus, communes utilitates per subsidia Ecclesiastica sublevandas ducant, Romano priùs consulto Pontifice, omni penitùs cessante coactione, poterunt aliqvid in commune conferre, & laici humiliter, ac devotè cum gratiarum actione suscipere.

[b] *cap. adversùs. §. verùm. extra. eod. tit.*

communes utilitates] in qvibus ipsius etiam Ecclesiæ, Ecclesiasticorumq; hominum utilitas versatur, ne alioqvi perforari sinant navem, in qvâ ipsi navigant.

Romano priùs consulto Pontifice] Pontifici Romano in alienis territoriis nihil omninò juris competit. Qvisq; Princeps in suis provinciis & sacra & profana ordinandi liberâ habet potestatem, e amq; sibi bono-

bono Ecclesiæ successu masculosè jampridem asseruérunt Principes protestantes. Exemplo scil. Honorii & Theodosii Imperatorum, qvi ad instructiones itinerum pontiumq; etiam divinas domos & venerabiles Ecclesias contribuere voluérunt *l.7. C.de SS.Eccles.& l.4.Cod.de privil. dom. Aug.lib.11.*

Ecclesiæ Episcopo omnimodam subjectionem debent. h. d.

§. 16. Qvemadmodum autem sacrosanctis domibus secularium potestatum intuitu omnimoda debetur immunitas, tam locorum ratione,qvàm personarum, & rerum: sic eisdem rationibus ab illis proprio Episcopo omnimoda subjectio debetur [c]. Nam qvantum ad ipsa loca pertinet (ut paulo antè diximus) nemo Ecclesiam in diœcesi ædificare poterit, aut consecrare, præter sui præsulis conscientiam. Qvoad personas Ecclesiasticas, ipsi debetur Canonica obedientia [d], subjectio,reverentia: ad eundem spectat institutio, destitutio, correctio,reformatio, causarum omnium ad forum Ecclesiasticum de jure spectantium jurisdictio, Ecclesiasticarum censurarum promulgatio, Sacramentorum exhibitio. Si res Ecclesiasticas spectes, ipsi census debetur,ipsi cathedraticum, sive synodaticum, ipsi procuratio annua,ipsi mortuariorum & decimarum qvarta.

[c] *cap.de xenodochiis.extr. de religios. domibus.*

[d] *cap.conqverente. §. nos. extra. de offic.ordin.*

omnimoda subjectio debetur] imò omnimoda debetur Principi, qvi summum habet in personas & res Ecclesiasticas imperium. Aliqvalis autem debetur Episcopo, qvalem sc.& qvantam unusqvisq; Princeps in sua provincia voluit.

Qvoad

Qvoad perſonas Eccleſiaſticas] Pleraq; qvæ hic recenſentur in noſtris Eccleſiis à Conſiſtoriis, qvæ principis ſuſtinent vicem, expediuntur. In delictis tamen puniendis ultra ſuſpenſionem, remotionem, carcerem, aut mulctam pecuniariam Conſiſtoria non procedunt, Carpzov. *in jurispr. Conſiſtor. l. 3. def. 5.* Qvorum igitur delictorum pœna eſt capitalis aut corporis afflictiva, aut etiam relegatio ſaltem, illorum cognitio & punitio ad Magiſtratum ſpectat civilem. *Novell. 83. l. 23. C. Theodoſ. de Epiſc. Eccleſ. & Cler.*

ipſi cathedraticum] De his videndi ſunt tituli ſeqventes.

Ad Epiſcopum qvædam pertinent jure ordinationis, qvædam lege jurisdictionis, qvædam lege Diœceſana. h.d.

§. 17. Sed hæc omnis paſtoralis poteſtas in tria principalia membra contrahitur: qvædam enim ad Epiſcopum ſpectant jure ordinis, ut clericorum ordinatio, virginum benedictio, altarium & Eccleſiæ conſecratio: qvædam lege jurisdictionis, ut corrigendi, conferendi, excommunicandi, & inſtituendi poteſtas: qvædam lege Diœceſana, ut jus cenſus & cathedraticum exigendi, decimam percipiendi, jus hoſpitii indicendi, & his ſimilia. Sed cùm tam de locali, qvàm de perſonali ſubjectione, deq; his, qvæ ad Epiſcopos tam jure ordinis, qvàm lege jurisdictionis pertinent, ſuprà locis congruis loqvuti fuerimus: tranſeamus nunc ad eam ſubjectionem, qvæ cognoſcitur ex ſolutione cenſus, & rerum qvæ lege Diœceſana ad ordinarium pertinent.

c. dilectus de officio ordinarii per gloſſ.

in

in tria principalia membra] De potestate ordinis & jurisdictionis dixi supra *ad lib. 1. tit. 9.* Cæterùm cum potestas Ecclesiastica sit duplex, interna & externa & ex utraq; jura Episcopalia deriventur, exercitium eorum Principes ac Statûs Evangelici ita temperant, ut potestatem internam planè non attingant, sed eam solis Episcopis & aliis Ecclesiæ ministris relinqvant. Dicitur autem potestas interna, qvæ circa Ecclesiastica versatur ecclesiasticè, scil. prædicando & interpretando verbum divinum, administrando Sacramenta, remittendo & retinendo peccata &c. Qvæ verò ad externam potestatem Ecclesiasticam pertinent, ut sunt alia omnia, qvæ non competunt ministris Ecclesiæ ut talibus, ea vel ab ipsis Principibus immediatè vel mediatè per Consistoria & Superintendentes peraguntur. Ad illa referuntur Constitutionum Ecclesiasticarum promulgatio, Synodorum convocatio &c. Ad hæc visitatio Ecclesiarum, causarum Ecclesiasticarum dijudicatio &c. Carpzov. *in Jurispr. Consist. l. 1. def. 11. & lib. 3. def. 2.* Conf. Petrus de Marca *de concord. sacerd. & Imper. l. 2. c. 4. & seq.* qvi tamen multum detrahit potestati principis, qvam nos latius expossuimus *exercitat. 5. de jurib. majest.*

Virginum benedictio] Vid. Blondell. *apolog. de Episcop. & presbyt. p. 152. & 287.* ubi & optimo consilio in Ecclesiis reformatis ritum hunc abrogatum esse, & Episcopis olim jus tale non ex apostolico sed ecclesiastico instituto competiisse, ostendit.

DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, ET PROCURATIONIBUS.

TITULUS XXI.

Census generaliter sumptus continet omnem pensionem, specialiter verò tantùm cathedraticum. h. d.

§. 1. Census appellatio generalis est, sumiturq; pro omni pensione, qvæ prælatis de Ecclesiasticis proventib. singulis annis in signum subjectionis, vel alterius juris penditur. Speciali tamen nomine census,

c. omnis anima h. tit.

Digitized by Google

ſus, qvi Epiſcopo ab Eccleſiis in argumentum ſubjectionis tribuitur, *Cathedraticum* appellatur: eò qvòd ob honorem cathedræ perſolvatur.

vel alterius juris penditur] Antiqvitus reditûs Eccleſiæ communes erant, & miniſtris Eccleſiarum, qvorum erat utplurimum communis vita & converſatio, maximè verò pauperibus diſtribuebantur. Poſtea ſingulis miniſteriis certi reditûs fuérunt aſſignati, qvibus miniſtri tanqvam re propriâ fruerentur. Et tùm qvoq; Epiſcopi ab inferioribus Eccleſiis vectigal qvoddam exigere cœpérunt.

Cathedraticum appellatur] Ab aliis dicitur Synodaticum, qvia in Synodo ſingulis annis celebrandâ ab omnibus vocatis ad illam præſtari conſvevit, ad hoc ſc. ut Epiſcopi ad ſynodum celebrandam allicerentur. Solvi autem in eam rem debent duo ſolidi, niſi conſvetudine plus vel minus fuerit introductum. Auguſtin. Barboſa *de jur. Eccleſ. part. 2. lib. 3. c. 20.* Cathedra autem in jure Pontificio pro honore ac munere Epiſcopali ſæpè accipitur, propterea qvod olim Epiſcopi, qvorum munus proprium ac præcipuum eſt docere, ſedentes in ſolio & cathedrâ docebant. ac qvoties Epiſcopus aliqvis creabatur, collocari in eo ſolio atq; throno ſolebat, veluti poſſeſſionis cujusdam adprehendendæ gratiâ. Duaren. *de SS. Eccleſ. min. l. 7. c. 5.* Ab hoc cathedratico aliud eſt, qvod inthroniſticum dicitur Juſtiniano Imperatori *Novell. 123. c. 3.* ab Interprete itidem cathedraticum appellatum. Et eſt portio pecuniæ, qvam Epiſcopi, poſtqvam conſecrati fuerant, pro inthroniſatione, ſive ut nos loqvimur, inſtallatione Epiſcopis, Clericis & Notariis, qvi in conſecratione aderant, dare ſolebant. De qvâ re videri poterit Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. l. 6. c. 10. n. 3.*

Qvibus temporibus, & qvibus cauſis poteſt cenſus conſtitui in Eccleſiis. h. d.

§. 2. Conſtituitur autem cenſus, aut fundationis tempore, aut conſecrationis, aut donationis, aut tempore immunitatis indultæ. Fundationis, aut conſecrationis tempore cenſus imponitur, qvia veluti

præter Ordinarii consensum nec fundari, nec dedicari potest Ecclesia: ita eodem tempore certum censum Episcopus in subjectionis signum constituere poterit. Sed nec illud insolitum, aut novum haberi debet, ut, cùm Episcopi Ecclesias piis locis ritè concesserint, aut exemptas fecerint, aliqvid sibi in eis pensionis nomine reservent. Sedes qvoq; Apostolica cùm libertatis privilegium, vel etiam qvibusdam Ecclesiis protectionis indulget præsidium, censum gratis oblatum suscipit, & in literis Apostolicis, ad futurorum Pontif. memoriam qvantitas census exprimitur. Sed[c] & patrono fundationis tempore poterit Episcopus moderatos sumptus constituere.

c. omnis anima h. tit.

c. constitutus. vers. cum autem de religiosis domibus.

d. vers. cum autem. vide c. recipimus de privilegiis.

e cap. praterea in fin. ext. de jur. patr.

piis locis ritè concesserint] Exemplum habetur in *cap. 6. X. de relig. dom.* ubi Episcopus aliqvot Ecclesias monasterio in emphyteusin sub annuâ pensione concessit. Sed enim exemplum hoc multum à pietate pristinâ deflectit, qvæ istud Ecclesiarum commercium planè ignoravit, ipsis etiam gentilibus id improbantibus. Et putat qvidem glossa, verum hîc contractum emphyteuticum celebratum non fuisse, sed contractum censualem. Hoc ipso verò causa non redditur melior, sed haud parum deterior. Uti enim Barbosa notat *ad dict. cap.* in emphyteusi utile tantùm transfertur dominium, in contractu censuali & utile & directum. Numqvid ergo dominium Ecclesiarum translatum dicamus, qvas in nullius dominio esse omnis credidit antiqvitas?

aut exemptas fecerint] Qvâ ratione eximere possit Episcopus à suâ potestate, multa est disputatio, uti videre licet apud A. Barbos. *de offic. & pot. Episc. part. 3. alleg. 89.* Nostra id parum refert, dum saltem utilitas,

tas, qvæ per *Παροικίαν* intenta fuit, aliàs obtineatur; cum vel ipsi Episcopi tam negligentes, imò tàm rudes qvandoq; sint, ut præstet, ab eorum potestate Ecclesias esse exemptas.

ad futurorum Pontificum memoriam] Hoc fieri dicit glossa non ad obligationem, cùm dicatur gratis offerri. At qvorsum necesse est exprimere censûs oblati qvantitatem? qvid opus ad futurorum Pontificum memoriam consignare censum, si nulla causaretur obligatio? cum sufficeret aliàs in Ecclesiæ, qvæ censum obtulit, memoriam consignare Et profectò ea est praxis Pontificum Romanorum, ut ex benevolentiâ & beneficentiâ hominum facilè inducant obligationem.

Episcopus moderatos sumptus] Colligunt inde, sine Episcopi autoritate non posse Patronum tempore fundationis aliqvid sibi reservare. qvod iniqvum videtur; Sicut enim liberum est alicui fundare & non fundare Ecclesiam, ita liberum etiam est fundare Ecclesiam cum onere, dum tamen aliàs congrua dos constituatur. Anteqvam igitur fundus exeat ex meo patrimonio, non possum prohiberi, ne cum onere eum dimittam, cum eo tempore nullæ adhuc in eo sint partes Episcopi.

Simplices sacerdotes non possunt proprias Ecclesias facere censuales, & qvi de facto id fecerit, ab Ecclesia ipsa removebitur. b.d.

§. 3. Simplices autem sacerdotes, vel clerici non possunt Ecclesias, qvibus præsunt, propria authoritate, præsertim post eorum decessum, censuales efficere. Ideoq;[a], qvi ab eisdem qvadam collusione pensionem annuam de Ecclesiis receperint, illis defunctis super pensionis receptione audiendi non erunt, si Rom. Pontificis, aut alterius, qvi de jure id facere potuerit, authoritatem super hoc non interveniisse constiterit. Qvin potiùs si qvi per collusionem[b] talia facere comperti fuerint, ab ipsis Ecclesiis removendi erunt.

a *cap. preterea. ext. eod. tit.*

b *cap. cùm clerici. extra. eod. tit.*

præsertim post]Ergone poterunt Clerici ad dies vitæ Ecclesiam censualem efficere? Non videtur. Vocabulum enim PRÆSERTIM exprimit casum minus dubitabilem & implicat magis dubitabilem, & hinc denotat hæc dictio, idem juris esse in casu contrario. Obligare tamen se poterit Clericus personaliter ad pensionem annuam per dies vitæ solvendam. Panorm. *ad c. 8. X. h. t.* Sed videndum tamen, ne & ista obligatio in Simoniæ crimen incidat, si præsertim promissa fuerit pensio Patrono.

aut alterius] qvalis est Episcopus. Et hinc seqvitur, accedente superioris consensu, constitutionem census etiam successores obligare. Sed est tamen adhuc diversitas inter superiores. Episcopi enim & alii inferiores non possunt imponere censum in perpetuum, sed solus Papa. Illi autem imponere possunt tantùm ad vitam pensionarii, sed ita tamen, ut non solùm præsens possessor eum solvere teneatur, sed etiam ejus successores, qvoad pensionarius vixerit. Augustin. Barbos. *de offic. & pot. Episcop. part. 3. alleg. 85. num. 1-3.*

Episcopus non potest novum censum imponere, vel veterem augere, præter cathedraticum. h. d.

a *cap. prohibemus. extr. eod. tit.*

§. 4. Sed[a] nec Episcopus ipse, aut qvilibet alius Ecclesiis novos census imponere, aut veterem augere, aut partem proventuum suis usibus vendicare poterit: idq; adeò obtinet, ut, etiam si juramentum[b] de novo censu persolvendo qvis susceperit, non propterea solvere, sed absolvi ab illicito jurejurando debeat. Nec qvicqvam profuerit, qvòd Episcopus, vel qvilibet de novo[c] illas de manibus laicorum eripuerit: nam nec eo casu præter cathedraticum, & qvæ cæteris imponuntur, aliqvid exigi poterit.

b *cap. significavit. d. tit.*

c *cap. eccl. extrav. eod. tit.*

novos census imponere] Est enim census impositio qvædam alienatio, & qvædam servitus, qvâ Ecclesia gravatur. Joh. Bapt. Vivian. *ad c. 7. X. h. t.*

X. h. t. Cum ergò nulla alienatio nec ſervitutis impoſitio fieri ab Epiſcopo ſine ſolennitate poſſit, multo minus fieri poterit in Epiſcopi ipſius utilitatē. Sed nec vitio Simoniæ caret, ſi Epiſcopus ab eo, cui Eccleſiam committit, reqvirat aliqvid ſibi exhiberi de fructibus illius Eccleſiæ. Gulielm. Redoan. *de Simon. part. 2. c. 21. n. 29.*

ſed abſolvi] At qvid opus eſt abſolutione, cum omninò non obliget juramentum illicitum? *c. 18. & 21. X. de jurejur.* Nec igitur ſervari debet, etiamſi nulla planè intervenerit abſolutio.

de manibus Laicorum] veluti ſi decimæ alicujus Eccleſiæ in feudum à Laicis detineantur vel jus patronatus in eadem habeatur, vel ſi qvocunq; modo Laicis aliqvid inde debeatur. Nec intereſt, juſtè an injuſtè Laici poſſideant, qvia Epiſcopus in omni caſu obligatur ad procurandam Eccleſiæ utilitatem. Barboſ. *d. l. n. 12.*

Ex cauſa & non in propriam utilitatem poteſt Epiſcopus novum cenſum conſtituere, vel augere veterem, accedente conſenſu capituli. h. d.

§. 5. Qvod autem diximus, Epiſcopum nec novum poſſe cenſum imponere, nec augere veterem, ita intelligi oportet, ſi in propriam velit utiltatem convertere. Cæterùm ſi non in ſuum, ſed in alterius ſibi ſubjectæ Eccleſiæ commodum, ex juſta cauſa vel novum cenſum conſtituere, vel veterem augere, vel etiam minuere velit, Capituli accedente conſenſu, id ſibi minimè interdicitur.

l. fin. de rebus Eccleſ. non alienandis.

ſed in alterius] Tria reqviruntur, ut cenſum augere vel novum imponere liceat Epiſcopo. 1. ut id fiat in alterius Eccleſiæ, non propriam Epiſcopi utilitatem. 2. ex juſtâ causâ & 3. cum conſenſu capituli. Primum reqviſitum etiam ad alias perſonas qvandoq; ex juſtâ causâ extenditur. Inter juſtas cauſas refert Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. tom. 4. cap. 617. n. 5. 6.* ſi reſervetur penſio pro bono pacis, pro ſtudio alicujus ſcholaris pauperis, vel in utilitatem Eccleſiæ, pro concordiâ litis, pro pauperibus & egenis,

genis, pro benemeritis, pro usu pio, pro renunciantibus ex causâ renunciationis loco alimentorum &c: De pensione loqvitur, qvæ differt qvidem à censu qvandoq;, sed ejus tamen non melior debet esse conditio, qvàm censûs, unde & census nomine venit, uti notat Andr. Vallens. *tit. de censib. n. 1.* & promiscuè plerumq; hæc vocabula à Doctoribus accipiuntur.

vel etiam minuere] Casum talem refert Cardin. Seraphinus *part. 2. decis. 1109.* Sed de hoc tamen dubitare qvis posset, utrum hoc casu capituli consensus sit necessarius. Sanè dum melior fit conditio Ecclesiæ, qvando census minuitur, non præsumitur Capitulum velle dissentire, ut necessariò consensus ejus sit reqvirendus. Sic & pupillus meliorem suam conditionem sine tutoris autoritate facere potest, *pr. Just. de auctor. tut.*

Provinciæ & Ecclesiæ de novo conversæ, in persolvendis censibus servabunt consvetudinem vicinarum. h. d.

§. 6. Sed qvis erit modus obseqviorum Metropolitano exhibendorum, si qva de novo [d] conversa provincia, ad alicujus Ecclesiæ jurisdictionem accesserit? Et ex facto responsum est, id observari debere, qvod in vicinis provinciis observatum reperitur.

[d] *cap. super eo. extra. eod. tit.*

obseqviorum] hoc nomine venit omne id, qvod ab Ecclesiâ subjectâ debetur Episcopo, sive qvoad censum, qvæ subjectionis indicium est, sive qvoad procurationes, & istiusmodi alia.

in vicinis provinciis] dum tamen consvetudo in vicinis provinciis non sit nimium onerosa, nec pœnam aliqvam contineat. Et generale hoc est, ut in juribus realibus perpetuis consvetudo vicinorum locorum attendatur. Nic. Boër. *decis. 263. n. 9.* ut sic aliorum simili exemplo lubentiores efficiantur subditi.

[e] *extra. conf. vas. eodem tit. & cap. cùm apostolus. extra. eod. tit. & per totum tit. & in 6.*

Episcopis visitantibus debetur procuratio. h. d.

§. 7. Ulteriùs prælatis diœcesim visitantibus [e], etiam procuratio debetur. Est autem procuratio necessario-

fariorum ſumptuum exhibitio. Nam cùm Apoſtolico teſtimonio ſuffragante congruum ſit, ut, à qvibus ſpiritualia recipimus, eisdem etiam temporalia noſtra communicemus: rectiſsimè conſtitutum eſt, ut, cùm prælati diœceſim peragrando divina nobis exhibent, illis etiam à nobis temporalia exhibeantur.

prælatis diœceſin viſitantibus] Viſitationes olim per Miſſos regios cum adjunctis Epiſcopis perficiebantur. Vid. M. A. de Dominis *lib. 6. de Rep. Eccleſ. c. 5. n. 131. ſeq.* Et omninò iſtud negocium ad Principes ſpectat, qvi tamen in Eccleſiis reformatis per Conſiſtoria & Superintendentes id expedite ſolent.

etiam procuratio debetur] Dicitur procuratio, qvia Eccleſiæ Epiſcopum procurant, i. e. curant, alunt, ac tuentur: ſicut pueri dicuntur procurari à nutricibus, & eqvus à domino. Duaren. *de SS. Eccleſ. miniſt. l. 7. c. 5.* Procurationem autem iſtam in paſtu deberi, ſive in ipſis ſpeciebus, non in adæratione aut pecuniâ, tradit Joh. Papon. *lib. 1. tit. 11. in append. areſt. 1.* Sed id fortè parum obſervatur. Qvantus enim in iſtiusmodi procurationibus verſetur abuſus, docet Claudius Eſpencæus *in Epiſt. ad Tit. c. 1. pag. 479. Minores*, inqvit, *non tantùm Epiſcopi, ſed & Archi-Diaconi eorumqve malè officioſi, eorum, inqvam, officiales & vicarii plerumqve dum diœceſes & paræcias obeqvitant, non tàm facinoroſos, & criminũ reos pœnis & correctionibus à vitiis deterrent, qvo ſine peregrinationes hujusmodi olim jam fuerunt jure Canonico ordinatæ, qvàm pecuniâ præſenti & numeratâ titulo procurationis, ne dicam, fictitiæ juriſdictionis, emungunt & exſugunt tum Clericos, tum laicos.* &c.

neceſſariorum ſumptuum] Neceſſarii eſſe debent, non ſuperflui, qvos damnat Hieronymus apud Gratianum *c. 4. diſt. 35.* Sumptuum autem mentionem facit autor, ut ſimul comprehendat eos, qvi in pecuniâ numeratâ conſiſtunt, ſecutus Pontificem Bonifacium VIII. qvi procurationem in pecuniâ permiſit *c. 3. h. t. in 6.* qvam tamen nec à volente qvidem Eccleſiâ recipi debere, ſtatuerat Gregorius X. *c. 2. eod.* ut mirum ſit, pugnantes

gnantes iſtas Pontificum ſententias in eodem juris Canonici contextu connexas fuiſſe. Cæterùm qvantitas ſumptuum faciendorum definiri in genere neqvit, ſed & facultates Eccleſiæ & perſonæ viſitantium attendi debent. Et qvanqvam in Concilio Lateranenſi certus eqvorum numerus, qvi viſitatoribus permitti debeat, determinatus ſit, *cap. 6. X. h. t.* non poſſe tamen ubiq; eundem numerum locum habere, *in fin. cap.* aſſeritur. Prohibitio tamen, qvæ illic habetur, ne aves & canes venatorios ſecum ferant Viſitatores, perpetua eſt, & nullam patitur exceptionem, cum iniqvum ſit, ut Eccleſiæ bona voluptatibus hominum inſerviant.

â nobis] ita ut Laici etiam ad procurationem iſtam contribuere teneantur. qvanqvam id non obſervari tradat Aug. Barboſa *de offic. Epiſc. part. 3. alleg. 73. num. 43. & de jur. Eccleſ. lib. 3. cap. 22. n. 14.*

temporalia exhibeantur] non obſtante, qvod Viſitator ex ſuis reditibus tantum habeat, qvantum ſufficere poſit ad expediendam viſitationem. Inſtitutæ enim ſunt procurationes, ut, dum de alimentis comparandis minus ſollicitis eſſe licet viſitatoribus, eò magis illi attenti ſint rebus Eccleſiaſticis conſervandis aut emendandis. Qvæ autem obſervare debeat viſitator ante actum & in ipſo actu viſitationis, tradit Barboſa *de offic. Epiſc. d. l. num. 57. ſeq.* In noſtris Eccleſiis tenenda ſunt ea, qvæ præſcripſit Sereniſſimus Saxo in ordinatione Eccleſ. ſub ſpeciali titulo von der viſitation.

Epiſcopus remittens Eccleſiæ ſervitia, non cenſetur remittere procurationem, ſed illam dare detrectantes poteſt excommunicare, & procuratio, ni non præſcribitur. h. d.

§. 8. Et adeò viſitationi annexa eſt procuratio, ut, ſi Epiſcopus f alicui Eccleſiæ omnia ſervitia remiſerit, eidem viſitanti nihilóminús moderata debeatur procuratio: qvam ſi viſitati exhibere negaverint g, ſi qvam in contumaces ritè tulerit ſententiam, erit inviolabiliter obſervanda, cùm nec ullã adverſus procura-

f *cap. cùm venerabilis. ext. eod.*

g *cap. cùm nuper. eod. tit. extra.*

curationem, qvæ ratione visitationis competit, præscriptionem currerere dignoscatur [a].

a *cap. accedentes. extr. de præscript.*

omnia servitia remiserit] Plurima tamen esse, qvæ remitti non possint, tradit Nicolaus Boërius *decis. 133. n. 6. 7. 8.* videlicet reverentiam, charitativum subsidium, cathedraticum, correctionem &c: Joh. Franc. Balbus *de præscript. part. 1. part. princ. V. qv. 12.*

debeatur procuratio] nisi & hæc remissa fuerit. Posse enim ab hâc Ecclesiam per speciale privilegium eximi statuit Barbosa de jur. Eccles. *d. l. n. 27.* Posito hoc, necesse est, ut statuat, etiam à visitatione immunem reddi posse Ecclesiam, qvod videtur esse contra bonos mores, nisi immunitatem istam restringas ad visitationem Episcopi, ut tamen alii visitatio competat.

præscriptionem currere] qvia præscriptio tollens visitationem jure communi inductam non valet. Et talis est præscriptio adversus procurationem, ita ut ne qvidem in parte procurationis locum habeat. Ratione modi tamen & rerum procurandarum, qvemadmodum etiam ratione procurationum præteritarum præscriptionem admittunt Doctores. Barbos. *d. l. n. 24. 25.* Neutrum solido cum fundamento. Primum enim ideò non placet, qvia ex constitutione Gregorii X. prohibitum omninò erat, pecuniam etiam à volente accipere. Præscribi ergo tùm modus ille non poterat. Bonifacii verò constitutio permittit à volente accipere pecuniam; sed tùm res ista est meræ facultatis, cui præscribi nullo modo potest. *l. 2. ff. de via publ.* Menoch. *de A. J. Q. caſ. 160. n. 5. seq.* Ant Gomez. *tom. 1. resol. 9. n. 27.* Coras. *6. miscell. 21.* Alterum verò ideò rejici potest, qvia videntur præscribentes, qvibus non potest ignota esse procuratio præterita, bonâ fide, destituti.

Qvi visitare possint, & qvòd ArchiEpiscopus potest visitare provinciam, etiam cùm suffraganei non sint negligentes. h. d.

b *cap. felicis. eod. tit. in6. & clē. 1. d. tit. & cap. sopita. & cap. cum instantia. ext. eod. tit.*

§. 9. Visitandi [b] verò solicitudo non modò incumbit Episcopis, verùm etiam Archiepiscopis, Patriarchis, sedis Apostolicæ legatis, nunciis, archidiaconis, &

decanis: qvi qvidem, ne non tã divina, qvàm propria qvæsiviſſe videri poſſint, cautè proſpicient, ut ea, qvæ tam generali c, qvàm Lateranenſi Concilio d continentur, & qvæ Innocentianâ e conſtitutione, atqve aliis Canonibus ſalubriter conſtituta comperiuntur, inviolabiliter obſervent. Qvod autem diximus, Archiepiſcopis viſitare licere provinciam, ac procurationes à locis recipere viſitatis, tunc etiam ſibi locum vendicat, cùm ejus ſuffraganei argui negligentiæ nomine non poſſunt: nec enim propterea minùs ſuam liberè viſitare provinciam poterunt.

c *cap. 2. eod. tit. in 6.*

d *cap. cùm apoſtolus. extr. eod.*

e *cap. 1. eod. tit. in 6.*

ArchiEpiſcopis viſitare licere] ArchiEpiſcopis hanc viſitandi facultatem ex vetuſtiſſimis juribus Eccleſiaſticis & jure qvodam ſuo competere, nemo olim dubitavit. At Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23 c. 3.* facultatem hanc Metropolitanis auferre voluit, ſtatuendo, ut ipſi Metropolitani non poſſint provincias ſuas viſitare, niſi causâ cognitâ & probatâ in concilio provinciali. *Qvis verò non videt*, inqvit Marcus Anton. de Dominis *l. 3. de Rep. Eccleſ. cap. 9. n. 16. Epiſcopos ſuffraganeos nunqvam conſenſuros, ut â ſuo viſitentur Archi Epiſcopo, ideoqve cauſam nunqvam probaturos?* Sed jamdiu Papatus imminutione poteſtatis Metropolitanorum & Epiſcoporum ſua molitur incrementa.

Nec enim propterea minus] Videtur tamen talis viſitatio ad lucrum potius & qvæſtum inſtitui, præſertim cum ArchiEpiſcopis viſitantibus etiam confeſſiones ſubditorum ſui ſuffraganei audire & eosdem abſolvere permittatur, *c. fin. hoc tit. in 6.*

Obnitorium non exigenda procuratio, & ob urgentem neceſſitatem poteſt Epiſcopus exigere charitativum ſubſidium. h. d.

§. 10. Po-

§. 10. Postremò [f] admonendi sumus, propter privatum oratorium, in qvo qvis interdū celebrat, procurationes, qvæ visitationis ratione debentur, à qvoqvā exigi, vel extorqveri non posse: sed nec aliis exactionibus subditos suos Episcopi gravare debēt [g] nisi qvandoq; eisdē multæ superveniant necessitates: qvibus casibus, si manifesta ac probabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis postulare subsidium sustinendi erunt.

f. *c. fin. extrm. eod. tit.*

g *cap. cum apostolus. §. prohibemus. ext. eod. tit.*

multæ superveniant necessitates] utputa si ære alieno gravata sit Ecclesia, aut si ad synodum generalem proficiscendum sit.

cum charitate moderatum] Non igitur pro potestate & imperio indici poterat olim, sed precibus ac svasionibus impetrabant Episcopi, non tanqvam dominantes. Hodiè autem cogere possunt Episcopi subditos per censuras ad tale subsidium solvendum. Thom. Grammat. *decis. 88.* Boër. *decis. 136.* Claud. Tutius *allegat. jur. 47.* Barbos: *de pot. Episc. p. 3. all. 87.* & ex hoc charitativum amplius dici neqvit. De hoc subsidio charitativo prolixè agit Petrus Binsfeld. *de injur. & damn. dat. c. 7. q. 1. concl. 12. dub. 5. p. m. 422. seq.* Cæterùm, qvod de coactione dixi, eam in omnibus charitatis officiis locum habere contendunt Canonistæ, non obstante regulâ, qvod ultrò aut sponte & ex libero arbitrio data obligationem necessariam non producant. Eam enim non obtinere in iis, qvæ ex officio charitatis procedunt. Et ideò volunt, Abbates, Priores, Commendatores & cæteros ad easdem eleemosynas teneri & cogi posse, qvæ ab eorum prædecessoribus annuatim factæ sunt, parochianos etiam cogi posse ad laudabilem consvetudinem charitativam observandam. Vid. Joh. Papon. *l. 1. tit. 12. arest. 1.* At verò qvod ita in debitum degenerat, vix poterit amplius ad charitatis officium referri. Sed ita mos est apud Pontificios, & ad consvetudinem talem indu-

inducendam sufficere volunt præstationem decennalem. Didac. Covarruv. *lib.1.resol.17.n.3.*

DE CAPELLIS MONACHORUM,

TITULUS XXII.

Omnes Ecclesiæ positæ in diœcesi subsunt Episcopo, etiam monasteria & monachorum capellæ, nisi defendantur privilegio, vel præscriptione. h. d.

h *can. omnes basilicæ. 16. q.7.*

Usque adeò autem omnes basilicæ [h] per diversa loca constructæ in Episcopi, in cujus territorio positæ sunt, potestate consistunt, ut, si Ecclesia [i], ubi monachi habitant, populi curam habeat, cùm per monachum plebs regi non debeat, Capellanus ad consilium monachorum ab Episcopo sit instituendus: ita ut consvetudine, aut qvovis statuto contrario non obstante, ex solius Episcopi arbitrio, tàm ordinatio ejus, qvàm depositio, & totius vitæ pendeat conversatio. Nec id mirum videri debet, cùm [k] monasteria ipsa, & monachorum disciplina, si nec privilegio, nec legitimâ præscriptione doceantur exempta, ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta.

i *cap.1. extrà. eod. & cap. 1. eod. tit. in 6.*

k *cap. pen. extra de religios. dom. & cap. 2. ext. eod. tit.*

potestate consistunt] Et hoc qvidem institutum est maximâ cum Ecclesiæ utilitate. Sed Pontifices, ut tyrannidem suam stabilirent, Clericos nonnullos, & ipsa tota aliqvot monasteria Episcoporum disciplinæ & inspectioni subduxérunt, de qvâ re videri poterit Jacob. Wimphelingius *in Epistol. pecul.*

plebs

Digitized by Google

plebs regi non debeat] putida hæc est ordinatio juris pontificii, de qvâ prolixè agit Gratianus *caus.16.qv.1.* cum ita olim in monasteriis vixerint monachi, ut Clerici esse meruerint, uti suum instruit Rusticum Hieronymus *in Epist.* Et Posidonius *in vit.Augustini* testatur, proficiente doctrinâ divinâ sub sancto & cum sancto Augustino, in monasterio DEO servientes, Ecclesiæ Hipponensi Clericos ordinari cœpisse. Commendat etiam Justinianus Imperator Monachos sui temporis, qvod cultui divino vacantes sacris scripturis incubuerint, & supervenientes allocuti de divinis eloqviis disputarint, *Novell.133. cap. 2.* Qvod si igitur inter monachos idoneus qvis repertus fuerit, cur sacra peragere ei non liceat, nulla ratio subest sufficiens. Nec verò pugnare statum clericalem cum monachatu, patet exinde, qvia tempore necessitatis monachum Ecclesiæ præfici posse ipsi admittunt Pontificii. Vid. Aug. Barbosa *ad c. 1. X. h. t. n. 2.* Sed tamen qvamplurimæ inter Monachos & Clericos à Canonistis statuuntur differentiæ, qvas veluti in compendio videre licet apud Cujacium *ad c.2.X.de condit.appos.*

capellanus] Capella in genere dicitur Ecclesia minus principalis majori subjecta. Ejus vocabuli varias reddunt notationes. Alii à cappa Martini deducunt, qvam Franciæ Reges expeditionem suscipientes secum portaverint, & sub qvodam tentorio reservaverint. Alii rationem denominationis inde petunt, qvod bellicis in expeditionibus olim domunculæ pellibus caprarum tectæ & in iis missæ celebratæ fuerint. Alii capellæ nomen dicunt esse francicum, eoq; significari tegumen seu tentorium in castris militaribus, in qvibus sacrum audire soliti fuérunt Reges. Qvicqvid hujus sit, id certum est, capellam usitatissimè solere denotare Ecclesiam, qvæ non est per se, sed intra Ecclesiam aliam fundata & constructa, qvomodo etiam oratoria non consecrata dicta fuérunt capellæ. Besold. *in thesaur. pract. vocab.* Capell. Videtur autem nomen istud Græcis maximè usitatum fuisse, qvi Hesychio autore Ecclesiam, templa, sacella vocant σηκὸς καπέλλας. Add. Frid. Lindenbrogg. *in Glossar.ad Cod.Leg.antiq.* Id obiter noto, in Synodo Senonensi habitâ anno 1528. prohibitum, ne in capellis ab antiqvo etiam Episcoporum autoritate fundatis aliæ missæ celebrentur, qvàm illæ, qvæ de fundatione extiterint, ut scil. eò magis freqventarentur missæ in Ecclesiis matricibus.

doceantur exempta] Qvantum Ecclesiis exemptio ista inferat detrimentum, exposui supra *lib.1.tit.19.*

DE RELIGIOSIS DOMIBUS,

TITULUS XXIII.

Xenodochia, Orphanotrophia, & loca similia Episcopis subsunt, qui providere debent, ne illorum res dissipentur. h.d.

§. 1. Xenodochia qvoq;, Orphanotrophia, Brephotrophia, Nosocomia, Gerontocomia, aliaq; similia loca, ad Episcoporum [a], in qvorum sunt diœcesi, solicitudinem pertinent, per eosdemq; ad eas utilitates, qvibus constituta sunt, ordinanda, ac dirigenda erunt: nec, postqvam hujusmodi loca ad hospitalitatis usum [b], & pauperum provisionem, Pontificis ordinatione deputata fuerint, ad profanos usus converti poterunt: cùm ea, qvæ ad certum usum largitione fidelium sunt destinata, ad alium, salvâ sedis Apostolicæ authoritate, converti non valeant.

[a] *cap. de xenodochiis. ext. eod. tit.*

[b] *cap. ad hæc, extr. eod.*

Xenodochia qvoq;] Ista omnia in genere veniunt nomine Hospitalium. Talia autem si non sint autoritate superioris erecta, non haberi debere pro locis piis, post alios tenet Antonius Gabrielius *lib. 6. tit. de piâ causâ concluſ. 2.* Verùm cum locus pius propriè dicatur ille, in qvo pietas & pietatis opera exercentur, dum tamen illa verbo DEI non repugnent, etiam absq; autoritate superioris pietatem exerceri & hinc locum pium dici posse, negandum non est. Dicitur tamen ita hoc casu inprimis à fine, qvâ ratione etiam sacra privata erant apud Romanos *l. 1. ff. de rit. nupt. l. 9. §. 1. ad L. Jul. pec.* qvæ tamen propriè sacra illis non erant, qvat. sacra tantùm ea verè dicebantur, qvæ publicè talia erant *§. §. J. de R.D.* propter formam dedicandi aut personas dedicantium. Qvâ ratione etiam hodiè, ut privilegia locorum piorum obtineantur, publicâ qvâdam solennitate opus est. Id non nego, etiam in piis causis locum habere leges publicas, adeò ut si in testamen-

Digitized by Google

mento inter liberos absq; testibus solâ Patris scripturâ confecto, legatum inveniatur ad pias causas, legatum istud non valeat. Carpzov. *lib. 6. resp. 53.*

ad profanos usûs] ne qvidem si negocium superstitionem admixtam habuerit. Tunc enim tollendus potiùs est abusus, & in pium usum convertendus, nec superstitio cum sacrilegio permutanda. *arg. l. 16. ff. de usu & usufr. leg.* Matth. Stephan. *discurs. academ. 7. vol. 2.* Sim. à Grœnewegen *de LL. abrog. ad l. 15. C. de SS. Eccles.* Cothman *cons. 100. n. 34.* Finkelthaus *Obs. 97.* Reusner *lib. 4. decis. 7.* Schneidewein *ad §. sacra. n. 10. J. de R. D.* Coler. *de proces. Execut. part. 2. c. 3. n. 181.* Ludovic. de Montesperat. *in vindic. pacif. Osnabrug. n. 24.* Joh. Hoornbek *in disp. ad bull. Innocentii X. p. 64. seqq.*

ad alium] Sufficit tamen interdum reductivè & mediatè usum illum destinatum intendi. E. g. si aliqvis ad luminaria legaverit centum, & ex qvinqvaginta redimi posset Ecclesia tempore hostilitatis, ne combureretur, qvinqvaginta illa, utcunq; determinatè ad luminaria legata fuerint, in redemtionem Ecclesiæ tutò erogari poterunt, qvia sc. Ecclesiâ combustâ aut dirutâ, nec luminarium in eâ amplius usus esset. Vid. M. Ant. de Dominis *l. 9. de Rep. Eccles. c. 6. n. 12.* Panormitan. & Covarruv. *in c. nos qvidem X. de testam.* Tiraqvell. *de privil. pia caus. priv. 38.*

Ordinarii loca pia & religiosa possunt reformare authoritate Apostolicâ, si opus sit reformatione. h. d.

§. 2. Qvinimò [c] si talium locorum Rectores exempti sint, si tamen illorum curâ postpositâ, bona & jura ipsorum ab usurpatorum manibus vendicare negligant, aut qvoqvo modo res illorum collabi sinant, poterunt ordinarii authoritate Apostolicâ sibi ex Viennensi Concilio præstitâ, loca ipsa salubriter reformare, & occupata, alienata, deperdita, ut in statum pristinum redigantur, procurare: contradictoresq; qvoscunq; per censuram Ecclesiasticam, & aliis

[c] *clem. 2. in prin. eod. tit.*

aliis juris remediis compeſcere, licet nullum per hoc exemptionibus, ſeu privilegiis, qvoad alia, præjudicium generari debeat.

poterunt ordinarii] i.e. Epiſcopi illius diœceſeos. Atq; id ex utilitate videtur cauſæ piæ, ut inſpectorem habeat Epiſcopum aut Superintendentem, ut tamen id fiat autoritate Epiſcopi Romani, in noſtris Eccleſiis non attenditur. Poterit igitur qvisq; Princeps in ſuo territorio committere iſtud negocium, cuicunq; libuerit, qvemadmodum etiam circa Scholas in noſtris hiſce provinciis ita conſtitutum eſt, ut Superintendens non in eos tantùm pædagogos, qvi trivialibus ſcholis præficiuntur, ſed alios etiam qvosvis præceptores, qvi privatim educandis inſtituendisq; pueris operam impendunt, inſpectionem habeat. Vid. Ordinat. Eccleſ. tit. **von Winckel-Schulen.**

Xenodochia, & loca ſimilia non poſſunt in beneficium conferri, niſi certis caſibus. h.d.

d *clem. 2. §. ut autē. eod. tit.*

§. 3. Eodem cavetur Concilio [d], ut nullus ex hujusmodi locis ſecularibus clericis in beneficium conferatur, etiamſi conſvetudine id fuerit aliàs obſervatum, niſi in illorum fundatione aliter conſtitutum fuerit, ſive per electionem ſit de Rectore hujusmodi locis providendum: ſed qvòd eorum gubernatio viris providis, ac boni teſtimonii committatur, qvos bona prædicta in alios uſus convertere, præſumptio veriſimilis non exiſtat.

ſecularibus Clericis] qvi contradiſtingvuntur regularibus, & ſunt omnes illi, qvi genus aliqvod monaſticæ vitæ non ſunt profeſſi. Petr. Gregor. *de benefic. cap. 36. n. 4.* Sed enim monſtri qvid alit iſta appellatio, & ſeqvioris Eccleſiæ inventum denotat. Dixi eâ de re aliàs.

etiamſi

etiamsi consvetudine] Videri hîc posset consvetudo eundem effectum producere, qvem habet fundatio expressa, cùm & aliàs consvetudo legem imitetur. Sed qvo minus id hoc loco possit consvetudo, facit usus ex primâ institutione intentus, qvi interverti per consvetudinem nec potest nec debet, cùm aliàs facilè possent piæ causæ contra intentionem fundantium confundi, & qvandoq; prorsus extingvi.

committatur] Sed & hoc casu aliqva, necesse est, ut interveniat electio, & illis etiam salarium aliqvod destinandum est, qvod beneficii instar haberi potest. Verum enimverò nec solennis est illa electio, nec beneficium in sensu Canonico propriè dictum. Neutrubi regulæ illæ applicari poterunt, qvæ jure Pontificio introductæ & præscriptæ sunt. Et fortè nec salarium semper dari aut definiri debet.

Administratores hospitalium æqviparantur tutoribus. h.d.

§. 4. Ut autem[e] hi demandatæ sibi curæ diligentiùs insistant, instar tutorum & curatorum debent juramentum præstare, ac de bonis inventaria conficere: & ordinariis, seu aliis, qvibus loca hujusmodi subsunt, vel deputandis ab eis, singulis annis de administratione sua rationem reddere: qvòd si secus à qvoqvam fuerit attentatùm, provisio, seu ordinatio minimè valebit.

e *d. clem. 2. §. 1. vers. illi etiam. eod. tit.*

juramentum præstare] In nostris hisce terris sufficit, si præstent cautionem. Carpzov *in Jurispr. Consist. l. 1. def. 92.*

rationem reddere] qvilibet enim administrator rei alienæ rationem administrationis reddere tenetur. Menoch. *de A. J. Q. cas. 209.* Joh. Guttierrez. *de tutel. part. 3. c. 1. n. 31.* Et sic olim constitutum est in Synodo Antiochenâ *can. 25.* ut Episcopi, qvibus rerum Ecclesiasticarum administratio concessa est, rationes reddant Synodo provinciæ, ac veluti qvodam repetundarum judicio teneantur. Vid. Christoph. Justell. *ad cod. can. Eccles. univers. p. 188.*

Suprà dicta non habent locum in hoſpitalibus militarium ordinum, aut religioſorum. h.d.

a *clem. 2. 4. præmiſſa. eod. tit.*

§. 5. Prædicta [a] verò ad hoſpitalia militarium ordinum, vel aliorum religioſorum minimè extenduntur. Hi enim ſuorum ordinum inſtitutiones, & conſvetudines obſervare cogendi erunt.

ad hoſpitalia militarium ordinum] Hoſpitalia iſta eũ in finem ædificata fuérunt, ut Chriſtiani milites ac præcipuè morbis & vulneribus confecti reciperentur. De ordinibus ipſis & primâ eorum integritate atqve pietate videri poſſunt Matth. Stephan. *vol. 2. diſcurſ. Academ. 4.* & prolixius *diſcurſ. 18.* Limnæ. *de jur. publ. lib. 6. cap. 2.* Ad iſtiusmodi hoſpitalia extendi noluit conſtitutionem ſuam Pontifex. Id tamen ex antedictis extendi fortaſſe debet, qvòd Rectores talium hoſpitalium, non minùs, qvàm alii adminiſtratores inventaria conficere & rationes reddere teneantur.

Hoſpitalibus circa ſacramentorum exhibitionem ſervanda eſt antiqva conſvetudo. h. d.

b *clem. 2. §. fi. eod. tit.*

§. 6. Sed [b] & ſi qva ſint hoſpitalia, altaria & cœmeterium ab antiqvo habentia, & presbyteros celebrantes, & ſacramenta Eccleſiaſtica pauperibus miniſtrantes, qvoad exercenda, & miniſtranda ſpiritualia prædicta, antiqvam conſvetudinem Viennenſe Concilium obſervari voluit.

& cœmeterium] ordinariè in templis conferuntur & adminiſtrantur ſacramenta. Sed pontificii etiam extra templa loca faciunt ordinaria, præter neceſsitatem & plerumq; cum ſuperſtitione, qvia non alium locum huic rei æſtimant idoneum, niſi reliqviis alicujus Sancti, ſæpè falſis & fictitiis, fuerit inſtructus. Data fuit olim martyribus hæc reverentia, ut ad ſepulchra eorum convenirent, & ibi ſacra celebrarent. Itaq; hæc cœmeteria

ria erant ipsis veluti templa, qvæ & templis originem dedérunt. Sic & templorum apud gentiles originem referunt patres ad sepulchra defunctorum. Vid. Christ. Justell. *ad Cod.can.Eccles.univers. p.200.* Sed ille ritus apud pontificios degeneravit in superstitionem.

DE SEPULTURIS,

TITULUS XXIV.

Cur in Ecclesiis & locis sacris sepulturæ constituantur. h.d.

§. 1. Tractemus nunc de sepulturis, qvæ qvidem per fideles non, nisi in sacris & religiosis locis, ideò constituuntur: & qvòd minùs ibi spiritib. vexantur immundis, & qvòd sanctorum illorum commendantur patrociniis, qvorum nomini Ecclesia, in qva corpora conqviescunt, est consecrata. Accedit [c], qvòd defunctorum proximi ad sacra loca venientes, sepulturamq; conspicientes, suorum recordantur, & pro eis pias preces fundunt. Unde [d] mortuorum sepultura, & cœmeteria apud illas Ecclesias, & monasteria ex antiqvo disposita esse comperiuntur, in qvibus religiosorum conventus sunt constituti, ubi orationes, & missarum solennia, tàm pro vivis, qvàm pro defunctis, freqventiùs celebrantur.

[c] *can. cùm gravia. 13. qv. 2.*

[d] *cap. fraternitatem. in prin. extra. eod. tit.*

in sacris & religiosis locis] Sepulchra olim plerumq; extra Urbes, idq; non tantùm Romæ lege XII. tabularum, sed etiam in municipiis, lege Diocletiani & Maximiani *in l. 12. C. de religios.* & in ipsa deniqve Urbe Constantinopolitanâ, *per l. 6. C. Theodos. de sepulchr. viol.* ut observetur, sanctè fuit constitutum. Postea etiam intra civitatis muros sepelire per-

permisit Imperator Leo in *Novell. 53.* sed rationibus non usq; adeò prægnantibus. Carpzov. *in Jurispr. Consist. l.2. def.389. num.2.* Intra Ecclesiam verò sepelire mortuos eo tempore nondum videtur permissum. Pedetentim tamen morem illum irrepsisse colligi potest ex *can.18. Concilii Bracarensis I.* ubi statutum fuit, ut corpora defunctorum nullo modo in basilica Sanctorum sepelirentur, sed si necesse est, de foris circa murum basilicæ. Concilium Triburiense *c.17.* Laicorum corpora in Ecclesia sepeliri prohibet, & addit tamen: *Nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi fortè talis sit persona Sacerdotis aut cujuslibet justi hominis, qvi per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acqvisivit.* Processit verò superbia hominum ulteriùs, & seqvioribus temporibus etiam milites, & qvi pessimè vitam egerunt, in Ecclesiis sepeliri cœpérunt. Vid. Francisc. Long. à Coriolan. *in summ. Concil. not. ad c. 18. Concil. Bracar.* Didac. Spino à Caceres *in spec. testam. gloss. 2. n. 30. seqq.* Frid. Lindenbrogg. *in Glossar. ad Cod. leg. antiqv. vocab. mortuos.*

spiritibus vexantur immundis] Totus hic in gentilismũ prolabitur autor. Mirè enim timebant gentiles & aversabantur luctuosa & busta, qvod in iis oberrare umbras mortuorum existimabant, & proinde freqventata magis ad animarum evocationes & incantationes, dæmonesq; circa sepulchra, ut defunctos vexarent, obversari credebant. Joh. à Wowern *in Minut. Felic. p.120.* At verò de animabus & corporibus piè denatorum melius sperare jubet fides Christiana. Corpora enim in sepulchris suis in perpetua qviete usq; ad diem resuscitationis sine omni dolore, vexatione & cruciatu securè dormiunt; & exinde meritò mortui dicuntur securi. Desid. Herald. *l.1. digress.18.* Animæ autem in manu Dei sunt, expectantes glorioſam corporis resurrectionem & plenariam glorificationem. Atq; hinc mortui, qvi in Christo moriuntur, beati esse dicuntur, & reqviescere à laboribus suis in luce, pace & consolatione. *Apoc.14,13. Col.1,12. Luc.16,25. Matth.19,8.* Sed cur, inqvis, in sepulchris versantur dæmones? diserte enim id legitur *Marc.5, 1.* Respondet Johannes Chrysostomus *homil.29. in Matth.* qvia videlicet *perniciosam opinionem ingerere hominibus conantur, qvod hominum, qvi obierunt, animæ dæmones fiant.* Paulò post objicit sibi: *Ipsos dæmoniacos clamare nonnunqvam, audisti: Anima talis ego sum. Verùm hæc qvoq; omnia,* inqvit, *à fraude atq; deceptione diabolicâ est. Non anima defuncti est, qvæ dicit, anima talis ego sum, sed dæmon, qvi hæc, ut audientes decipiat, fingit* &c. Add. eund. *consion.2. & conc.4. de Lazaro.* Augustin. *lib. de curâ pro mortuis c.10.* Theophylact. *in c.8. Matth.* Thomas *part.1. qvæst.117. art.4. ad 2.* Maldonat. *in Luc. XVI,28.*

com-

Digitized by Google

commendantur patrociniis] Invocatio ſanctorum & intercesſio pro defunctis nullum habet in ſcripturâ ſacrâ præceptum, nullum promiſſum, nullum legitimum exemplum. Sancti enim in Scripturâ honorantur, nuſpiam religiosè adorantur. Mortui verò, ſi beati, preces noſtras non reqvirunt, ſi damnati, iisdem juvari neqveunt.

qvorum nomini] Superſtitioſum id eſſe dixi ſupr. *ad tit. 18. verb. manus conſecrationis acceperit.*

& pro iis pias preces fundunt] In tertio, qvarto qve ſeculo & deinceps mos iſte obtinuit in Eccleſiâ, ut non in funeratione ſolùm, ſed anniverſariâ etiâ die orationes & oblationes pro mortuis fierent. Nec improbari poteſt iſte ritus, dum tamen rectè inſtituatur, nec alium habeat finem, niſi (1) congratulationem de feliciore ſtatu, (2) deſiderium ultimæ conſummationis, ut talium demortuorum corpora liberentur ex ignominiâ, (3) ut alii ſuperſtites incitentur ad ſimilem pietatem & conſtantiam imitandam, (4) ut DEUS laudetur, qvi defunctum hunc vel illum liberavit ex hâc miſeriarum valle. Formula igitur conſveta, *DEUS illi eſto propitius*, non mala eſt, ſi dextrè explicetur. Duo enim divinæ miſericordiæ intendi per eam poſſunt actûs, alter, qvi ſpectat remiſſionem peccatorum, alter, qvi reſpectum habet ad futuram reſuſcitationem corporis & redunitionem ejusdem cum animâ. Priori ſenſu vitioſa eſt iſta formula, in poſteriore autem ſatis bona, nec Chriſtiano homine indigna. Add. Joh. Davenant. *determinat. qvæſt. 2.* Non inficiandum tamen, veteres interdum in precibus pro defunctis lineas ſupra dictas tranſiliiſſe, & remiſſionem peccatorum venialium mortuis impetrare voluiſſe. Sed qvid mirum, eos ita morem excesſiſſe, cùm etiam damnatis pœnas per vivorum preces mitigari putarint, teſte Chryſoſt. *ad Philipp. hom. 3.* & Damaſceno *ſerm. de mort. juvand.*

pro defunctis] Miſſa hæc pontificia multis modis abit & contrariatur inſtituto Salvatoris. Hic enim nuſpiam legitur in actione Cœnæ obtuliſſe DEO Patri corpus & ſangvinem ſuum, ſed dediſſe & diſpenſaſſe diſcipulis; Sacrificuli verò in miſſâ Sacramentum hoc mutant in Sacrificium, & ſtatuunt oblationem corporis & ſangvinis Chriſti: qvæ fiat non communicantibus, ſed DEO. Et ita qvidem, ut ſoli edant, ſoli bibant, reliqvis omnibus, ſi qvi adſint, excluſis. Deinde Salvator præcepit fieri actionem hanc ſacramentalem in ſui commemorationem, qvâ redemtionis beneficium cum πληροφορίᾳ fiduciæ apprehenditur, atqve hinc vivis tantùm con-

ducere voluit hoc Sacramentum, illis ſcilicet, qvi manducare & bibere & mortem Domini annunciare poſſunt. At Romanenſes Miſſæ ſuæ ſacrificium ad mortuos usq; extendunt, qvibus illud ſeſe applicare jactitant: haud penſi habentes, qvod Pſaltes canit: *Mortui non laudabunt Te, Domine, neqve qvi deſcendunt in ſepulchrum, Pſalm. 115, 17. & in morte non eſt, qvi memor ſit Tui, in inferno autem qvis confitebitur tibi? Pſalm. 6, 6.*

Unusqvisq; habet liberam facultatem ſepulturam eligendi, & ſi qvis non eligat, in parochiali Eccleſia, aut majorum ſepulchris eſt ſepeliendus. h. d.

§. 2. Regulariter igitur in parochiali Eccleſia, aut ibi qvis ſepeliendus erit, ubi majorum [e] ſuorum ſepulchra conſtituta reperiuntur: nulli [f] tamen propterea propriam, ſi contemptus abſit, negatur eligere ſepulturam: qvod uſqve adeò obtinet [g], ut, antiqvâ dimiſsâ, novam poſſit qvis, etiam in loco minùs religioſo, ſibi deligere; nec propterea poterit hodie electio talis impugnari, licet antiqva jura ſuper hoc diverſa eſſe videantur.

[e] *c. 1. & cap. fraternitatẽ, extr. eod. tit.*

[f] *cap. in noſtra. extra. eod. tit.*

[g] *cap. 2. §. 1. eod. tit. in 6.*

ſi contemptus abſit] At ſi liberum eſt, eligere ſibi, ubicunq; libuerit, ſepulturam, qvis definiet, num ex contemptu id fiat, ſi qvis apud majores ſuos ſepeliri nolit, an ex aliâ aliqvâ causâ?

eligere ſepulturam] Ex hâc libertate inferunt Canoniſtæ, ſubſiſtere diſpoſitionem teſtamentariam, ſi qvis ex priore ſepulchro poſt annum elapſum in aliud transferri cadaver ſuum juſſerit, & huic voluntati heredem parére debere. Didac. Spin. a Caceres *in ſpec. teſt. gloſſ. 2. n. 8.* Id verò levitatis aliqvam videtur gerere ſpeciem, & hinc ut bonis moribus adverſum minimè probandum erit.

etiam in loco minus religioſo] Si ſcilicet acceſſerit conſenſus ſuperioris, ut hîc Pontificis, ex conſtitutione qvæ eſt *in c. 2. de ſepult. in 6.*

Qvia

Qvia enim hodiè ſepulturæ jus publici juris eſt,id ſibi privatus vindicare nequit. Cum igitur cœmiteria autoritate publicâ ſint conſtituta,licitum qvidē eſt in alterius parochiæ cœmiterio ſepulchrum eligere *c.13.4.10.X.de ſepultur.* non tamen in locò planè non religioſo & extra cœmiterium aliqvod *c. fraternitatem 3. X. eod.* niſi ſuperioris acceſſerit autoritas. Hujus enim officium eſt diſpicere,numqvid locus electus rationabilem cauſam habeat, & num concedi ille poſſit aut debeat ſine ſcandalo,cum fieri poſsit, ut locus eligatur planè inſolitus & honeſtati Chriſtianæ minimè conveniens.

Uxor non tenetur ſeqvi ſepulturam viri,ſi velit aliam eligere. h. d.

§. 3. Nec[h] ulla ſuper hoc inter virum & mulierem facienda eſt diſtinctio, qvaſi uxor capitis ſui ſeqvi judicium & ſepulturam ſit compellenda : ſed utriqve æqvalis erit eligendi facultas , cum hujusmodi electio ad eum ſtatum pertineat,qvo mulier à lege viri ſolvitur.

h *cap.de uxore verò ext. eod. tit.*

ſit compellenda] ſi tamen Uxor non elegerit,rectè ea ſepelietur in ſepulchro mariti. Aymo Cravett.*conſil.10.n.6.*

ad eum ſtatum] Qvoad executionem ſcilicet.Ipſa enim,dum eligit,adhuc ſubeſſe poteſt marito; nec tamen propterea tenetur ejus aut voluntati parere,aut conſenſum petere.

Si uxor ſepulturam non eligat,tenetur ſeqvi ſepulturam ultimi viri , ſi plures habuerit. h.d.

§. 4. Si tamen ipſa ſibi ſepulturam non eligat,& plures forte viros habuerit[a], cum viro ultimo,cujus domicilium retinet,tumulanda erit.

a *cap.it qvi. §. 1. eod. tit. in 6.*

cujus domicilium retinet] qvamdiu ſtatum vidualem ſervat. Qvod ſi alterius ordinis virum poſtea ſortita fuerit , priore dignitate privata,poſterioris mariti ſeqvitur conditionem *l.10. C. de incol.lib.X. l.13. C. de dignitat.lib. XII.*

Filius

Filius familiâs licet non possit aliqvid relinqvere pro anima, si careat castrensi peculio, vel qvasi, tamen potest sibi eligere sepulturam, nisi sit impubes: qvo casu poterit pater sepelire illum, ubi voluerit, nisi sit consvetudo in contrarium. h. d.

§. 5. De filio familiâs, an sibi sepulturam eligere valeat, dubitari poterit, & multum interest, an ejus ætas intra pubertatis annos contineatur, an verò pubertatem excesserit: primo enim casu sepulturam eligere non poterit: permittendum [b] tamen erit patri, si id loci consvetudo patiatur, ubicunqve voluerit, illum sepelire: qvòd si consvetudo id non habeat [c], cum suis majoribus, vel in parochiali Ecclesia tumulandus erit. Secundo verò casu, cùm pubertatem attigit, liberè absqve patris assensu sibi sepulturam eligere poterit, qvanqvam pro anima sua præter patris assensum aliqvid judicare non possit, nisi [d] castrense, vel qvasi castrense peculium habuerit.

[b] *cap. de uxore. §. fin. ext. eod. tit.*

[c] *cap. pen. eodē tit. in 6.*

[d] *d. cap. pen. in fin. in 6.*

intra pubertatis annos] Rationem, cur præcisè pubertatis anni expleti esse debeant, ut qvis eligere possit sepulturam, non satis capio. Nec enim ad electionem ejusmodi tale judicium mentis reqviritur, qvale ad confectionem testamenti.

præter patris assensum] Discedit hîc jus Canonicum â Jure Civili. De jure enim civili non permissum est filiofam. facere testamentum, ne consentiente qvidem patre, *pr. Inst. qvib. non est permiss. fac. test. l. 6. ff. eod.* Sed de Jure Canonico, consentiente patre, legatum relinqvere poterit filiusfamiliâs piæ causæ. Jul. Clar. *l. 3. recept. sentent. §. testamentum. qvæst. 5. n. 7.* Didac. Spino â Caceres *in spec. testam. gloss. rubric. part. 4. n. 11.* Rutger. Ruland. *de commiss. part. 4. lib. 5. c. 1. n. 16.* Legatum tamen

iſtud

istud non debetur legati jure, sed donationis causâ mortis, licet nihil valeat ex cæteris, qvæ testamento continentur. Anton. Faber *Cod. l. 1. tit. 2. def. 40.*

judicare non possit] i. e. testari aut disponere, pro animâ suâ, i. e. sub conditione precationum, qvæ pro disponentis animâ & salute fieri debent. Atq; hæc significatio verbi *judicare* etiam in jure feudali occurrit *2. F. 9. & 55.* item in aliis Germanorum legibus. Sic Imperator Carolus *Leg. Langobard. lib. 2. tit. 18. l. 4.* dicit: si qvis Longobardo statum humanæ fragilitatis præcogitans pro salute animæ suæ de rebus suis voluerit judicare. Add. Leg. Wisigothor. *4. tit. 5. l. 2. & 3. it:* Langobard. *lib. 2. tit. 14. l. 17. & tit. 29. l. 1. & tit. 4. l. 4.*

Religiosi non possunt sibi sepulturam eligere. h. d.

§. 6. Impuberi similes religiosi habentur: hi enim, cùm propriæ voluntatis libertatem [e] non habeant, eligere sibi sepulturam neqveunt, sed apud propria monasteria tumulandi sunt, nisi adeo fortè sint, remoti, qvòd ad ea, cum moriuntur, commodè exportari neqveant.

e *cap. fin. eod. tit. in 6.*

voluntatis libertatem non habeant] sive ut Pontifex ipse loqvitur *c. ult. de sepultur. in 6. cum velle vel nolle non habeant.* Tale enim monstrum omni voluntate destitutum ultimis hisce seculis edidit Papatus.

Non potest qvis etiam jurejurando à seipso abdicare liberum eligendæ sepulturæ potestatem. h. d.

§. 7. Aliàs autem sepulturæ usq; adeò libera esse debet electio, ut Bonifaciânâ [f] constitutione cautum sit, ne qvi ad vovendum, jurandum, vel fide interpositâ, vel aliàs promittendum aliqvos inducant, ut a-

f *cap. 1. in princ. eod. tit. in 6.*

Digitized by Google

Filius familiâs licet non poſſit aliqvid relinqvere pro anima, ſi careat caſtrenſi peculio, vel qvaſi, tamen poteſt ſibi eligere ſepulturam, niſi ſit impubes: qvo caſu poterit pater ſepelire illum, ubi voluerit, niſi ſit conſvetudo in contrarium. h. d.

§. 5. De filio familiâs, an ſibi ſepulturam eligere valeat, dubitari poterit, & multum intereſt, an ejus ætas intra pubertatis annos contineatur, an verò pubertatem exceſſerit: primo enim caſu ſepulturam eligere non poterit: permittendum [b] tamen erit patri, ſi id loci conſvetudo patiatur, ubicunqve voluerit, illum ſepelire: qvòd ſi conſvetudo id non habeat [c], cum ſuis majoribus, vel in parochiali Eccleſia tumulandus erit. Secundo verò caſu, cùm pubertatem attigit, liberè absqve patris aſſenſu ſibi ſepulturam eligere poterit, qvanqvam pro anima ſua præter patris aſſenſum aliqvid judicare non poſſit, niſi [d] caſtrenſe, vel qvaſi caſtrenſe peculium habuerit.

[b] *cap. de uxore. §. fin. ext. eod. tit.*

[c] *cap. pen. eodē tit. in 6.*

[d] *d. cap. pen. in fin. in 6.*

intra pubertatis annos] Rationem, cur præcisè pubertatis anni expleti eſſe debeant, ut qvis eligere poſsit ſepulturam, non ſatis capio. Nec enim ad electionem ejusmodi tale judicium mentis reqviritur, qvale ad confectionem teſtamenti.

præter patris aſſenſum] Diſcedit hîc jus Canonicum â Jure Civili. De jure enim civili non permiſſum eſt filiofam. facere teſtamentum, ne conſentiente qvidem patre, *pr. Inſt. qvib. non eſt permiſſ. fac. teſt. l. 6. ff. eod.* Sed de Jure Canonico, conſentiente patre, legatum relinqvere poterit filiusfamiliâs piæ cauſæ. Jul. Clar. *l. 3. recept. ſentent. §. teſtamentum. qvæſt. 5. n. 7.* Didac. Spino â Caceres *in ſpecul. teſtam. gloſſ. rubric. part. 4. n. 11.* Rutger. Ruland. *de commiſſar. part. 4. lib. 5. c. 1. n. 16.* Legatum tamen iſtud

istud non debetur legati jure, sed donationis causâ mortis, licet nihil valeat ex cæteris, qvæ testamento continentur. Anton. Faber *Cod. l. 1. tit. 2. def. 40.*

judicare non possit] i. e. testari aut disponere, pro animâ suâ, i. e. sub conditione precationum, qvæ pro disponentis animâ & salute fieri debent. Atq; hæc significatio verbi *judicare* etiam in jure feudali occurrit *2. F. 9. & 55.* item in aliis Germanorum legibus. Sic Imperator Carolus *Leg. Langobard. lib. 2. tit. 18. l. 4.* dicit: si qvis Longobard9 statum humanæ fragilitatis præcogitans pro salute animæ suæ de rebus suis voluerit judicare. Add. Leg. Wisigothor. *4. tit. 5. l. 2. & 3. it:* Langobard. *lib. 2. tit. 14. l. 17. & tit. 29. l. 1. & tit. 4. l. 4.*

Religiosi non possunt sibi sepulturam eligere. h. d.

§. 6. Impuberi similes religiosi habentur: hi enim, cùm propriæ voluntatis libertatem [e] non habeant, eligere sibi sepulturam neqveunt, sed apud propria monasteria tumulandi sunt, nisi adeo fortè sint, remoti, qvòd ad ea, cum moriuntur, commodè exportari neqveant.

e *cap. fin. eod. tit. in 6.*

voluntatis libertatem non habeant] sive ut Pontifex ipse loqvitur *c. alt. de sepultur. in 6. cum velle vel nolle non habeant.* Tale enim monstrum omni voluntate destitutum ultimis hisce seculis edidit Papatus.

Non potest qvis etiam jurejurando à seipso abdicare liberam eligendæ sepulturæ potestatem. h. d.

§. 7. Aliàs autem sepulturæ usq; adeò libera esse debet electio, ut Bonifacianâ [f] constitutione cautum sit, ne qvi ad vovendum, jurandum, vel fide interpositâ, vel aliàs promittendum aliqvos inducant, uta-

f *cap. 1. in princ. eod. tit. in 6.*

Digitized by Google

pud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulteriùs non immutent, & secus factum omninò infringit.

ut apud eorum Ecclesias] Vid. Paul. Laymann. *Theol. moral. l. 3. tr. 6. c. 12. n. 4.* Aliud est pactum Ecclesiæ de recipiendis vel non recipiendis personis certæ alicujus parochiæ. Id enim non improbatur *c. 1. de pact. in 6.* nec adversatur bonis moribus aut utilitati publicæ. Etsi enim publicè interfit, defunctorum corpora sepeliri *l. 43. ff. de relig.* non tamen ita intereſt, ut qvis in hâc vel illâ parochiâ sepeliatur, cùm sepultura haberi possit alibi. Vid. tamen, qvæ dicemus infr. *lib. 3. tit. 3. §. Et qvidem.*

Mortuus ruri, qvi sepulturam non elegit, si sine periculo possit exportari, vel in parochiali Ecclesia, vel in majorum sepultura debet sepeliri. h. d.

§. 8. Illud[g] tamen in dubium venire potest, si qvem, dum animi vel agri colendi causâ rusticatur, ruri inopino forsitan interitu, nec electâ sepulturâ contingat occumbere, an in Ecclesia ruri constituta, an potiùs in alia sepeliri debeat? & responsum est, si absqve periculo defunctus inde valeat exportari, non in Ecclesia ruri posita, sed in sua parochiali, vel in qva majorum ipsius ab antiqvo sepultura extitit, sepeliendum fore.

g *cap. in qvi. in prin. eodē tit. in 6.*

si absq; periculo] pestis, belli & similium. Sæpè enim præstat in loco, ubi qvis defunctus est, sepeliri, qvàm vel defunctum, vel superstites periculo exponere.

in suâ parochiali] Hoc ita constitutum est ad evitandas parochorum contentiones. Utiq; enim in sepeliendo defuncto illa potius præferenda est parochiâ, in qva qvis habitat, & pietatem perceptione Sacramentorum colit, qvàm in qvâ per exiguum aliqvod tempus commoratur.

Qvibus

Qvibus non communicamus vivis, nec mortuis communicamus. h. d.

§. 9. Non tamen omnes, qvi fato functi fuerint, Eccleſiaſticæ tradendi ſunt ſepulturæ: qvibus [a] enim non communicamus vivis, nec defunctis communicare debemus. Unde carebunt Eccleſiaſticâ ſepulturâ, qvi priùs erant ab Eccleſiaſtica unitate præciſi. Igitur nec [b] Paganus, nec Judæus, nec hæreticus, [c], nec qvi uſuras exercuit [d], nec qvi ſibi mortem conſciverunt [e], aut qvi perſonis [f] Eccleſiaſticis violentas manus injecerunt, nec homicidæ [g], nec incendiarii, aut Eccleſiarum violatores [h], nec inceſtuoſi, nec blaſphemi, nec [i] ullus, qvi pro manifeſtis condemnatus eſt exceſſibus, Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi poterit.

a *cap. ſacris. in prin. ext. eod. tit.*

b *c. Eccleſiam. ſeq. de conſecr. diſt. 3.*

c *cap. 2. in prin. de hæretic. in 6.*

d *cap. 2. de uſur. in 6. in princ.*

e *c. placuit. 23. qvæſt. 5. c. ſi qvis ſvadẽte 17. qvæſt. 1*

f *cap. fin. extr. eod. tit*

g *c. ſuper. eo. de raptoribus.*

h *c. ſtatuimus. de maled.*

i *c. pro obeuntibus 13. q. 2.*

præciſi] i. e. excommunicati, ſi impœnitentes moriantur. Et hùc facit conſtitutio Eccleſiaſtica Sereniſs. Elect. Saxon. *in artic. genem. cap. 11. f. 327.*

nec hæreticus] Benignior hîc eſt autor, qvàm hodierni Pontificii, qvod non omni, ſed aliqvâ tantùm, i. e. eccleſiaſticâ ſepulturâ hæreticos velit privari. At Pontificii hodierni ne qvidem in hortis aut paſcuis ſuis Evangelicorum demortuorum corpora ſepeliri permittunt. Marcianus Imp. humanum & pium putavit de hæreticis conſtituere, ut legitimis ſepulchris ſepelirentur. *l. 9. C. de hæret.* Neqve apud nos honeſtâ ſepulturâ privantur hæretici, niſi qvod ceremoniæ qvandoq; pauciores adhibeantur. Carpzov. *in def. Conſiſtor. l. 2. def. 383.*

nec qvi uſuras exercuit] ſcilicet manifeſtè. de tali enim loqvitur *c. 3. X. de uſur.* Uſurarii autem manifeſti qvi dicantur, exponit Covarruvias *l. 3. var. reſol. c. 3.* Jul. Clar. *l. 5. ſentent. §. uſur. verſ. hîc qværo.*

Digitized by Google

quæro. Menoch. *de arb. jud. qvæſt. caſ. 235.* Sigism. Scaccia *de judic. lib. 2. t. 9. n. 144. ſeq:* Caniſ. *ad tit. de Uſur. cap. 8. n. 4.* Sepultura tamen tali non denegatur, ſi in teſtamento reſtituere mandaverit, qvicqvid ex uſuris habet, vel ſi idoneam de reſtituendo cautionem præſtiterit. Didac. Spin. à Caceres *in ſpec. teſt. gloſſ. 2. n. 18.*

qvi ſibi mortem conſcivérunt] Jure Civili αὐθοχειρίαν non prorſus eſſe illicitam, ſunt qvi evincere ſe poſſe, perſvaſum habent; concedunt tamen, illicitam eſſe, ſi fiat ab homine facinoroſo, ob conſcientiam criminis & pœnam imminentem, qvi propterea ſuis magis qvàm carnificis manibus mori diſcupiat. *l. 2. C. qvi teſt. fac. poſſ. l. 3. ff. de bon. eor. qvi ante ſent. l. 1. l. 2. C. eod.* Utcunqve ſe res habeat, Chriſtiano homini nunqvam ullo caſu probari ea poterit; circa ſepulturam tamen qvidam obſervari debent gradûs differentiæ. Qvi enim ſine animo fraudulento ex furore, melancholiâ vel aliâ animi impotentiâ ſibi manus inferunt, ſi de vitâ benè transactâ conſtet, honeſtâ non ſunt privandi ſepulturâ, de ceremoniis tamen aliqvid eſt remittendum. Qvi verò tædio vitæ, doloris impatientiâ, pudore æris alieni, aut ſimili ex causâ vitam ſibi adimunt, caninâ vel aſininâ ſepulturâ meritò afficiuntur. Qvi deniqve ob conſcientiam criminis mortem ſibi infert, ſimiliter inhoneſtâ ejusmodi ſepulturâ efferendus eſt. Vid. Carpzov. *lib. 2. def. Conſiſt. 376. ſeq.* Add. Hug. Grot. *de jure bell. & pac. l. 2. c. 19. n. 5.* Si tamen in flumine vel puteo vel alio loco defunctus reperiatur, non denegatur ei ſepultura Eccleſiaſtica, qvia non præſumitur ſe præcipitem dediſſe. Alciat. *lib. 6. paregr. c. 27.* Didac. Covarruv. *lib. 2. reſolut. 1. in fin.*

aut qvi perſonis Eccleſiaſticis] Hi omnes, qvi ſequuntur, non ſimpliciter privandi ſunt ſepulturâ Eccleſiaſticâ, ſed tùm demum, ſi pro his excesſibus excommunicati fuerint, uti loqvitur Gregorius IX. *in c. fin. X. hoc tit.* Poterit enim propter ejusmodi crimina aliqvis deferri, atq; ille ſi deceſſerit, anteqvam peragatur, aut anteqvam confeſſus vel convictus fuerit, caninâ ſepulturâ propter ſolam illam delationem non debet affici. Carpzov. *d. l. def. 380.*

eccleſiaſticæ ſepulturæ] Sepultura eſt vel honeſta, qvæ eccleſiaſtica aliàs dici ſolet, vel ignominioſa ſeu inhoneſta, vel aſinina ſeu canina. Honeſta eſt, cui ceremoniæ atqve ritûs pro loci cujusq; conſvetudine & pro defuncti facultatibus ſolenniter adhibentur. Ignominioſa & inhoneſta eſt, qvæ abſqve ſolennitatibus & ceremoniis in loco ſeparato extra cœmiterium vel intra illud ad parietes in angulo qvodam peragitur.

Atq;

Digitized by Google

Atq; hic notandum, fieri posse, ut sepultura absq; ceremoniis peragatur, ignominiosa tamen aut inhonesta non sit, qvia sufficit ad honestam sepulturam, vel qvod ritûs ac ceremonias solennes adhiberi permissum sit, licet ex defectu pecuniæ sæpius omittantur: vel, qvod in cœmiterio aliove loco honesto cadaver Terræ inferatur à Vespillone, non carnifice. Asinina sive canina sepultura est, qvando cadaver defuncti extra locum religiosum consvetum in bivio vel trivio, aut sub patibulo aut ubi brutorum cadavera abscondi solent, à Carnifice terrâ obtegitur. Carpzov. *in Jurispr. Consist. lib. 2. def. 375. & 382.*

Tumulati contra canones, sunt exhumandi, si illorum corpora possint discerni à corporibus fidelium. h.d.

§. 10. Et si contigerit aliqvando horum corpora in cœmeterio Ecclesiastico tumulari[k], si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & ab Ecclesiastica sepultura procul jactari. Qvòd si discerni non poterunt, cum excommunicatorum ossibus corpora fidelium extumulanda non erunt, cùm, licet non obsit justis sepultura nulla, vel vilis, celebris tamen, vel speciosa non prosit improbis.

k *cap. sacris est. extra. eod. tit.*

exhumari debent] inhumanum id videtur & à Religione alienum, ut, qvi semel terræ commissi & conditi sunt, effodiantur, & in eos jam sepultos animadvertatur. Etsi enim concedere possim, non teneri sepulchri violati eum, qvi extraxerit cadaver hominis, qvem sepelire fas non erat, Ant. Mattheus *de crimin. tit. de sepulc. viol. c. 1. n. 6.* nego tamen humanitati id convenire, qvippe qvæ sepultis insultare etiam apud hostes semper verita est.

procul jactari] Ridicula hîc est glossa, qvæ tantam distantiam requirit, ut voces clericorum cantantium non possint inde exaudiri.

Qvi contemptis clavibus non humandos in locis sacris humaverit, excommunicationem incurrit, à qva non est absolvendus, antequàm arbitrio Episcopi satisfecerit. h.d.

l *clem.1.eod. tit.*

§. 11. Si qvis autem [l] contemptis Ecclesiæ clavibus hujusmodi personas, aut interdicti tempore qvoslibet, in Ecclesiis vel cœmeteriis sepelire ausus fuerit, ipso facto, excommunicationis sententiam incurret: à qva, nisi priùs ad arbitrium diœcesani Episcopi eis, qvibus injuria irrogata fuerit, satisfactionem competentem exhibuerit, absolvi non poterit, nec ullum circa præmissa contrà facientibus privilegium suffragabitur.

Si qvis autem] Ad hunc paragraphum notandum (1) denegationem sepulturæ honestæ non præcisè pertinere ad claves Ecclesiæ, cùm potius sit animadversio in eos, qvi jam per potestatem clavium notati sunt. (2) interdictum Ecclesiasticum nullo jure niti, & esse planè iniqvum & impium coërcendi modum, uti dicetur infr. *lib.4. tit.14.* (3) excommunicationem, qvam qvis ipso facto incurrit, destitui effectu executionis, & nullam habere efficaciam. vid. inf. *lib.5. tit.13.* (4) satisfactionem sine suffragio Scripturæ statui partem pœnitentiæ, & hoc ipso injuriam inferri merito Christi, qvod nullâ ampliùs hominis satisfactione indiget, sed unum omnibus sufficit.

Reconciliati, licet alioqvi Ecclesiastica sepultura non essent tradendi, post reconciliationem tradi poterunt. h. d.

§. 12. Sed hæc de illis intelligenda sunt, qvi impœnitentes decesserint, nec in articulo saltem mortis, Ecclesiæ reconciliati fuerint. Nam [m] si, dum forsitan in extremis agerent, legitimè absoluti fuerint, Cœmeterium his & alia Ecclesiastica suffragia denegari non debent: hæredes tamen & propinqvi, ad qvos

m *cap.fin.ext. eod.tit.*

Digitized by Google

qvos ipſorum bona pervenerint, ut pro eisdem ſatisfaciant, ſi caſus exigat, Eccleſiaſticâ ſunt cenſurâ compellendi.

heredes tamen] Jure civili ex delictis defunctorum tenentur heredes in tantum ſeu hactenus, qvatenus ex delicto ad eos pervenit, *l. 5. ff. de calumn.* Sed jure Canonico tenentur, qvatenus bona hereditaria ferunt *c. ult. X. de ſepult. c. 5. X. de rapt.* eo colore, qvod hâc reſtitutione exoneretur conſcientia defuncti. Anton. Gomez *3. reſol. 1. n. 85.* & is tanto citius à pœnâ purgatorii liberetur. Bachov. *de act. diſp. 5. th. 4.* Fatentur tamen canoniſtæ, in foro ſeculari vigere diſpoſitionem juris civilis. Fachineus *l. 9. controv. 5.* Vid. Tabor *racemat. 1. n. 64.*

Cadavera punitorum pœnitentium ſunt tradenda ſepulturæ Eccleſiaſticæ. hoc dicit.

§. 13. Ex his apparet, eorum cadavera, qvi poſt confeſſionem Deo peractam, pro ſceleribus ſuis in patibulis ſuſpenduntur [n], ad Eccleſiam eſſe deferenda, & oblationes pro eis offerendas. Cùm enim pro peccatis ſuis pœnam extremam ſolverint, & dignè pœnituerint, non judicat Deus bis idipſum.

n *can. qvæſitũ eſt. 13. qv. 2.*

in patibulis ſuſpenduntur] Utrum horum cadavera in publico conſpectu relinqvenda & omni ſepulturâ privanda ſint, multa adhuc eſt diſputatio. Vid. Grot. *de jur. belli & pac. l. 2. c. 19. n. 4.* Ita tamen apud nos uſus obtinuit, ut & ſuſpenſorum, & rotâ punitorum, & qvandoq; gladio ultore occumbentium cadavera inſepulta relinqvantur, non obſtante lege Moſaicâ *Deut. 21, 23.* qvæ juris qvidem divini eſt, ſed poſitivi & forenſis, qvæq; idcircò aliter ſe apud alias gentes habere poteſt, cum nec improbetur alibi ſepulturæ iſta privatio. Vid. Did. Covarruv. *lib. 2. reſol. 1. num. 11.* Hahn *in Weſenbec. tit. de cadaverib. punitor.* Petr. Heig. *l. 2. qvæſt. 37.* Qvirin. Kubach *cent. 2. dec. 2. q. 1.* Speckhahn *cent. 1. qv. 9.*

pœnam

Digitized by Google

pœnam extremam ſolverint] At ſepulturæ negatio non tàm fit in pœnam, qvam in exemplum, ut deterreantur à ſimili facinore alii. Satis enim eſt, id, qvod mortuis accidit, à vivis metui, ut hoc pacto à peccato retrahantur. Vid. H. Zoeſ. *ad tit. ff. de cadaverib. punitor.*

Deprehenſi in ſcelere & vulnerati, ſi confeſſi ex vulneribus mortui fuerint, item improviſo caſu oppreſſi, non privantur Eccleſiaſticâ ſepulturâ. hoc dicit.

a *can. fures. el pen. 13. q. 2.*

§. 14. Qvin etiam [a] ſi, dum in ſcelere comprehenduntur, vulnerati fuerint, & ſacerdoti poſtmodum confeſſi, ex vulneribus acceptis deceſſerint, communio eis minimè denegabitur: qvanqvam, ſi, dum ſeipſos defendunt, interfecti fuerint, aliud ſit ſtatuendum. Is autem, qvem caſus improviſus opprimit [b], ſi nihil aliud obſiſtat, Eccleſiaſticâ ſepulturâ non arcebitur.

b *cap. ex parte parentum. extr. eod. tit.*

dum ſeipſos defendunt] illi ſc. qvi in ſcelere deprehenduntur, qvâ ratione furi adverſus dominum nulla juſta competit defenſio. Tabor *racemat. crim. 3. n. 36.* Unde nec reus criminis jus habet publicis miniſtris capere ſe volentibus per vim reſiſtendi. Hug. Grot. *de jur. b. & p. lib. 2. cap. 1. n. 18.*

ſi nihil aliud obſiſtat] puta, ſi ipſe caſui fortuito non dederit cauſam, aut ſi ipſe aliàs fuerit ſepulturâ honeſtâ dignus. Sanè qvi caſu fortuito periit, nullâ ſuâ culpâ periit, nec proinde ignominiæ notâ affici debet, præſertim cum de ſalute ejus dubitare Chriſtianum hominem non deceat, nec in judicia DEI inqvirere liceat. Carpzov. *in Jp. Conſiſt. lib. 2. def. 381.*

Pro ſepultum non poſſunt clerici aliqvid exigere, nec conſvetudo in contrarium valet, poſſunt tamen ſponte oblatum accipere. h. d.

§. 15. Illud etiam atq; etiam admonendi ſumus, ſacris Cano-

Canonibus penitùs interdici [c], ne qvis terram pro sepulchro vendere, aut pro hominibus sepeliendis qvoqvo modo munera [d] exigere audeat, nisi fortè sepeliendus Ecclesiæ, in cujus atrio [e] sepelitur, aliqvid vivens tradi jusserit, aut post mortem ipsius parentes, proximi, vel heredes pro luminaribus, vel eleemosyna aliqvid ultrò dare voluerint: qvo casu spontè oblatum licitè recipi poterit: peti [f] verò, vel aliqvid exigi est omnino vetitum, ne aut venalis dicatur Ecclesia, aut clerici hominum interitu gaudere videantur, si ex illorum cadaverib. studeant habere compendium, nec obtentu cujusqvam consvetudinis, nisi [g] pia & laudabilis fuerit, reatum suum qvis excusare poterit.

c *cap. pen. ext. eod.*

d *can. qvesta. est. §. unde. 13. q. 2.*

e *can. præcipiendum. d. 13. q. 2.*

f *d. can. qvesta. §. peti.*

g *c. ad apostolicam. de Simonia.*

licitè recipi poterit] qvædam enim honestè accipiuntur, qvæ inhonestè petuntur *l. 1. §. 5. in f. ff. de extra. cognit.* Patet autem hinc, etiam id, qvod spontaneo motu datur, non debere cedere in clericorum commodum. Vid. hâc de re Aresta Gallica apud Papon. *lib. 1. tit. 5. n. 7.*

cujusqvam consvetudinis] qvomodo autem consvetudo in hoc qvoq; genere pia & laudabilis facta sit, explicat Duarenus *l. 7. de sacr. Eccles. minist. c. 6. Qvamvis autem*, inqvit, *pro hujusmodi rebus nihil exigere liceat, sed absq; precio atq; adeò cautione ullâ præstari debeant, tamen vulgò receptum est, si qvid eo nomine ultrò offerri consveverit, ut talis consvetudo veluti pia & honesta observetur, ad eamq; observandam autoritate superioris antistitis etiam inviti adigantur, sed susceptojam sacramento aut sepulto cadavere &c. ne alioqvin eas res qviqvam mercari videatur. Proinde sacrifici nostri temporis, qvi certam Ecclesiam nullam regunt, postqvam sacrum peregerint, si consveta merces ipsis non præbeatur, Episcopum adire solent, postulantes non*

qvidem apertè, ut sibi precium numeretur, sed ut laudabilis consvetudo observetur &c. Qvo casu Episcopus in Laicos etiam homines jurisdictionem exercet. Hoc autem genus expiscandæ pecuniæ, qvod à veteribus canonibus & majorum institutis valde alienum est, ex Innocentii III. constitutione manavit, c. ad apostolicam X. de simoniâ. Hactenus Duarenus. Aliter adhuc negocium istud excusat Didacus Spino à Caceres *in specul. testament. in gloss. 2. princip. n. 43.* ubi dicit, pro sepultura debita ex religione Christianâ pecuniam peti non posse, nec talem sepulturam vendi, si tamen aliqvis locum honorabiliorem in Ecclesia eligat, propter illum locum præeminentem peti honorem, qvi precio æstimabilis sit, atq; hinc vendibilis &c. Add. Illephonsus Perez de Lara *de anniversar. l. 1. c. 25. n. 17.* Vallens. *ad tit. de sepultur. §. 8. n. 3.* Alii dicunt, emptionem sepulturæ salvari posse, si fiat sub eâ qvalitate, ut nullus alius ibi sepeliatur. Obligationem enim illam ex parte Ecclesiæ posse vendi. Augustin. Barbos. *ad c. 13. X. h. t.* Ex qvibus patet, nihil tam sanctum per Canones definiri posse, cui evertendo non aliqvæ subinde excogitari possint fraudes. In nostris Ecclesiis ea consvetudo invaluit, ut vel singula sepulchra redimantur, vel certum aliqvod spacium, in qvo vel universæ familiæ vel heredibus tantùm ementis sepelire liceat. Ratio hujus consvetudinis piè & utiliter sustinetur, non qvidem ab accipientium avaritiâ, sed ab Ecclesiæ indigentiâ, dantiumq; liberalitate. Qvod enim datur, non ad lucrum inhonestum, sed ad Ecclesiæ sustentationem, & ut eò commodius cœmiteria sarta tecta conservari possint, adhibetur. De jure verò civili ita res potest expediri, si dicatur, non qvidem locum, sed jus tantùm sepeliendi in isto loco esse in commercio, & proinde vendi istud, legari aut qvocunq; modo alienari posse, per *l. 14. C. de legat.*

DE CANONICA PORTIONE,

TITULUS XXV.

Qvid sit Canonica portio, & qvòd est duplex, parochialis & Episcopalis, & qvòd parochialis debetur curato de relictis factis Ecclesiæ, in qva qvis posthabitâ propria Ecclesia elegit sepeliri. h. d.

§. 1. Canonica portio est, qvæ de relictis, & proventibus Ecclesiis obvenientibus detrahitur, & prælatis debetur. Est autem duplex, Parochialis & Episcopalis.

Digitized by Google

palis. Parochialis est, qvæ Parochiali Ecclesiæ, vel ipsius Curato, & Rectori debetur. Sciendum est enim, si qvis in alia Ecclesia, qvàm in ea, in qva divina audit officia, & Ecclesiastica sacramenta percipit, sepulturam sibi elegerit (qvod qvibus casibus fieri possit, proximè exposuimus) ne parochialium Ecclesiarum Rectores, qvibus cura incumbit animarum, debitis fraudentur subsidiis, constitutum esse [h], ut Curatus de his rebus, qvas defunctus pro anima sua in ultima dispositione reliqvit Ecclesiæ, in qva sepeliri elegit, qvartam partem percipiat, aut aliam, qvam legitima consvetudo præfixerit.

c. fin. vers. verum. de sepult. in Clem.

h *cap. cùm super. & cap. seq. extr. de sepult.*

Parochiali Ecclesiæ] qvid sit Ecclesia parochialis, qvid curatus, diximus alibi.

debitis fraudentur subsidiis] qvomodo verò debitis, si vetitum est, pro hominibus sepeliendis qvoqvo modo munera eligere, & ex cadaveribus habere compendium, uti dixit in *fin. tit. antecedentis*. Sciendum verò est, portiones istas Canonicas esse novioris Ecclesiæ, lucro & qvæstui deditæ, inventum. Solebant aliqvando in memoriam defunctorum amici cibos & alia donaria in usum pauperum & Clericorum conferre, uti ex Origene notat Chemnitius *in Exam. Conc. Trid. de purgat.* Postea oblationes aliæ succedebant, ex qvibus una qvarta Episcopo, altera Clericis, tertia fabricæ Ecclesiarum, & qvarta pauperibus cedebat. *c. concesso & seqq. 12. q. 2.* Cum igitur qvis alibi sepulturam elegisset, & oblationes hinc in alia Ecclesia fierent, portio ex illis detracta Curato assignata fuit. Et hinc qvicqvid illa Ecclesia ex tali sepultura percepisset, Curato aliqva, aliqva Episcopo data fuit portio, ne scil. ut hic ait autor, debitis fraudentur subsidiis. Ita enim jus esse cœpit, ut crederetur, Episcopum & Ecclesiam parochialem, atq; ejus Curatum jus aliqvod habere in cadavera parochianorum.

Digitized by Google

De his, qvæ qvis vivens, & sanus contulit alicui Ecclesiæ, Cuato non debetur Canonica portio; secus, si infirmus, & ex eadem infirmitate decedens. h.d.

§. 2. Sed etsi nihil qvidem testamento qvis reliqverit, sed in ægritudine [a] constitutus cum bonis suis ad loca religiosa se transtulerit, Ecclesiæ parochiali Canonica portio debetur, si modò ille de eadem ægritudine decesserit. Qvòd si sanus ad ea loca se transtulerit, de his, qvæ locis ipsis contulit, cogi non poterit, aliqvid Ecclesiæ, à qva discessit, impertiri: qvia liberum est eis tunc, bona sua non solùm religiosis, sed etiam qvibuslibet privatis conferre.

a *cap. de iis. ext. de sepult.*

Qvod si sanus ad ea loca] Tum enim ex cura Rectoris Ecclesiæ Parochialis discessit eo tempore, qvo nullum periculum mortis & secuturæ sepulturæ imminuit.

Canonica portio solvitur Ecclesiæ, in qva qvis divina percipit; & si duo qvis habeat domicilia, dividetur inter Ecclesias duorum domiciliorum. h.d.

§. 3. Dubitari tamen potest, si cujus [b] majores antiqvitùs in aliqva Ecclesia sepeliri consveverant, eâ dimissâ, alibi sepulturam elegerit, num dimissæ Canonica portio debeatur, an parochiali? Et statutum est, illi persolvendam, in qva qvis audire divina, vel sacramenta recipere debet. Qvòd si is, qvi duo habet domicilia, seq; in utroq; collocat æqvaliter, in loco

b *cap. 2. de sepult. in 6.*

Digitized by Google

loco tertio ſepulchrum eligat, domiciliorum Eccleſiæ inter ſe Canonicam portionem dividant.

duo habet domicilia] id enim fieri poſſe, oſtendit *l. 5. l. 6. §. 2. l. 27. §. 2. ff. ad municipal.* Sed qvid, ſi talis non elegerit ſepulturam? Videtur præferri debere Eccleſia ea, in cujus parochiâ defunctus eſt. Sed qvid, ſi in loco tertio defunctus fuerit? Sorte videtur negocium eſſe dirimendum, utrubi ſepeliri debeat, aut locus erit præventioni.

Ponit, de qvibus rebus parochialis non detrahatur. h. d.

§. 4. Sunt [c] tamen qvædam relicta, ex qvibus Canonica portio detrahi non debet, utputà ſi qvid pro fabrica, pro luminariis, pro anniverſario, pro eqvis [d], vel armis contra infideles exercendis, vel aliàs ad perpetuum cultum divinum, vel particulari perſonæ legantur: de qvibus omnibus, niſi eâ machinatione facta fuerint, ut parochialis Eccleſia fraudetur, hujusmodi portio detrahenda non erit.

c *cap. fin. ext. de teſtam.*

d *cap. in noſtra. ext. de ſepult.*

ſi qvid pro fabrica] h. e. pro ornamentis, pro ædificiis, proq; aliis rebus neceſſariis divino cultui. Didac. Covarruv. *ad c. fin. extr. de teſtam. n. 5.* Stante hâc explicatione, non facilè locum inveniet reſtrictio, qvam *d. l.* ponit Covarruvias, nempe ex legato pro fabricâ tum demum detrahi non poſſe qvartam, qvando Eccleſia, cui legatum tale relictum eſt, indiget ædificiis, aut refectione parietum, detrahi autem poſſe, ſi non indigeat. Nunqvam enim tàm ornata erit Eccleſia, qvin ornari adhuc poſſit magis; & imò qviâ futuris aliqvando temporibus refectione opus habere poterit Eccleſia, rectius ſtatuunt illi, qvi legatum iſtud integrum ſervandum eſſe volunt ad futuros usùs. Eſt & alia tertia hereiſcundorum ſecta, qvi putant, qvartam detrahi poſſe tùm, qvando teſtator vult ſtatim vel in ſingulos annos aliqvid dari pro reſtauratione Eccleſiæ, qvæ tamen reparatione non indigeat; ſecus eſſe, qvando legat pro reſtauratione

ne Eccleſiæ, qvoties ea indigebit. Eos refert & ſeqvitur Auguſtinus Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 86. n. 24.* Sed hæc opinio non aliàs locum habet, niſi qvando ſub tali formâ legatum relictum fuerit.

pro anniverſario] h. e. ſacris eis, qvæ ſingulis annis ſtato die pro animâ defuncti peragenda ſunt.

pro eqvis vel armis] At tale legatum, uti & iſtud, qvod particulari perſonæ relinqvitur, inconſideratè hîc ponitur inter casûs exceptos, cùm regula concepta ſit de legato eo, qvod alii alicui, qvàm Parochiali, cui ſubeſt legatarius, Eccleſiæ relictum eſt.

Minores & Prædicatores indiſtinctè de omnibus obventionibus parochialem portionem ſolvere tenentur. h. d.

e *Clem. 2. §. verùm. & per totum tit. de ſepult.*

§. 5. Sed iſtud[e] qvidem ita demum obtinet, ſi neq; in Minorum, neq; Prædicatorũ qvis Eccleſiis ſepulturam ſibi elegerit: hoc n. caſu dictorum ordinum fratres de omnibus obventionibus, tàm funeralibus, qvàm qvibuscunq;, & qvomodocunq; relictis, diſtinctè, vel indiſtinctè, ad qvoscunq; certos, vel determinatos uſus, etiam de qvibus Canonica portio dari, ſive exigi non conſvevit, vel de jure non debet, nec non de datis, vel qvalitercunq; donatis in morte, ſeu mortis articulo, in infirmitate donantis, vel dantis, de qva deceſſerit, qvomodocunqve, directè, vel indirectè, qvartam partem parochialibus ſacerdotibus, & Eccleſiarum rectoribus integrè largiri tenentur.

neq;

neq; Minorum neq; Prædicatorum] Duo isti ordines veniunt aliàs communi nomine Mendicantium, & utrumqve statum tùm Prælatorum Ecclesiæ, tùm Religiosorum semper affectárunt, qvod qvibus artibus factum fuerit, qvantasq; ea res turbas dederit in Ecclesiâ, pluribus exponit Jacobus Usserius *de Christianar. Ecclesiar. success. & stat. c. 9. n. 9. 13. seqqq.* Qvanqvam autem Papa Romanus multa semper Ordinibus istis permiserit & concesserit, de qvibus Usserius *d. l.* qvartam tamen parochialem etiam iis casibus, ubi aliàs peti non poterat, integram ab iis præstari voluit, in compensationem sc. damnorum, qvæ per privilegia dictis fratribus concessa sustinent Ecclesiæ parochiales. Vid. *Clem. 2. de sepultur.* & ad invitandos parochos, ut, qvoties eorum parochiani in Ecclesiis mendicantium sepeliuntur, ipsi qvoqve præsentes intersint. Officia tamen mortuorum & alia munia ab ipsis fratribus peragi debent. Andr. Vallens. *tit. de sepult. §. 5. n. 3.*

integrè largiri tenentur] Moribus tamen obtinuisse, refert Covarruvias *ad c. fin. ext. de testam. n. 7.* ut Ecclesiæ parochiali qvarta portio à Monachis solvatur, ex his tantùm, qvæ offeruntur eo tempore, qvo funus aut exeqviæ defuncti celebrantur. Atqve ita etiam Illephonsus Perez de Lara *de anniversar. l. 1. c. 25. n. ult.* qvi idem *n. 53.* notat, Clementinam *dudum 2. de sepult.* qvartam parochiæ tribuentem, solùm habere locum in relictis in mortis articulo vel durante infirmitate, ex qvâ relinqvens decesserit, si qvod autem ab eo incolumi & sano relictum fuerit, non detrahi hujusmodi qvartam, nisi id, qvod in morte erat dandum, fraude à religiosis & áliis, qvorum in Ecclesiis sepultura electa est, procuratum sibi dari vel donari fuerit corpore adhuc sano.

Canonica Episcopalis est, qvam detrahit Episcopus de relictis pro anima, qvam testator prohibere non potest, & ubi eadem ratio, eadem debet esse juris dispositio. h. d.

§. 6. Canonica portio Episcopalis est, qvæ de relictis alicui Ecclesiæ pro anima ab Episcopo deducitur. Nam veluti parochialis Ecclesia pro labore, & cura, qvam gessit, animarum, certam portionem detrahit

trahit de relictis alteri Ecclesiæ, in qva qvis sepulturam elegerit: sic etiam licebit ipsi Episcopo [a], nisi sibi qvadragenaria [b] obstet præscriptio, curæ pastoralis intuitu, qvam diœcesi superintendens suscipit de relictis, & pro anima cujuslibet Ecclesiæ oblatis Canonicam sumere portionem: etiam si testator expresserit, qvòd non Episcopi velit esse relictum, sed tantùm Ecclesiæ, cùm privata testatoris dispositio generalem Canonis constitutionem immutare neqveat [c].

a *cap. reqvisisti. in prin. ext. de testam.*

b *cap. de qvarta. ext. de præscript.*

c *d. cap. reqvisisti. vers. secùs autem.*

Canonica portio Episcopalis] Introductam esse dicunt hanc portionem ad similitudinem legitimæ patri in bonis filii, aut patrono in bonis liberti debitæ, qvod etiam Episcopus veluti pater & patronus sit. Deberi autem hanc portionem tribus potissimum ex causis: 1. in recognitionem superioritatis, 2. ob communicationem, qvæ inter Episcopum & Ecclesias intercedit, 3. ob curam & cœleste pabulum, qvod impertitur Ecclesiis inferioribus. Aug. Barbos. *de offic. Episcopi p. 3. alleg. 86. n. 1. & 7.* Qvomodo verò differat parochialis portio ab Episcopali, exponit Illephonsus Perez de Lara *d. l. 1. de anniversar. c. 25. n. 56.* Differunt autem inprimis subjecto, cui utraqve debeatur, & fundamento, ex qvo debeatur. Episcopalis nempe debetur Episcopo: Parochialis Ecclesiæ parochiali. Episcopalis debetur ex legatis relictis Ecclesiæ sibi subjectæ; Parochialis verò ex iis, qvæ obveniunt ratione funeris & ex legatis relictis Ecclesiæ, in qvâ qvis omissâ parochiali Ecclesiâ elegit sepulturam. Contingere ita potest, ut ex uno eodemqve legato deducantur duæ qvartæ portiones, nempe si legatum relictum fuerit Ecclesiæ, in qvâ qvis elegit sepulturam, nec tamen in eâ audivit divina officia. Debetur enim qvarta Episcopo, cui Ecclesia illa subdita est, & qvarta alia parochiali Ecclesiæ; qvæ ultima tamen primo loco erit deducenda. Didac. Covarruv. *ad c. fin. X. de testam. num. ult.*

cujus-

Digitized by Google

cujuslibet Ecclesiæ] in suâ diœcesi constitutæ & sibi subjectæ. Per consequens igitur, etiamsi Episcopo legatum absolutè relictum sit, potest nihilominus ille canonicam sibi vindicare portionem. quemadmodum si certa annua quis præstitit Marco, si eidem octingenta insuper legaverit, & insuper disposuerit, ne quid amicis suis desit, non octingenta tantùm ista, sed annua etiam illa Marcus petere potest. *l. 19. §. 1. ff. de ann. leg.*

cum privata testatoris dispositio] quemadmodum enim nemo sine observatione legum testamentum condere potest *l. 4. ff. qui test. fac. poss. l. pen. §. 2. ff. de castr. pecul.* ita nemo quoque in suo testamento cavere potest, ne leges in eo locum habeant, *l. nemo 55. ff. de legat. 1.*

Ecclesia debetur Canonica portio de relictis Episcopo, quam tamen potest testator prohibere. h. d.

§. 7. Item [d] ex contrario, quemadmodum Episcopo sua portio competit, si quid Ecclesiæ relinquatur: ita si quid Episcopo relictum fuerit, Ecclesia de illo Canonicam petere portionem poterit. Sed hoc casu, si testator exprimat, quòd velit illud Episcopi tantùm esse, non Ecclesiæ, testatoris erit servanda dispositio.

d *cap. requisisti. §. si ab extraneo. ext. de test.*

Item ex contrario] Ista contrarietas non per omnia videtur respondere. Episcopus enim ex omni eo, quod Ecclesiæ parochiali sibi subjectæ relinquitur, participat; at ex contrario, quod relinquitur Episcopo, de eo nihil participat Ecclesia parochialis, sed Cathedralis tantùm. Quanquam enim de parochiali quoque id intellectum velit Andr. Vallensis *ad tit. de sepultur. §. 6. n. 3.* nulla tamen major communio est inter Episcopum & Ecclesiam parochialem, quàm est inter Episcopum & monasteria aut capellas. At infra *§. secus autem*, ideò denegat autor monasteriis & capellis participationem ex legato quod relictum est Episcopo, quia tanta inter monasteria aut capellas non est communio, quanta inter Eccle-

ſiam Cathedralem & Epiſcopum, qvi cathedrali ſpirituali copulatus eſt conjugio. Simili igitur ex ratione nec parochialis qvidem Eccleſia de eo, qvod relictum eſt Epiſcopo, participare poterit.

teſtatoris erit ſervanda diſpoſitio] Rationem diverſitatis in hoc & §. anteced. reddunt hanc, qvia nomine Eccleſiæ etiam Epiſcopus tanqvam ejus caput contineatur ; non ita ſub nomine Epiſcopi Eccleſia.

Si qvid ſimpliciter Epiſcopo à conjuncto fuerit relictum, in dubio non debetur Eccleſiæ Canonica portio, ſecus ſi ab extraneo. h. d.

e d.cap.reqviſiſti. §. ſi verò.

§. 8. Sed e in hac ſpecie multum intererit, qva legandi formulâ teſtator uſus fuerit. Nam ſi ſimpliciter dixerit, *Rem talem relinqvo*, diſtingvendum eſt, Epiſcopi propinqvus leget, an extraneus. Primo enim caſu, cùm non Eccleſiæ relictum præſumatur intuitu, niſi fortè id probetur, ſed perſonæ, de relicto in vita Epiſcopi Eccleſia petere nihil poterit. Contraria obtinet præſumptio, & diſpoſitio, ſi ab extraneo qvid Epiſcopo relictum fuerit.

niſi fortè id probetur] qvæ probatio etiam fieri poteſt urgentiore & fortiore præſumptione, ut ſi legatum relictum ſit pro ſalute animæ, uti loqvuntur, aut in favorem Eccleſiæ manifeſtum, item ſi calix aut patena relinqvantur. Auguſtin. Barboſa *ad c. 15. X. de teſtam.*

in vitâ Epiſcopi] Sed nec poſt mortem qvidem ejus inteſtato decedentis petere qvid poteſt Eccleſia, niſi nulli adſint conſangvinei, ut notant Dd. *ad c. 1. X. de ſucceſſ. ab inteſt.* aut niſi ex fructibus beneficiorum fuerint acqviſita. Ea enim Eccleſiæ cedere, ſed poſt mortem demum Epiſcopi, ex *c. 1. X. de Teſtam.* conficiunt Canoniſtæ. Vid. Zoeſ. *ad tit. de pecul. Clericor. n. 7.*

Si

Si qvid conjunctim legetur Episcopo, & Ecclesiæ, sit inter ipsos divisio, etiam si testator hoc reliqverit Episcopo, illud Ecclesiæ: nisi stare velint testatoris voluntati, qvod ob favorem ultimæ voluntatis conceditur. h. d.

§. 9. Qvòd si[f] conjunctim dictum fuerit, *Relinqvo rem Episcopo, & Ecclesiæ*, de ea inter ipsos Canonica divisio facienda erit. Si verò istud Episcopo, & illud Ecclesiæ relinqvatur, relicta inter Episcopum, & cathedralem Ecclesiam ad Canonicam divisionem sunt redigenda: nisi ambo testatoris velint esse dispositione contenti, qvam propter ultimæ voluntatis favorem observare est satis condecens, ubi neqve fraus intervenit, nec alteruter nimiùm debitâ portione fraudatur.

[f] *d. cap. requisisti. §. qvid si. & seq. ext. de test.*

Si verò istud Episcopo & illud Ecclesiæ] Certum est aliis, non concursuros legatarios in eandem rem, si tali modo relictum fuerit legatum. Sicuti non concurrunt, cum ita legatur, Titio servum do lego: Mævio alterum servum do lego, *l. 84. §. pen. ff. de legat. 1.* At hic ideò fit concursus Episcopi & Ecclesiæ, qvia ex jure Canonum de legatis semper invicem participant Episcopus & Ecclesia.

Cum Ecclesiis inferioribus Episcopus non dividit sibi relictum, sed bene debebit qvartam de relictis dictis Ecclesiis. h. d.

§. 10. Secùs[a] autem est, si qvid legetur Episcopo, & capellis, vel monasteriis, aut aliis pijs locis: nam hoc casu, qvod Episcopo legatur, ejus præcipuum est: cum Ecclesia cathedrali, & de illis, qvæ alijs locis legantur, portionem Canonicam nihilo minùs obtinebit. Et

[a] *d. cap. requisisti. §. secùs autem. ext. de testam.*

hæc ideò tam variè, qvia non tanta inter monaſteria aut capellas eſt communio, qvanta inter Eccleſiam cathedralem & Epiſcopum, qvi cathedrali ſpirituali copulatus eſt conjugio : unde & qvæ acqvirit Epiſcopus, non illis, ſed iſti tantùm acqvirit.

ſpirituali copulatus eſt conjugio] Dixi de hoc ad tit. *de Chorepiſcopor. uſu ſublat. lib. 1.* Ponamus tamen intercedere conjugium inter Epiſcopum & Eccleſiam, non minus ſanè obligabitur ille Eccleſiis aliis qvibuscunq; ſuæ diœceſeos, qvàm cathedrali ſuæ. Qvicqvid enim ſpirituale eſt in totâ diœceſi, id ad unicam & eandem Epiſcopi pertinet ſponſam Eccleſiam, & omnes Eccleſiæ ejusdem diœceſis faciunt unicam Eccleſiam, cujus ſponſus eſt Epiſcopus. M. Ant. de Dominis *de rep. Eccleſ. l. 9. c. 8. n. 11.*

ſed iſti tantùm acqvirit] Id iterum intelligo, ſi inteſtatus deceſſerit, & nullos reliqverit conſangvineos, aut ſi ex fructibus beneficii acqviſiverit.

Si teſtator aliqvid Epiſcopo, aliqvid Eccleſiis reliqvit, & juſſit Epiſcopum eſſe contentum ſuo relicto, poſthabitâ detractione qvartæ, ſervanda eſt teſtatoris voluntas, niſi ſit facta in fraudem. h. d.

§. 11. Hoc autem tunc obtinere oportet, ſi ſimpliciter Epiſcopo legatum factum fuerit: cæterùm ſi eam adjecerit conditionem teſtator, ut Epiſcopus ſuo ſit legato contentus [b], & ipſe legatum agnovit, qvia per hoc aliis renunciaſſe videtur, de cæteris portionem exigere non poterit. Sed ſi conſtiterit, qvòd eâdem adjectâ conditione in fraudem modicum conſtituit mortuarium, ut Epiſcopus portione debitâ fraudetur in cæteris, qvia dolus cuiqvam patrocinari

b *cap. officii. & infrà. extr. de teſtam.*

cinari non debet, poterit is etiam ex aliis relictis exigere portionem à Canone constitutam, salvis tamen indulgentiis, qvæ à Romano Pontifice qvibusdam regularibus sunt concessæ.

eam adjecerit conditionem] i. e. qvalitatem. Conditio enim propriè dicta futurum respicit tempus, & in id actum, cui adjicitur, differt, *l. 39. ff. de reb. cred.*

constituit mortuarium] dicitur ita, qvod mortis causâ relictum est, qvemadmodum & funerale, qvod cum funere defertur.

Relictum ei, qvi potest proprium possidere, non habenti prælationem vel administrationem, à qvocunq; præsumitur relictum intuitu propriæ personæ, non Ecclesiæ. h. d.

§. 12. Illud [c] etiam generaliter observandum est circa eum, qvi proprium possidere potest, prælationem, vel administrationem Ecclesiæ non habentem, qvòd si ei aliqvid relinqvatur specialiter, non solùm à propinqvo, verùm etiam ab extraneo, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ esse relictum intelligitur, nisi probatio in contrarium appareret: & idcirco de illo nec Episcopus, nec Ecclesia potest in vita ejus sibi aliqvid vendicare.

c *cap. requisisti. §. illud. extr. de test.*

qvi proprium possidere potest] Ut est e. g. Canonicus. Religiosus enim proprium aliqvid possidere neqvit, ex pravâ persvasione Canonistarum, adeò, ut si religiosus in mortis articulo repertus fuerit cum pecunio & pecuniâ, & illam non resignaverit in manibus superioris, ei Ecclesiastica denegetur sepultura. *c. 2. §. qvi verò X. de stat. monach.* Didac. Spin. à Caceres *in spec. test. am. gloss. 2. n. 25.*

prælationem] Patet hinc ſub vocabulo Epiſcopi in §. 6. ſubintelligi debere ArchiDiaconum & qvemvis alium prælatum inferiorem, qvi habet in eâ Eccleſiâ jurisdictionem qvaſi Epiſcopalem. Barboſ. *de off. Epiſc. l 3. alleg. 86. n. 8.*

Epiſcopalis & parochialis pari paſſu ambulant, h. d.

§. 13. Item de qvibus relictis parochialis portio non detrahitur, nec Epiſcopalis detrahenda erit.

nec epiſcopalis detrahenda erit] Non tamen vice verſâ. Epiſcopalis enim non detrahitur de his, qvæ recenſentur ſupra, §. ſunt tamen. h. t. etiamſi relicta ea fuerint Minoribus aut Prædicatoribus; ſed parochialis detrahitur. Illephonſus Perez de Lara *de anniverſar. l. 1. c. 25. n. 56.*

DE DECIMIS,

TITULUS XXVI.

Ponit ſubordinationem tituli ad præcedentia, & ſequentia. h. d.

§. 1. Explicito tractatu rerum, qvæ ſpiritualitate qvadam continentur & cenſentur, ſupereſt nunc, ut de rebus Eccleſiaſticis qvidem, ſed temporalibus, illarumq; adminiſtratione dicamus. Sed cùm decimæ mediam qvandam inter ſpirituales res & temporales naturam obtineant, qvippe qvòd ipſum decimandi jus ſpirituale ſit, fructus verò ipſi decimarum temporales & profani, meritò de his, qvaſi in confinio qvodam, tractatus habendus, erit & tàm præcedentibus, qvàm ſubſeqventibus annectendus. Qvod eò etiã congruentiùs poſſe fieri videtur, qvòd & pro-

& proximè de ijs, qvæ ſacerdotibus, & Eccleſiis parochialibus debentur,& ſimilem naturam habere videntur,loqvuti fuimus,& ipſarum qvoq; decimarum ad parochiales Eccleſias jure communi ſpectat perceptio.

c. cum contingat h. tit.

ipſum decimandi jus ſpirituale ſit] Supra, *tit. 1. hujus libri*, definivit autor res ſpirituales, qvod ſpiritui inſerviant , & animæ causâ ſint inſtitutæ. At jus decimandi qvomodo ſpiritui & animæ inſerviat,non video,cum potiùs corporis causâ,ut ſcilicet alimenta habeant Clerici,introductum ſit. niſi fortè per indirectum ulterior aliqvis reſpectus habeatur,qvatenus ſc. jus decimandi miniſtris Eccleſiæ conceditur ideò, qvia ea nobis proponunt,qvæ ſpiritui & animæ noſtræ ſunt proficua. Id enim velle videtur Petrus Rebuffus *tract. de decim. q. 13. n. 39.* qvando ea etiam ſpiritualia dici contendit, qvæ ex ſacramento ordinis qvis conſeqvitur & pro cultu divino. Alibi tamen,*qvæſt. ſcilicet 2. n. 9.* decimas ſcribit vocari ſpirituales,qvia humilitatem continent illam,per qvam omnia bona à DEO data eſſe recognoſcimus. Æmula autem videtur hæc diſtinctio alteri illi, qvæ tradita eſt ab Imperatore *tit. Inſt. de reb. corp. & incorp.* Diſtingvit ibi ſimiliter Imperator fructûs,ut res corporales,à jure utendi fruendi,qvod incorporale dicit,*§. 2. eod.* perinde ut hic autor fructus decimarum à jure decimandi.

Qvid ſit decima. h. d.

§. 2. Decima eſt qvota bonorum mobilium portio, Deo tam divinâ, qvàm humanâ conſtitutione debita a.

a cap. parochianos. extra. eod.

tàm divinâ] In lege Moſaicâ multa fit mentio decimarum. Non tamen omni lege Moſaicâ gentes obligantur, ſed eâ tantùm, qvæ moralis eſt,aut morale qvid continet,qvippe qvæ perpetua eſt & nunqvam interitura. Jam verò juri naturæ conveniens eſt & ad legem moralem pertinet non ipſa decimæ qvota,ſed ejus tantùm ſubſtantia,uti vocatur à Seldeno

de ſyn-

de synedr. l. 1. c. 3. hoc est, jus naturale sive morale jubet alimenta præstare ministris Ecclesiæ, eisq; pro labore, qvem rebus sacris & divinis impendunt, benefacere; determinatio autem certæ qvantitatis eo nomine præstandæ, puta octavæ vel decimæ partis bonorum, non tàm juris naturalis est, qvàm Mosaici, i. e. qvod DEUS per Mosen Judæis tantùm, non etiam aliis gentibus & populis ad tempus constituit, Fr. Duarenus *de sacr. Eccles. minist. l. 2. c. 2.* Decimarum igitur institutio, qvod formale concernit, h. e. certam qvantitatem, non est juris divini moralis, sed qvoad materiale tantùm, h. e. qvoad congruam Sacerdotum sustentationem. Vocatur tamen decima, qvæ octava interdum, interdum vigesima, tricesima aut qvadragesima pars est, qvia loco decimæ ex consvetudine præstatur. Didacus Covarruvias *lib. 1. resol. 17. n. 2.* P. Laymann. *theol. mor. l. 4. tr. 6. c. 2.* Carpzov. *l. 2. definit. Consist. 125.* Fernand. Vasqv. *l. 2. controv. 89.* Henr. Canisius *de decim. c. 3. n. 7. 8.* H. Zoes. *ad tit. de decim. n. 2.* Graviter dissentit Marc. Antonius de Dominis *l. 9. de rep. Eccles. c. 2.*

Decimarum aliæ personales, aliæ prædiales. h. d.

§. 3. Decimarum duæ sunt species: personales & prædiales. Personales sunt, qvæ ex ijs proventibus deducuntur, qvi ex propria cuiq; solertia & industria obveniunt, utputà de negotiatione, artificio, & militia. Prædiales sunt, qvæ ex fructibus prædiorum solvuntur, ut de vino, tritico, & his similibus, qvas in signum universalis sibi retenti dominij reddi Deus præcipere voluit[b].

b *cap. tua nobis. vers. minus. ext. ee.*

& prædiales] Alii addunt mixtas, qvæ ex animalium fructibus, velut lanâ, fœtu, lacte, caseo &c: præstantur. alii eas ad prædiales referunt, nec ineptè, cum non nisi in prædiis animalia ejusmodi haberi possint. Cæterum prædiales jure divino, personales verò jure humano institutas esse, nonnulli contendunt, qvos refert Covarruvias *d. l.*

Personales sunt] De decimis personalibus, inqvit P. Laymannus *theol.*

theol.moral. l.4. tr.6. c.1. n.4. sollicitos nos esse non oportet, cùm ea fermè ubiq; per desvetudinem abolitæ sint.

& his similibus] ut hordeo, avenâ. apud nos etiam de cannabe, lino, rapis, cepis, brasficis & oleribus, ervis silvestribus, pisis, milio, aliisq; fructibus agrariis. imò etiam de pomis, piris aliisq; arborum fructibus, si qvidem id consvetudine ita receptum fuerit. Vid. Decret. Synodal. Saxon. de anno 1624. §. Nach dem/seq.

sibi retenti dominii] Principalis finis decimarum est sustentatio ministrorum Ecclesiæ, qvi si aliunde salaria habuerint, uti qvidem hodiè in civitatibus plerumq; certa illis emolumenta constitui solent, intermitti omninò poterit jus decimandi, cum nihil interfit, decimarum præstatione, an alio modo ministris Ecclesiæ succurratur. Et hanc sententiam ex ipsis Canonistis tuetur Martinus ab Azpilcueta Navarr. *tom.1. tract. de reditib. Eccles. monit.59.* Dissentit Covarruvias *d.l.n.8. vers. Undecimo*, qvi tamen passim causam decimarum finalem urget hanc, qvod in alimenta cedere debeant ministrorum Ecclesiæ.

Personales prabenda debentur Ecclesiæ, in qva qvis sacramenta percipit; prædiales verò Ecclesiæ, in cujus finibus sunt constituta prædia, nisi aliud inducat consvetudo. b.d.

§. 4. Inter personales autem & prædiales decimas hoc interest, qvòd personales illi solùm parochiæ debentur[c], in qva qvis Ecclesiastica sacramenta percipit, tametsi lucrum alibi contigerit: prædiales verò[d], si ex prædiis in aliena parochia constitutis fructus collecti fuerint, ei debentur Ecclesiæ regulariter, in cujus territorio prædia sunt constituta: qvanqvam si consvetudo aliud introduxerit, servanda erit[e].

c *ad apostolicæ. §. noveris, ext. eod. tit.*

d *cap. fin. extr. de paroch. & cap. cùm in tua. in fin. ext. eod.*

e *d. cap. ad apostolica. in fin.*

Digitized by Google

ſacramenta percipit] qvæ ſemper præfertur illi Eccleſiæ, ubi qvis divina tantùm audit, uti fit etiam in portione Canonicâ. Aug. Barboſ. *de jur. Eccleſ. l. 3. t. 24. n. 24.*

ſi conſvetudo] Conſvetudinem multum hîc poſſe, variè obſervatum eſt, uti qvamplurimis exemplis docet Did. Covarruvias *d. l. 1. reſol. 17. n. 8.* ubi tamen negat, conſvetudinis tantam eſſe vim, ut decimas jure divino debitas prorſus tollere & abrogare qveat. Sed enim monet ipſe Covarruvias, juris divini decimas præcipientis hanc eſſe rationem, ut miniſtri Eccleſiæ congruam inde habeant ſuſtentationem & alimenta, & hactenus decimas contra hanc juris divini rationem abrogari non poſſe. Qvod ſi ergò ratio hæc ceſſet, dum miniſtris aliunde proſpicitur, non video, qvid obſtet, qvo minus decimationes prorſus intermitti qveant.

Perſonales decimæ, qvæ ſolvuntur ex reb. venditis & pauris pecunia decimata, ſolvuntur deductis impendiis, ſecus verò prædiales, & fructus non, niſi cum onere decimarum, alienari poſſunt. h. d.

§. 5. Item ſi perſonales, qvæ de rebus acqviſitis, vel factis ex pecunia decimata, ſi vendantur, ſolvendæ ſint [f], utputà ſi vendatur domus, ager, vinea, molendinum, grex, aut merces, qvælibet expenſæ priùs, qvas qvis in reb. parandis fecerit, deduci debent, & de reſiduo, qvaſi de lucro, decimæ præſtabuntur. Expenſæ verò etiam ſeminis, qvæ fiunt pro percipiendis fructibus, ex illis, de qvibus fructus proveniunt, etiam ſi decimatæ fuerint, non deducentur: qvoniam, ſalva decima, fructus efficiuntur eorum, qvi expenſas ipſas faciunt: ſed nec fructus ipſi, niſi cum onere decimarum, alienari poterunt.

[f] *cap. paſtoralis officii. ext. eod. tit.*

etiam

Digitized by Google

etiam seminis] Atqvi semen jam ante, cùm inter fructûs esset, decimatum fuit, ut hinc meritò omni ulteriori decimandi onere liberum existere & deduci deberet.

non deducuntur] Atqvi si de fructibus sumendæ sunt decimæ, fructus non intelliguntur, nisi deductis impensis, qvæ qværendorum, cogendorum, conservandorumq; eorum gratiâ fiunt. *l. 36. §. fin. ff. de hered. petit.* Sed hoc argumentum nihil planè movit judices apud Papon. *lib. 1. tit. 12. arest. 11.* Rationem diversitatis ex Concilio Triburiensi refert Didacus Spino à Caceres *in specul. testam. gloss. 13. n. 38.* qvia scil. DEUS qvandam qvasi societatem fecit cum homine, ut homo retineret novem partes, ipse verò tantùm decimam perciperet. Sed enim societas talis nullibi præcisè in certam qvantitatem facta est. Et ipse Spino hanc rationem rejicit *gloss. 2. n. 22.* substitutâ aliâ, æqvè tamen infirmâ.

fructus efficiuntur eorum] Sed etiam in priore casu fructus efficiuntur eorum, qvi expensas faciunt. Nulla ergò hæc est ratio, qvæ diversitatem faciat inter decimas personales & prædiales. Alii in mercimoniis præcipuè manum hominis, in aliis præcipuè manum DEI operari cauſantur. Sed profectò in agris & prædiis colendis qvandoq; operosior est manus hominis, qvàm in mercimoniis, qvæ multæ sæpè exposita sunt fortunæ. Henricus Canisius eam reddit rationem differentiæ, qvia DEUS prædiales decimas in signum universalis dominii sibi reservaverit, non ita reservaverit decimas personales, *lib. de decim. c. 2. n. 3.* Sed neq; hæc ratio firmiter concludit, cùm ideo Deus sibi reservaverit decimas, ut ministri sui inde haberent alimenta, qvæ habere hodiè possunt nonnullis in locis sine decimarum præstatione.

Non deducuntur impensæ factæ pro instaurandis rebus, de qvibus solvendæ sunt decimæ, tam personales, qvàm reales. h. d.

§. 6. Illud commune tamen est tam personalibus, qvàm prædialibus, qvòd expensæ, qvæ factæ fuerint pro restaurando [a] detrimento rerum, ex qvibus decimæ persolvuntur, ut si pars aliqva moriatur ar-

[a] *cap. pastoralis. §. nec pro. eod. tit. extr.*

Digitized by Google

menti, vinea fiat deterior, mercis depereat portio, de proventibus decimandis minimè deduci debent. Cujus rei illa eſt ratio, qvòd penes Dominum res inſtauratæ remanent.

proreſtaurando] Qvod ſi non reſtauretur, non majores debentur decimæ, qvàm ſecundum proportionem fructuum perceptorum.

qvod penes dominum] Seqvitur hinc, rebus inſtauratis apud dominum non manentibus deduci poſſe impenſas reparationum. E.g. ſi centum aureis, qvi jam decimati ſunt, domum emam, & poſtea ducentis vendam, deducere poſſum centum aureos jam decimatos & expenſas, ſi qvas feci in reparationibus, & de reſiduo tanqvam de lucro decima erit ſolvenda. Aug. Barboſ. *ad c. 28. n. 3. X. h. t.*

Cenſus & tributa de fructibus, de qvibus decima ſolvenda ſunt, non debent deduci. h. d.

b *cap. cùm nõ. ext. eod.*

§. 7. Sed[b] nec cenſus, nec tributa de fructibus, de qvibus decimæ perſolvendæ fuerint primitùs, deduci poterunt. Cùm[c] enim in ſignum univerſalis dominii, qvaſi qvodam ſpeciali titulo decimas ſibi Dominus reſervaverit, conſeqvens eſt, ut in prærogativam dicti generalis dominii decimarum ſolutio, cenſuum & tributorum præcedat exactionem: vel ſaltem hi, ad qvos cenſus, vel tributa pervenerint, qvoniam res cum ſuo tranſit onere, decimas ſolvere per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur.

c *cap. tua nobis. circa med. eod. tit. extr.*

præcedat exactionem] Si præcedere debet, non poterit nec debebit de his decimis cenſus aut tributum ſolvi. Et iniqvus eſſet magiſtratus,

tus, qvi etiam de illis ſibi tributum poſtulaverit, niſi maxima id exegerit neceſſitas; qvo caſu ipſæ totæ & integræ decimæ peti in ſubſidium poſſunt. *l. 21. C. de SS. Eccleſ.* dum tamen alimentis non deſtituantur Eccleſiæ miniſtri.

De omnibus proventibus decimæ ſolvi debent. h. d.

§. 8. Eâdem[d] ratione conſtitutum eſt, ut non ſolùm de vino & grano, fructibus arborum, & hortorum decimæ perſolvi debeant, ſed etiam de pecoribus, de venationibus, negotiationibus, de ipſa etiam militia, & deniq; de omnibus bonis, & proventibus omnibus, ita, ut qvi de his eas cum integritate ſolvere neglexerint, Eccleſiaſticâ diſtrictione percelli debeant.

d *cap. ex parte & cap. ſeq. ext. eod. tit.*

Eâdem ratione] Plurimum hâc in parte valet conſvetudo. Ita fructûs arborum & hortorum non decimantur, niſi ubi conſvetudine id introductum fuit. Carpzov. *defin. Conſiſt. 134. lib. 1.* Et notabile eſt Areſtum Gallicanum, cujus meminit Joh. Papon. *l. 1. tit. 12. n. 5.* qvo judicatum fuit, mutatâ ſoli qvalitate non amplius deberi decimas. e. g. ſi agri decimales in ſtagna converſi fuerint, non deberi poſtea decimas piſcium.

Omnes tenentur ſolvere decimas, tam Chriſtiani, qvàm Judæi. Judæi tamen tantùm prædiales tenentur ſolvere, Chriſtiani & prædiales, & perſonales. h. d.

§. 9. Illud etiam nullam recipit dubitationem, ad ſolutionem earum qvemlibet teneri, niſi qvis ſpeciali privilegio ab ipſarum præſtatione doceatur exemptus. Unde non ſolùm Chriſtiani, ſed etiam Judæi tenebuntur. Inter eos tamen illa eſt differentia, qvòd fideles ad perſonales & prædiales præſtandas

indistinctè tenentur: Judæi verò [e] ad prædiales tantùm, qvas si recusent solvere, ad ipsas possessiones renunciandas compellendi erunt, ne fortè hac occasione Ecclesiæ suo jure fraudari valeant.

e *cap. de terris ext. eod. tit. & cap. pen. in fin. ext. de usur.*

doceatur exemptus] Positis Canonistarum hypothesibus, decimas esse spirituales, & jure divino morali debitas, dubitare licet, num à Pontifice Rom. eximi qvis onere decimarum possit.

Judæi verò ad prædiales tantùm] qvod intelligit Zoesius *h.t. n.18.* de illis tantùm prædiis, qvæ, anteqvam ad Judæos pervenissent, Ecclesiis decimas dederint. Rationem autem, qvare aliàs Judæi ad decimas non teneantur, hanc reddunt, qvia non subsint Ecclesiæ, nec præceptis ejus obligari qveant, nec ministrentur illis spiritualia. Sed enim qvia subsunt Judæis eidem principi cum aliis Christianis, poterunt illi ad qvascunq; decimas, etiam Ecclesiæ præstandas, adigi, non obstante, qvod ejus membra esse nolint. Præceptum enim de decimis solvendis licet Ecclesiasticum sit, proponi tamen potest à Principe curam Ecclesiæ habente vi potestatis, qvam tenet, νομοθετικῆς, qvæ se ad Ecclesiastica æqvè atq; ad civilia diffundit.

Monachi, regulares, & clerici communiter viventes solvunt prædiales decimas, & qvòd novale est ager de novo redactus ad culturam. h. d.

c. ex parte. h.t. §. 10. De monachis & regularibus, seu clericis communiter viventibus videamus, & sanè nulla finit ratio, ut ab his de laborib. [f] ac nutrimentis propriis decimæ extorqveantur: ad [g] prædiales tamen etiam de novalibus, de qvibus antea decimæ solvebantur, tenebuntur. Est autem novale [h], ager nunc primùm proscissus, & nuper ad culturam redactus: de qvo, qvòd aliqvando cultus fuerit, memoria non extat.

f *can. decimas à populo. 16. qv. 1.*

g *c. commissum. h. tit.*

h *cap. qvid per novale. extr. de ver. sign.*

nulla

Digitized by Google

nulla finit ratio] imò ista finit ratio, qvod in laboribus ac nutrimentis propriis nihil differant à Laicis, & nihil sit, qvod magis obliget Laicos, qvàm religiosos ejusmodi minùs religiosos. Veris tamen Ecclesiæ ministris non immeritò ejusmodi conceditur immunitas, ut à personalibus oneribus liberi habeantur.

de qvibus antea decimæ solvebantur] At si cultus antea non fuit ager, unde solutas dicemus decimas? Et Hadrianus IV. hoc omnibus monachis concesit privilegium, ut de novalibus suis, qvæ propriis manibus vel sumptibus excolunt, decimas non persolvant. *c.10.X.h.t.*

Est autem novale] Sollicitat istam descriptionem Gœddæus *ad l.30. n.10. ff. de V. S.* & magis probat eam, qvam Gajus JCtus *d.l.* habet, qvod sc. novalis ager sit, qvi alternis annis cessare solet. Relinqvamus tamen Canonistis suam istam interpretationem, cum nec aliàs infreqvens sit, ut unum nomen diversa habeat significata, & nec ipsum qvidem jus civile *in l. fin. in f. ff. de term. mot.* tàm abhorreat ab significatione canonicâ, uti qvidem sibi persvadet Gœddæus.

Decimas solvere tenentur monachi, & alii communiter viventes etiam de prædiis de novo acqvisitis, & propriis manibus excultis, nisi obstet aliqvod privilegium. h.d.

§. 11. Sed & si iisdem possessiones piâ fidelium devotione collatæ fuerint, aut pro monasteriis de novo fundandis comparatæ, vel qvoqvo modo recenter acqvisitæ, etiamsi eas propriis manibus aut sumptibus excolant, nihilo minùs decimas persolvent Ecclesiis, qvibus ratione talium prædiorum antea solvebantur, nisi[a] super hoc speciali jure, vel privilegio muniti esse probentur. *c. nuper. h.tit.*

[a] *cap.2. §. cæterùm. eod. tit. in 6.*

speciali jure] Qvantum in ejusmodi privilegiis variatum fuerit, exponit P. Laymannus *d.l. cap.3. n.4.* Qvod si verò privilegium aliqvod exem-

exemptionis Monachis aliqvãdo conceſſum fuit, illud ad alias perſonas extendi non debere contendunt. Qvomodo emptores & conductores talium prædiorum ad decimarum ſolutionem cogi poterunt, ut maximè ab hâc immunes fuerint antehac monachi. H. Caniſ. *de decim. cap. 6. n. 10.*

Privilegium tollitur re præjudicata & præſcriptione. h. d.

b *cap. ſi de terra. ext. de privileg.*

§. 12. Sed b nec ſemper eis privilegium ſuffragabitur: nam ſi res judicata obſiſtat, vel privilegio muniti decimas per qvadraginta annorum ſpacium ſolverint, cùm liberum ſit unicuiq; juri proprio renunciare, præſtatione tanti temporis proprio privilegio detrahere voluiſſe præſumuntur, & ea propter ad decimarum præſtationem compelli poterunt.

ſi res judicata obſiſtat] Sententia aut lata eſt ante datum privilegium, & tum non puto nocere eam privilegio futuro, cum ſuperior diſpenſare poſſit circa jus commune, aut lata eſt poſt datum privilegium, & tùm nihil intereſt, utrum tempore latæ ſententiæ de privilegio iſto conſtiterit, an minus: qvia etiamſi id ignoratum, fuerit, ſententia tamen, qvæ vires rei judicatæ acqviſivit, propter inſtrumentum noviter repertum non poterit everti. *l. 4. C. de re jud.*

per qvadraginta] hoc enim eſt tempus præſcriptionis in Eccleſiaſticis uſitatum. *Novell. 131. c. 6.* Sed in eo, qvod hic dicitur, hoc tantùm miror, qvod autor præſcriptionem qvadragenariam reqvirat, cùm tamen non præſcribatur contra Eccleſiam, ſed pro Eccleſiâ. Neq; id dicitur in *c. 6. & c. 15. X. de privileg.* ſed in facto proponitur, per triginta & qvadraginta annos decimas fuiſſe ſolutas. Cui & hoc addo, ſtatuere qvosdam doctores, privilegiatum qvoad contributiones, ſi ſponte ſemel ſolverit, præjudicare ſibi in futurum, niſi fuerit proteſtatus. Klock *de contribut. c. 19. n. 471.* Id igitur ſi Reſp. decernit, qvidnî ſimile qvid decernere liceat Eccleſiæ, qvæ apud Pontificios haud parum rigidior eſt.

Privi-

Digitized by Google

Privilegia sunt interpretanda, ut nemini indebitè damnum inferant. h. d.

§. 15. Item si post initam inter aliqvos super decimis conventionem certi tenoris privilegia obtenta fuerint, nisi conventioni per ea derogetur expressè, illis non obstantibus, erit inviolabiliter observanda: ita enim hujusmodi privilegia sunt accipienda, ut nemini læsionem, præcipuè enormem, inferre debeant. Unde [d] si per hujusmodi concessiones parochiales Ecclesias adeò gravari contingat, ut Rectores de reditibus earum congruè sustentari, & Episcopo debita persolvere non possint, per locorum Ordinarios ita providendum erit, ut eisdem Rectoribus tantum relinqvatur, qvòd & competentem sustentationem habere, aliaqve onera debita supportare valeant.

c. ex multiplici & c. suggestum. h. t.

[d] *c. ep. 2. §. ubi autem. eod. tit. in 6.*

super decimis conventionem] Non consistunt hæc inter se, conventionem fieri posse super decimis, & decimas esse res spirituales, de jure divino morali debitas, & deniq; conventioni ejusmodi derogari posse per privilegia superioris.

Per locorum Ordinarios] Episcopi igitur judices erunt circa factum Pontificis, qvi privilegium concessit.

tantum relinqvatur] Alimenta enim ministris Ecclesiæ jure divino & naturali debentur, & ideò nec privilegio, nec consvetudine nec præscriptione tolli possunt. Covarruv. *d. l. n. 6.* adeò ut nec à Pontifice qvidem privilegia immunitatis concessa valeant, nisi qvatenus jure humano circa decimas qvid constitutum est. *Id. num. 9.*

Privilegiati ſuper decimis, tenentur illas ſolvere de prædiis conductis & privilegiatus ſuper laboribus propriis ſolvet decimas ſuper prædiis locatis. h. d.

§. 14. Super decimis qvoq; non ſolvendis privilegiati, ſi aliena prædia conduxerint [c], privilegio minimè obſtante, de conductis prædiis ſolitas decimas parochijs ſuis integras perſolvent. Idemq; erit de locatis prædiis, ſi privilegiatus ſuper laboribus, qvos propriis vel manibus, vel ſumptibus excoleret, terras ſuas aliis locaverit.

c *cap. dilecti ſi. lii. & cap. ex parte. extr. eod. & capit. ſeq.*

integras perſolvent] qvia ſcilicet privilegium ſuum ad alias res non privilegiatas nec ſuas extendere neqveunt.

de locatis prædiis] Hâc ratione privilegium omne & exemptio à decimis ſolvendis erit perſonalis. Reale enim ſi fuerit privilegium, etiam ad conductorem transferetur immunitas. qvemadmodum ſc: conductores prædiorum Eccleſiaſticorum collectas ſolvere non tenentur.

Laici, & etiam Imperator non poſſunt concedere privilegium ſuper decimis non ſolvendis. h. d.

§. 15. Generaliter autem, niſi hujusmodi immunitatum privilegia ab Apoſtolica poteſtate obtenta fuerint, nullam habebunt efficaciam, ideoq; [a] etiam Imperialis conceſſio qvantumcunq; conceptâ generaliter, cùm nulla ſit laicis de ſpiritualibus diſponendi facultas, à ſolutione decimarum neminem poterit eximere: imò ſacrilegii [b] crimen incurrit, qvi de manu laicorum rem Eccleſiaſticam recipiet.

a *cap. tua. el 1. extra. eod. tit.*

b *cap. duduum. §. cùm ſacrilegii. extra. eod.*

Impe-

Digitized by Google

Imperialis concesſio] Falſum hoc eſt dogma & læſæ majeſtatis crimen implicat. Utcunq; enim conceſſerimus ſpiritualitatem decimarum, concesſiones tamen circa eas & privilegia non ad internam pertinent poteſtatem Eccleſiaſticam, ſed ad externam, qvam Imperatori & Principibus denegare & auferre non aliunde eſt, qvàm ex tyrannide Pontificia. Cæterùm poſſunt etiam Principes, ſi qvid novi circa decimas ab Epiſcopis attentetur, autoritate ſuâ intercedere atq; id impedire. Laudo hic Regum Galliæ inſtitutum, qvi, ſi decimarum petitio fiat ab Epiſcopis, vel cæteris Clericis adverſus prædiorum poſſeſſores, qvarum ſolutio inſveta eſt in iis locis unde exiguntur, non alienum exiſtimant â munere ſuo, huic negocio autoritatem ſuam interponere, illas exactiones inſolitas impedire, excommunicationum, ſi qvæ ab Epiſcopis in recuſantes latæ ſunt, revocationem indicere, & eam pignoribus captis urgere. Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 4. c. 10. n. 2.* Qvod idem de Hiſpaniæ Regibus refert Didacus Covarruvias *lib. 1. reſol. 17. n. 8. verſ. Nono.*

cum nulla ſit Laicis] Et hoc falſum eſt. Verior & tùm ex prudentia civili, tùm ex Scripturis ſententia hæc eſt, competere curam circa ſacra & poteſtatem Eccleſiaſticam externam Principi cuiq; ſummo ex vi ipſâ majeſtatis, qvâ pollet & qvâ princeps eſt, & qvidem jure gentium, abſtractâ qvalitate religionis ſeu cultûs. Vid. ſi lubet, *diſp. noſtram V. de jurib. Majeſt.*

ſacrilegii crimen incurrit] Non incurrit, qvemadmodum non incurrit, qvi ſacramentum baptiſmi, rem ſine dubio ſpiritualem, ſuſcipit ex manu laici.

Laicus etiam de manu clericorum non poteſt decimas recipere ſub pœna excommunicationis, & privationis ſepulturæ, & clericus concedens deponetur. h. d.

§. 16. Ex contrario qvoqve laicus etiam â clericali poteſtate decimas recipere, & in alium, velut hæreditario jure, transmittere non poterit: & ſi ſecus actum fuerit, & qvi conceſſerit, à ſtatu ſuo dejicietur [c], & qvi

[c] *cap. qvãvis ſit. in fin. extra. eod.*

Digitized by Google

neo, cedi autem minimè. §. 3. *Inst. de usufr.* Ita igitur jus decimandi apud Clericum permanet, sed jus percipiendi fructûs decimarum ad Laicum transferri per locationem potest. Et qvidni etiam per venditionem, aut qvemcunq; alium transferendi dominii titulum? cum per locationem nihil aliud agatur, qvàm ut fructûs fiant conductoris, in ejusq; dominium transeant. Qvin si rectè res reputetur, locatio, illa fructuum & provenruum non tàm locatio est, qvàm venditio. Et porrò, si licet Laico percipere decimas ex titulo locationis, etiam ex venditionis titulo percipere eas licebit. Incapacitas enim, qvæ obvertitur, in subjecto tanta esse neqvit, cùm aliàs nec locationis titulo Laicis proventus percipere liceret. Sed nec in titulo locationis & venditionis, uti dixi, aliqva hîc potest esse diversitas. In hoc enim consentiunt JCti, locationem prædii alicujus in effectu venditionem fructuum esse & usûs, & in hoc tantum â venditionis contractu differre, qvod in illâ, venditione sc: ipsa res, in hâc usus rei vel facti transferatur. Franzk. *ad tit. locat. n. 67.* At in locatione proventuum ex decimis, ipsi qvoq; proventûs transferuntur, ut hâc ratione inter venditionem & locationem proventuum nihil intersit. Subtilitates igitur juris civilis qvandoqvidem ita placent, non differre videtur Clericus ab usufructuario. Hic enim si qvando vendit usumfructum aut alteri concedit, non hoc agere intelligitur, ut jus omne totum, qvod habet, â se dimittat & transferat in alium, sed ut, retento jure, qvod ex constitutione per. onæ ejus inhæret, facultas tantùm fructuum percipiendorum ad alium pertineat, qvamdiu jus illud in personâ suâ durabit. Arnold. Vinnius *ad §. 3. Inst. de Usufr.* Sicut igitur vendere & donare usumfructum fructuarius potest, poterit etiam proventûs suos vendere & donare Clericus.

ad feudum] Dixi ante, in Concilio Lateranensi prohibitum fuisse, ne decimæ Laicis in feudum dentur. Jam ante tamen ejusmodi infeudationes prohibitas fuisse tradit Augustinus Barbosa *de jur. Eccles. l. 3. c. 26. §. 3. n. 61.* Conf. Rosenthal *de feud. c. 4. concluf. 27. 28.* Qvâ ratione autem primùm decimæ in feudum dari cœperint, exponit Alb. Cranzius *l. 1. metropol. c. 2. Ferunt*, inqvit, *inditas populo decimas, de more Christicolarum, non provenisse Pontifici primùm, sed regiis præfectis, ut inde stipendia militibus & sumptûs facerent crebrarum in eam gentem expeditionum. Tributorum nomen horrebat libertati adsvetus populus: sed decimarum exactionem recusare non poterant. Interpretantur annales, hinc ortum, ut multarum hodiè decimarum exactiones sint in manibus Laicorum. Ego aliam huic rei caussam accessisse conjicio, cum non satis fiderent Pontifices suâ jura ab Laicis principibus tueri, dedisse arbitror partem decimarum principibus in manum per-*

ſpeciem feudi & beneficii, malentes amittere dimidium, qvàm totum: inde factum, ut à Principibus tranſirent in miniſteriales &c. Add. eundem *lib. 6. Saxon. c. 52.* Beat. Rhenan. *rer. Germ. lib. 2. pag. 90.* Lehmann. *Chron. Spirenſ. lib. 5. c. 67.*

Epiſcopo debetur à Rectoribus qvarta decimarum, qvas exigunt, niſi præſcripta fuerit. h. d.

e. contingat h. tit.

§. 18. Poſtremò ſciendum eſt, qvòd veluti parochialibus Eccleſiis (ſecundum ea, qvæ proximè expoſuimus) decimæ debentur, ita etiam decimarum ipſarum qvarta Epiſcopo à Rectoribus Eccleſiarum, niſi legitima obſtet præſcriptio g, perſolvenda erit.

g *cap. de qvar. tn. extm. de præſcrit.*

decimarum ipſarum qvarta] Nimium hoc eſt, & multum exſuperat portionem, qvæ olim à Levitis dabatur Sacerdotibus. Levitæ enim decimas decimarum, qvas à Colonis acceperant, debebant Sacerdotibus. Dicitur hæc decima, decima ſanctitatis *2. Chron. 31, 6.* decima de decimâ, & Theruma DEI, *Num. 18, 26. 27.* qvâ detractâ, qvæ reliqva erant, Levitis qvaſi prōfana erant, in qvovis loco, attamen puro', conſumenda, teſtante Aben Ezra. Ante verò oblatam hanc decimam corpus fructuum tangere Levitis integrum non erat. Dabatur autem hæc decima decimarum Aaroni aut ſummo Pontifici, ut inter cæteros Sacerdotes divideret, *Num. 18, 26.* non ut in ſolius Pontificis uſum cederet, ſed ut aliis Sacerdotibus, qvorum in ſingulis clasſibus fuiſſe plus qvam qvinq; millia Cunæus ex Flavio refert, *2. de Rep. Ebr. c. 15.* easdem diſtribueret. Unde Joſephus diſertè ait, tributas fuiſſe decimas toti Sacerdotum ordini, *l. 4. antiq. c. 4.* Idemq; aſſerit Hieronymus in *Ezechielem c. 4. 5.* At apud Pontificios Epiſcopus non decimam, ſed qvartam decimarum, neq; eam inter alios diſtribuendam, ſed in ſuos proprios uſûs accipit. Unde, qvantum qvotidiè proficere poſſit culina Epiſcoporum, nemo non videt. Vocatur autem hæc qvarta Epiſcopo debita communiter qvarta decimalis. Ex hoc eodem fonte nonnulli defendunt annatas & alias contributiones à Pontifice Romano exigi ſolitas contendentes, competere ei jus percipiendi decimam redituum Eccleſiaſticorum ad exemplum Pontificum V. T. qvibus Levitæ contribuere tenebantur decimam ſuorum reditvum. Sed negat id, & diſcriminis rationem optimè

nè exponit Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imp. lib. 6. cap. 12. num. 10. Pontifices*, inqvit, *Legis Judaicæ nullo alio reditu fruebantur. At disciplina Ecclesiæ Christianæ aliâ ratione providit sustentationi sui Cleri; distributis videlicet Ecclesiis in diœceses eâ methodo, ut omnes reditûs diœceseos in potestate essent Episcopi. In hâc generali institutione portio qvoqve sua Romanis Pontificibus tributa est in diœcesi Romanâ. qvâ portione sibi satisfactum putârunt, nullum præterea auxilium implorantes, etiam tùm, qvando solis matronarum oblationibus potiebantur, ut loqvar cum Ammiano. Satis qvippe id erat sub paganis Jmpp. pro sustentatione Cleri Romani, & 1500. pauperum, sufficiebatqve insuper subsidiis, qvi â summis Pontificibus mittebantur ad Ecclesias remotas, ut testatur Eusebius l. 4. c. 22. & l. 6. c. 35. Potentia porrò eorum crevit ex reditibus latifundiorum, qvæ Romana Ecclesia in diversis provinciis collata sunt ab Jmp. Constantino & Senatoribus Romanis. Tantum autem abest, ut ea patrimonia non sufficerent alendo Pontifici Rom. ejusqve Clero, ut etiam ex iis reditibus prisci Pontifices alerent in provinciis ingentem pauperum numerum propter eos, qvi ejus curâ alebantur in Urbe. Potiori itaqve ratione Rom. Ecclesia censenda est hodiè possidere ultra id, qvod necessarium est summo Pontifici & Ecclesiæ capiti alendo, postqvam liberalitate Christianissimorum Regũ locupletata est.--Nisi fortassis adversus hac dicatur, Pontificem qvidem Romanum ad Principis dignitatem evectum fuisse his donis, sed eodem tempore præbitas novas prodigendi causas. Verùm Clericus non tenetur in eo agnoscere dignitatem Principis secularis. &c:* Hæc Marca satis confidenter & apertè.

DE REBUS ECCLESIÆ ALIENANDIS, VEL NON,

TITULUS XXVII.

Regulariter Episcopus non potest aliqvid agere sine consensu, vel consilio capituli. b. d.

§. 1. Tractemus nunc de rebus temporalibus Ecclesiarum, illarumqve administratione, & alienatione, sine qvibus spiritualium dignitas haud facilè consistere potest. Et qvidem illud in primis firmare nos oportet, nihil Episcopum regulariter sine consensu sui

c. sine exceptione 12. q. 2. c. 1. de his qvæ fiunt â Prælato sine consensu cap.

c. novit. c. quanto seq. d. d.

sui Capituli, vel consilio posse super his statuere: cùm velut caput ad membra, ita sese prælatus habeat ad Capitulum. In eo autem totius videtur esse consensus Capituli, cui & major & sanior fratrum accesserit sententia.

de rebus temporalibus Ecclesiarum] Primis seculis longè alia erat Ecclesiæ facies ab eâ, qvæ hodiè conspicitur. Calicibus contenta ligneis sacerdotibus fruebatur aureis, uti in concilio Triburiensi *c. 18.* pronunciavit Bonif. Episc. Mogunt. Ejusq; gloria fuit non purpura, nō divitiæ, nō eqvus albus, nō fastus, nō dominatus sed, ecce nos reliqvimꝰ omnia & secuti sumus Te, Domine, uti *in confutatione primatûs papæ* habet Gregoriꝰ Heymburgensis. Et ex hoc scilicet colligere licet, num sine rebus temporalibus, qvod vult autor, spiritualium dignitas haud facilè consistere qveat. *Postqvam enim Ecclesia ad Christianos Principes venit* (verba sunt Hieronymi *in vitâ Malchi*) *potentiâ qvidem & divitiis major sed virtutibus minor facta est.* Parata erat securitas, concessæ verbi ministris innumeræ immunitates, & collata sive ex pietatis zelo, sive ex insubidâ superstitione, in Ecclesiam amplissima & longè pingvissima patrimonia. Fecit ea Cleri benignior fortuna, ut seqverentur, qvæ res secundas comitari plerumq; solent, luxus, ambitio & divini muneris negligentia, de qvibusqverelæ deinceps in Ecclesiâ fuérunt assiduæ. Vid. Petr. Molinæ. *de monarchiâ temp. Pontif. Rom. c. 18.*

sine consensu sui capituli] Qvæ olim pii conferebant, ut exinde ministri Ecclesiæ & pauperes alerentur, ad curam pertinebant Diaconorum in id specialiter institutorum, ut Episcopi & presbyteri istiusmodi curâ soluti liberius ipsi munere docendi defungerentur. Seqvioribus temporibus, cùm se jam continere non posset opulentia Ecclesiæ, id operam plurimi videntur dedisse Episcopi, ut translatâ in solos sese omnium Ecclesiæ opum potestate, haberent, unde & ipsi viverent lautissimè, & cognati ac familiares ditescerent. Perversissimum autem istud studium non unis vicibus severiore animadversione coërcuére Patres in conciliis, sed frustra ferè & sine fructu. Celebris est Canon Concilii Antiochnei ultimus, qvem sine dubio mali qvorundam in Oriente Episcoporum mores expressérunt. Atq; iste

iſte ex verſione Dionyſii Exigui ita ſe habet: *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes, qvi indigent cum ſumma reverentiâ & timore DEI. Participet autem & ipſe, qvibus indiget: ſi tamen indiget: tam ſuis, qvàm fratrum, qvi ab eo ſuscipiuntur, neceſſariis usibus profuturis, ita ut in nullo qvâlibet occaſione fraudentur. juxta S. Apoſtolum ſic dicentem: habentes victum & tegumentum, his contenti ſumus. Qvod ſi contentus iſtis minimè fuerit, convertat autem res Eccleſia in ſuos usûs domeſticos, & ejus commoda vel agrorum fructûs non cum presbyterorum conſcientiâ diaconorumqve pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis aut propinqvis, aut fratribus filiisqve committat, ut per hujusmodi perſonas occultè cætera ladantur Eccleſiæ; ſynodo provincia pœnas iſte perſolvat. Si autem & aliter accuſetur Epiſcopus aut presbyteri, qvi cum ipſo ſunt: qvod ea qvæ pertinent ad Eccleſiam, vel ex agris, vel ex aliâ qvâlibet Eccleſiaſticâ facultate ſibimet uſurpent, ita ut ex hoc affligantur qvidem pauperes, criminationi verò, & blaſphemiis tàm ſermo prædicationis, qvàm hi, qvi diſpenſant, taliter exponantur; & hos oportet corrigi, ſanctâ ſynodo, id qvod condecet, approbante.* Sed enim magis magisq; excreſcente Epiſcoporum luxu & avaritiâ, ſimul qvoq; contemptus legum Eccleſiaſticarum invaluit. Unde cum deinceps inter Epiſcopos nonnulli non tantùm clam presbyteris ſuis atqve Diaconis, ſed etiam ſine omni Oeconomo contra veterum inſtitutum bona Eccleſiæ adminiſtraſſent, conditus in hanc rem fuit in Concilio Chalcedonenſi *canon XXVI.* qvi allegatur *c. 4. diſt. 89. & c. qvoniam 16. q. 7. Qvoniam in qvibusdam Eccleſiis, ut rumore comperimus, citra œconomos Epiſcopi facultates Eccleſiaſticas tractant: placuit omnem Eccleſiam habentem Epiſcopum, habere Oeconomum de Clero proprio, qvi diſpenſet res Eccleſiaſticas ſecundum ſententiam Epiſcopi proprii ita, ut Eccleſia diſpenſatio prætor teſtimonium non ſit, & ex hoc diſſipentur eccleſiaſtica facultates & ſacerdotio maledictionis derogatio procuretur. Qvod ſi hoc minimè fecerit, divinis conſtitutionibus ſubjaceat.* Qvales autem tum fuerint Epiſcopi, qvos ita in ordinem redigebat Synodus Chalcedonenſis, diſcimus à Chryſoſtomo, qvi *homil. 86. in Matth.* his eos verbis deſcribit: *Annon poterant etiam Apoſtolorum tempore & domus & agri ab Eccleſiâ poſſideri? non audiſtis, qvia nec has qvidem pecunias oblatas & abſqve labore collectas per ſe ipſi diſtribuendas putaverunt? & cujus gratiâ, niſi qvia id multo melius? Modò autem in procuratores, diſpenſatores, caupones Epiſcopi redacti ſunt, imò vero iſtos etiam ſecularium rerum ſollicitudine ſuperant: & qvos oportebat animarum curam habere, eâ prætermiſſâ ſolicitè curant & qvotidiè cogitant, qvæ publicanis, qvæſtoribus, villicis curanda ſunt. -- Oratoribus enim prædicatione, cæteroqve Eccleſiæ cultu prætermiſſo, alii vini, frumenti alii*

ti alii venditoribus totâ vitâ colluctantur: hinc quotidiana jurgia, opprobria, convitia & sacerdotum unicuique profanis idoneæ negociis impositæ sunt nomina, &c: In seqventibus optat, verbi tantùm sacrorumq; ministerio occupari Episcopos, inopum curam aliis demandari. Qvæ omnia cum recitasset Claudius Espencæus, *in 1. Tim. digress. lib. 1. c. 4.* sic tandem infit ipse: *Si deplorat Chrysostomus DEI sacerdotes hanc rem velut à se alienam pertractantes, -- qvid dicendum de hodiernâ rei profanæ, bellicæ, publicæ, qvæstoriæ, aulicæ, alienæ & cujusvis potius, qvàm sacræ aut Ecclesiasticæ, per nostrates Episcopos procuratione?* &c.

cui & major & sanior] Non semper majorem partem simul etiam saniorem esse, &, qvæ pars sanior sit, inter discrepantes difficulter definiri posse dixi supr. *ad tit. de elect. circa fin.* Qvantis verò ambagibus hodiè alienatio rerum Ecclesiæ expedienda sit, exponit Joh. Paponius *lib. 1. tit. 13. arest. 3.* Sæpè disqvisitum est inter Pontificios, dominium bonorum & redituum Ecclesiasticorum cujus sit. Primarius eorum finis ab initio fuit, ut ministri Ecclesiæ & pauperes haberent unde viverent. Et ab initio qvidem ministri Ecclesiæ, qvicqvid ex collationibus piorum reliqvum habebant, in pauperes erogabant. Sed id in primitivâ tantùm Ecclesiâ necessarium fuisse, hodiè autem, postqvàm pauperibus hospitalia asfignata sint, abrogatum esse, neq; ex præcepto aut lege justitiæ clericum amplius, qvod sibi supereſt, in pauperes distribuere debere, asserit Didacus Spino à Caceres *in specul. testam. gloss. rubr. part. 14. n. 13.* Perperam!

Alienatio rei Ecclesiasticæ facta sine utilitate Ecclesiæ, & clericorum consensu, non valet, & qvid contineat Alienationis verbum. h. d.

§. 2. Ex his consequens est, ut rerum Ecclesiasticarum absq; clericorum subscriptione [a], & Ecclesiæ utilitate, & Romano inconsulto Pontifice [b], ab Episcopo facta donatio, vel alienatio, vel suppositio non teneat, nisi eam postmodum ratam habeant [c]. Prælatus enim Ecclesiasticarum rerum procurator est, non dominus: & conditionem Ecclesiæ meliorem qvidem

a *can. placuit. & can. seq. 12. q. 2. & cap. si qvis. & cap. præcedere. ext. eod.*

b *capit. 2. in prin. eod. tit. in 6.*

c *cap. 3. in fin. extra. de iis qvæ fiunt à prælat.*

dem facere poteſt, deteriorem verò non poteſt. Qvòd ſi [d] ſecùs factum fuerit, nec qvod geſtum eſt, vires ullas ſortietur, & Canonum temeratores tam ſecularium, qvàm Eccleſiaſticarum legum pœnis ſubjacebunt. Alienationis [e] autem verbum continet hoc loco venditionem, permutationem, hypothecam, donationem, conductionem, emphyteuſim, & omnem conventionem, per qvam dominium transfertur.

d *extra. communia. eod. tit.*

e *cap. nulli. §. alienationi. eod. tit. extra.*

procurator eſt, non dominus] In concilio Tridentino, cum alii beneficiatos fructuum dominos, alii fructuarios, alii uſuarios tantùm, & alii denique diſpenſatores eſſe contenderent, ut lites abbreviarentur, amputata fuére iſta verba, qvæ controverſiam eâ de re excitárunt, uti refert Petr. Svav. *in hiſt. Concil. Trid. lib. 8. p. 898.* Noviores moraliſtæ beneficiatos fructuum, qvos ex beneficio nanciſcuntur, veros eſſe dominos, confidenter aſſerunt, & non peccare Epiſcopum, qvi tertiam partem redituum pauperibus largiens, reliqva abundè cum conſangvineis communicet. Vid. qvæ plenâ manu congeſſit Wilhelmus Wendrockius *ad Ludovici Montanii epiſt. provincial. 12. not. 2.* Veteres autem JCti & Canoniſtæ ne fructuariis qvidem comparari voluérunt Clericos, tantum abeſt, ut eos dominos fructuum perceptorum facerent. Et hinc ſtatuérunt, eos fructus perceptos nec ſuos facere, nec ad heredes transmittere. Petr. Coſtal. *ad l. 7. ff. ſol. matr.* Secutus hos eſt Martinus Azpilcueta Navarræus, qvi *in lib. de reditib. benefic. Eccleſ.* tùm & in *libri illius apologia* aſſerit, Clericum ne veſtis qvidem, qvam qvotidiè induit, dominum eſſe, ſed nec panem, qvem manducat, ejus eſſe. E contrario Franciſcus Sarmientus, & Antonius Marſilius Columna *libb. de Eccleſ. reditib.* dominium Clericis ita aſſerunt, ut & uti bonis Eccleſiaſticis & diſponere de illis pro lubitu poſſint. Optant plurimi inter Pontificios, à Papâ ut controverſia hæc tandem aliqvando decidatur. Sed ille in ſcrinio pectoris rem abſcondit & occultat. Dicitur autem Epiſcopus procurator eo ſenſu, qvo olim Procuratores Cæſaris ſeu curatores rationales & procurato-

ti alii venditoribus totâ vitâ colluctantur: hinc quotidiana jurgia, opprobria, convitia & sacerdotum unicuique profanis idoneæ negociis impositæ sunt nomina. &c: In seqventibus optat, verbi tantùm sacrorumq; ministerio occupari Episcopos, inopum curam aliis demandari. Qvæ omnia cum recitasset Claudius Espencæus, *in 1. Tim. digress. lib. 1. c. 4.* sic tandem infit ipse: *Si deplorat Chrysostomus DEI sacerdotes hanc rem velut â se alienam pertractantes, -- qvid dicendum de hodiernâ rei profanæ, bellicæ, publicæ, qvæstoriæ, aulicæ, alienæ & cujusvis potius, qvàm sacræ aut Ecclesiasticæ, per nostrates Episcopos procuratione?* &c.

cui & major & sanior] Non semper majorem partem simul etiam saniorem esse, &, qvæ pars sanior sit, inter discrepantes difficulter definiri posse dixi supr. *ad tit. de elect. circa fin.* Qvantis verò ambagibus hodiè alienatio rerum Ecclesiæ expedienda sit, exponit Joh. Paponius *lib. 1. tit. 13. arest. 3.* Sæpè disqvisitum est inter Pontificios, dominium bonorum & redituum Ecclesiasticorum cujus sit. Primarius eorum finis ab initio fuit, ut ministri Ecclesiæ & pauperes haberent unde viverent. Et ab initio qvidem ministri Ecclesiæ, qvicqvid ex collationibus piorum reliqvum habebant, in pauperes erogabant. Sed id in primitivâ tantùm Ecclesiâ necessarium fuisse, hodiè autem, postqvàm pauperibus hospitalia assignata sint, abrogatum esse, neq; ex præcepto aut lege justitiæ clericum amplius, qvod sibi supereſt, in pauperes distribuere debere, asserit Didacus Spino â Caceres *in specul. testam. gloss. rubr. part. 14. n. 13.* Perperam!

Alienatio rei Ecclesiasticæ facta sine utilitate Ecclesiæ, & clericorum consensu, non valet, & qvid contineat Alienationis verbum. h. d.

§. 2. Ex his consequens est, ut rerum Ecclesiasticarum absq; clericorum subscriptione [a], & Ecclesiæ utilitate, & Romano inconsulto Pontifice [b], ab Episcopo facta donatio, vel alienatio, vel suppositio non teneat, nisi eam postmodum ratam habeant [c]. Prælatus enim Ecclesiasticarum rerum procurator est, non dominus: & conditionem Ecclesiæ meliorem qvidem

a *can. placuit. & can. seq. 12. q. 2. & cap. si qvis. & cap. præcedere. ext. eod.*

b *capit. 2. in prin. eod. tit. in 6.*

c *cap. 3. in fi. extra. de iis qvæ fiunt à prælat.*

dem facere potest, deteriorem verò non potest. Qvòd si [d] secùs factum fuerit, nec qvod gestum est, vires ullas sortietur, & Canonum temeratores tam secularium, qvàm Ecclesiasticarum legum pœnis subjacebunt. Alienationis [e] autem verbum continet hoc loco venditionem, permutationem, hypothecam, donationem, conductionem, emphytevsim, & omnem conventionem, per qvam dominium transfertur.

d *extra. communia. eo. tit.*

e *cap. nulli. §. alienationis eod. tit. extra.*

procurator est, non dominus] In concilio Tridentino, cum alii beneficiatos fructuum dominos, alii fructuarios, alii usuarios tantùm, & alii denique dispensatores esse contenderent, ut lites abbreviarentur, amputata fuére ista verba, qvæ controversiam eâ de re excitárunt, uti refert Petr. Svav. *in hist. Concil. Trid. lib. 8. p. 898.* Noviores moralistæ beneficiatos fructuum, qvos ex beneficio nanciscuntur, veros esse dominos, confidenter asserunt, & non peccare Episcopum, qvi tertiam partem redituum pauperibus largiens, reliqva abundè cum consangvineis communicet. Vid. qvæ plenâ manu congessit Wilhelmus Wendrockius *ad Ludovici Montmii epist. provincial. 12. not. 2.* Veteres autem JCti & Canonistæ ne fructuariis qvidem comparari voluérunt Clericos, tantum abest, ut eos dominos fructuum perceptorum facerent. Et hinc statuérunt, eos fructus perceptos nec suos facere, nec ad heredes transmittere. Petr. Costal. *ad l. 7. ff. sol. matr.* Secutus hos est Martinus Azpilcueta Navarræus, qvi *in lib. de reditib. benefic. Eccles.* tùm & in *libri illius apologia* asserit, Clericum ne vestis qvidem, qvam qvotidiè induit, dominum esse, sed nec panem, qvem manducat, ejus esse. E contrario Franciscus Sarmientus, & Antonius Marsilius Columna *libb. de Eccles. reditib.* dominium Clericis ita asserunt, ut & uti bonis Ecclesiasticis & disponere de illis pro lubitu possint. Optant plurimi inter Pontificios, à Papâ ut controversia hæc tandem aliqvando decidatur. Sed ille in scrinio pectoris rem abscondit & occultat. Dicitur autem Episcopus procurator eò sensu, qvo olim Procuratores Cæsaris seu curatores rationales & procurato-

Digitized by Google

res fisci dicebantur, de qvibus videri potest Marcellus Donatus in Sveton. Claud. c. 12.

deteriorem non potest] Deteriorem hîc statum vocat, qvando Ecclesiæ opes & facultates non augentur, aut saltem non manent eædem. At olim omnes ejusmodi opes erogabantur in pauperes, nec alius bonorum Ecclesiasticorum finis fuit & intentio. Vid. qvæ ex Ambrosio recitat Gratianus *c. aurum 12. q. 2.* Apostoli sanè & primitiva Ecclesia agros & prædia Ecclesiæ oblata omninò alienari & vendi voluérunt, precia qve in usum ministrorum & egenorum distribuérunt. Leges autem, qvæ deinceps bona Ecclesiarum alienari prohibuérunt, non fuérunt latæ pro Clericis contra Ecclesiam, ut nimium illi abundarent, & posthabitis Ecclesiæ ac pauperum necessitatibus in deliciis luxuriarentur, sed pro Ecclesiis contra clericos, ne ipsi dilapidatis Ecclesiæ bonis illa vel eorum precia in fraudem Ecclesiæ sibi usurparent. M. Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. l. 9. c. 3. n. 11.* Sed enim in diversa omnia abiérunt Clericorum mores, de qvibus hîc adscribam qverelam Joh. Petri de Ferrariis *in Prax. tit. 15. n. 2.* his verbis conceptam: *Hæc est practica modernorum clericorum, qvi habent qvatuor & plura beneficia simul, qvod totum operatur extrema insatiabilis Clericorum avaritia, qvi deceperunt nostros antiqvos Laicos, à qvibus sub specie benè dispensandi inter pauperes & sustinendi desolatos perceperunt & eis collata sunt tot & tanta bona immobilia, qvibus abutuntur pascendo eorum eqvos, familiares, parentes, meretrices, & filios.* Idem *tit. 51. n. 3.* ita scribit: *Clerici & Religiosi fecerunt pro se legem, qvod non possint vendere nec alienare, nec dividere eorum bona, sicqve in brevi necesse est, qvod omnia bona Laicorum subjiciantur dominio Clericorum, nisi bonus Imperator provideat, qvi donationem Constantini revocet & legem faciat, ut omnium Clericorum status ad statum mendicantium fratrum penitus reducatur, & Papa cum Cardinalibus similiter ad vitam Christi & Apostolorum ejus deveniat, in cujus terrâ est generalis Vicarius, unde servare debet gesta ejus, qvia omnis Christi actio & Apostolorum ejus debet esse exemplum & regula vivendi ipsi Papæ & Cardinalibus ejus. alioqvin non videretur ejus esse perfectus vicarius, qvi deviare velit in statu & vitâ à moribus & exemplis ejus.* Hæc Joh. Petrus de Ferrariis, qvi vixit circa annum MCCCCX.

tam secularium] qvæ habentur in *l. 14. l. 17. C. de SS. Eccles.* it. *in Novell. 7. & 120.* de qvib. vid. Cujac. *ad init. Novell. 7.* & Rittershus. *in Novell. part. 1. c. 8. n. 27.*

Eccle-

Ecclesiasticarum legum] vid. *c. 6. X. de reb. Eccles. alien.*

Supra autem ad tit. *de Ecclesiast. constit.* dixi, Ecclesiam constitutiones suas non appellasse νόμους sive leges, sed canones; qvæ tamen leges, verè sunt & dicantur, sicubi à principe ex potestate legislatoriâ, qvæ sese etiam ad Ecclesiastica diffundit, promulgatæ fuerint.

Alienationis autem verbum] vid. Dd. *ad l. 28. ff. de VS.* Fabian. de Monte *tr. de empt. vend. q. 22.*

Ecclesiam suam non potest qvis gravare pro alienis debitis, & debita necessaria facta à prædecessore luenda sunt. Idem si clericus de mandato fidejusserit, aut in rem ipsius Ecclesiæ mutuum verterit. h. d.

§. 3. Sed [f] nec commissam sibi Ecclesiam pro alienis gravare debitis, aut literas alicui, vel sigilla concedere, qvibus Ecclesia possit obligari, aliqvis audere debet: alioqvi nec Ecclesia ad talium debitorum solutionem tenebitur, & qvi id ausus fuerit, à spiritualium & temporalium administratione suspensus erit. Debita [g] tamen à prædecessore suo pro Ecclesiæ necessitate contracta, solvere proculdubio tenebitur. Idem, si clericus de mandato fidejusserit [h], aut si non de mandato, in rem tamen Ecclesiæ, mutuum verterit.

[f] *cap. 2. extr. de fidejuss.*

[g] *cap. 1. extr. de solution.*

[h] *cap. penult. extra. de fidejuss.*

pro Ecclesiæ necessitate] Generaliter Ecclesia ex mutuo prælati non obligatur, nisi consensus vel mandatum capituli intervenerit, vel pecunia à prælato mutuo accepta in rem Ecclesiæ conversa probetur. Hâc enim in re nihil facit præsumptio, sed creditor versionem probare debet. Andr. Rauchbar *part. 1. qvæst. 26.*

de mandato] Episcopi & capituli. *c. pen. X. de fidejuss.* Solus enim

enim Episcopus uti sine consensu capituli non alienare, ita nec sine eo mandatum de fidejubendo dare potest.

mutuum verterit] Propter utilitatem enim & qvia propter versionem illam locupletior facta est Ecclesia, ab initio qvasi cum illâ ipsâ gestum vel contractum censetur, *l.1. ff. de in rem verſ.*

Potest prælatus rem non magni valoris in aliqvem benemeritum transferre, & terram gratiâ fabricandæ Ecclesiæ alicui concedere. h.d.

§. 4. Excipiuntur tamen nonnulli casus, in qvibus donandi, permutandi, locandi, libertatem, feudum, & emphyteusim dandi, aut aliter alienandi jure licentia conceditur. Nam[i] si qvid prælatus non magni valoris alicui fortè ob benemerita donaverit, præsertim suadente consvetudine, jure subsistinebitur donatio. Multò magis idem erit statuendum, si qvid fortè soli ad Ecclesiæ fabricam erigendam concessum fuerit: qvo casu tantum donare licet, qvantum Ecclesiæ parietes concludere possunt.

[i] *capit. eaterum. extra. de donat.*

Excipiuntur tamen] Ad casus exceptos referunt etiam dotationem filiarum sive legitimarum, sive spuriarum, ita ut, si aliunde non suppetat, de ipsis bonis Ecclesiasticis dotis constitutio fieri possit. Martin. ab Azpilcueta Navarr. *in cap. non liceat 12. q. 2. n. 11.* Qvasi verò eum in finem bona in Ecclesiam collata sint, ut inde clericorum alantur & elocentur spuriæ filiæ.

non magni valoris] Id habet in usu Ecclesia apud Pontificios, ut liberaliter sumat, parcè eroget. At enim si merita non fuerint simplicia, sed talia, qvæ operam aliqvam in se continent, & propter qvæ competit jus agendi extra ordinem *l.1. pr. ff. de extraord. cognit.* qvia tùm, si qvid in vicem meritorum aliqvid donatum fuerit, donatio ista remuneratoria titulum onerosum continet, Joh. Gars. *de donat. remun. n. 6.* utiq; non videtur ea annul-

annullari debere, utcunq; magni valoris res ſine conſenſu capituli alienata fuerit. Et proinde rectè Menochius *de arb. jud. qvæſt. caſ. 434.* nullâ factâ mentione valoris id tantùm reqvirit, ut prælatus non excedat remunerationis limites. Et rectè, qvia, ſi excedatur menſura, id qvod in exceſſu fuerit, ad donationem ſimplicem referetur. Interdum tamen ex perſonâ & ex rei qvalitate præcedens beneficium majoris habetur, ut in *l. pen. §. 1. & l. 27. ff. de donat.*

præſertim ſvadente conſvetudine] planè ut Tutor ſolennia dare poteſt munera *l. 12. §. f. ff. de adminiſtr. tut.*

jure ſuſtinebitur donatio] qvia propriè non eſt donatio, cum ex merâ liberalitate, ex qvâ ſubſtantiatur donatio, non proficiſcatur. Add. Franciſc. Card. Mantica *lucubrat. Vatican. lib. 13. c. 15.*

qvantum Eccleſiæ parietes] imò fortè aliqvanto plus, præſertim cum ab oſtio Eccleſiæ in circuitu adhuc triginta paſſus Eccleſiæ jure cenſeantur. Vid. ſupr. *tit. de immun. eccleſ. §. nec ab atriis tantùm*, & Gratian. *c. qvinqvis inventus 17. q. 4.* cui accedit, qvod plerumq; hodiè cœmeteria circa Eccleſias habeantur.

Proventus Eccleſiaſtici poſſunt vendi ad modicum tempus, & ad precariam concedi, qvæ renovandæ erunt de qvinqvennio in qvinqvennium, hoc dicit.

§. 5. Idem juris erit & de redituum fructuumq; venditionibus ad tempus modicum faciendis, & de precariis, qvæ qvandoq; de Eccleſiarum poſſeſſionibus fieri ſolent, qvæ ne temporis longinqvitate juris Eccleſiaſtici pereat memoria, de qvinqvennio [a] in qvinqvennium renovandæ erunt.

[a] *cap. 1. extra. de precar.*

& de precariis] Precaria eſt jus utendi fruendi conceſſum ei aut heredibus ejus, qvi Eccleſiæ rem ſuam donavit, vel in eâ re ſolâ vel in aliis rebus Eccleſiæ, vel tàm in eâ, qvàm in aliis rebus ad tempus certum vel in tempus vitæ donatoris, vel etiam liberorum ejus, & in perpetuum, & vel ſine, vel cum annua penſione. Vid. Franzk. *de laudem. cap. 12.*

de

de qvinqvennio in qvinqvennium] sc. si in perpetuum & ad liberos qvoq; inita fuerit precaria.

Precarium solvitur ad beneplacitum concedentis, secus precaria, nisi sit irrationabilis. hoc dicit.

§. 6. Distat autem precarium à precaria : qvia Precarium [b] tamdiu conceditur , qvoad is, qvi concessit , patitur: Precariæ verò non sunt pro voluntate concedentium revocandæ , nisi sint irrationabiles: qvo casu poterit successor à prædecessore concessam precariam rescindere & revocare.

b *cap. fin. extr. de precar.*

qvi concesſit, patitur] ita ut etiam auferri possit possessio & revocari precarium , anteqvam tempus , de qvo convenit, fuerit præterlapsum *l. 12. ff. de precar.*

qvo casu poterit successor] Obiter noto, in decretalibus *c. 2. X. de precar.* eadem prorsus haberi verba, qvæ habentur in decreto *c. de precariis 10. q. 2.* & in decreto tamen paleæ nomine insigniri. Ex qvo patet, non respui debere paleas in decreto contentas. Istud verò negligentiam arguit & oscitantiam compilatoris decretalium, qvod verba ista perinde ut Gratianus ex concilio Carthaginiensi desumpta esse dicit, cum tamen in nullo codice canonum Carthaginiensium inveniantur, uti jam diu observavit Antonius Contius & Anton. Augustinus.

Ruinæ, prædia inculta, & sylvæ extirpatæ, possunt sub annuo censu concedi in emphyteusim, & si per biennium in solutione census cessatum fuerit, potest emphyteuta expelli. h. d.

§. 7. Ruinæ qvoq;, qvas Ecclesia reficere non valet, & inculta prædia, aut extirpatæ sylvæ in emphyteusim sub annuo censu his concedi poterunt, à qvibus vel suo , vel parentum [c] suorum labore constiterit extir-

c *cap. ad aures. extr. eod.*

extirpatas, nisi fortè possint aliis ad majorem Ecclesiæ utilitatem cum eodem onere conferri. Qui d tamen si per biennium in solutione Canonis cessaverint, nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuerint, jure expelli poterunt: nec qvicqvam eis proderit, qvòd, ut Canonem solverent, sibi nunciatum non fuit, cùm hoc casu præfixus dies pro domino interpellet.

d *cap. fin. ext. loca.*

& inculta prædia] Lex meliorationis in incunabulis hujus contractus erat præcipua nota, qvâ ab aliis concessionibus cognatis distinguebatur, & hâc ratione inculta tantùm prædia & steriles agri in emphyteusin (à subtiliore parte culturæ sic dictam) dabantur. Sed successu temporis etiam fertilia & urbana prædia in emphyteusin dari cœpérunt, ita ut specifica differentia emphyteuseos jam non amplius sit melioratio & reversio ad dominum post tempus, sed periculum commissi, si per triennium aut biennium ab emphyteuta canon non solvatur. Carol. Molin. *ad consuet. Paris. tit. 2. pr. n. 33.* Mansit tamen nomen, qvod emphyteuta fundum colere adhuc teneatur, adeoq; meliorare eum non ineptè dicetur, dum eum nō sinit fieri deteriorem. Cæterùm duplicem faciunt emphyteusin, civilem, qvæ in rebus constituitur Laicorum, & Ecclesiasticam, qvæ ab Ecclesiâ in rebus Ecclesiasticis conceditur. Inter istas species aliqvi hanc faciunt differentiam, qvod emphyteusis in perpetuum simpliciter concessa, si civilis sit, ad qvosvis transeat heredes, etiam extraneos, Ecclesiastica verò ad qvosvis descendentes transmittatur, non ad extraneos, qvam in rem conferre solent *Novell. 7. c. 3.* & *novell. 120. c. 6.* In illâ enim Justinianus emphyteusin Ecclesiasticam in nepotibus terminari voluit; in hâc id, qvod ita *novell. 7.* constitutum erat, mutavit, & ut perpetuò fieri posset talis emphyteusis, permisit. Dicunt igitur differentiæ modo adductæ assertores, id tantùm per *novell. 120.* mutatum esse, qvod ad solos filios & nepotes transire debeat emphyteusis, id verò incorrectum mansisse, qvod soli descendentes in emphyteusi succedere debeant, adeoq; ad extraneos non transire emphyteusin, nisi aliter sit actum. Sed optimè id discutit Franzkius *de laudem. cap. 9. n. 49. seqq.* Bachov. *in Treutler.*

vol.1. disp.29. th.10. Ex qvo enim in perpetuum ab Ecclesia emphyteusin constitui admissum est, seqvitur, ad qvoscunq; heredes, imò etiam singulares successores cum onere suo transferri emphyteusin posse. Et hoc minus habet dubii de jure Canonico, qvippe qvo res Ecclesiasticas solennitatibus adhibitis in totum alienari & hinc etiam in emphyteusin cuicunq; dari permissum est, *c.7.X.de reb.Eccles. alien.*

nisi fortè possint aliis] Præferri tamen debent saltem ad aliqvod tempus, qvi sylvas eâ intentione extirparunt, ut sibi concederetur emphyteusis.

si per biennium] Differt in hoc Emphyteusis Ecclesiastica ab civili, qvæ triennium reqvirit, ut ob non solutum canonem de caducitate agi possit, *l.2.C.de jur. Emph.*

nisi celeri satisfactione] Hoc ita in Emphyteusi Ecclesiasticâ locum habet. qvod ipsum ad civilem etiam nonnulli extendunt. Sed verior tamen in puncto juris est sententia contraria, præsertim cum ipsa lex privationis pœnam inducat, *l.2. C.de jur.emph.* qvanqvam æqvior sit sententia ex jure Canonico recepta.

jure expelli poterunt] ipso enim jure caducitas intermissionem canonis seqvitur, & videtur hoc constitutum in pœnam contemptûs, dum Emphyteuta superiorem dominum recognoscere posthac nolle censetur. Berlich. *2.conclus.46. n.18.* Ut tamen legis privationem inducentis effectus seqvatur, necessum est de facto constare, qvod cessatum sit, & dominum jus suum exercere. Ipsa enim declaratio domini privationem non inducit, sed tantùm ostendit, qvod dominus jure suo uti velit, & igitur, secutâ declaratione voluntatis, lege operante effectus privationis statim à finito biennio introducetur. Bachov. *in Treutl.vol.1. disp.29. th.12. lit. B.* Expulsio tamen, cujus hîc mentionem facit autor, explicanda est de tali, qvæ fit auctoritate judicis, non ex mero privati arbitrio. Mornac. *ad l.2. C.de jur. Emphyt.* Sichard. *ad eand.n.16.* Clar. *§.emphyteusis q.11.* Fachin. *1.contr.95.* Diss. Vasqv. *6.contr.64. n.5.*

nunciatum non fuit] Et ex hoc conficitur, Emphyteutam canonem ad ædes Domini suis sumptibus ferre debere. Bart. *in l. item illa ff. de const.pec.* Panorm. *in c. significante X.de pignor.*

Terrulas incommodas, & minùs utiles, item servos fugitivos potest prælatus alienare. h.d.

§.8. Ter-

Digitized by Google

§. 8. Terrulas [e] qvoq; aut vineolas exiguas, & Eccleſiæ minùs utiles, aut longè poſitas, vel domos, qvæ Eccleſiæ plus incommodi, qvàm utilitatis afferunt, ſi neceſsitas fuerit, diſtrahendi poteſtatem Epiſcopus habebit. Simili ratione fugitivos ſervos, & qvi de fuga revocati, retineri non poſſunt, ſi voluerint, aut illi ex alio meruerint, Epiſcopis diſtrahendi poteſtas erit.

[e] *can. terrulas. 12. q. 2.*

Terrulas qvoq;] Negat Franc. Duarenus *l. 7. de Eccleſ. miniſt. c. 9.* terrulas tales ſine capituli conſenſu alienari poſſe, & verba, *ſine conſilio fratrum*, qvæ habentur in *c. terrulas 12. q. 2.* (ex qvo paragraphus hic depromptus eſt) explicat de aliis Epiſcopis comprovincialibus vel vicinis, qvorum conſenſus eo tempore fuit neceſſarius. Nec id qvidem ineptè. Textus enim ille ipſiſſima verba refert capitis 45. Concilii Agathenſis. At in eodem concilio *cap. 7.* alienatio etiam neceſſaria tùm demum firma pronunciatur, qvando apud duos vel tres comprovinciales vel vicinos Epiſcopos cauſa primitùs comprobata fuerit. Idem jam ante in concilio Carthaginienſi V. fuerat ſtatutum, *c. nullus 17. q. 4.* Non igitur improbabile eſt, per *fratres* in *d. c. terrulas*, intelligi coëpiſcopos.

Feudum à vaſallo alienatum, & difficilis recuperationis, poteſt Epiſcopus alteri ſub conditione recuperandi concedere, h. d.

§. 9. Sed & in feudum [f] certis caſibus, & jurejurando de non alienando minimè obſtante, res Eccleſiaſticas concedere poterit, veluti ſi feudum per vaſallum alienatum fuerit, & per Epiſcopum id facilè recuperari non valeat: poterit enim per Epiſcopum

[f] *cap. 2. extr. de feud.*

illud alicui concedi, qvi & ipſum recuperet, & in feudum ab Eccleſia recognoſcat.

Sed & in feudum] In rebus nondum infeudatis Epiſcopus feudum noviter conſtituere neqvit, niſi cum conſenſu Capituli & juſtâ causâ exigente. *c. ambitioſæ un. Extravag. de reb. Eccl. non alien.* Ubi qvidem etiam Pontificis Romani conſenſus reqviritur, ſed eum ipſum tamen ipſimet Canoniſtæ non ſemper exigunt, uti videre eſt apud Vallenſ. *parvitl. de reb. Eccleſ. alien. §. 3. n. 3.*

jurejurando de non alienando] Solet enim Epiſcopus in promotione ſuâ jurare in hæc verba: *Poſſeſſiones verò ad menſam meam pertinentes non vendam, neq; donabo, neq; impignerabo, neq; de novo infeudabo vel alio modo alienabo, etiam cum conſenſu capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Pontifice. Et ſi ad aliqvam alienationem devenero, pœnas in qvâdam ſuper hoc editâ conſtitutione, eo ipſo incurrere volo &c.*

minimè obſtante] Juramentum enim iſtud ita interpretantur Canoniſtæ, qvod intelligi debeat de iis rebus, qvæ antea non ſunt ſolitæ in feudum dari. Barboſa in *c. 2. X. de feud. n. 2.*

veluti ſi feudum] Aut ego verba iſta non ſatis capio, aut multas ea continent abſurditates. *Primò* enim feudum à vaſallo alienatum non amittit naturam feudi, nec per conſeqvens per eam alienationem dominium directum interimitur. *Deinde* vaſallus non poteſt alteri feudum absq; conſenſu domini dare, ſed ipſe adhuc manet domino obligatus, niſi talis fortè præſupponatur conſvetudo, qvâ etiam ſine voluntate & conſenſu domini feuda alienare licet, cujus mentionem faciunt Clarus *§. feudum. q. 31. n. 12.* Vultej. *lib. 1. feud. c. 10. n. 92.* Rittershuſ. *in part. feud. l. 2. c. 3. q. 2.* Sed eo tamen caſu dominio directo non derogatur. *Tertiò* nec iſtud ſatis capio, qvod feudum non facilè per Epiſcopum recuperari poſſe præſupponatur. Nec n. recuperare id licet aliter, qvã iis modis, qvos hactenus probavit jus feudale. Et poſito ſanè, non facilè recuperari poſſe aliqvod feudum, non erit propterea id vi extorqvendum, ut recuperetur, cum ipſe Dominus inveſtiendo ſibi hanc legem poſuerit, qvod non niſi dominium directum penes ſe remanere velit, qvamdiu aliqvis ſuperfuerit ex iis, qvibus feudum conceſſum

cessum fuit. *Quartò* permissum tùm ajunt Ecclesiæ sive Episcopo feudum istud alii alicui concedere; Sed enim num liceat ita alteri rem suam sine justâ causâ & sine culpâ auferre, & num id Episcopo conveniat, valdè dubito. *Quintò* expressè contendunt Interpretes, licere eo casu feudum concedere alicui potentiori; quod quàm displicuerit Romanorum legumlatoribus & quàm justitiæ repugnet, ostendit *l. 1. & 2. C. ne lic. potentior. patrocin. litigantib. præstare.* it. *tit. Dig. & Cod. de alien. judic. mut. caus.* Add. Franzk. *lib. 1. resol. 10.* *Sextò*, nec illud satis digeri potest, quod ideò feudum potentiori concedi debeat, ut illud recuperet; quomodo autem? utique per vim aliquam externam, quam tamen modis omnibus semper improbaverunt, &, quantum fieri potuit, evitare studuerunt leges civiles. Et hic tamen, cùm tot tantæq; involvantur absurditates, Episcopo datur potestas, sine consensu capituli talem infeudationem peragere.

Feudum devolutum potest per Episcopum alteri concedi. h. d.

§. 10. Quinimò [a] etiam si talis necessitas non immineat, nihilominùs alienantis filium, vel consangvineum, vel ejusdem feudi consortem poterit Episcopus investire. Idem erit, si per obitum vasalli feudum ad Ecclesiam remeaverit: nam & eo casu investire prælatus alium liberè poterit, si Ecclesiæ viderit expedire.

[a] *cap. fin. ext. de feud.*

nihilominus alienantis filium] Alienatio facta aut valet, aut non valet. Si illud, non poterit invito eo, qvi feudum acqvisivit, alius investiri. Si non valet, & feudo privatur vasallus, poterit id Episcopus non filio tantùm & consangvineo, sed cuivis extraneo elargiri.

alium liberè poterit] Si tamen voluntatem suam post aperturam declaraverit, qvod rem istam nolit amplius feudalem esse, vel per novam possessionem Ecclesiæ ea res rursus incorporata sive ad bona Ecclesiæ redacta fuerit, non poterit Episcopus sine consensu capituli rem eam in feudum noviter concedere. Gvilielm. Hanneton *de feud. l. 1. c. 5.* Bocer. *de investitur. feud. c. 3. n. 59.*

viderit expedire] aliqvando enim expedit Ecclesiæ rem ad se reversam retinere, qvàm noviter in feudum concedere.

Qvi aliqvid contulerunt, vel acqvisiverunt ecclesiis, possunt pro modo collati, vel acqvisiti manumittere, dum tamen manumissus cum posteritate & peculio remaneat in patrocinio ecclesiæ. b. d.

b *cap. constitutus. ext. eod.*

§. 11. Illud etiam Toletano Concilio [b] diffinitũ reperitur, qvòd, si sacerdotes aliqvid Ecclesiæ suæ relinqvunt, vel nihil habentes, aliqva prædia, vel familias Ecclesiis suis acqvirunt, liceat eisdem aliqvos juxta collatæ modum rei de familia ejusdem Ecclesiæ manumittere, ita ut manumissi cum peculio & posteritate sua sub Ecclesiæ remaneant patrocinio. Qvòd si qvi nihil de proprio [c] Ecclesiæ contulerunt, libertati servos Ecclesiæ donare ausi fuerint, ex eodem Concilio Episcopus successor ad Ecclesiæ jus revocare poterit. Impium est enim, ut, qvi lucrum de rebus suis Ecclesiæ non contulit, damnum inferre valeat.

c *cap. episcopi. ext. eod. tit.*

vel familias] i. e. servos, qvi ita etiam in jure civili dicuntur, *tit. si famil. furt. fec. l. 9. de jurisdict. l. illud 32. in pr. ff. ad L. Aqvil. l. optio 13. ff. de opt. leg. l. pronunciatio 195. §. servitutum ff. de V. S.*

ecclesiis suis acqvirunt] sc. ex ipsis Ecclesiæ rebus, uti dicetur in *pr. tit. seq.*

de familiâ ejusdem Ecclesiæ] Disceptant Politici, utrum in benè constitutâ Rep. servitus sit ferenda; sed majore cum præjudicio disceptare licet, utrum ferenda ea sit in Ecclesia? Sanè non pugnat cum Christianâ libertate servitus. Ecclesia tamen, ut servos habeat, & Christianos qvidem eos, indigna res fuerit, præsertim postqvam servitus inter Chri-

Digitized by Google

Christianos planè desiit. Infideles autem servi Ecclesiæ ideò esse nequeunt, qvia Ecclesiæ præceptis non magis obligari possunt, qvàm Judæi, qvos propterea ab solutione decimarum personalium eximunt Canonistæ. Accedit, qvod paganos sive infideles ab Ecclesiasticâ unitate dicant præcisos, qvibus propterea nec vivis nec mortuis communicare liceat. *c. sacris 12. X. de sepultur.* Vid. supr. *tit. de sepult. §. non tamen omnes.* Non minus tamen circa servilem statum, & Ecclesiæ inprimis servos occupatum est jus Canonicum, qvàm olim jus civile. Vid. *c. & si illi, c. injustum. c. si qvos, & multi seqventes 12. q. 2.* Et qvod mirari licet, etiam Monachis, qvi ipsi tamen servis comparantur, & pro talibus habentur, qvibusve nihil relinqvitur proprium, mancipia tribuuntur, *c. in venditionibus 17. qvæst. 4.*

Princeps potest rem suam æqvalem, vel majorem cum Ecclesiastica permutare, & servi Ecclesiastici, si frugi sint, præterqvàm ad libertatem, commutari non possunt. h. d.

§. 12. Sed & Princeps [d], si causa probabilis id popoſcerit, cum re Ecclesiastica & immobili, rem suam majorem, vel æqvalem permutare poterit, pragmaticâ super hoc præcedente formâ. Ecclesiastica tamen mancipia [e], qvæ frugi fuerint, præterqvàm ad libertatem, commutari non poterunt.

[d] *cap. 1. extr. de rer. permutat.*

[e] *cap. mancipia ext. de rer. perm.*

Sed & princeps] Maximum hoc, si Diis placet, est beneficium Principibus à papâ concessum, cùm aliàs Principi in rebus Ecclesiasticis nulla planè competat potestas, scilicet!

si causa probabilis] v. g. Si Princeps ex fundo Ecclesiæ vellet vivarium facere, uti exemplificat Christophorus Haunoldus *diss. de contract. natur. art. 6. n. 62.* In genere verò probabilem sive rationabilem causam ita exponit Barbosa *ad c. 1. X. de rer. permut.* si in suos aut suorum usûs rem eam habere velit Princeps, non ut vel ipsi Ecclesiæ vel alii injustè noceat.

vel

vel æqvalem] Non esse utilem Ecclesiæ talem alienationem, ubi tantum ea recipit, qvantum dimisit, refert Barbosa *d.l. n.5.* In permutatione tamen eâ, qvæ fit cum Principe, statuit idem num.2. evidenter esse utile, sine damno Ecclesiæ gratiam Principis promereri.

pragmaticâ formâ] sive sanctione, uti habet textus *in c.1. X. de rer. perm.* Est autem pragmatica sanctio nihil aliud, qvàm rescriptum Principis in publicis negociis cujusqve universitatis vel provinciæ ad suggestionem alicujus corporis, collegii, civitatis vel provinciæ, *l. ult. §. 1. C. de div. rescr. & pragm. sanct.* Add. Bαιλ. *l.2. t.5. c.25.* Hoc tamen loco per pragmaticam sanctionem intelligunt instrumentum permutationis, & præter illud alias solennitates non reqviri colligunt, qvia alioqvin non appareret, qvis favor specialis & æstimabilis Principi patriæ concederetur. Haunold. *d.l.* Consensum tamen majoris partis ex capitulo adhuc reqvirit Barbosa *d.l.* ne fortasse res deterior offeratur à Principe.

commutari non poterunt] ratio redditur in *cap.3. X. de rer. permut.* qvia qvod semel Deo consecratum est, ad humanos usûs transferri non decet. Sed ex hâc ratione nec cum Principe qvidem rem Ecclesiæ permutare liceret.

Episcopus potest permutare terras duarum Ecclesiarum suæ diœcesis, illarum accedente consensu: &, de temporalibus ad spiritualia non potest fieri permutatio. h.d.

§. 13. Episcopus qvoq; duarum suæ diœcesis Ecclesiarum terras, invicem ambarum [f] partium accedente consensu, permutare poterit, & si alterius partis prædium valore præponderet, ad æqvalitatem inducendam ab altera parte pecuniam refundi jubebit [g]. De temporalibus autem ad spiritualia permutatio jure consistere non potest [h].

f *cap.1. ext. eod. tit.*

g *cap. ad qvæstiones. ext. de rer. permutat.*

h *cap. fin. de rer. perm.*

refun-

Digitized by Google

refundi jubebit] Sed hîc ſemper cavendum volunt Canoniſtæ, ne Simoniæ vitio contractus contaminetur. Scilicet res Eccleſiæ temporales permutari poſſe ajunt ſine vitio Simoniæ, etiam pecuniâ ſupplente id, qvod alteri deeſt, dum tamen altera non præponderet juribus ſpiritualibus, & horum occaſione temporale qvid promittatur. Sed de crimine Simoniæ infrà dicendi locus erit commodior.

conſiſtere non poteſt] Verum qvidem id eſt, & jure divino prohibitum; ſed qvos hîc fucos faciant Canoniſtæ, infrà commodius explicabitur *tit. de Simoniâ.*

Res Eccleſiaſtica poteſt propter præſcriptionem legitimam ab Eccleſia abduci, & detrahi. h. d.

§. 14. Prætereà & ſi qvis per tempora ſacris Canonibus definita rem Eccleſiaſticam juſto titulo & bonâ fide ita poſſederit, ut nullo tempore rei conſcientiam habeat alienæ, completâ præſcriptione, res poſſeſſa à juribus Eccleſiæ dubio procul intelligetur eſſe avocata.

intelligitur eſſe avocata] Mirum id videri poſſet, qvod præſcriptionem admittant Canoniſtæ, præſertim, poſtqvam de bonis etiam temporalibus Eccleſiæ communiter pronunciare ſoleant vulgatum illud: Qvod ſemel DEO conſecratum eſt, ad humanos usûs transferri non decet.

Decimæ, & oblationes præſcribi non poſſunt. h. d.

§. 15. Proventus tamen primitiarum & decimationum præſcriptione tolli non poterunt, etiamſi à Romano Pontifice laicus qvilibet ſuper his reſcriptum impetraverit. *vide c. Qvodlibet. Adri. 6. de decim.*

& decimationum] Decimas antehac inſtitutas dixi ideò ut alimenta inde ſuppeterent Eccleſiæ miniſtris. Qvod ſi ergo illis aliunde proſpectum fuerit, integrum eſt, aut decimationem planè intermittere, aut in alios etiam uſus vertere. Per conſeqvens igitur proventus decimarum præſcriptione acqviri poſſe, non erit abſurdum. Sed nec omnem hic Canoniſtæ excludunt præſcriptionem, Non enim qvantitatem tantùm præſcribi poſſe concedunt, ſed etiam inter Curiones ipſas totas decimas præſcribi poſſe admittunt, ita ut Curio poſſeſſione qvadraginta annorum decimas alteri Curioni vicino ſuo debitas præſcribere qveat. Vid. Joh. Papon. *l. 1. tit. 12. areſt. 3.* Et ad hanc præſcriptionem reqvirunt vel immemoriale tempus, vel titulum ſimul cum qvadraginta annorum qvaſi poſſeſſione *c. 1. de præſcript. in 6.* cujus rei cauſam eruditè inqvirit Did. Covarruv. *1. reſol. 17. n. 7.*

DE PECULIO CLERICORUM, RELICTIS, ET SUCCESSIONIBUS EORUM,

TITULUS XXVIII.

Eccleſiaſtica reputantur etiam res illæ, qvas ſacerdos acqviſivit, cùm tempore ſuæ promotionis nihil haberet, qvi ſub pœnis hic contentis curabit, ut de rebus à ſe emptis ad nomen Eccleſiæ ſcripturam conficiat. h. d.

§. 1. Ergò res Eccleſiaſticas ab Eccleſiæ juribus abdicare non licet. Eccleſiaſticas autem res intelligimus, non modò qvas Eccleſiæ rationibus ſacerdos comperit aſſcriptas, ſed etiam eas, qvas is emerit, cùm tempore ſuæ promotionis nihil haberet. Cùm igitur & hæc, tanqvam de bonis Eccleſiæ qvæſita, ejusdem eſſe intelligantur, ne qvando jus Eccleſiaſticum imminuatur, curabit

rabit ſacerdos,ut de his, qvæ ſuperemerit, & ad ipſius Eccleſiæ nomen ſcripturam [a] conficiat, & Eccleſiæ relinqvat,alioqvi ab ejus ordinatione diſcedet. Qvi verò prætextu proprii [b], vel alieni nominis fraudem facere voluerita ſcrilegii crimen incurret.

[a] *cap. 2. extra. eod.*

[b] *cap. pen. ext. eod.*

nihil haberet] nec aliunde acqviſivit,qvàm ex beneficiis aut rebus Eccleſiæ.Solet enim peculium Clericorum ferè triplex ſtatui,ita ut cõſtet vel ex propriis Clericorum bonis,vel ex bonis Eccleſiæ,vel deniq; ex bonis intuitu Eccleſiæ acqviſitis.Propria Clericorum bona ſubdiſtingvuntur in patrimonialia,& qvaſi patrimonialia;illa ſunt,qvæ ex ſucceſſione hæreditariâ,legato, fideicomiſſo,donatione,aut propriâ eorũ induſtriâ Clericis obveniunt,dummodo nõ occaſione Eccleſiæ vel beneficii.Qvaſi patrimonialia dicuntur, qvæ Clerici qvidem ut tales acqvirunt,ſed intuitu ſui laboris,veluti concionando, ſacra faciendo,confeſſiones audiendo, docendo,&c: Bona Eccleſiæ ſunt, qvæ Eccleſiæ miniſtris conſecrata vel deſtinata ſunt, ſive immobilia ea fuerint, ſive mobilia. Bona intuitu Eccleſiæ acqviſita dicuntur fructûs & proventûs beneficiorum collecti & percepti, it. bona omnia, qvæ qvâvis Eccleſiæ vel beneficii occaſione Clericis acqviruntur. Andr. Vallenſ. *ad h. t.* Utcunqve ergò aliqvis tempore ſuæ promotionis nihil habuerit, ſi tamen,dum in officio eſſet,aliqvid per ſucceſſionem hereditariam, aut titulo donationis, aut propriâ ſuâ induſtriâ acqviſiverit,non erit id inter res Eccleſiaſticas connumerandum, ſed ad patrimonium pertinet Clerici,ita ut liberè circa illud diſponere ipſi fas ſit.

Cum igitur & hæc] qvæ ſcilicet ex fructibus beneficii ſui comparavit,aut qvæ intuitu Eccleſiæ acqviſivit. In nonnullis tamen Regnis fructus à Clerico percepti ad hæredes ejus transmittuntur,eamqve conſvetudinem non audet reprehendere Petrus Coſtalius *ad l. 7. ff. ſol. matr.* ut maximè theſin negativam præmiſerit,& gloſſam,qvæ beneficiatum fructuario comparat,atro carbone notaverit.

ſacrilegii crimen incurret] qvomodo verò ſacrilegii, cùm nec res ſacra,nec locus ſacer hîc factum qvalificet, qvo utroqve tamen crimen ſacrilegii ſubſtantiatur. Et falluntur Canoniſtæ,qvod prædia eccleſi-

Digitized by Google

aſtica divinis uſibus tradita aut deſtinata cenſeant *c. prædia 12. q. 2.* Non enim ipſa, ſed illi, in qvorum gratiam ea deſtinata ſunt, divinis uſibus inſerviunt.

Relictum ſacerdoti pro anima cenſetur relictum Eccleſiæ: ſecùs eſt, ſi qvid ei ſit relictum ſub onere fideicommiſſi. h. d.

c. pontifices. 12 qvæſt. 3.

§. 2. Sed & ſi non emerit, ſed pro anima qviſpiam intuitu Eccleſiæ ſacerdoti reliqverit, adhuc idem ſtatuendum erit. Congruit euim, ut, qvemadmodum ſacerdos habet, qvod eccleſiæ dimiſſum eſt, ita & Eccleſia id habeat, qvod relinqvetur ſacerdoti. Si qvid tamen per fideicommiſſum aut ſacerdoti, aut Eccleſiæ relictum fuerit, alteri poſtmodum profuturum, id inter Eccleſiaſticas facultates computandum non erit.

Congruit enim] Atqvi in hoc nulla eſt congruentia, qvod Sacerdos tantùm ſit fuctuarius eorum, qvæ acqvirit Eccleſia, utcunqve ea obveniant intuitu Sacerdotis; Eccleſia verò proprietatem habeat eorum, qvæ Sacerdoti relicta ſunt intuitu Eccleſiæ.

computandum non erit] qvid ita? cum tamen meum fiat id, qvod mihi relinqvitur, onere licet fideicommiſſi gravatum. Sed Eccleſiæ Romanæ id demum proprium dici ſolet, qvod nunqvam ejus egreditur dominio.

Bona qvæſita ſacerdotibus intuitu Eccleſiæ, debent remanere apud Eccleſiam, nec de his poteſt qvis teſtari, & qvid contineatur nomine Eccleſiæ. h. d.

c *cap. relatũ. el. 2. ext. de teſtam.*

§. 3. Generaliter[c] igitur bona qvælibet ob eccleſiam acqviſita ſacerdotibus, ſive mobilia, ſive immobilia, poſt illorum obitum debent apud eandem re-

mane-

manere, nec ſuper his ullum de jure teſtamentum fieri poterit. Nomine autem eccleſiæ, ubi clericorum eſt collegium, non Epiſcopus, vel morientis clerici ſucceſſor, ſed congregatio communis intelligitur, qvæ rerum illarum curam & canonicam debet habere diſtributionem. Ubi autem in locum defuncti unǫ tantùm ſubſtituendus erit, is ea bona, velut & alia, diſpenſabit.

de jure teſtamentum fieri poterit] Conſvetudinem tn. contrariam nõ improbat Did. Spino à Caceres *in ſpecul. teſt. gl. rub. part. 14. n. 16.* ſed plurimis eã argumentis propugnat, inprimis ex eo, qvod prohibitio ex jure poſitivo, & qvidem poſito certo Eccleſiæ ſtatu; qvo mutato, mutari teſtandi ſit poterit jus conſtitutũ. Eandem tenet & propugnat ſententiam H. Zoeſius *tit. de teſtam. num. 6. 7.* ubi dicit, generali conſvetudine teſtamenti factionem de acqviſitis ex fructibus beneficii, Clericis eſſe permiſſam, eò ſcilicet, qvia Clericis dominium iſtorum fructuum cedat. Nos de hoc principio, qvid ſentiendum ſit, diximus alibi.

non Epiſcopus] Hoc ita in temporalibus. at in ſpiritualibus & ubi de dogmatibus fidei agitur, Eccleſiæ nomine unum illum planè κατ' ἐξοχήν intelligunt Pontificem Romanum.

Clerici poſſunt maximè accedente juſtâ causâ de bonis Eccleſiaſticis facere eleemoſynam. b. d.

§. 4. Licet[a] autem clerici, nec de mobilibus ipſis teſtamentum conficere poſſint, conſvetudinis tamen eſt non improbatæ, ut de his pauperibus, & religioſis locis, & his, qvi viventi ſerviverint, ſive ſint conſangvinei, ſive extranei, aliqva juxta ſervitii meritum

[a] *d. cap. relatum. el 2. §. licet. ext. de teſtam.*

conferantur, non teſtamenti ratione, ſed eleemoſynæ duntaxat intuitu [b].

[b] *cap. ad hæc. ext. de teſtam.*

juxta ſervitii meritum] Non conveniunt iſta, eleemoſynam dari propter meritum. Nec enim aliud qvid denotat ἐλεημοσύνη, qvàm ſtipem miſericordiæ causâ datam. Diogenes Laërtius *in Ariſtotele*: ὀνειδιζόμενός ποτὲ ὅτι πονηρῷ ἀνθρώπῳ ἐλεημοσύνην ἔδωκεν, οὐκ ἀγαθῷ ἔφησεν, ἀλλὰ τὸν ἄνθρωπον ἠλέησα. Unde miſericordiam qvàm eleemoſynam dicere maluit Lactantius *lib. 2. c. 1.* Dubitare verò licet, utrum Pontificis etiam Romani in ſuos cognatos liberalitas eleemoſynæ nomine venire poſſit aut debeat, præſertim cùm ejus exemplum præſules inferiores ſeqvantur, & ſimilem in ſuos de bonis Eccleſiaſticis profuſionem exercere ſoleant. Qvi ex illuſtri familiâ natales ducunt, ejus amplificandæ ſtudio accenduntur; qvi ex plebejâ ſuam habent originem, eam ut extollant & in altiorem ſedem collocent, enixè ſemper ſtudent. De Sixto V. digna ſunt, qvæ hîc legantur, verba Jac. Aug. Thuani *lib. 100. hiſtor. Charitates proprias*, inqvit, *ſupra modum dilexit, Camillam ſororem homini vilis ac fædæ conditionis primò nuptam, cujus propterea nomen ignorari voluit, cum multi induſtis lavandis olim, vitam toleraſſe meminiſſent, poſtea comitatu regali per Urbem deduci partim indignati, partim admirati ſunt, ex ea nepotes duos ac totidem neptes dignitate & opibus invidiosè auxit. nam Alexandrum puerum mox Cardinalem creavit, aſſignato centum aureorum millium proventu. Michaelem ampliſſimis poſſeſſionibus ditavit, Montaferiâ ditione in Subalpinâ provinciâ paulo ante mortem emptâ ducentis aureorum millibus â Joanna Coëma Contii Principis Uxore, qvæ illam ex Ludovici prioris mariti bonis ad ſe filiasqve ex eo ſuſceptas devolutam poſſidebat. Sed numeratione non ſecutâ res exitum minimè ſortita eſt. neptes duas Flaviam & Urſinam duobus Romæ primariis Regulis ac familiarum ſuarum principibus in matrimonium collocavit, ac M. Antonio Columnæ præter pecuniam in dotem datam qvadringẽta Ducatorum millia mutua ad æs alienum diſſolvendum ex ærario eâ lege numerari juſſit, ut intra certum tempus ſine uſuris Cameræ Pontificiæ reſtitueret.* Sed iſte modus Pontificum familiares & cognatos ſuos locupletandi non heri demum aut nudius tertius uſurpatus fuit, ſed jam inde â primis dominatûs pontificii initiis exerceri cœpit. De Johanne XVI. refert Bapt. Platina *in ipſius vitâ*, eum odia clericorum incurriſſe ideò, qvod divina humanaqve omnia cognatis & affinibus ſuis elargiretur, *qvem certè errorem*, inqvit, *ita poſteris tradidit, ut ad noſtram*

Digitized by Google

ſtram qvoqve ætatem pervenerit. Qvâ qvidem conſvetudine nil certè dici pernicioſius poteſt, cum non ob religionem & Dei cultum appetere pontificatum noſtri Sacerdotes videantur, ſed ut fratrum vel nepotum vel familiarium ingluviem & avaritiam expleant. Notavit illum bonorum Eccleſiaſticorum abuſum, & in opere ſuo, qvod de planctu Eccleſiæ edidit, vehementer deploravit Pelagius Alvarus Epiſcopus Sylvenſis circa an. MCCCXX. *Romani*, inqvit, *multi pontifices noſtri hypocritalis temporis (& jam multa luſtra tranſierunt) licet Vicarii Jeſu Chriſti pauperis crucifixi & ſucceſſores Petri pauperis piſcatoris, manu & arte victum qvarentis reti & naviculâ, nepotulos & alios conſangvineos clericos nedum ad altas prælationes promovent ditiſſimas & altiſſimas, ſed etiam ad ſtatum Cardinalatus inſcios totaliter & indignos, & committunt eis judicare totum mundum, qvi regere neſciunt ſemetipſos. Conſangvineis autem ſecularibus procurant & emunt nedum campos, terras & vineas, & ſimplicem militiam, ſed etiam baronias, comitatus, marchionatus & omnes alios mundi potentatus. Et tales Papæ conſangvinei, qvi ante ejus papatum ſoli vagabantur per mundum peditando, nunc ſtipati militum agminibus incedunt. Qvi antè cum mulieribus plebejis aut aliis ſuis paribus contraxiſſent, poſt cum Comitiſſis, & marchioniſſis aut duciſſis contrahunt. Qvi antè forſan byrro aut aliâ veſte humili induti fuiſſent, pòſt ſericis, auratis, & aliis fucatis veſtibus adornati incedunt. Et qvi anteà habitabant in domibus patrum ſuorum, aut mercatorum, aut agricolarum, aut artificum, vel aliàs pauperum deſpectorum, pòſt habitant in domibus Regum & Imperatorum. Et qvi ante papatum ſui conſangvinei, nati in paupere domo & ſugurio ruſticano vix milio & cibario pane rugientem ventrem ſaturare poterant, poſt ſimilam & mella faſtidiunt. Cardinales qvidam & alii prælati multi talia à Romanis Pontific. bo multis nunc exempla pernitioſa videntes ſeqvuntur eos ſic gratanter in carnalibus hujusmodi qvocunqve iverint, non Chriſtū agnū &c.* Erogationes & profuſiones iſtæ num eleemoſynarum nomen ſuſtinere qveant, aut qvo aliàs colore excuſare eas velint Pontifices, videant ipſi.

Poteſt qvis tantum legare de bonis Eccleſiaſticis, qvantum contulerit Eccleſiæ. h. d.

§. 5. Item ſi tantundem de proprii juris facultate contulerit Eccleſiæ, qvantum de Eccleſiaſticis bonis legaverit, legatum ſubſtinebitur. *c. ſi epiſcopus. 12. qv. 5.*

con-

contulerit Ecclesiæ] in eodem testamento. Si enim aliàs per donationem inter vivos aliqvid Ecclesiæ ab eo datum fuerit, non arbitror, sumi hinc argumentum posse, cur de bonis Ecclesiasticis legare deinceps liceat. Sed & qvia tantundem conferendum est, exacta inter collatum & legatum debet haberi proportio, ne e. g. ager longè disitus Ecclesiæ, & ei vicinior atqve commodior alii legetur.

Clerici possunt testari de his, qvæ acqvisiverunt non intuitu Ecclesiæ. hoc dicit.

c *c. qvia nos. ext. de testam.*

§. 6. De his verò [c], qvæ aut paternæ successionis, vel cognationis intuitu, seu consangvineorum, vel amicorum munere, respectu non habito ad ecclesiam, ad clericos pervenerint, liberè testari poterunt.

ad clericos pervenerint] Idem judicari debet de illis, qvæ propriâ industriâ sibi comparârunt Clerici, non ex rebus Ecclesiæ. Videtur autem ab initio id non licuisse Clericis, ut de rebus sibi extra bona Ecclesiastica qvæsitis testamenta facerent. Sic enim habet *cap. 1. X. de succes. ab intest. Sed hoc ibidem inventum est de Episcopis, Presbyteris & Clericis, ut, si per hereditatem vel alio modo intuitu personæ aliqvid acqvisierint, donare eis liceat, cui voluerint, dum vivunt. Si autem antè obierint, qvàm hoc fecerint, altari, cui serviunt, omnia perpetuò sanctificentur, & in jus ejus tradantur.* Videtur hîc Clericis sola donatio inter vivos permissa fuisse; qvanqvam Canonistæ communiter verba canonis etiam de testamentariâ dispositione intelligant, qvia & illa donationem aliqvam à testatore, dum vixit, factam exhibet. Sed enim si propriè & in sensu juridico verba accipiantur, magis est, ut de donatione inter vivos ea interpretemur.

Clerico ingenuo, deficientibus successoribus ab intestato succedit in totum Ecclesia. h. d.

d *cap. 1. ubi etiam gl. ext. de succes. ab intest.*

§. 7. Qvòd si decesserint intestati [d], nec aliqvi fuerint inventi, qvi jure cognationis ipsis succedere valeant,

leant, ſi ingenuis gaudeant natalibus, in integrum tunc Eccleſia ſuccedet, nec cuiqvam ex rebus eorum aliqvid præſumere licebit.

in integrum tunc Eccleſia ſuccedet] Aliàs enim ſi heredes ab inteſtato adfuerint, Eccleſia tantùm in id ſuccedet, qvod ob Eccleſiam defuncto acqviſitum fuerit. Cui tamen juri conſvetudo plerisq; in locis hodiè derogavit, ab inteſtato admittens ad bona, etiam ex fructibus beneficii acqviſita, proximos defuncti, exclusâ Eccleſiâ. H. Zoeſ. *tit. de ſucceſſ. ab inteſt. n. 4.*

Bona ſervi promoti ad ſacros ordines ab inteſtato decedentis dividuntur in qvatuor partes, ut hîc. h. d.

§. 8. Si verò ſervus [e] ad ſacros ordines promotus, libertatem nactus fuerit, idemq; poſtea deceſſerit inteſtatus, nihil olim dominus de bonis ejus vendicare poterit, ſed ejus peculium in qvatuor partes dividetur, qvarum una Epiſcopo, altera Eccleſiæ, tertia pauperibus aſſignabitur, qvarta parentibus: & ſi non ſint capaces parentes, Epiſcopus eam recipiet, & in uſum Eccleſiæ diligenter diſtribuet.

[e] *cap. 2. extr. de ſucceſſ. ab inteſt.*

Si verò ſervus] Sed ſi ita liber factus eſt talis, ut ab eo prætẽr divinum officium nihil exigi poſſit, uti dicitur *c. 2. X. de ſucceſſ. ab inteſt.* cur diverſum qvid conſtituitur de clerico, qvi antea ſervus fuit, & cur non idem obtinet in eo, qvi ingenuis gaudet natalibus.

FINIS
LIBRI SECUNDI.

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI

LIBER TERTIUS.

De JUDICIIS, ET ILLORUM DIVISIONE,

TITULUS I.

Qvid sit Judicium, & qvid causa. h. d.

REstat, ut videamus de judiciis. Potest autem Judicium ita describi: JUDICIUM est discussio causæ, qvæ ritè fit in foro coram judice: CAUSA verò est origo negotii, & materia judicii.

Judicium est discussio causæ] Ne idem nobis contingat, qvod Francisco Duareno, (qvi ita de se scribit *ad tit. de judic. Memini me aliqvando integrum annum consumpsisse in hac definitione explicandâ, cum aliqvot divisionibus, sed tandem has nugas valere jussi.*) nolumus in explicatione hujus definitionis esse prolixiores. Id tamen observo, definiri hîc judicium in respectu etiam ad ea, qvæ jurisdictionis sunt, & in jure aliàs expediuntur, ita ut ipsum vocabulum judicis in latiore hîc stet significatu, qvatenus simul magistratum denotat, & hinc etiam ea hîc contineri, qvæ voluntariæ aliàs dicuntur esse jurisdictionis.

Causa verò] Differt ergo actio & causa, qvanqvam sint, qvi pro iisdem habere velint, qvos refellit *l. 14. §. 2. ff. de except. rei jud.* & potest esse causa eadem, actio tamen variare; veluti cum de dolo parentis patronive agitur, actio concipitur non de dolo, sed in factum.

Qva

Qvæ sint judicia secularia, & qvæ Ecclesiastica. h. d.

§. 2. Summa divisio judiciorum hæc est, qvòd aut sunt secularia, aut Ecclesiastica. Judicia secularia sunt, qvæ coram judice laico inter personas seculares exercentur. Ecclesiastica verò sunt, qvæ coram judice Ecclesiastico inter personas Ecclesiasticas agitantur. Duo enim sunt, qvibus principaliter orbis regitur[a]: Authoritas sacra Pontificum, & Imperialis ac regia potestas. Unde, sicut civilium legum non nisi civilis esse debet executor: ita etiam Ecclesiasticarum Ecclesiasticus judex est administrator.

[a] *cap. soliciè. extr. de majori. & obed.*

aut sunt secularia] Distinctionem hanc defendit Ilico Ummins *in proceſſ. disp. 1. th. 1. n. 4.* non obstante, qvod qvandoq; coram Laico judice litigent clerici, vicissim apud Ecclesiasticum qvandoq; seculares. *Sufficiat*, inqvit, *qvod qvandoq; totum judicium est vel inter clericos vel inter laicos tantùm; sufficiat, qvod in utroq; judicio utplurimùm tàm judex qvàm reus modo Clerici, modo Laici sint, ut maximè in actore sæpè diversum accidat* &c. Ex hoc tamen ostendi poterit, non semper locum invenire definitiones judicii Ecclesiastici & secularis ab autore consignatas, cùm etiam inter Laicum & clericum, & sive in Ecclesiastico sive in seculari judicio contentio esse possit. Rectiùs, nisi fallor, ab materia sive causa, qvæ agitatur, peti poterit descriptio, qvod sc. judicium Ecclesiasticum sit, qvando causa Ecclesiastica coram judice Ecclesiastico agitatur; seculare, qvando causa secularis coram judice seculari. Qvæ autem sint causæ Ecclesiasticæ, vid. ap. Petr. Binsfeld. *de injur. & damn. dat. c. 7. q. 1. concl. 7.* Qvod si causa mixti fori sit, uti tales nonnullæ in jure Canonico occurrunt, qvæ utrumq; forum & Ecclesiasticum & seculare competens habent, non agitari tamen illa potest in utroq; judicio simul, sed tùm præventioni locus est. In delictis tamen puniendis, qvia gravior plerumq; pœna in foro civili decerni solet, qvi semel punitus est in foro Ecclesiastico, puniri adhuc potest à judice seculari, in qvantum sc. pœna

fori ſecularis pœnam fori Eccleſiaſtici ſuperat. Ant. Perez *ad tit. Cod. de crim. ſacrileg. n. 6.* Cæterum etſi cauſa non ſit Eccleſiaſtica, ſi tamen perſona, qvæ convenitur, Eccleſiæ inſervit, etiam inter proteſtantes judicio privilegiato diſceptanda eſt, qvod tamen non minus, atq; judicia ſecularia, Principis autoritate conſtituitur.

Eccleſiaſtica verò ſunt] Eccleſia, qvâ talis, nullam habet jurisdictionem, nullum judicium; ſed, ſicuti finis ejus totus ſpiritualis eſt: ita & poteſtas Eccleſiæ & miniſtris ejus competens alia eſſe neqvit, qvàm ſpiritualis. Acceſſit tamen ex conſtitutione Eccleſiaſticâ poteſtas alia, determinata ad diſciplinam & bonum ordinem in Eccleſia conſervandum. Neutra tamen hæc judicium reqvirit. Qvæ verò inſtituta deinceps ſunt judicia, externa omnia ſunt, non provenientia ex poteſtate Eccleſiaſticâ, aut Eccleſiæ propriâ, ſed ex poteſtate politicâ, qvæ ſc. non ſimpliciter Eccleſiæ eſt neceſſaria, ſed qvâ interdum carere poteſt, ſicut olim, ubi Magiſtratus fuit idololatricus, absq; hâc poteſtate fuit. Poteſtas igitur jurisdictionis, uti aliàs dicitur, qvanta qvidem Eccleſiæ ab ipſo ejus capite Chriſto conceſſa fuit, prorſus diverſa eſt à poteſtate jurisdictionis politicæ, annexam habentis poteſtatem cogendi externè & violenter, qvâ deſtituitur omninò jurisdictio illa Eccleſiaſtica. Excommunicatio enim, qvæ proprium & proximum effectum habet excluſionem à viſibili Eccleſiæ cœtu, &, ſi qvid aliud in Eccleſiâ, qvàm maximè videtur coactiva eſſe, non tamen niſi privativam infert pœnam; nec hæc ipſum plenum ſortietur effectum, niſi ſuâ ſponte pareat excommunicatus. Si autem ſeſe ingerat iterum de facto cœtui fidelium, non erit poteſtatis eccleſiaſticæ, qvà talis, adhibitâ externâ violentiâ eum abigere, ſed ad contumacem coërcendum, ſi neceſſarium aut opportunum videatur, ad alteram poteſtatem politicam confugere, & magiſtratus opem implorare oportebit. Si qva igitur hodiè Eccleſia habet judicia coactiva, omnia ea à poteſtate politicâ proveniunt, & ei accepto ſunt ferenda. Vid. Hillig. *in Donell. enucl. l. 17. c. 10. lit. X.* Ex qvo ſeqvitur, leges Eccleſiaſticas, qvæ ad *ἐυταξίαν* & ordinem Eccleſiæ externum feruntur, non neceſsitate, ſed voluntate, non timore corporali, ſed dilectione ſubjectorum niti debere, uti eleganter id exponit Petrus de Marca *de concord. ſacerdot. & imp. l. 2. cap. 16. num. 6. 7.*

Duo enim ſunt] Falſum hoc eſt, & certiſſimum tyrannidis papalis argumentum. Qvid enim Eccleſiæ, qvæ in finem ſupernaturalem ſupernaturalibus ordinatur mediis, nec aliis, qvàm Orbis terrarum finibus clau-

clauditur, commune est cum regnis mundanis, qvæ finem terrenum sibi habent propositum, consequendum mediis ab humano ingenio industriâq; dependentibus ? Et sine dubio autor hîc œcumenicum Papæ dominatum innuit, nullo fundamento subnixum, & in absurda omnia ruentem. Universum qvippe genus humanum post sui multiplicationem nunqvam in unum aliqvod corpus sive societatem civilem, aut remp. coivit. Si ergò DEO non placuit universum mundum in temporalibus ab uno mortali gubernari, qvomodo placeat eundem ab uno in spiritualibus dependere ? Aut sanè, faciamus convenire regimen civile & Ecclesiasticum, inferre κατ' ἀνθρωπον commodè licebit: Sicuti in orbe universo plurima dantur imperia monarchica, & plurimi principes summam potestatem obtinentes: ita in Ecclesia universa plurimi constituendi erunt regentes, non unus tantùm, uti volunt Canonistæ. Sed enim ipsum totum regimen Ecclesiasticum non est de hoc mundo, & relinqvendum id uni DEO & Pontifici nostro Christo, qvi proinde caput Ecclesiæ suæ meritò dicitur. Falsa igitur est assertio Pontificiorum, Laicam potestatem eminenter & virtualiter contineri in Ecclesiastica, & sicut aurum superat plumbum altitudine suæ qvidditatis seu essentiæ & Sol Lunam, ita potestatem Ecclesiasticam superare merè Laicam suâ essentiâ & eminentiâ, & eminenter continere eam. Vid. Martin. ab Azpilcuet. Navarr. *relect. c. novit. X. de judic. notab. 3. n. 41.* Qvin potius distingvendæ sunt istæ inter se potestates, nec satis commodè applicari poterit de Sole & Lunâ similitudo, ut maximè eam modestè satis explicet Petrus de Marca *de concord. sacerd. & Imper. l. 2. c. 1. n. 8.*

qvibus principaliter] benè, qvod dicit *principaliter*; id enim negárunt hactenus Canonistæ & Pontificii, qvippe qvi Imperatori potestatem dependentem, Pontifici verò summam, absolutam & illimitatam, non qvoad spiritualia tantùm, sed etiam qvoad temporalia, adeoq; in universum mundum, non tantùm qvatenus Ecclesiam, sed etiam qvat. regna & imperia continet, primò & directò tribuunt. Impudentissimus Papæ assentator Doctor Marta Neapolitanus *in præfatione tractatus sui de jurisdictione* Paulum V. Pontificem his verbis compellat: *Tu es vicarius DEI in terris, à qvo emanat omnis jurisdictio, unicus in Orbe Pontifex, Imperator & Rex, omnium principum superior, rerumq; & personarum supremus Dominus.* &c. Conf. Sigism. Scaccia *de judic. lib. 1. c. 7. n. 6. seq. & n. 12.* Petr. Binsfeld. *de injur. & damn. dat. c. 7. qvæst. 1. conclus. 2.* Hoc scil. est, qvod in dictatibus suis scisit Hildebrandus sive Gregorius VII. *unicum esse nomen in mundo, Papæ videlicet.*

regitur] Etiam ministri Ecclesiæ qvodam modo regunt Ecclesiam, sed directivè, docendo, & arguendo, & exhortando, modisqve similibus. Potissimum enim & præcipuum regimen, qvo Ecclesia gubernatur & conservatur, spirituale & internum est, & capiti Christo convenit. Externum si qvod adhibetur, secundum potestatem Ecclesiæ concessam intelligendum est.

ita etiam ecclesiasticarum Ecclesiasticus judex] Principi cuiq; summo non circa profana tantùm, sed etiam circa sacra competit potestas legislatoria, & jure proprio qvidem, non aliunde aut ex concessione alterius. Eâdem igitur potestate, qvâ leges condit circa profana, etiam circa sacra legislator est. Nec proinde necesse est per Ecclesiasticas personas, leges ejusmodi circa sacra semper administrare. Et prudenter hodiè in Terris protestantium Consistoria ex politicis simul & ecclesiasticis personis constituuntur, qvibus mediantibus expediri solent ea, qvæ Ecclesiæ regimen concernunt. Observari autem hîc velim verba autoris *, dum dicit, *Ecclesiasticarum legum exécutorem esse judicem Ecclesiasticum.* Nempè distingvunt Canonistæ, qvi accurate loqvi volunt, inter executionem & custodiam seu tuitionem. Hanc solam principi relinqvunt, ut nullitatem rerum adversus Canones gestarum declaret, atqve omnia in integrum restituat. Sed illam ad Episcopos pertinere, qvam proinde eis indicere possit princeps. Petr. de Macra *de concord. Sacerd. & imp. l. 4. c. 1. n. 2.* Sed profectò plus sibi qvàm nudam canonum custodiam competere arbitrati sunt Imperatores olim Christiani. uti ex innumeris constitutionibus apparet, qvas acerrimè semper insectantur Canonistæ.

Laicus à laico comm secular judice conveniri debet, nisi causa sit spiritualis, vel similis: & literæ impetratæ ad judicem Ecclesiasticum non tenent. h. d.

b *cap. licet. & cap. seq. x, do foro compet.*

§. 3. Laicus b ergo à laico coram judice seculari, non autem Ecclesiastico conveniendus erit: qvod usqve adeò obtinet, ut, etiam si alteruter litigantium ab Apostolica sede literas ad Ecclesiasticum judicem impetraverit, irritæ sint & inanes. Si tamen causa sit

Digitized by Google

sit hujusmodi, qvæ ad Ecclesiasticum forum pertineat, qvalis [c] est matrimonii, usurarum, perjurij, & similes, licet inter laicos disceptatio sit, Judex Ecclesiasticus adeundus erit. Idem [d] juris est, si vel à seculari judice justitia impetrari non potest, vel consvetudo loci, vel miserabilitas personarum Ecclesiasticum judicem compellandum svadet.

[c] *Clem. 2. eod. tit.*

[d] *cap. ex tenore. ext. de foro comp.*

non autem Ecclesiastico conveniendus erit] Sed qvàm parum id observatum fuerit, qvibusq; artibus Laici ad Ecclesiastica judicia pertracti fuerint, prolixè refertur in gravaminibus Principum Germaniæ in Comitiis Norinbergensibus exhibitis, *num. 56. 57. 58. 59. 60. 62. 63. 64. 70. 71. 72. 73.* Similes qverelas in curia Parlamenti anno 1329. Philippo Valesio Regi exposuit Petrus de Cuneriis Advocatus Regius. uti refertur ap. Papon. *lib. 1. tit. 4. aresl. 1.* apud qvem porrò *aresto 11.* habetur, qvod in Franciâ non possit judex Ecclesiasticus inter Laicos judicare, nisi de his, qvæ sunt merè spiritualia & qvæ ad Sacramenta pertinent; qvod si verò lis sive principaliter sive incidenter causam pecuniariam spectet, judicem Ecclesiasticum dicit esse planè incompetentem. Ut hinc intelligi possit, qvantum olim limites suos excesserint Clerici, dum etiam crimina â Laicis commissa, indistinctè ad forũ suum & censuras trahere, deq; illis cognitionem instituere non dubitarunt. Superiore verò seculo ex prudentiorum Theologorum sententiâ distingvi cœpérunt crimina in Ecclesiastica & secularia. Illa in admissis directè contra fidem & sacramenta constituta fuerunt, hæc in iis, qvæ jure gentium aut civili sunt vetita. Illorum coërcitio Episcopis asserta fuit. Sed in secularibus porrò distinctum fuit, utrum de jure ageretur, & peccato opinionis vel erroris, uti vocant, cum scilicet qvis dubitat, utrum id qvod committit, peccatum sit, & talis cognitio ad forum Ecclesiasticum relata fuit: an verò ageretur de facto, seu peccato, ut vocant, vendicationis, cum qvis ipso facto crimen committit. Et hujus coërcitio magistratui seculari relicta fuit. Vid. Petr. de Marcâ *de concord. Sacerdot. & Imper. l. 2. c. 3. n. 7.* Cæterùm negari neqvit, jam olim in Romano Imperio, Imperatoriâ autoritate accedente, multum valuisse judicia Episcoporum etiam

tiam inter Laicos; Sed illis ipsis tamen, cum abusus non unus irreperet, fibula identidem injicienda fuit. Referam id verbis Petri Svavis *ex historiâ Concil. Trid. lib. 4.* Postqvam enim de judiciis primitivæ Ecclesiæ, & qvod ea solâ se charitate continuerint, verba fecisset, & de Constantini seculo jam solicitus esset, ita pergit: *Tunc Episcopi veluti Tribunal sibi erexerunt, qvod litigandi causis, unà cum accessione facultatum temporalium auctis, evasit subitò frequentissimum. Et judicii forma, qvamvis non eadem erat cum veteri illa, qvâ de Ecclesiæ assensu omnia statuebantur, eandem tamen retinuit sinceritatem. Unde Constantinus Imp. explorato hujus judicii in controversiis terminandis fructu, qvantumqve posset vis religionis capturis ac fraudibus actionum detegendis, qvas judices deprehendere non poterant, legem sanxit, ut à sententiis Episcoporum provocatio non esset, easqve judices exseqverentur. Qvin imò lite coram judice seculari pendente, qvicunqve esset causæ status, si alterutra pars, alterâ licet obluctante, Episcopum sibi judicẽ deposceret, illicò ad ejo cognitionem lis uti referretur.* (Extat hæc constitutio in Codice Theodosiano *l. 16. tit. 12.* & repetiit eam Carolus M. *capitulo 281. libri sexti* apud Benedictum Levitam. Vid. de eâ Seldenus *de synedr. lib. 1. cap. 10.* imprimis verò Jacobus Gothofredus *in Cod. Theodos. post lib. 16. pag. 303.* ubi totam istam constitutionem falsitatis & impostura convincit.) *Exinde judicium Episcopi cœpit esse forense, & cum magistratum haberet sententiæ executorem, jurisdictionis Episcopalis, item audientiæ Episcopalis & similium titulorum nomina sibi vindicare. Etiam Valens Imp. forum illud ampliandum censuit anno 365. inspectione in precia rerum promercalium ei attributâ, qvæ forensis negociatio bonis moderatisqve antistitibus parum placebat.-- Episcoporum verò non nemine auctoritate per Constantini Legem concessâ abutente, eadem lex 70. post annis ab Arcadio & Honorio revocata, statutumqve, ut religionis modò causas dijudicarent, civiles autem non aliter, nisi de partium voluntate & consensu, simul declarantum, nullum illis forum deberi* (videtur intelligere constitutionem in *l. si qvi 8. C. de Episc. aud.* Sed qvæ ipsa anno mox seqvente denuò correcta & magis restricta fuit per *l. 1. C. Theodos. de relig. lib. 16. tit. 11.*) *Qvæ qvidem lex, cum Romæ propter summam Episcopi potestatem parum attenderetur, Valentinianus anno 452. in eâ ipsâ Urbe degens legem restauravit, & executioni cumvit mandandam.* (Extat hæc constitutio inter Novellas Valentiniani *tit. 12.* ad calcem Codicis Theodosiani) *Verùm à principibus inseqventibus potestatis antea adeptæ bona pars reddita, Justiniano etiam forum stabiliente, & audientiam, iisqve unà cum causis religionis delicta Clericorum Ecclesiastica & in Laicos varias jurisdictiones spontaneas assignante. His gradibus, qvæ charitatis*

Digitized by Google

ritatis intuitu à Christo primùm instituta correctio, in dominationem vertit &c: Perpendens ista & imprimis, qvàm faciles sint Pontificii & proni in excommunicationes, Petrus de Ferrariis *in prax. tit. 4. n. 14.* his verbis principes alloqvitur: *Heu miseri Imperatores & Principes seculares, qvi hæc & alia sustinetis, & vos servos Ecclesiæ facitis, & mundum per clericos infinitis modis usurpare videtis, nec de remedio cogitatis, qvia prudentiæ & scientiæ non intenditis. Ideò attendite & memoriæ commendate, qvid dicat Hieronymus veteres scrutans historias: Invenire non possum scidisse Ecclesiam, & de domo domini populos seduxisse, præter eos, qvi sacerdotes DEO positi fuerant. Isti verò vertuntur in laqveum tortuosum in omnibus locis ponentes scandalum* &c: In Galliis hanc in rem inventa est appellatio, tanqvam ab abusu, per qvam coerceri solet cognitio Ecclesiasticorum inter purè Laicos. Vid. Joh. Papon. *Arest. lib. 19. tit. 2.* & Petr. de Marca *de concord. sacerdot. & imper. lib. 4. cap. 19.*

ab apostolicâ sede literas] Sed ipsi Pontifices Romani multis modis jurisdictionem Laicorum violant, non avocationibus tantùm causarum ad suam sedem, sed etiam constitutione Conservatorum & aliorum Commissariorum, de qvo conqveruntur in gravaminibus suis Principes Germaniæ, *num. 9. 10. 11. 12.*

qvalis est matrimonii] Dissentit Hunnius *in colleg. Juris Canonici disp. 1. th. 23.* Et Johannes Paponius admittit cognitionem judicis Laici, si de facto tantùm disceptetur, *lib. 1. tit. 4. arest. 2.* Potisima autem ratio, qvod causæ matrimoniales jurisdictione magistratûs Civilis de Jure Canonico eximantur, videtur esse ista, qvod inter Canonistas matrimonium habeatur pro Sacramento; sed qvàm ineptum hoc sit & ἀθεόλογον, ostendimus *lib. 2.* In terris protestantium causæ matrimoniales habentur pro mixtis, h. e. talibus, qvæ aliqvando ad forum Ecclesiasticum, aliqvando ad forum seculare pertinent. Vid. Carpzov. *in Jurispr. Consist. lib. 2. defin. 1.* Kitzelius *de matrimon. cap. 10. theorem. 7. & 8.*

usurarum] Hanc itidem mixti fori esse, vult Hunnius *disp. 8. n. 129.* & ex ipsis Canonistis Didacus Covarruvias *var. resolut. lib. 3. c. 3. circa princ.* Henric. Canisius *in tit. de usur. cap. 9. n. 4.* Henric. Zoës. *tit. X. de usur. n. 54.* permulti alii apud Augustin. Barbos. *ad c. 8. X. de for. comp. n. 7.* Qvò faciunt recessûs Imperii de anno 1530. rubr. von wucherlichen contracten. §. dieweil aber. it. de anno 1548. sub eâdem rubr. Conf. Ludovic. à Pegvera *decis. 30.*

perjurii] Perjurium puniri posse non solùm à judice Ecclesiastico, verùm etiam à seculari, tenet Boërius *decis. 305.* Barbos. *d. l. n. 9.* Ex eo autem, qvod soli Ecclesiastico judici de perjuriis cognitiones fuerint concessæ, prolixè admodum fimbrias suas dilatârunt Episcopi, non in perjurii solum crimen animadvertentes, sed ipsam totam principalem causam suæ cognitioni subjicientes. De qvo iterum conqveruntur principes Germaniæ in gravaminibus suis *num. 64. Nam ut demus* (inqviunt) *hoc interim Ecclesiasticis judicibus, de perjurio commisso notionem ut habeant, nihilo magis per id causæ ipsius principalis, contractus puta aut transactionis, qvamobrem ille pejeravit, judices competentes erunt, qvi perjuros illos ob religionis transgressionem manifestariam tantùm judicio convenire possent, ac canonicam huic indicere mulctam, reservatâ tamen civili magistratui, qvi perjuros pœnali judicio secundum civiles sanctiones plectere jus habent, commissâ sibi ob id pœnâ.*

& similes] ut perhibentur esse controversiæ de decimis, de beneficiis Ecclesiasticis, de jure patronatûs, de suspensione & depositione Clericorum &c: de qvibus omnibus dicere nunc non vacat. Conqveruntur autem in dictis gravaminibus principes Germaniæ sub *num. 70. qvanqvam secundum jura communia manifesta perjuria atqve adulteria, maleficiorumqve præstigia, ac consimiles aliæ causæ, per Ecclesiasticos ac civiles Judices promiscuè, uter occuparit, civiliter pro tempore plecti possint, habeatqve ita præventio hâc in re locum; attamen Ecclesiasticos judices contra omnia jura, causas hujusmodi solis sibi, sueqve jurisdictioni usurpare conari.* Id observo, non diffiteri Doctores Pontificios, de possessione & spolio rei spiritualis cognoscere posse judicem Laicum. Vid. Alvar. Valascus *consultat. 93. n. 5.* Anton. Tessaur. *decis. 82. & 117.* Gvid. Papæ *qv. 1.* Dissentit tamen & omnem hîc potestatem magistratui civili derogat Petrus Anton. de petrâ *de potestat. princip. c. 6. part. 2. n. 90.* [Add. Ilic. Ummius *de process. disp. 4. n. 71.* Nic. Ant. Gravat. ad Octav. Vestr. prax. *l. 5. c. 1.* Johann. Papon. *lib. 1. tit. 5. arest. 22. seq.*

justitia impetrari non potest] Hic verò destruit autor, qvod supra dixit, utrâqve potestate civili & Ecclesiasticâ principaliter regi orbem terrarum. Principaliter enim si potestati civili id tribuendum est, qvid juris in eam erit potestati Ecclesiasticæ? Et certè concedere non possumus, potestati Ecclesiasticæ hic qvicqvam licere. Qvantos etiam ea res abusûs induxerit, docere possunt ea, qvæ referunt Principes Germaniæ supra memorati,

morati, gravam. 71. & 72. Fatetur autem Johannes Aloysius Riccius *decis.* 451. non scire se, unqvam in actu practico observatum, qvod scilicet propter desidiam judicis secularis causa translata fuerit ad forum Ecclesiasticum. Pudet fortè ἀλλοτριοπραγίας.

vel miserabilitas personarum] Videtur hoc ex æmulatione pontificiâ constitutum. Qvia enim ex privilegio Imperatorum concessum est personis miserabilibus, ut & extra forum suum non extrahantur, & ut ipsæ in forum suum alios trahere possint *l. un. C. qvando Imp. int. pupill.* Pontifices, ne qvid hâc in parte Imperatoribus inferiores viderentur, istud miserabilibus personis dedérunt privilegium, ut ad Ecclesiasticum judicium provocare, & civilia declinare possint. At verò id extra territorium pontificis impunè contemnitur.

Clerici habent privilegium, ne coram judice Laico conveniri valeant, cui non potest ullo pacto renunciari. In judicem tamen Ecclesiasticum non suum possunt consentire, accedente consensu diœcesani. h.d.

§. 4. Pari [e] ratione tam Milevitanensi, qvàm Carthaginensi Concilio constitutum est, ne clerici clericos, relicto suo Pontifice, ad publica judicia sub pœna depositionis & amissionis propriorum jurium pertrahant: cui beneficio, cùm non sit personale, sed collegio Ecclesiastico indultum, pactionis privatorum, aut juramento illicito derogari non potest. In judicem tamen non suum, si is persona sit Ecclesiastica, & Episcopi diœcesani consensus accesserit, clerici consentire poterunt.

[e] *c. inolita, c. placuit 11. q. 1. cap. si diligenti. extr. de foro compet.*

c. significasti. d. tit.

c. 18. X. de foro competenti.

tàm Milevitanensi] Utriusq; concilii canones habentur *c. inolita*, & *c. placuit 11. q. 1.* ubi pro concilio Milevitano aliqvi substituere malunt Toletanum tertium. fortè ex eo, qvod non inveniantur amplius ita distincti canones concilii Milevitani. Sed animadvertendum est, qvod

non Milevitanæ tantùm ſynodi, ſed Carthaginienſis etiam, tùm primæ, tùm ſecundæ canones ſynodi Carthaginienſis tertiæ hodiè inveniantur Vid. Gerh. Joh. Voſſius *in hiſtor. Pelag. lib. 1. c. 45.* Illis autem in conciliis tale aliqvid de judiciis clericorum ſtatutum fuiſſe mirum non eſt. Poſtqvam enim eo tempore Epiſcopi ab Imperatoribus poteſtatem etiam inter Laicos lites dirimendi accepiſſent, uti videre licet in *l. 7. & 8. C. de Epiſcopal. audient.* injurium ſibi viſum fuit judicari ab illis, qvos judicare poſſent ipſi. Et ſic ergo ex liberali concesſione principum ambitioni amplisſima ſubſtrata fuit materia. Vid. in hanc rem perorantem Petrum Binsfeld. *de injur. & damn. dat. c. 7. q. 1. concl. 5. p. m. 373.*

relicto ſuo Pontifice] i. e. Epiſcopo. Ita enim etiam Epiſcopatum Pontificatum ac Pontificium, & omne id, qvod ad hunc pertinebat, pontificale dixérunt veteres Chriſtiani. Vid. Barth. *lib. 45. adverſar. c. 19.* Thomas Mortonus *cauſæ regiæ cap. 5. ſect. 1.* David Blondellus *operis Gallici de primatu in Eccleſiâ, qvod Cardinali Perronio oppoſuit, ſect. 4.*

ad publica judicia] i. e. civilia, aut ſecularia. Aliàs enim de jure civili publica judicia dicuntur, qvæ ex legibus publicorum judiciorum ad ſalutem & intereſſe publicum introducta vel per ſolennes accuſationes, vel per inqviſitionem Magiſtratûs peraguntur.

depoſitionis & amiſſionis] In civilibus actionibus utraqve pœna ſimul non habet locum. Dicitur enim in *c. 12. X. de for. comp. in civili verò perdant, qvod evicerint, ſi locum ſuum maluerint obtinere.* Alterutrum ergo eligi poteſt, aut depoſitio, aut perditio ejus, qvod obtinuerunt in judicio. Vult inſuper iſtud capitulum, ut tales clerici judicem Laicum ſibi conſtituentes, à communione habeantur extranei, h. e. excommunicentur non minore tantùm, ſed etiam majore excommunicatione, uti explicat Panormitanus *ibi*, & Rolandus à Valle *vol. 2. conſil. 23. num. 14.*

pertrahant] Exemérunt Clericos judicio ſeculari ipſimet Imperatores, ſed exemérunt à jurisdictione judcium inferiorum, & ita qvidem, ut ſuam ſibi in illos retinuerint integram poteſtatem. Eſt enim ejusmodi exemtio nihil aliud, qvàm ſimplex delegatio, qvâ, qvæ Clericos concernunt, judicia vel omnia vel aliqva committuntur Epiſcopis à principe, ut

Digitized by Google

ut nomine & auctoritate ipſius Principis illa non à Laicis, ſed ab Epiſcopis tanqvam judicibus delegatis exerceantur. Vid. M. Ant. de Dominis *lib.6.de Rep.Eccleſ.c.6.n.62.* Tota ergò ea exemptio eſt ex beneficio principum, uti inter alia etiam oſtendit textus in *l.47. Cod.Theodoſ.de Epiſcop.* non ex jure divino, uti nugantur qvidam Canoniſtæ, qvos refert Didac. Covarruv. *pract.qvæſt.c.31.n.2.* Petr.Binsfeld. *de injur. & damn.dat. c.7. q.1. concl.8.* Add.Alvar.Valaſc. *conſultat.100.n.8.9.* Nec poſſunt Concilia qvicqvã concedere amplius, niſi qvatenus permiſerint & cõfirmaverint Principes ut ſuperiores. Subjectos n. eſſe non Laicos tantũ,ſed univerſum etiã clerũ poteſtati principis,docet Chryſoſtomo9,qvi ad verba *in Epiſt.ad Rom. c.13.v.1. Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto.* hunc in modũ commentatur: *Omnibus hæc præcipi,ſacerdotibus & monachis,nõ tantùm ſecularibus, ſtatim in ipſo proœmio declarat Apoſtolus, cum ſic dicat, omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto, etſi Apoſtolus,ſive Evangeliſta,ſive Propheta,ſive qvisqvis tandem fuerit, neq; enim poteſtatem ſubvertit iſta ſubjectio.* Hæc Chryſoſtomus,qvæ in ſua commentaria transtulérunt Theophylactus & Oecumenius. Conſentit Alvarus Valaſcus *conſult.100.n.7.* Add.Petr. Molinæ. *de monarch.pontif.c.19.* Nic. Boër. *deciſ.69.n.1.* Jac. Gothofr. *ad l.12.C.Th.de Epiſc.*

pactionibus privatorum] Contrarium tenet Mynſinger *centur.2.obſerv.67.* qvem tamen de arbitratore ſeu amicabili compoſitore intelligi vult Bernhardus Grævæus *lib.1.concluſ.37.conſid.2.* Id certum eſt, renunciationem ſingularis perſonæ de aliqvo corpore aut collegio improbari, ſi ex eâ derogetur decori aut privilegio totius corporis ac collegii. Nam honor vel dedecus ſingularium perſonarum ex aliqvo corpore vel collegio, ad cæteros etiam pertinet,cum ſinguli ſint pars ipſius collegii, *l.22. circa fin.C.de agricol.& cenſit.lib.11. l.ne qvis, & ibi gloſſ. C.de advocat. diverſ.jud.* Corneus *conſ.214.lib.2.* At enim,ut maximè Clericus privilegio exemptionis renunciet, qvid dedecoris inde naſcetur vel ipſi illi clerico, vel toti reliqvorum ordini? Sanè ſi privilegium conceſſum eſt Collegio, ut Collegio,per ſingulos ei renunciari haud poteſt; ſed ubi eſt conceſſum univerſis & ſingulis, poteſt ei renunciari per ſingulos, Georg. Acac. Enenkel *de privileg.lib.3. c.16. n.12.* ubi *n.30.* admittit,renunciari poſſe privilegiis exemptionum, ſi ſine ſuperioris præjudicio fieri poſſit. Qvod ſi jam præjudicium ſuperioris hîc adduci oporteat, nullum id aliud erit, qvàm qvod Clericus nolit eſſe Papæ mancipium, & qvod tyrannidi ejus ſubeſſe,eamq;, qvantum in ſe eſt,conſervare renuat.

Et rectè obſervat Cujacius in *c.12. X. de for. comp.* rationem in dicto cap. adductam, qvod ſc. juri publico pactis privatorum derogari non poſſit, fucum eſſe & colorem, non veram rationem. Non enim hác renunciatione juri publico, ſed privato tantùm derogari, & clericum ita renunciantem de jure & commodo ſuo proprio detrahere, nihil omninò de jure publico, ſine ullo alterius incommodo, & ſine injuriâ aliorum clericorum &c.

aut juramento illicito] Illicitum dicitur idcò, qvod detrahat potentiæ papali. Tàm adſtrictè ſc. dominatum hunc contineri oportet, ut etiam cum ſalutis diſpendio juramenta enervare neceſſe ſit. Subeſſe enim Clericos poteſtatibus civilibus ipſa vult Sacra Scriptura.

ſi is perſona ſit Eccleſiaſtica] Olim tamen ex conſenſu Epiſcopi & utriusq; partis potuit etiam Laico permitti cauſa clericorum, uti patet ex *cap.20. Concilii Aurelianenſis IV.* habiti anno DXLV. Sed aliud placuit Gregorio IX. *in cap.18.X. de for.comp.* Id verò non magnâ ratione niti dicit Cujacius *ad cap.1. X. eod.* nec apparere, cur ratum & firmum eſſe non debeat, qvod fit ex conſenſu tum Epiſcopi, tùm utriusq; partis.

Epiſcopi diœceſani conſenſus acceſſerit] Ordinarius judex Clerici eſt Epiſcopus proprius, uti conſtituit Synodus Chalcedonenſis in Cod. can. Eccleſ. univerſ. *can.187.* Uti igitur circa ſecularia judicia moribus introductum eſt, ut prorogatio jurisdictionis fieri neqveat, niſi cum conſenſu Ordinarii, in cujus præjudicium ea fieri creditur. Tob. Paurmeiſter *de jurisdict.lib.1.c.27.n.43.* Hillig. *in Donell.enucl.l.17.c.20.lit.N.* Ita & jura Canonica non niſi cum conſenſu Epiſcopi prorogationem inter Eccleſiaſticos fieri volunt.

Actor ſeqvi debet forum rei. h.d.

c. ſi clericus. h.tit.

§. 5. Qvòd ſi inter clericum & laicum contentio ſit, ut cognoſcamus, utrùm Eccleſiaſticus, an ſecularis judex cauſam dirimere debeat, diſpiciendum erit, qvis rei conventi partes ſubſtineat. Nam ſi clericus, apud Eccleſiaſticum forum: ſi laicus, apud ſeculare[a] erit agitanda cauſa: cùm generale ſit, ut actor

a *cap. cùm ſit. extr. de foro compet.*

forum

forum rei ſeqvatur. Cavendum[b] erit igitur laico judici, ne qvoqvo modo clericum condemnet: qvod ſi fecerit, ab Eccleſia, cui injuriam irrogare noſcitur, tamdiu ſeqveſtrandus erit, qvousq; reatum ſuum cognoſcens, emendet.

b *cap. conqveſtus. d. tit.*

c. 2. X. de foro compet.

ut actor forum rei ſeqvatur] Sed cum forum rei latius pateat, qvàm conditio & qvalitas perſonæ, falſum eſt, ex eo ſolo reſpectu, qvod aliqvis clericus ſit, non alibi, qvàm apud judicem Eccleſiaſticum conveniri poſſe. Qvot modis aliqvis forum ſortiatur, pleni ſunt libri Doctorum. Et plurimi iſti modi etiam in Clericis locum inveniunt. Ratione namq; bonorum temporalium Clerici ſubjecti ſunt poteſtatibus civilibus. Munnoz de Eſcobar *de ratiocin. adminiſtrator. c. 7. n. 34.* & propterea ratione rei fortiuntur forum in loco ubi res ſita eſt. Andr. Gail *lib. 1. obſ. 37. n. 4.* Carol. Molinæus *ad conſvetud. Pariſ. §. 46. n. 20.* Ant. Fab. *Cod. libr. 3. tit. 12. def. 15. n. 3. & def. 19. n. 7.* Mynſing. *cent. 1. obſ. 22.* Nicol. Boer. *deciſ. 69. n. 6.* Joh. Papon. *l. 1. tit. 5. areſt. 15.* qvicqvid etiam dicat Sigism. Scaccia *de judic. lib. 1. cap. 11. n. 28. ſeq.* Alios caſus, qvibus Clericus coram judice ſeculari conveniri poſſit, recenſet Gail, *d. l.* Scaccia de judic. *d. lib. 1. cap. 11. n. 92. ſeqq.* Minſing. *cent. 2. obſ. 67.*

ne qvoqvo modo] At verò multis modis condemnari poteſt clericus, etiam eo caſu, qvo jure Canonico actio contra eum non tenet. Ita clericus à judice Laico nulliter condemnatus, ſi appellaverit, & appellationem deſertam reliqverit, in ſumptûs deſertionis condemnari poteſt. Anton. Faber *Cod. lib. 3. tit. 12. def. 29.* Ita judex Laicus poteſt Clericum pœnali judicio condemnare jurisdictionis ſuæ tuendæ gratiâ. Id. Faber *def. 16.* Ita porrò Clericus à judice Laico perſonaliter condemnari poteſt ad expenſas litis. *def. 15.* ubi tamen nimium ſubtile eſt, qvod diverſum ſtatuere velit Faber in fructibus, qvod ſc. ita ſententiam concipere debeat judex Laicus, non ut condemnet Clericum in fructibus, ſed ut pronunciet: mittendum actorem in rei de qvâ qværitur poſſeſſionem, aut in eâ retinendum vel etiam reſtituendum cum fructibus, aut potius cum fructuum à reo perceptorum reſtitutione, tacito condemnationis verbo, qvod hoc non poſſit perſonam ipſam non afficere. Nimium,

inqvam, hoc ſubtile eſt, qvia ſive propter actionem qvis condemnetur, ſive per conſeqventiam, uti fieri ſit in expenſis, utrobiqve tamen condemnatur per ſententiam, & tàm hìc, qvàm illic perſona afficitur, atq; ad reſtitutionem obligatur, ut maximè vocabulum condemnationis non exprimatur. Facit, qvod in ſimili ſcribit Joh. Baptiſt. Aſinius *in prax. judicior. §. 28. c. 5. n. 2.* Sic etiam, ſi qvæſtio incidenter venit in judicium profanum cum clerico acceptum, rectè clericus à Laico judice damnatur: e. g. ſi in lite, contra clericum acceptâ, incidenter ab eo peto, ut chirographum ſuum confiteatur, aut abneget, ſi confeſſus ſit, ritè ad repræſentandam pecuniam, eodem judicio damnabitur. Petr. Coſtal. *ad l. 61. ff. de judic.* Sic etiam Clericus inter plures litis conſortes judicium accipit, ubi major pars hereditatis eſt, vel ubi res ſita eſt. Idem Coſtal. *ad tit. ff. de qvib. reb. ad eund. jud. eat.* Sic etiam Clericus heres Laici in foro defuncti ſtare tenetur, qvod tamen communiter reſtringunt ad caſum qvo lis cum defuncto inchoata eſt. Didac. Covarruv. *pract. qvæſt. c. 8.* Ant. Fab. *Cod. lib. 3. tit. 1. def. 4. & 12.* Didac. Spino à Caceres *in ſpecul. teſtam. gloſſ. 33. n. 72. ſeqq.* Sic etiam executio rerum judicatarum adverſus clericos fieri poteſt. Joh. Papon. *lib. 1. tit. 5. areſt. 8.* Et in Gallia communiter, ſi rem ſecularem concernat actio, in ſeculari judicio perſonaliter conveniri poſſunt Clerici. Id. Papon. *d. l. areſt. 9. & 10.*

ſeqveſtrandus erit] i.e. ſeparandus, qvo ſenſu verbum hoc uſurpatur Macrobio *lib. 1. comm. c. 5. & 8.* Sunt autem Pontifices Rom. excommunicationibus ſuis admodum prompti. Non enim niſi vi conſervari poteſt imperium vi partum. Sed talia nunc per DEI gratiam jure merito ſpernimus fulmina, & inſanam atq; inanem iram ridemus.

Si delinqvens captus prætendatur clericus, utrùm ita ſit, debet cognoſcere judex clericus, vocato judice ſeculari. h. d.

c *cap. ſi judex. de ſent. excom. in 6.*

§. 6. Dubitari tamen contigit, ſi judex laicus[c] delinqventem captum detineat, & is ſe clericum aſſerens, ad curiam Eccleſiaſticam remitti poſtulet, vel illum curia ipſa Eccleſiaſtica tanqvam clericum repetat, ſi judex laicus illum eſſe clericum inficiatur, & propterea minimè remittendum contendat, qvis ſit hujus

jus dubitationis legitimus futurus judex? Et cùm de re Ecclesiastica & spirituali sit controversia, ad judicem Ecclesiasticum hujusmodi cognitio pertinebit. Judex tamen secularis, vel alius, cujus interest, dum res hujusmodi cognoscitur, vocandus erit.

delinqventem captum detineat] Ferri planè non debet in benè constitutâ Rep. exemptio Clericorum in criminalibus. Et ea tamen tam propudiosè hodiè defenditur à Canonistis, ut Judici seculari nec in atrocissimis qvidem delictis subjiciant clericum, nisi degradatus is antea fuerit. Degradationi autem locum faciunt tantùm in tribus casibus, ob crimen hæresis, ob crimen falsi literarum apostolicarum & ob calumniam atq; contumeliam gravem proprio Episcopo illatam. Sed nec degradatum qvidem tradi illicò debere Curiæ seculari, nisi incorrigibilitas accesserit, contendunt nonnulli. Vid. Jul. Clar. *sentent. lib. 5. §. Practic. crim. qv. 36. n. 37. seq.* Ex qvo patet, latrocinium, blasphemiam, homicidium & alia ejusmodi delicta atrociora à clericis commissa, carcere tantùm & depositione qvandoq; puniri. Observat autem Petrus Molineus *de monarch. Pontif. Rom. cap. 18.* crimina illa clericorum, qvorum cognitio Magistratui permittitur, esse talia, in qvibus violatur dignitas Ecclesiæ Romanæ, & ad eam tuendam Magistratum accersiri, non tàm judicem, qvàm vindicem & auxiliatorem, in aliis verò atrocissimis criminibus, in qvibus non tentatur dignitas Ecclesiastica, nefas esse Magistratui Ecclesiasticos limites irrumpere, aut de vitâ clerici cognitionem instituere. Ex qvo fit, ut, qvotiescunq; clericus adulteraverit monetam, aut Regis latus sicâ appetierit, si incendiarius fuerit, si veneficus, si occulta habuerit cum hostibus consilia, nefas tamen sit Principi injicere manus in eum, & pœnam decernere. Judex autem Ecclesiasticus tàm levem irrogabit pœnam, ut ne sentiatur qvidem. Ex qvo fit porro, ut, notante Nicolao Boërio *decis. 69. n. 9.* scandalum oriatur in plebem, videre clericum & Laicum pro enormissimo delicto commisso diversimode condemnari: Laicum in frusta scindi & dilaniari, clericum pro eodem delicto in carcere poni perpetuo, & hinc tamen qvandoq; liberari. *Revera videmus,* inqvit Clarus *d. l. n. 23. qvod prælati clericos criminosos utplurimum leviter castigant, & licet qvandoq; eos ad perpetuos carceres condemnent, tamen illos*

poſtea relaxant plerumq; ac dimittunt, ex qvo oritur in populo ſcandalum, videre clericum & laicum ejuſdem delicti reos adeò diverſimodè puniri, ut ſcil. Laicus pœnâ mortis afficiatur, & in fruſta ſcindatur, clericus autem aliqvâ levi pœnâ caſtigatus per forum ambulet &c. En verò qvanta ex Canonicis hisce minimè canonicis principiis ſeqvuntur mala. Eqvidem puniri delicta publicè intereſt. Et Magiſtratus qvidem, qvi merum habet imperium, punire eadem poteſt, ſed non debet, ſi delinqvens fuerit Clericus. Judex Eccleſiaſticus autem ex jure Canonico debet, ſed non poteſt, qvia judicium ſangvinis exercere, imò intereſſe tantùm eidem aut adjuvare & promovere illud omninò prohibetur. Qvid reſtat ergò, niſi ut impune â ſanctis patribus committantur delicta omnium atrociſſima? Qvibus accedit, qvod valere nolint ſtatutum, pœnam concubinis clericorum imponens, qvia ſcil. per hoc facilè infamarentur clerici. Tiberius Decianus *l. 2. crim. c. 34. n. 9.* & qvod excommunicatum dicant eum, qvi clericum obſidet in domo meretricis populoq; conſpiciendum exhibet. Id. Decianus *l. 6. c. 35. n. 22.* At verò rigidior fuit olim in Clericos ab ipſis Magiſtratibus ſecularibus animadverſio, neq; exemptio admittebatur, niſi in leviusculis & Eccleſiaſticis delictis, id qvod ſolidè exponit Jac. Gothofred. *ad l. 23. Cod. Theodoſ. de Epiſcop.*

& ſpirituali ſit controverſia] Qvî vero de re ſpirituali? Utrum qvis Clericus ſit, an minus, qvæſtio facti eſt. At facti qvæſtio etiam in causâ ſpirituali â judice Laico definiri poteſt, eò qvod facti qvæſtio ſit merè profana, nec qvicqvam ſpiritualitatis habeat. Ummius *de proceſſ. diſp. 4. n. 72.*

hujusmodi cognitio pertinebit] Pendente tamen eâ cognitione, reus debet remanere penes judicem ſecularem â qvo captus eſt. Scaccia *de judic. lib. 1. c. 11. n. 90.* Jul. Clar. *l. 5. ſentent. §. pract. crim. q. 36. n. 21.* ubi in Ducatu Mediolanenſi qvæſtionem eam facti coram judice ſeculari expediri teſtatur. Idem apud ſuos Allobroges obſervari ſcribit Petrus Coſtal. *ad l. 5. ff. de judic.*

Delinqvens captus habitus pro clerico, ſtatim debet reſtitui judici Eccleſiaſtico. h. d.

§. 7. Sed ſi notorium fuerit [d], vel fama publica extiterit, reum captum talem eſſe clericum, qvi hujusmodi pri-

[d] *cap ſi judex. verſ. & ſi notorium. de ſentent. excom. in 6.*

di privilegio gaudere debeat, aut ipſe pro clerico communiter habeatur, ſtatim ante ullam de clericatu cognitionem Eccleſiaſticæ curiæ reſtituendus erit.

fama publica extiterit] Fama interdum non eſt attendenda, cùm ſit tàm ficti praviq; tenax, qvàm nuncia veri. Non nego tamen, multum eam ſæpiusculè facere ad probationem. Et communiter concludunt Doctores, in omnibus illis, qvæ hominis qvalitatem, virtutem, & dignitatem concernunt, plenam fieri ex fama probationem. Berlich. *part. 1. concluſ. 36. n. 73.* Fulv. Pacian. *de probat. l. 1. c. 49. n. 44.* Maſcard. *de prob. concluſ. 753. num. 10. 21.*

Talis qvis præſumitur, in qvali habitu reperitur aliqvandiu converſatus & captus. h. d.

§. 8. Idem e dicendum erit, ſi ante deprehenſionem pro clerico publicè ſe gerens, tonſuram & clericales veſtes deferens deprehenſus fuerit: donec enim contrarium non conſtiterit, talis, qvalem eum demonſtrat habitus, præſumendus erit.

e *d. cap. ſiju-dex. §. idem. de ſent. exc. in 6.*

tonſuram & clericales veſtes] De tonſura diximus *lib. 2.* Veſtes autem clericales dicunt eas, qvæ ſacris canonibus non ſunt prohibitæ, & qvæ conſvetudine ſunt approbatæ. Cæterùm ut qvis propter omiſſionem tonſuræ & clericalium veſtium, foro Eccleſiaſtico excidat, non patiuntur Canoniſtæ, niſi ſub involucro diſtinctionum planè inutilium, & cum reqviſitis ratò ſimul contingentibus, de qvibus videri poteſt Sigism. Scaccia *de judic. lib. 1. c. 11. n. 82. ſeq.* Tiber. Decian. *l. 4. crim. c. 9. n. 89. ſeqq.* Id obiter noto, litem adhuc eſſe inter Canoniſtas, utrum cognitio de habitu clericali (num talis revera ſit, an minus) ad Eccleſiaſticum pertineat judicem, an ad ſecularem. Vid. Scaccia *d. l. n. 88.* Decian. *n. 95.* In Gallia cognitio hæc ſeculari tribuitur. Joh. Papon. *l. 1. tit. 5. areſt. 4.*

præſumendus erit] Sed hoc ipſum limitant Canoniſtæ, ut verum

rum putent in eo, qvi regnicola eſt, ut loqvitur Thomas Grammaticus *decis. 81. n. 16.* ſive, ut Menochius ait *lib. 6. præſumt. 76. n. 11.* qvi ejus regionis fuerit, ſecus ſi fuerit exterus, qvia tunc non ſufficiat habitus, ſed reqvirantur literæ ſuæ promotionis.

Ex actu momentaneo non tollitur præſumptio orta ex actu habitus ſpectum temporis. h. d.

f d. cap. ſi judex. §. non ſic. de ſent. exc. in 6.

§. 9. Aliud [f] obſervandum, ſi, anteqvàm de[pre]deretur, publicè ſe pro laico gerebat, & qva[si] communiter habebatur: nam, qvanqvam [in] henſionis tempore in habitu clericali reper[tus] rit, ob præſumptionem, qvæ adverſus cap[tum] præcedenti laicalis habitus delatione orta e[ſt], antea reſtituendus erit, qvàm de clericali [ti]dem fecerit: interim tamen qvivis proceſſu[s ju]dicis penitùs conqvieſcet.

de clericali titulo fidem fecerit] Sed nec tùm qvidem reſtituendus eſt illicò, qvia potuit aſſumere ordinem Eccleſiaſticum in fraudem, ut ſc. poſt commiſſum delictum eximeret ſe à jurisdictione ſeculari; qvo caſu per judicem Laicum procedi contra eum poſſe autor eſt Jul. Clarus *d. l. n. 43.* Qvanqvam enim etiam in fortioribus terminis id negaret Alvarus Valaſcus *conſultat. 48*, ubi contendit, nec eum qvidem, qvi à ſeculari judice in decennale exilium condemnatus, & poſt condemnationem ad beneficium Eccleſiaſticum promotus eſt, cogi poſſe à judice ſeculari ad contribuendam, ſed nec judicem qvidem Eccleſiaſticum ſtare ſententiæ judicis debere; id tamen admittendum haud eſt, eò qvod Reip. interſit ſententias in criminoſos latas ad executionem promovere, & manifeſtum ſit dolum eſſe ex parte delinqventis, ordinis ſacri vel beneficii ſimulantem. Formidabile verò eſt nomen Clerici apud judices pontificios, iamſi conſtet, in fraudem jurisdictionis ſecularis ad clericatum ſe contulisſe, eum tamen condemnare non audeant. Tutiſſimum eſſet,

eo habitu, tonſurâ aut ordine, delinqventes omnes obtorto collo ad judicia criminalia & ſupplicia rapi, omnesq; iisdem legibus judicari.

Secunda Judiciorum diviſio, qvòd qvædam ſunt ordinaria, & qvædam extraordinaria. Et, qvis ſit judex Ordinarius. h.d.

§. 10. Eſt & alia diviſio judiciorum: nam Eccleſiaſticorum qvædam ſunt ordinaria, qvædam verò extraordinaria, ſive delegata. Judicium ordinarium eſt, qvod coram judicibus ordinariis exercetur. Ordinarius judex eſt, qvi ſuo jure, vel ſuperioris beneficio, univerſalem jurisdictionem exercere poteſt, ut Epiſcopus, Archiepiſcopus, Legatus, & ſimiles. Conſtituitur autem à Lege, vel Principe, Conſvetudine, vel Univerſitate. Igitur cùm Epiſcopus in tota ſua diœceſi jurisdictionem ordinariam [a] noſcatur habere, poterit in qvolibet loco ſuæ diœceſis non exempto, per ſe, vel per alium, pro tribunali ſedere, & ea, qvæ ad ipſius ſpectant officium, liberè exercere, & cùm opus fuerit, auxilium publicum implorare [b].

a *cap. cùm Epiſcopus. de offic. ordin. in 6.*

b *cap. 1. in fin. extr. de offic. ordin.*

qvædam ſunt ordinaria] Diſtinctio hæc communis qvidem eſt & valdè uſitata, ſed variè tamen explicata, & in diverſos planè ſenſûs accepta. Vid. Ilico Ummius *de proceſſ. diſp. 1. n. 7.*

vel ſuperioris beneficio] Qvaſi verò, qvi ſuo jure jurisdictionem habet, non habeat eam beneficio ſuperioris; & vice versâ, qvi beneficio ſuperioris habet, non habeat eam ſuo jure. Enimverò ipſa tota Magiſtratûs poteſtas tùm qvoad eſſe, tùm qvoad operari à ſumma dependet majeſta-

te, & tamen ſuo jure jurisdictionem habet, qvia ſcilicet magiſtratus eſt, cùm nec concipi poſſit Magiſtratus ſine jurisdictione.

ArchiEpiſcopis] ArchiEpiſcopi in ſuos qvidem ſubditos & in ſuâ diœceſi, ut alii qvivis Epiſcopi, ordinariam exercent jurisdictionem; in totam verò provinciam exercere ordinariam poteſtatem, & corrigere ſubditos ſuorum ſuffraganeorum neqveunt. H. Zoeſ. *ad tit. X. de offic. judic. ordinar. num. 11.*

â lege] ſcilicet Eccleſiaſticâ, qvam tamen ipſam, non niſi ex Pontificis Rom. confirmatione & conſenſu valere dixit ſupra *lib. 1.* Sed perperam, & ex hypotheſi plusqvam tyrannicâ.

vel principe] Rectè habemus ergo confitentem adverſarium, poſſe â principe conſtitui judicia Eccleſiaſtica. At vulgare eſt principium Canoniſtarum, nefas eſſe, Laicum qvantæcunq; poteſtatis circa Eccleſiaſtica aliqvid diſponere. Niſi fortè per Principem autor intelligi velit Papam, qvod & inſolens eſſet, & in materiâ tàm litigiosâ minus accuratum.

non exempto] De exemptionibus Clericorum & Monachorum ab inſpectione Epiſcopi prolixè dixi *lib. 1. tit. 29. §. Abbas qvoqve.*

Qvid ſit Judicium, extraordinarium & qvid Judex delegatus. h. d.

§. 11. Extraordinarium [c], ſive delegatum judicium eſt, qvod coram judice delegato exercetur. Judex delegatus eſt is, cui ab eo, qvi demandare poteſt, cauſa committitur.

c *gloſ. 2. cap. qvoniam cõtra. extrà. de probation.*

cauſa committitur] non una ſemper, ſed qvandoqve plures, ſive etiam cauſarum univerſitas. Tale enim officium delegatum habet vicarius Epiſcopi, cui delegata eſt cauſarum contentioſarum univerſitas. Zoeſ. *tit. de offic. jud. deleg. n. 2.*

Non ſolùm Princeps, ſed etiam alii Ordinarii poſſunt delegare, licet delegatus à Principe ſit magis privilegiatus. h. d.

§. 12. Poſſunt autem jurisdictionem mandare, non ſolùm

lùm Princeps, verùm etiam alii ordinarii. Is tamen, cui à Principe mandatur, cæteris longè præstat: nam & alteri ex causâ subdelegare, nisi illius electa fuerit industria [d], renitentemq; compellere, & propriam sententiam exeqvi [e], & contra ipsum ordinarium procedere potest: qvæ in cæteris delegatis non obtinent.

c. Si pro debilitate.

d cap. fin. §. pen. ext. de offic. deleg.

e cap. significasti. ext. de tit.

subdelegare] Interest, qvâ intentione princeps jurisdictionem concedat, num ut judicem tantùm faciat, an verò, ut jurisdictionem simul faciat propriam. Utroqve enim modo jurisdictio transfertur, qvod secus est in judice dato à Magistratu, qvippe qvi notionem tantùm habet, jurisdictionem non habet, nec sententiam suam exeqvi potest, *l. à Divo 15. ff. de re jud.* Potest ergo, tùm qvi propriam habet ex datione Principis jurisdictionem, tùm qvi mandatam duntaxat habet, ut est judex ab eo datus, alium judicem dare, & hactenus de utroqve verum est, qvod delegatus Principis subdelegare possit. Jurisdictionem autem delegare alii neqvit, nisi qvi propriam eam habet, qvalem non habet judex à Principe datus. Vid. Hug. Donell. *l. 17. c. 8. circa fin.* Arn. Vinnius *de jurisdict. cap. 9.* Rutger. Rulant *de commissar. lib. 3. cap. 5. 6. 7.*

qvæ in cæteris delegatis non obtinent] Primum illud, qvod qvi mandatam à magistratu jurisdictionem habet, alteri eam mandare non possit, sine dubio verum est, *l. 5. ff. de jurisd.* qvia scilicet proprium nihil habet, *lib. 1. §. 1. ff. de offic. ej. cui mand. l. 13. ff. de offic. Pro Cons.* sed alienâ, idest, mandantis jurisdictione utitur *d. l. 1. §. 1. l. 3. de offic. ej.* eam ergo alteri utendam dare non magis potest, qvàm rem sibi commodatam alteri commodare. Alterum verò, qvod talis mandatarius propriam sententiam exeqvi neqveat, falsum est de jure Civili, qvippe qvo ille, cui mandata est jurisdictio, simul accipit mixtum imperium *l. fin. ff. de offic. ej. cui mand.* Vid. Arnold. Vinnius *de jurisdict. cap. 9. n. 10.* Sed videtur hic sequi autor commentum Doctorum, qvi ex mandatario jurisdictionis & judice dato, novum fecérunt eos delegati, ut à priori qvidem participet illud

lud, qvod jurisdictionem alteri mandare neqveat, à posteriore, qvod sententiam suam exeqvi non possit. De qvâ mixturâ vid. Frankz. *tit. ff. de jurisdict. n. 39.*

Delegatus à Principe regulariter non potest qvem citare, ut compareat personaliter. h. d.

§. 13. Non[f] tamen in civili judicio alterutri parti, ut coram se personaliter compareat, jubere poterit, nisi vel mandatum ad hoc speciale receperit, vel nisi pro veritate dicenda, vel pro juramento calumniæ exhibendo, vel alia juris necessitas partes coràm exigat, specialiter præsentari.

[f] *cap. 1. de jud. in 6.*

in civili judicio] aliud igitur obtinet in criminali, de qvo dicendi locus erit *tit. seq.*

jubere poterit] Regula est, qvod in omni causâ pecuniariâ seu civili admittatur Procurator *l. ult. C. de procurator.* dum tamen de privato cujusq; commodo agatur *l. 5. junct. l. penult. §. 1. de popul. act. l. 42. pr. & l. 45. §. 1. ff. de procur.* Excipiuntur causæ, in qvibus ipsius Domini præsentia necessaria est, de qvibus vid. Donell. *l. 18. c. 10.* Barnab. Cornazzan. *decis. 80.*

juramento calumniæ exhibendo] etiam in iis casibus, in qvibus qvis personaliter in judicium venire cogitur, sufficere, si ipse mittat procuratorem habilem, & benè instructum, cum mandato speciali, tradit post alios Ludolph. Schrader. *de feud. part. 10. sect. 18. n. 93.* Poterit igitur juramentum calumniæ etiam per procuratorem speciale mandatum habentem præstari, *c. fin. de juram. calumn. in 6.* Id mandatum verò non speciale tantùm, sed singulare etiam ut sit, h. e. cum insertione & expressâ mentione causæ, reqvirit Fernand. Vasqv. *lib. 5. controv. c. 25. n. 18.* Verùm id minus observari, testatur Gail. *lib. 1. obs. 83. n. 3.* Cæterùm potest Judex, inspectâ qvalitate personarum principalium non admittere procuratorem, etiamsi speciale mandatum habeat, sed jubere, ut ipsæ principales personæ hoc juramentum præstent. *c. 3. X. de juram. calumn.* Add. Scaccia *de judic. lib. 2. s. 1. n. 178. seq.* Obrecht. *de juram. calumn. c. 6.*

Dele-

Delegatus à Papa non ſubdelegat, niſi perſonis hîc enumeratis. h. d.

§. 14. Sed nec omnibus promiſcuè vices ſuas demandare poterit[a], ſed illis duntaxat, qvib. authoritate literarum ſedis Apoſtolicæ vel legatorum ejusdem cauſæ committuntur, hoc eſt, non niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, vel Eccleſiarum cathedralium Canonicis.

[a] *cap. ſtatutum de reſcr. in 6.*

ſed illis duntaxat] Pertinet enim ad dignitatem atq; autoritatem judiciorum, ne privatis hominibus jurisdictio ſit: cum neq; inſignibus magiſtratûs uti poſſint. Matth. Stephan. *de jurisdict. lib. 1. cap. 17. n. 6.* Atq; ita contra jus civile, qvod etiam privatis mandari jurisdictionem permittit *l. ult. ff. de offic. ej.* receptum eſt jure Canonico, ut non niſi autoritate pollentibus jurisdictio mandetur, vel potius hoc ad illos privatos reſtrictum eſt, qvi in aliqvâ ſunt dignitate.

non niſi dignitate præditis] Differunt dignitas, perſonatus & Officium. Dignitas annexum habet officium, vel rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem cum jurisdictione. Perſonatus eſt qvædam prærogativa in Eccleſiâ poſt exiſtentes in dignitate, ſicuti habere locum honorabiliorem in choro & primum locum in proceſſionibus inter cæteros ſui ordinis, ſine officio & jurisdictione. Officium verò eſt adminiſtratio aliqvarum rerum ſine dignitate & perſonatu. Auguſtin. Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib. 1. c. 21. n. 20. ſeq.* Gulielm. Redoan. *de Simon. part. 1. c. 13. n. 6.* Vid. qvæ dixi ad tit. *de collationib. 27. lib. 1. §. Ex naturâ.*

Eccleſiarum cathedralium Canonicis] cur non etiam Canonicis Eccleſiarum collegiatarum, qvandoqvidem & ipſi in dignitate ſunt conſtituti? Nihil hîc reſpondere poteſt Barboſa, qvàm qvod lex ita ſcripta ſit, *lib. de Canon. & dignitat. c. 19. n. 10.*

Poteſt una cauſa etiam pluribus delegari, & ſi in reſcripto non fuerit adjecta clauſula: Qvòd ſi omnes: non valebit proceſſus, niſi ſimul procedant: ſecus ſi talis clauſula fuerit adjecta, qvò caſu procedere poterunt, ſi conſtet, aliqvos non poſſe, vel nolle intereſſe. h. d.

b *cap. scisci-tus. extr. de rescript. & cap. prudentiam. ext. de offic. deleg.*

§. 15. Item [b] mandari potest jurisdictio, tam uni, qvàm pluribus, certis tamen: sed si pluribus mandata sit, non adjecto eo, *Qvòd si omnes interesse nequiverint, reliqvi exequantur*, nisi simul omnes conjunctim processerint, qvicqvid aliqvi fecerint, nullam juris habebit efficaciam. Planè si is, qvi interesse non potest, vel Conjudici suo, vel alii vices suas commiserit, perinde res accipienda est, atqve si omnes simul procedant. Aliud juris est, si illud adjectum sit. Nam nec impeditorum collegarum subdelegatos admittere cogendi erunt, & qvod pars illorum fecerit, ratum habendum erit. Hoc tamen ita demum obtinebit, si reliqvis procedere volentibus, qvosdam vel interesse non posse, vel omninò nolle legitimè constiterit: aliqvi procedentes nihil agent.

certis tamen] scilicet ab ipso mandante constitutis, nec enim valet mandatum ejusmodi, qvo litigantis alicujus negocia arbitrio judicis unius vel plurium, qvos ipse sibi elegerit, committuntur, *c. ad hæc 10. X. de rescript.*

conjunctim processerint] Vocabulum hoc obscurum est. Qvid enim, si unus dissentiat, aut etiam sententiam suam dicere nolit? Utiqve talis non conjunctim procedit cum reliqvis, & tamen valet sententia à reliqvis lata *l. 36. l. 39. ff. de re jud.* Sufficit ergò, conjunctim adesse omnes, *l. 37. eod.* nec possunt reliqvi judicare, si vel unus absit *d. l. 39.* qvia scilicet potuit ejus præsentia vel oratio cæteros in sententiam trahere *l. 17. §. ult. ff. de recept. arb.* Qvi si adsit, omnes judicasse censentur *d. l. 37.* ut maximè u-

nus

nus eorum contrarium sentiat, aut planè qviescat, qvia scilicet judicare jussi sunt, non idem judicare. Donell. *lib 27. c. 8.* Duaren. *ad d. l. 36. & 39.* Ex eo autem, qvod omnes conjunctim procedere debeant, colligunt, etiam citationem ab omnibus decerni debere, aliàs inefficacem & invalidam eam esse. Sebast. Vant. *de null. sent. ex defect. citat. n. 27.*

vel conjudici suo] De jure civili judex datus conjudici suo non videtur vices suas committere posse, cum sic alium judicem daret, qvod ipsi non licet *l. 5. C. de judic.* nisi datus sit à Principe, tùm enim mandatam accepit jurisdictionem, cujus vi, ut judicem dare, ita conjudici vices suas committere potest. Sed neqve hic qvidem potest, si electa fuerit ejus industria, aut si à pluribus rem expediri voluerit committens. Gail. *lib. 1. obs. 97.*

legitimè constiterit] anteqvam scilicet in causâ procedatur. Ut maximè enim postea constet, extitisse impedimentum, nihilominus nullum esse processum dicunt. qvia scilicet tunc judex ignoraverit, suam jurisdictionem esse purificatam propter impedimentum collegæ. Judex enim qvando procedit ignoratâ jurisdictione, processus est nullus, etiamsi ipse verò esset judex. Scaccia *de sentent. & re jud. gloss. 7. q. 3. limit. 2. n. 28.* Atqve hinc volunt, in citatione faciendam esse mentionem de excusatione tertii, eâqve omissâ per citationem simpliciter conceptam non arctari citatum ad comparitionem. Leipold. *de concurrent. jurisdict. qv. 17.* Istud addo, condelegatum, qvi procedere recusat, & alterum tamen in jurisdictione impedit, posse ab illo altero puniri, qvia tùm non consideratur ut persona habens jurisdictionem, sed ut persona privata. Menoch. *de arbitr. jud. qvæst. cas. 438. num. 13.*

Si unus ex pluribus delegatis negocium inchoaverit, alii non possunt se intromittere, nisi ex causa. h. d.

§. 16. Porrò [c] uno illorum commissum negocium inchoante, alii ulteriùs se intromittere non poterunt, nisi aut infirmitate, vel aliâ justâ causâ illum, qvi causam tractare inceperit, contigerit impediri, aut idem nollet, vel dolo malo in eo procedere recusaret.

[c] *cap. cùm plures. §. porrò. de offic. deleg. in 6.*

se intromittere non poterunt] Confundit autor clausulas, sub qvibus delegatio fieri solet. Interdum enim fit delegatio hoc modo: *Qvid si omnes &c:* de qvo egit autor §. *anteced.* interdum verò sub his verbis: *Ut omnes aut duo vel unus eorum mandatum apostolicum exequantur.* Et de hôc ultimo delegandi modo in hoc paragrapho agi, probari potest ex matrice ejus, qvæ est in *c. cum plures §. de offic. & pot. jud. deleg. in 6.* Autor verò ejus planè nullâ mentione factâ, prædicata & effectûs ejus subjungit immediatè clausulæ priori, sed qvæ tamen ipsa ab alterâ multum differt. Per illam enim priorem usus seu exercitium juridisctionis uni tantùm vel duobus conceditur non purè, sed in eventum & conditionaliter, qvando cæteri interesse non possunt. At per posteriorem statim â principio singulis & cuilibet ex judicibus purè & in solidum conceditur, & sic qvilibet eorum solus, alio non expectato, in causâ procedere valet, eoq; jurisdictionem præveniente, reliqvi non nisi in illius defectum admittuntur. Aug. Barbos. *de clausul. claus. 125. n. 3. seq.*

Jurisdictio perpetuata perunum, intelligitur perpetuata qvo ad omnes. h. d.

d *cap. cùm plures. in fi. de offic. deleg. in 6.*

§. 17. Jurisdictione [d] verò per unum vivo mandatore perpetuatâ, qvoad omnes condelegatos judices perpetuata intelligitur.

vivo mandatore perpetuata] qvando scilicet is, cui mandatus est jurisdictio, â partibus fuit aditus, aut si jam præcesserit in jus vocatio juxta mores hodiernos facta per apparitorem & parti insinuata.

Delegatus debet diligenter servare fines mandati; & cum qvid committitur, censentur omnia commissa, per qvæ pervenitur ad illud. h. d.

c. *venerabili. d. t.*

§. 18. Sed sive uni, sive pluribus, sive à Principe, sive ab alio mandata fuerit jurisdictio, mandati forma diligenter custodienda erit: nec aliqvid contrà, qvàm sibi mandatum fuerit, delegatus tentare audebit. Planè jurisdictionem impedientes, vel in judicium veni-

venire detrectantes, delegatus à principe Ecclesiasticâ districtione, etiamsi literæ commissionis id non contineant, coërcere poterit, vel pro delicti & causæ qvalitate, secundum arbitrium suum, si certa pœna à Canonibus [e] non exprimatur, mulctare : qvia ex eo, qvòd alicui causa committitur super omnibus [a], qvæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenam recipit potestatem.

e *cap. de causis in fin. ext. de offic. delegat.*

a *cap. præterea in fin. ext. d. tit.*

diligenter custodienda erit] Dixi aliqva ad *lib. 1. tit. 27. §. Eodem spectat.* Cæterum per æqvipollens (h.e. æqvè utile aut etiam utilius, qvàm est id qvod præscriptum) tùm demum impleri potest mandatum, si constet, qvod præscriptum est, non esse præscriptum sub speciali suâ formâ, sed cum consideratione generaliore, qvæ aliter qvoq; obtineri possit, qvi casus esse videtur *in l. ult. §. ult. ff. mandat.* Qvod si de eo non satis constet, dissolvitur officium imperantis, si qvis ad id, qvod facere jussus est, non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondeat, ut loqvitur Agellius *l. 1. noct. attic. c. 13.* Hugo Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 16. n. 21.* facit huc *l. 46. ff. mand.* Certè nullibi magis difficile aut periculosum est, mandati fines excedere, qvàm in publicis & ubi reipublicæ res est gerenda, *l. 3. §. in bello ff. de re milit.* & tamen in illis qvoqve pro ratione circumstantiarum aliter qvandoq; agere licere, commune est assertum politicorum. Vid. Arn. Vinnius *ad §. §. Inst. de mandato.* Andr. Gerhard. *exercitat. 15. n. 10.* Gail. *lib. 1. de pac. publ. c. 4. n. 29.* Cæterùm circa mandatam jurisdictionem, de qva hîc agit autor, vix est, ut egredi mandatario fines mandati liceat. Rutger. Rulant *de commiss. part. 1. lib. 3. c. 2. n. 13. seqq.* qvia sc. mandantis interest, ut hoc & non alio rando jurisdictio exerceatur; Mandatarius ad hanc observationem tenetur non jure contractus aut qvasi, sed jure imperii, cui obtemperare cogitur. Gœdd. *de sequestrat. c. 1. n. 62.*

delegatus à principe] imò qvilibet alius, qvi mandatam habet, etiam à nudo magistratu, jurisdictionem. Qvia enim in eâ exercendâ mandantis fungi debet vice, in eum unà cum jurisdictione simul transit mix-

tum imperium, defendendæ sc. & exeqvendæ jurisdictionis gratiâ, cum sine ullo imperio jurisdictio explicari neqveat. *l.1.§.1.l.ult.§.ult.ff.de offic.ej.*

ecclesiasticâ districtione] qvæ etiam de pœna temporali potest intelligi. Abb. *in c.1. X. de offic. del.* Et hic ita intelligi oportere argumentum est, qvod de delegato Principis agat. Cæterùm qvomodo puniri debeat, qvi impedit judicis delegati jurisdictionem, videri potest Menochio *de A.J.Q. cas.438.n.17.seqq.*

Rationabiles exceptiones admittet delegatus, nisi verba rescripti sonent in contrarium. h.d.

b *cap. ex parte.el 2.ext.de offic.delegat.*

§. 19. Rationabiles[b] qvoqve & honestas exceptiones, & à juris æqvitate non abhorrentes, licet id expressè mandato non comprehendatur, admittet: nisi, qvòd nullæ debeant exceptiones admitti, literis expressum fuerit.

nisi qvod nullæ debeant] Disceptant Doctores, utrum per rescriptum Principis aut per statutum omnes in universum exceptiones Reo adimi possint? Et certè, si exceptiones sunt juris gentium, prout firmat Bachovius *ad Treutl.disp.de except.th.1.* nulla videtur tanta vel Principi, vel legi, aut statuto potestas esse, ut tollere eas in universum possint. Unde statuunt Doctores communiter, per tale rescriptum, statutum aut legem irrationabiles tantùm aut frivolas exceptiones excludi, non alias. Gail. *l.1.obs.33. n.5. & lib.1.de pac.publ.c.12.n.20.21.* Schrader *de feud.p.10.sect.3.n.9.* Dominic. Arumæ. *Exercitat. Justinian.19.n.3.* neq; eas, qvæ ex alio statuto proveniunt. Flaminius Chartar. *de execut. sentent.cap.fin.n.190.* Qvibus tamen contradicunt Colerus *de process.executiv.part.4. c.1. n.19.* & Augustin. Barbos. *in c.ex parte 13. X. de offic. & potest.jud. deleg.* unde paragraphus hic noster desumptus est. Aliter Mynsinger *cent. 2. obs.10.* qvi frivolas tantùm exceptiones in rescripto, omnes verò & universas in statuto aut constitutione excludi contendit, apud qvem id præcipuè offendit, qvod pro ratione ponat potestatem tollendi jus alterius, qvam eqvidem ut Principi citra necessitatẽ tribuamus, nulla ratio svadet. Tutissimum est dicere, & qvidem ad mentem Coleri, qvi sententiam suam *num.36.* ita explicat, non posse Principem in totum tollere exceptiones competentes, posse tamen eas modificare, limitare, in respectu

ad

ad hoc & nunc propter justam causam à præsente processu excludere, & futuro tempori reservare, atq; differre. Sed &, si alio in judicio discutiendas ea, remiserit, non videtur intellectum id voluisse de illis, qvæ patent ex ipso instrumento, & ad substantiam actus pertinent. Illas enim, cum instrumento insint & ex illius inspectione colligantur, non obstante rescripto aut statuto, illicò opponi posse, verius videtur, eò sc. qvod non censeatur impugnare instrumentum, qvi eo nititur. Anton. Massa Gallesius *ad form.cam.obl.ad qvart.part.q.1. n.8.9.* Qvâ ratione, & qvia iniqvum videtur, justis exceptionibus & defensionibus rejectis reum condemnari, constitutiones & rescripta Principum non nisi certas exceptiones admittentia, ad alias similes plerumq; à Doctoribus extenduntur, dum tamen in continenti, h. e. intra terminum probatorium, qvi apud nos est sex septimanarum & trium dierum, probari possint. Vid. Gallesi. *d. l.* Fernand. Vasqv. *l. 1. controv. c32.n2.* Zanger. *de except. part. 3. c.26.n.61. seqq.* Carpzov. *p.1. const.8. def.17. 18.19.20.21.22.* Berlich. *p.1.concl.84.n.4. seqq.* Rauchbar *p.2.q.25.n.98.seq.* Atq; ita Serenissimus Saxo, postqvam in ordinatione provinciali de ann.1555. & in Ordinat. proceff. judic.tit.39. præter compensationis & solutionis exceptionem adversus instrumentum guarentigiatum nullam aliam admitti debere constituisset, & per Interpretes hactenus ad alias qvoq; ejusdem notæ exceptiones extensa ea constitutio esset, novissimis decisionibus, qvæ anno 1661. prodierunt, *decisione secundâ* disertè constituit, ut præter solutionis & compensationis exceptiones, aliæ qvoq; in continenti deducibiles admitti debeant.

Delegatus habet jurisdictionem etiam in eum, in qvem fuit facta alienatio post impetratum rescriptum, licet rescriptum de eo non faciat mentionem. hoc dicit.

§. 20. Sed [c] etsi literas adversus Titium ab Apostolico impetraveris, & is, ut mandatum eludat, ante qvàm literæ ad judicem datum perveniant, vel etiam postea, anteqvàm citetur, de possessione, de qva controversia vertitur, commutationem fecerit, eum, qvi in possessionem sese ingesserit, poterit de-

[c] *cap.1. & 2. ext. de alien. jud.mut.*

lega-

legatus cogere, ut coram se juris pareat æqvitati: nec, qvòd rescriptum contra Titium impetratum fuerit, opponi poterit. Generaliter enim omnis venditio, cessio, & alienatio judicii mutandi causâ facta, utroq; jure prohibetur: aliàs delegata jurisdictio ad personas rescripto non comprehensas, etiam ipsis volentibus, prorogari [d] non potest.

[d] *cap. porrò. in fin. ext. de offic. delegat.*

antequam citetur] Intelligitur enim alienatio facta futuri judicii causâ. Id ergo si jam cœptum est, & res facta litigiosa, ad extensionem hujus delegationis non pertinet, sed eo judicio tota causa meritò terminatur *l. 2. & 3. C. de litigios.*

de possessione] Sufficit enim possessionem tantùm transferri, ut qvis teneatur edicto de alienatione judicii mutandi causâ factâ. Duaren. *ad istum tit.*

juris pareat æqvitati] Non tamen conveniri potest ille ex edicto prætoris, sed actione in rem, qvam sc. actor ante alienationem adversus alienantem instituere intenderat.

aliàs delegata jurisdictio] Scil. si pars tantùm jurisdictionis & in specie ad unam aliqvam causam fuit delegata. Qvod si verò universa jurisdictio mandata est, nihil obstat, qvo minus ejus fieri possit prorogatio. *l. 1. ff. de judic.* Nam cum magistratus totam suam jurisdictionem alicui mandat, mandatarius in partibus omnibus mandantis vice fungitur, ut absurdum sit, hoc casu prorogationem non habere locum. At cùm ad unam aliqvam causam mandatur jurisdictio, extra id, qvod mandatum est, nihil exerceri potest, ne fines mandati excedantur. Arnold. Vinnius *de jurisdict. c. 10. n. 6.*

Mandatum Apostolicum ex causa potest executioni mandari, etiam in alio loco ab expresso in mandato. h. d.

[e] *cap. statuimus. de offic. deleg. in 6.*

§. 21. Simili ratione statutum [e] est, ut, si is, per qvem

ab

ab Apoſtolica ſede certo loco inqviſitio , vel qvid aliud expediri mandatur , ob illius potentiam, vel malitiam, contra qvem inqviri, vel procedi mandatur , vel fautorum ejus eo loco ſecurè mandatum executioni mandari neqveat, ad id exeqvendum locum ſecurum & idoneum eligere valeat, ne qvis ſcilicet ex proprio dolo , vel fraude commodum reportet. Qvinimò idem faciet, ſi alia probabilis cauſa ſubſit, propter qvam in loco decreto perfici commodè neqveat , qvod mandatur: ne tali prætextu impediri contingat mandatum Apoſtolicum , vel differri.

Qvin imò idem faciet] Dum tamen æqvè benè alibi expediri poſſit , qvod certo ut expediatur loco fuit imperatum. Locus enim, dum plerumq; extrinſecum qvid eſt , tàm deſtinatè imperatus non præſumitur, qvàm id , qvod eo loco peragi debet. Si igitur propter aërem peſtilentem accedere non liceat locum deſtinatum , qvod alibi id , qvod mandatum eſt, expediri poſſit, dubium nullum eſt. cum & aliàs locus non tutus juſtam præbeat excuſationem. Zanger. *de except. p. 2. c. 5.*

Delegatio ſolvitur revocatione jurisdictionis re integra. h. d.

§. 22. Solvitur autem delegatio multis modis: putà, revocatione, morte, impotentia delegati, executione ſententiæ, propria pronuntiatione, temporis fluxu, recuſatione. Revocatione, cùm is, [f] qvi mandavit jurisdictionem, ante qvàm is, cui mandata fuerit, eâ

[f] *cap. qvamvis. de offic. deleg. in 6.*

eâ uti cœperit, mandatum revocat, cùm eo casu jurisdictio in eum efficaciter transisse non censeatur.

antequam is] Recentiores pleriq; statuunt, quod revocare liceat jurisdictionem mandatam etiam tùm, quando mandatarius jam uti eâ cœpit, adeoq; etiam post litem contestatam, quia sc. ipsi mandanti res nunquam desinat esse integra, nec quicquam habeant aut mandatarius aut litigantes, quod prætendere possint. Non ille, quia causæ cognitionem suscipit non vi mandati, quat. contractus est, sed imperii necessitate. non hi, quia eorum consensus jurisdictionem non tribuit, atq; ideò illorum hactenus pecuniariter nihil interest. Gœdd. *de sequestrat. c. 1. n. 58. seq.* Sed enim diserte contrarium dicitur *in c. quamvis, 6. de off. & pot. jud. del. in 6.* ex quo hic § desumptus est. Nec forte talia sunt contradicentium argumenta, quibuscum velis in tenebris micare.

Morte tam delegantium, quàm delegatorum solvitur delegatio: & si unus ex pluribus delegatis moriatur, adhuc solvitur delegatio, nisi aliud expressum sit in rescripto, vel sub nomine dignitatis facta sit delegatio. hoc dicit.

a *cap. licet undiq;. el 1. de offic. delegat.*

§. 23. Morte[a] extingvitur delegatio, tam ejus qvi mandavit, si re integra decesserit, qvàm etiam eorum qvi delegationem susceperunt: qvod qvidem adeò obtinet, ut si pluribus[b] judicibus datis unus rebus eximatur humanis, delegatio etiam qvoad superstites expiret: nisi aliud in delegatione comprehensum fuerit, aut sub dignitatis[c] nomine non proprio facta fuerit.

b *cap. uno de legatorum. ext. de offic. delegat.*

c *cap. qvoniã. extr. d. tit.*

sive integrâ decesserit] Si enim is, cui mandata est jurisdictio, eam gerere, illâq; uti & negotio operam dare cœperit, citando sc. partes, aut judicem dando, etsi litis contestatio subsecuta nondum fuerit, res amplius integra non est. Tùm enim verè usus censetur jurisdictione, qvando citatio-

tionem partibus insinuari fecit. Joh. del Castillo *controverſ. qvotid. lib. 2. cap. 29.* Qvid verò, ſi mandatarius ignorans mortem mandantis, poſt obitum ejus aliqvam cauſam expedire aggreſſus eſt? Non arbitror, deſiſtendum ei eſſe, propterea qvod per uſum ſatis jam radicata eſt jurisdictio. *c. gratum 20. X. de offic. & pot. jud. del. §. 8. Inſt. de mandat.*

niſi aliud in delegatione comprehenſum] qvod fit, qvando inſeruntur clauſulæ ſupra memoratæ: *Qvodſi omnes* &c. &, *ut omnes aut duo* &c.

Mors & abſentia æqviparantur re non integra. h. d.

§. 24. Qvæſitum eſt, ſi ab Apoſtolica ſede datus judex, qvoties eum abeſſe [d] contigerit, vices tibi ſuas commiſerit, an ſi is rebus eximatur humanis, commiſſum tibi negotium liberè valeas diffinire? & cùm tunc qvoq; cenſeatur abeſſe, reſcriptum eſt, ſi illo viveute jurisdictione uti cœperis, poſſe te non ſecus, ac ſi is viveret, & abeſſet, in negotio procedere. Idem juris eſt, ſi tibi vices ſub ea forma committat, donec eas revocandas duxerit.

[d] *cap. ſi delegatus. de offic. deleg. in 6.*

Et cum tunc qvoq; cenſeatur abeſſe] Suſtineri id videtur ex æqvitate, & ad evitandas ambages. Aliàs ſine dubio contra intentionem mandantis abſentia de morte explicatur.

Delegatio perimitur impedimento delegati, tam juris, qvàm facti. h. d.

§. 25. Sed etſi delegatus mortuus qvidem non fuerit, ita tamen impediatur, ut omnino delegationis negotio intereſſe non poſſit, extingvitur delegatio. Impedimentum autem intelligitur, tam juris, qvàm facti. Juris, ut [e] ſi infamis factus, aut alio legitimo

[e] *cap. ſciſcitatus. extr. de reſcript.*

Digitized by Google

impedimento detentus fuerit. Facti, ut si inevitabili necessitatis articulo, putà infirmitate, præpediatur.

si infamis factus] Infamis igitur non tantùm fieri non debet judex, sed etiam si factus fuerit, aut etiam, si infamiâ, postqvam jam factus fuerat, notetur, repelli ab officio potest *l.12.C.de dignitat.lib.XII.* dum tamen contra eum excipiatur, & à partibus inhabilitas ejus opponatur. aliàs enim non est sententia ab judice infami lata nulla. Marq.Freher. *de existimat.lib.3. c.28.n.10.* Zanger. *de except.part.2.c.4.n.51.* Et igitur, qvod extingvi hîc dicit autor delegationem, intelligendum est de tali extinctione, qvæ fit per exceptionem. Sed & à Principe ex certa scientia constitui potest judex, qvi infamis est, & tum tacitè cum eo dispensasse Princeps atq; ad illud munus habilitasse censetur, neq; eo casu excipi contra talem poterit. Seb. Vantius *de null.ex def.jurisd. deleg.n.52.*

aut alio legitimo impedimento] puta si servus factus, aut excommunicatus fuerit.

Jurisdictio delegati à Principe expirat per executionem sententiæ. h. d.

f *cap.in literis.extra.de offic.deleg.*

§. 26. Idem juris est[f], si delegatus à principe per se, vel per alium sententiam executioni mandavit, vel mandari præcepit. Tunc enim ejus jurisdictio cessat, qvia semel est officio suo functus.

Idem juris est] Brevius hæc dici potuissent, qvod mandata jurisdictio cesset finitâ causâ.

executioni mandavit] Hoc non tantùm potest delegatus à principe, sed etiam is, cui mandata est jurisdictio, eò qvod mandatâ jurisdictione, etiam imperium mixtum, qvod jurisdictionis defendendæ & exeqvendæ gratiâ comparatum est, transeat. *l.1. §. ult.l.fin.§.1.ff. de offic.ej.l.2.ff. de jurisdict.* Arn.Vinn. *de jurisd.c.9.n.10.*

Si judex delegatus pronunciat se judicem incompetentem, expirat jurisdictio. hoc dicit.

§.27. Item

§. 27. Item [g] si judex delegatus interloqvendo pronunciaverit se super aliqva causa procedere non debere, usqveadeo jurisdictionem amittit, ut etiam ex litigatorum consensu illam reassumere non possit.

[g] *cap. significantib. extra. de offic. deleg.*

ut etiam ex litigatorum consensu] Si tamen præter delegatam jurisdictionem habeat aliam propriam, ex litigatorum consensu & prorogatione cæteris paribus judicare poterit, non qvidem vi jurisdictionis delegatæ, sed propriæ.

Si in rescripto tempus apponatur, transacto termino expirat jurisdictio. h. d.

§. 28. Sed [h] & cùm causa intra certum terminum decidenda committitur, termino transacto mandatum expirat, nisi tempus communi partium consensu prorogatum fuerit. Terminus autem tunc incipit currere, cùm judices literas recepisse contigerit.

[h] *cap. de caus. fis. ex. de offi. delegat.*

nisi tempus] Satuit hoc autor cum Pontifice suo ex pravo intellectu *l. 2. §. 2. ff. de judic.* Loqvitur enim ille textus de judice pedaneo, qvi nullam habet jurisdictionem, sed nudam notionem, qvo casu, qvia tempus favore litigantium creditur adjectum, nulla prohibet ratio, qvo minus eorũ expresso consensu prorogari id liceat, utiq; si & ipse judex consentiat. At jurisdictio ubi mandata est ad tempus, tempus istud non litigantium neq; delegati, sed ipsius mandantis causa creditur adjectum, ut adeò præter ipsius voluntatem protogare id nulli liceat. Vid. Bachov. *in Treutl. de jurisdict. th. 7 lit. E.* Sutholt. *de jurisdict. n. 374.* Vinnius *de jurisdict. c. 10. n. 12.*

Potest qvis conveniri vigore literarum posteriorum, etiam non facientium mentionem anteriorum, quas adversarius impetravit, sed per annum non fuit usus. h. d.

Digitized by Google

a *cap. ſi autẽ. & cap. plerumq;, ext. de reſcript.*

§. 29. Non abſimili ratione conſtitutum eſt[a], ut ſi qvis Apoſtolicas literas impetrans infra annum, poſtqvam judicum copiam habuerit, dolo, vel negligentia eis uti diſtulerit, authoritate poſteriorum literarum, qvas poſtea forſan ejus adverſarius impetraverit, conveniri valeat, licet in poſterioribus nulla mentio de prioribus habeatur.

licet in poſterioribus] Regula eſt: In iis, qvæ ambulatoriam admittunt voluntatem, poſterior actus ſemper vincit priorem, ut in teſtamentis, codicillis, donatione mortis causâ & ſimilibus. In iis v. qvæ pœnitentiam non recipiunt, prior actus, ſi validus ſit, ſemper vincit poſteriorem, niſi uterq; ſimul conſiſtere valeat. Hillig. *in Donell. enucl. lib. 18. c. 15.* Reſcriptum igitur Principis, niſi per obreptionem impetratum fuerit, videtur eſſe ex iis, in qvibus pœnitentia locum non habet, cum nec privilegium qvidem â ſe, ut maximè ex merâ gratiâ conceſſum, ſine causâ revocare qveat Princeps, Rauchbar *l. 2. qv. 11.* Qvicqvid igitur hîc conſtitutum eſt, non tàm pœnitentiam ſupponit Principis, qvàm coërcitionem ejus, qvi reſcripto ejusmodi uti multo tempore noluit, præſertim cum impoſsibile ſit in curiâ Principis recordari omnia ea, qvæ anno adhinc geſta ſunt.

Recuſatione extinguitur delegatio, cùm judex datus ſuſpectus poſtulatur, & pronunciatur h. d.

§. 30. Recuſatione qvoqve extinguitur delegatio: qvod eo caſu accidit, qvo judex datus altero litigatorum petente, ob probabilem aliqvam ſuſpicionis cauſam ab judicio removendus pronunciatur: utputà[b], ſi judex datus dicatur dominus litigantium, aut conſangvineus, aut advocatus, aut cum

b *cap. cauſam qvæ. & cap. inſinuante. & c. cum viceſimum extra de of. del. c. poſtremò de Appellat.*

cum altero immodicam contraxiſſe familiaritatem, aut ab eodem in alia cauſa partem appellaſſe, aut nondum judicem ad legitimam ætatem perveniſſe.

altero litigatorum petente] Qvi ſuſpectus eſt, non deſinit eſſe judex, niſi recuſetur. Retinet n. jurisdictionem, licet elidibilem, & qvando jurisdictio competit, licet ſit exceptione vel recuſatione elidibilis, tenet ſententia â tali judice lata. Garſ. Maſtrill. *l. 2. deciſ. 151. n. 18.* Recuſari a. debet regulariter ante litem conteſtatam, niſi fortè de novo emergat cauſa, vel juſtè ignorata poſt demum in notitiam perveniat. Hâc n. exceptione, qvam jus Canonicum ſuppeditat, *c. inſinuante 25. X. de off. & pot. jud. deleg.* temperare licet rigorem juris civilis, recuſationem judicis non niſi ante litis conteſtationem admittentis. *l. 16. C. de judic.* Qvanqvam nec jure qvidem civili prorſus incognita ſit ea exceptio *l. 32. §. 14. ff. de recept. arbitr.* Cujac. *9. obſ. 23.* add. Sichard. *ad d. l. 16. n. 3. 4. 5.* Græven *part. 1. concluſ. 33. conſid. 3.* Recuſatio autem ſcripto comprehendi & ipſi judici recuſando exhiberi debet *d. l. 16. C. de judic.* Mynſing. *3. obſ. 63.* ad eum effectum, ut ſuſpendatur interim ejus jurisdictio, Mynſing. *4. obſ. 59.* Knichen. *de Saxon. non provoc. jur. verb. litt. provocat. neſc. c. 2. n. 36.* Cauſa a. recuſationis ut libello inſeratur, neceſſe non eſt de jure civili, uti communiter docent Doctores *ad d. l. 16.* At de jure Canonico cauſam eam exprimi debere oſtendit *c. ſuſpicionis 39 X. de offic. & pot. jud. delegat. c. ſecundo reqviris 41. & c. cum ſpeciali 61. X. de appellat.* Eſt & hæc juris civilis & Canonici differentia, qvod jure Canonico oblatâ recuſatione cogantur litigatores optare arbitros, ut apud eos cauſæ recuſationum examinentur, non ipſa cauſa principalis peragatur *d. c. ſecundo reqviris 41. & c. cum ſpeciali 61. X. de appellat.* Ipſe n. qvi recuſatur judex, nõ poteſt de ſuâ recuſatione cognoſcere, ſed ad arbitros conſenſu partium electos ea res devolvitur. Gœddæus *de ſeqveſtr. c. 1. n. 13.* Stephan. Aufrerius *de recuſat. n. 3.* Gail. *1. Obſ. 34. n. 6. & Obſ. 33. n. 14.* At jure civili judice recuſato electi arbitri de ipſo negocio principali, non de cauſis ſuſpicionis cognoſcunt, & ab illis qvaſi ſubditis in locum recuſatorum appellatur princeps aut prætor, qvi ſc. recuſatos dedit, qvive & ſubditos aut ſubſtitutos hosce communi conſenſu partium dediſſe intelligitur. *d. l. 16. & l. fin. C. de judic.* Cujac. *d. Obſ. 23.* Ex qvâ differentiâ dependere videtur altera illa jam antè memorata, qvod ſc. cauſâ recuſationis de ju-

de jure Canonico exprimi debeat, non a. de jure civili, qvia absurdum esset hoc jure, causâ expressâ non audiri judicem falsitatem causæ ostensurum, aut ejus veritatem probandi nullam necessitatem alleganti imponi. Bachov. *ad Treutl. disp. de judic. th. 11. lit. F.* Id obiter noto, judicem recusatum ut suspectum interrogari de causâ suspicionis posse, sed non posse, si ea fuerit criminosa. Anton. Tessaur. *decis. 6.* Stephanus Aufrerius *de recusat. n. 46.*

ob probabilem aliqvam] In testationibus excipiendis etiam minima causa facit judicem suspectum. Anton. Faber. *Cod. lib. 3. tit. 1. def. 2.* Et in genere omnes causæ, qvæ repellunt testem tanqvam suspectum, multo magis judicem repellunt, imò minor suscipio sufficit in judice, qvàm teste, qvia facilius est alium invenire judicem, qvàm alium testem. Gail. *1. obs. 33. n. 10.* Carol. de Grassis *de except. 24. n. 33.*

dominus litigantium] Dominus hic dicitur non respectu servi, sed respectu subditorum. Carol. de Grasis *d. l. n. 100.* aut potius famulorum. Stephan. Aufrerius *de recusat. n. 9.* cum non videatur sufficiens causa recusationis, qvod aliqvis sit subditus judicis, postqvam hodiè vix aliter exerceatur jurisdictio, qvàm in subditos.

aut consanqvineus] Sed ad qvem usq; gradum? Alii enim ad decimum gradum extendunt, qvousq; successio porrigitur, alii ad septimum, alii ad qvartum inclusivè. Vid. Steph. Aufrer. *d. l. n. 4.* Carol. de Grasis *d. l. n. 34. seq.* In eo tamen præcipuè mores regionum observari debere notat Hilliger in *Donell. enucl. lib. 17. c. 25. lit. F.*

aut advocatus] Non potest non esse suspectus, qvi causæ patrocinium vel de præsenti præstat, dum judex est, vel præstitis olim, & nunc in eàdem causâ judicis partes sustinet. *l. ult. C. de assessor.* Et qvia turpe hoc semper visum fuit, potest talis judex extra ordinem puniri, & pro re natâ vel carcere coërceri, vel ab officio removeri, vel etiam, si malè judicavit, infamiâ notari. Vid. Franzk. *l. 2. resolut. 13.*

aut cum altero immodicam contraxisse familiaritatem] Imò ille etiam suspectus est, qvi cogente licet aliqvâ necessitate, ad unius ex litigatoribus domum divertit, ut propterea neq; instructio neq; relatio litis ei demandari debeat; inter cæteros tamen sententiam dicere non

re non prohibetur. Anton. Fab. *Cod. lib. 3. tit. 4. def. 3.* Frid. Hiltrop. *proceſſ. part. 2. tit. 13. n. 14.*

in aliâ cauſâ partem appellaſſe] Hæc non videtur eſſe ſufficiens cauſa reddendi judicem ſuſpectum. Minimè namq; judicem oportet injuriam ſibi fieri exiſtimare, eò qvod litigator ad provocationis auxilium convolavit *l. 20. C. de appellat.* Nec enim appellatio ad contumeliam judicis, ſed ad privilegium jurgantis inventa eſt. *l. 11. C. Theod. de appellat.* Nemo igitur utetur hoc prætextu, qvaſi ad offenſum judicem non debeat experiri, cum poſſit denuò provocare, *l. un. ff. apud eum, â qvo appellatur, aliam cauſ. agere compellend.* Eſt igitur hîc aliqva differentia juris civilis & Canonici. Nep. de Montalbano *de except. art. 3. n. 23.* Qvod ſi tamen tam cerebroſus aliqvis fuerit judex inferior, ut exhinc iram & inimicitiam in appellantem concipiat, ex capite inimicitiæ repudiari eum poſſe nullus dubito.

ad legitimam ætatem perveniſſe] iſta verba non cohærent prioribus. ſiqvidem minor non ideò recuſatur eſſe judex, qvod ſuſpectus ſit, ſed qvod inhabilis ſit ad judicandum. Cæterùm jure Canonico delegari poteſt tantùm major viginti annis. Major octodecim annis delegari non poteſt, niſi cum conſenſu partium. Minor verò octodecim annis ne qvidem conſenſu partium delegari poteſt, niſi â Principe. *c. cum viceſimum 41. X. de off. & pot. jud. del.* At de jure civili paulo aliter res obtinet. Illo enim etiam minor octodecim annis, dum tamen pubes fuerit, judex eſſe poteſt, ex conſenſu partium *l. 57. ff. de re jud.* Major autem octodecim & minor viginti annis judex eſſe poteſt etiam citra conſenſum partium, ut tamen ſententiam dicat, cogi neqvit, *l. 41. ff. de arbitr.* Major viginti annis ſimpliciter habilis eſt, ut etiam cogi poſſit, qvia ſcilicet judicandi munus publicum eſt, *l. 78. ff. de judic.* Bachov. *in Treutl. diſp. de judic. th. 7. lit. E.* Zanger. *de except. pt. 2. c. 4. n. 32. ſeq.* Add. Umm. *de proceſſ. diſp. 1. n. 46.*

Qualiter cognoſcatur & expediatur cauſa ſuſpicionis. h. d.

§. 31. Recuſationis autem cauſa variè cognoſcitur[c]: nam ſi contra unum ex duobus ab Apoſtolica ſede delegatis ſuſpicionis cauſa proponatur, ſi qvi-

[c] *cap. ſi contra de offic. deleg. in 6.*

Digitized by Google

dem illa clauſula appoſita ſit, *Qvòd ſi ambo intereſſe non poſſunt, alter in cauſa procedat:* coram non recuſato conjudice expedienda erit. Ubi verò non eſt dicta clauſula in reſcripto, debet ſuper hoc ad arbitros recurſus haberi, prout Gregorianâ conſtitutione latiùs continetur. Cùm autem delegatus Epiſcopi recuſatur, recuſationis cauſa coram Epiſcopo probanda erit, licet coram ipſo, qvi recuſatur, ſit alleganda.

Gregorianâ conſtitutione] Imò Bonifacianâ. Retinet enim & refert autor verba Bonifacii VIII, ex *c. ſi contra 4. de off. & pot. jud. del. in 6.*

coram Epiſcopo] Sed cur non hîc etiam ad arbitros recurritur? Ratio eſt, qvia facilè adiri poteſt Epiſcopus, Papa tàm facilè adiri non poteſt. Utrobiqve autem de cauſis ſuſpicionis diſceptatur, cùm de jure civili arbitri ipſam totam cauſam principalem cognoscant, nullo facto examine ſuſpecti, uti ſupra diximus.

Judicium ſummarium eſt, in qvo ſubtili ordinis judiciarii obſervatione prætermiſſâ proceditur. Ordinarium & ſolenne eſt, in qvo ſeries judiciaria tela obſervatur. b.d.

§. 32. Rurſus judiciorum tertia diviſio hæc eſt, qvòd qvædam ſunt ſummaria, qvædam ordinaria & ſolennia. Summaria ſunt, in qvibus ſubtili & ſolenni ordinis judiciarii obſervatione prætermiſſâ proceditur: ut ſunt [d] cauſæ electionum, proviſionum, matri-

c. diſpendioſâ. h. tit. in Clement.

d Clem. 2. de judic. & Clem. ſæpè. de verb. ſignif.

Digitized by Google

trimonii, uſurarum,& ſimiles, in qvibus nec ſolennis libelli porrectio,nec litis conteſtatio eſt neceſſaria,ſed ſimpliciter de plano ſine ſtrepitu ac figura judiciali proceditur.Itaq; de his judex, etiam tempore feriarū ob hominū neceſſitates indultarū,cognoſcet & litē,dilationes amputando,exceptiones, & appellationes dilatorias,& fruſtratorias repellēdo,qvanto poterit,faciet breviorē,prout hæc duabus Clementis luculentiſſimis conſtitutionibus latiùs continentur.

Judicium ordinarium & ſolenne eſt, in qvo exqviſito & ſolenni jurisordine ſervato proceditur:ut putà, libellum porrigendo,litem conteſtando, & alia faciendo,de qvibus infra latiùs viſuri ſumus.

ſubtili & ſolenni ordinis] Nunqvam tamen ſine prævià facti narratione & petitione actoris,ſubſecutâqve rei reſponſione, probatione itidem ac defenſione audita & causâ ſufficienter cognitâ, ſententia in proceſſu ſummario ferri debet. Qvin & judicis arbitrio hoc in proceſſu committendum eſt,an pro ratione circumſtantiarum, exceptiones dilatorias,poſitiones,interrogatoria aliaqve admittere & ſic proceſſum ſummarium attemperare velit. Carpzov. *de proceſſ. tit. 1. art.1. n. 31. 32.* Qvæ autem omitti poſſint in proceſſu ſummario,aut non omitti,vid. Zanger. de *except. part. 1. c.2.*

ut ſunt cauſæ] Centum & qvinqvaginta tales refert Jacob. Schultes *obſervat.3*. Sed enim ut certus exhibeatur numerus,neceſſe non eſt. Poſſunt enim cauſæ in proceſſu ſummario ventilari,qvotiescunqve partibus litigantibus hoc placuerit, vel judici juſta ex causâ & ratione ſic fuerit viſum. Qemadmodum etiam cauſa ſummaria in proceſſu ordinario ventilari poteſt,ſi partibus,& actori imprimis, ita libuerit. Carpzov. *in proceſſ. tit. 1. art.1.n.37.& 57.ſeq.*

de plano] deplano jus dicebatur, qvando non pro tribunali, editove in loco qvid à prætore ſtatuebatur, ſed in planitie pavimenti. Nic. Ant. Gravatius ad Octavian. Veſtrii *prax. lib. 2. c. 14. n. 5.* Diſtingvunt autem aliqvi expeditionem de plano, & cognitionem ſummariam, item qvæ fit levato velo. Vid. Hillig. *in Donell. enucl. l. 17. c. 21. lit. K.*

tempore feriarum] Non arbitror aliter id ei licere, qvàm ex conſenſu partium, & ubi illæ feriis renunciaverint. per *l. 1. §. 1. ff. de fer.* niſi fortè talis cauſa ſit, qvæ etiam feriato tempore invitis partibus ventilari poteſt, de qvibus Franzk. *ad ff. tit. de fer. n. 30.* Add. Scacc. *de judic. lib. 2. c. 5. n. 144. ſeqq.*

DE PROCURATORIBUS,

TITULUS II.

Judicia exercemus per nosmetipſos, & per procuratores, vel ſyndicos: & qvot procuratorum ſpecies. h. d.

§. 1. Expoſitis generibus judiciorum, conſeqvens nunc eſt, ut videamus, per qvas perſonas illa exerceri poſſint. Exercemus igitur judicia non ſolùm per nosmetipſos, verùm etiam per procuratores noſtros, aut ſyndicos. Procurator eſt, qvi aliena negotia mandato domini, vel qvaſi domini adminiſtrat. Syndicus[a] eſt univerſitatis defenſor, & procurator. Porrò procuratorum duæ ſunt ſpecies: alii enim dantur ad judicia, alii ad negotia extra judicium explicanda.

[a] *extra. de ſyndico.*

per procuratores noſtros] Antiqvitus alieno nomine agere non licuit, niſi pro populo, pro libertate, pro tutelâ, *pr. Inſt. de iis per qvos ag. poſſ.* Illic ideò, qvia univerſi agere non poterant; iſthic, qvia ſervo non

non erat jus lege agendi, ſed aſſertor eam in rem conſtituebatur; hîc, qvia pupillus propter ætatem in judicio ſtare non poterat. Vinnius *ad d. pr. Inſt.* Poſtea illis qvoq;, qvi peregrinatione, morbo aut alio juſto impedimento diſtinebantur, per procuratorem litigare permiſſum, & tandem cujusvis arbitrio relictum fuit, per ſe an per alium judicium ſubire velit. Franzk. *tit. de procurat. n. 11.* Qvi tamen illuſtrium dignitate eminerent, per ſe litigare fuérunt prohibiti, *l. 25. C. de procurat. Novell. 71.*

vel qvaſi domini] id explicant de prælato, adminiſtratore Eccleſiæ & ſimilibus. Hos enim nec Eccleſiæ, nec rerum ſacrarum, nec beneficiorum, nec redituum dominos eſſe, jure Canonico indubitatum eſt, qvanqvam circa reditûs diverſa hodiè ſit Caſuiſtarum ſententia, de qvâ videri poteſt Wilhelmus Wendrockius *not. 2. ad Lud. Montaltii epiſt. provinc. 12.* In jure Canonico ViceDomini dicuntur patroni & fundatores Eccleſiæ, qvia ratio juris non patitur, ut is, qvi fundavit Eccleſiam, poſt conſecrationem verus permaneat dominus.

Syndicus eſt] Cogi poſſe univerſitatem, qvæ litigatura eſt, ut Syndicum conſtituat, per *l. 4. §. 9. ff. de fideicomm. libert. & l. 1. §. 1. ff. qvod cujusq. univ. nom. l. 27. ff. ad SCt. Treb.* docent Vincent. de Franch. *deciſ. 309.* Nicol. Loſæus *de jur. univerſ. part. 2. c. 1. n. 3.* Carpzov. *p. 1. conſt. 13. def. 5. & l. 3. reſponſ. 41. n. 1. 2. 3.* vel qvod adverſarius incommodo afficiatur, ſi defenſio vel actio per plures ſciſſa fuerit, uti argumentatur Carpzovius *d. l.* vel qvod univerſitas pupillo æqviparetur, cui ut tutor, curator ſeu defenſor conſtituatur neceſſe eſt, qvi ejus vice ſubeat judicium, qvæ ratio infirma licet & minus ſolida placet Loſæo *d. l.* Si tamen pars adverſa, ut per Syndicum agatur, non petierit, nec judex id ex officio injunxerit, nullum dici neqvit, qvod ita ab integrâ univerſitate, ſi præſertim tenuior ea fuerit, nec ſecum diſſentiens, in judicio actum eſt. qvò facit *l. 5. §. 7. ff. jud. ſolvi.* Vid. Don Garſ. Maſtrill. *deciſ. 108. n. 26.* Rauchbar *part. 2. qv. 1. n. 1.* Falſum enim arbitror, qvod cum aliis ſtatuit Henricus Bruning *de var. univerſ. ſpec. n. 91.* univerſitatem in judicio aliter, qvàm per Syndicum comparere non poſſe. Cæterùm qvomodo Syndicus conſtituatur, vid. Bruning *d. l. n. 68.* Nicolaus Reusner. *lib. 3. conſil. 3.* Berlich. *1. concluſ. 14. n. 87. ſeq.* Struv. *in Syntagm. jurispr. exerc. 7. n. 42.*

Procurator conſtitui poteſt paterfamiliâs, & filiusfamiliâs & ad negotia poteſt procurator conſtitui, qvi natus eſt annos XVII. *ad judicia ſolùm natus viginti qvinqve. h. d.*

§. 2. Potest autem ad judicia non solùm paterfamiliâs, verùm etiam filiusfamiliâs [b], nullo intercedente patris consensu, fieri procurator, si legitimam ætatem compleverit. Licet enim qvis post xvij. annum procurator ad negotia licitè constituatur, ad judicia tamen, nisi major xxv. annis fuerit, constitui non poterit.

[b] *cap. qvi generaliter. §. 1. & seq. eod. tit. in 6.*

nisi major XXV. *annis fuerit*] Id etiam de jure civili obtinere volunt nonnulli, qvanqvam pleriq; alii dissentiant. Vid. Perez *Cod. de procurat. n. 9.* Optimum fuerit, cum Franzkio mediam sententiam eligere, & dicere, posse adversus minorem procuratorio nomine comparentem propter restitutionis periculum excipi, eumq; â judicio repelli; si tamen admissus fuerit, judicium subsistere, & processum non reddi nullum. *exerc. 2. qv. 1.* Sanè minorem alienæ litis procuratorem esse posse, disertè dicitur in *l. 23. ff. de minor.* Qvod si tùm in lite peragendâ circumscriptus fuerit, imputari id debet domino, qvi inidoneo negocia sua commisit. Si tamen ab æqvè minore constitutus fuerit, vix est ut evitari periculum restitutionis qveat. *Franzk. d. l. n. 13.* nisi fortè uterq; juraverit, se non contraventurum processui, nec sententiæ, nec aliis actibus gestis, qvia tùm juramento potius standum fuerit, qvàm velificandum restitutioni. Joh. Gutierrez *de juram. part. 3. c. 11.*

Natus annos XIV. *potest esse in judicio super causis spiritualibus per se, & per procuratorem, non obstante patriâ potestate. h. d.*

§. 3. Aliud [c] tamen juris est in principali: nam si is ad qvartum decimum ætatis annum pervenerit, in causis beneficialibus, & aliis spiritualibus, nec non ab iisdem dependentibus, ad agendum, defendendumq; per se, vel procuratorem, perinde admittendus

[c] *cap. fin. de judic. in 6.*

Digitized by Google

dus erit, atq; si vigesimum qvintum ætatis annum natus esset, nec [d] ulla patriæ potestatis, vel voluntatis erit habenda ratio: qvanqvam aliàs regulariter filiusfamiliâs sine patris assensu in judicio esse non possit.

d *cap. fin. §. in hujusmodi. de jud. in 6.*

ad qvartum decimum annum] Jure civili minor standi personam in judicio non habet *l. 2. C. qvi legit. pers. stand.* & ideò ipsi etiam invito Curator constituitur *§. 2. Inst. de curat.* sive minor litem intendat, sive excipiat *d. l. 2.* cùm aliàs adversarius judicio elusorio & minus prosperè rem gerat, eò qvod sententia adversus minores indefensos lata nullius planè sit momenti, *l. 54 ff. de re jud.* Vid. Ummius *de process. disp. 1. n. 19.* Colleg. Argent. *tit. de judic. n. 92. seq.* Jure a. Canonico in causis, qvas hic refert autor, minor etiam sine Curatore litem suscipere potest, cum in ejusmodi talibus pro majore habeatur, non tamen ita, ut beneficio restitutionis excludatur. Id enim ipsi læso adhuc integrum perstat. Stephan. Gratian. *discept. forens. c. 74. n. 10. 11.*

vel procuratorem] in qvibus causis potest minor per se stare in judicio, in iis etiã poterit per se & sine curatore dare procuratorem, *l. 17. §. 20. ff. de injur.* Aliàs a. minor, si curatorem non habet, procuratorem mediante juramento constituere potest. Ant. Fab. *Cod. l. 2. tit. 14. def. 1.* sine juramento inutiliter constituit. Gvid. Pap. *qvæst. 494.* si curatorem habet, sine eo procuratorem constituere neqvit, ne qvidem interveniente juramento. Ant. Faber *Cod. l. 2. tit. 9. def. 11.*

qvanqvam aliàs] Ex jure civili diversimodè ea res decidi debet. Ratione enim peculii castrensis & qvasi castrensis filiusfamiliâs & excipit & agit sine consensu patris *l. 4. §. 1. ff. de castrens. pecul. l. 4. ff. de judic.* ita ut etiam contra ipsum patrem agere qveat, *d. l. 4. de judic.* De peculio adventitio, in qvo pater usumfructum habet, solus pater agit, sed cum consensu filii *l. ult. §. 3. C. de bon. qvæ lib.* filius non agit, nisi absente aut furioso patre *arg. l. 22. §. 4. & 10. ff. sol. matr.* De eo autem, cujus plenam proprietatem habet filius, duo discernendi sunt casûs. Ubi enim ususfructus Patri acqviri potuit, qvod contingit, qvando filius delatam sibi hereditatem adit patre recusante, patris consensus necessarius est ad actionem

nem vel intentandam vel declinandam *l. ult. in fin. pr. C. de bon. qvæ libb.* Ummius *de proceſſ. diſp. 1. n. 28.* Joh. del Caſtill. *de uſufr. c. 3. n. 15.* Donell. *l. 17. c. 4.* Ubi verò uſusfructus ei acqviri non potuit, inconſulto patre filio & agere & excipere poteſt. Ratio eſt, qvia tale peculium invito patre alienare poteſt. *Novell. 117. c. 1.* aut igitur obtinet agendo, & tùm acqvirit, qvo caſu nullo ipſi opus eſt alterius conſenſu, *arg. pr. Inſt. de auct. tutor.* aut ſuccumbit, & alienasſe cenſetur, qvod ipſi prohibitum non eſt. De peculio profectitio filiofam. nulla actio competit, niſi extraordinaria. *l. 8. pr. ff. de procurat. l. 18. §. 1. ff. de judic. l. 17. ff. de R. C.* Cum igitur beneficialia & ſpiritualia qvædam moribus hodiernis ſe habeant inſtar peculii qvaſi caſtrenſis Clericorum *arg. l. 50. C. de Epiſc. & Cler.* ut eorum ratione filiusfam. Deo militare videatur, Ant. Fab. *13. conj. 16.* actio illi etiam ſine patris conſenſu jure ſuo competit.

Qvomodo ſit agendum, ſi minor qvatuordecim annis in cauſis ſpiritualibus in judicio eſſe velit. h. d.

e *cap. fin. §. ſi verò. de jud. in 6.*

§. 4. Qvòd ſi[e] qvartum decimum annum natus non fuerit, in hujusmodi cauſis, nec agere, nec defendere per ſe poterit, ſed vel per Epiſcopum, vel ejusdem officialem ad has lites curator ſibi dandus erit, vel ſi major infante fuerit, cum authoritate alterius eorundem procuratorem conſtituere poterit.

vel ejusdem officialem] qvi aliàs dicitur Vicarius. vid. qvæ dixi *lib. 1. tit. 15.*

vel ſi major infante fuerit] Infantiæ proximus etiam de jure civili jam aliqvem intellectum habere creditur. Infans enim cum nullum omninò intellectum habere cenſeatur, nec cum tutoris qvidem autoritate qvicqvam gerere poteſt. Infantiæ proximus & ſtipulari & promittere, & hereditatem adire omniaq; tutore autore non minus rectè agit, qvàm qvi proximus eſt pubertati. *l. 5. ff. de R. J. §. 9. Inſt. de inut. ſtip.* Unde & ſponſalia contrahere & ſine autoritate tutoris incipere poſſidere poteſt. *l. 14. ff. de ſponſal. l. 1. §. 3. l. 32. §. ult. ff. de acq. poſſ.* Sic igitur & jus Canonicum plus tribuit infantiæ proximo, qvàm infanti. Huic enim

Digitized by Google

enim Curatorem ab Episcopo vel ejus officiali dandum, qvi lites peragat, constituit, illi verò cum autoritate Episcopi vel officialis procuratorem dare permittit. Atq; id qvidem in beneficialibus & spiritualibus causis, ad qvas Episcopi aut Officialis autoritatem reqvirit. In cæteris videtur confirmare jus civile, qvod pupillis infantiam egressis, uti & minoribus curatorem habentibus non aliter procuratorem dare permittit, qvàm autoritate tutorum & curatorum à magistratu civili confirmatorum. *l. 11. C. de procurat. l. 24. ff. de administr. tut.*

Delegatus sedis Apostolicæ in causis, qvæ agitantur coram se pro minori qvatuordecim annorum, potest eidem curatorem dare, vel autoritatem constituendi procuratorem. Et omnis, qvi non prohibetur, potest esse procurator. h. d.

§. 5. Qvin etiam [a] Apostolicæ sedis delegatus, & ab eodem subdelegatus ad eas duntaxat causas, qvæ coram ipsis ventilandæ fuerint, vel curatorem dare, vel procuratoris constituendi authoritatem præstare poterunt. Constitui autem poterit non solùm clericus, verùm etiam laicus. Regulariter [b] enim omnis, qvi non prohibetur, ad procuratoris officium idoneus habetur.

a *cap. fin. §. delegatus. de jud. in 6.*

b *cap. 1. eod. tit. in 6.*

ad eas duntaxat causas] Ejusmodi namqve Curator principaliter causæ ac rei datur, ut propterea etiam actus dationis Curatoris ab eo judice expediri debeat, ad qvem causæ illius cognitio pertinet. Eoqve jure utimur. Carpzov. *p. 2. c. 15. def. 27.*

non solùm clericus] Absurdum verò clericis est, imò etiã opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium, *l. 41. C. de Episc. & Cler.* Et severè in clericos ejusmodi, qvi patrocinium præstare satagunt, invehitur Honorius III. *in c. ult. X. ne clerici vel monachi.* Notat qvidem Gratianus *in c. observandum 15. q. 2.* generali Ecclesiæ consvetudine receptum esse & moribus approbatum, ut clerici more advocatorum patrocinia impendant, & pro impendendis munera

exigant, & pro impensis suscipiant; sed istam & similes notas exagitat Claudius Espencæus *lib.2.digress.c.9.* ubi, postquam plurima adversus ejusmodi consvetudinem attulisset, & ex Innocentii primi epistolis ostendisset, ne qvidem ad clerum pervenire olim potuisse, qvi in foro versati fuerant, ita tandem in eum verba facit: *Eat Gratianus & clericos salvis suis canonibus putet choro & foro, altaribus & tribunalibus operari posse, simul in templis sacra & in curiis profana tractare, hoc est juxta verbum Domini dominis duobus diversissimis servire & adhærere* &c. Sed & ingenuè fatetur Octavianus Vestrius *in pnx. lib.3. c.4.* contra juris regulas & ex tolerantiâ Pontificum introductum esse, qvod Clerici in Romanâ curiâ advocationis & procurationis publica munera exerceant.

Si duo dati sint procuratores in solidum, occupantis erit melior conditio, nisi in mandato sit comprehensum contrarium: qvo casu solum altero non valente, vel nolente prosequi, poterit inchoatum negotium suscipere, nisi is, qvi non prosequitur, alium substituerit. Si non sint dati in solidum, unus sine alio procedere non poterit. h.d.

§. 6. Et tam unus, qvàm plures possunt in una causa constitui procuratores. Si tamen [c] duo simul, non adjecto, qvòd in solidum sint procuratores, constituantur, unus sine altero non admittetur: secùs, si sint in solidum constituti: tunc enim illius melior erit conditio, qvi per litis contestationem negotium primus occupaverit. Et dominus litis factus alterum excludet, nisi constituens dixerit, qvòd occupantis conditio melior esse non deberet. Tunc enim si eum, qvi occupavit, aut legitimè impediri contingat, aut prosequi fortè nolit, poterit alter negotium ab alio inchoatum suscipere ac perficere, dum tamen ab alio alius non fuerit substitutus.

[c] *cap. si duo. eod. tit. in 6.*

Et

Et tam unus] Constitutionem Bonifacianam, qvæ matrix est hujus §. & extat in *c. 6. X. de procurat.* in multis contravenire juri civili, nec sine incommodo observari posse, ostendit Hugo Donellus *l. 18. c. 15.* Scilicet Bonifacius statuit (1) cum duo procuratores simul dati sunt, ambos ad causam agendam simul admitti. At jus civile nec pluribus uno tutoribus nomine pupilli agere permittit, *l. 24. §. 1. ff. de administr. tut.* nec ad unam litem plures concedit procuratores, nisi lis plurium fuerit personarum *l. 31. §. 1. ff. h. t.* nec distringi propter unam litem patitur aliqvem in plures adversarios *l. 2. ff. de exerc. act. l. 31. §. 5. ff. de ædil. ed. l. 5. §. 7. ff. jud. solv.* &, si in unâ lite plures separatim dati fuerint procuratores, posterioris datione priorem prohibitum videri censet *l. 31. §. ult. ff. h. t.* non aliam ob causam, qvàm qvod duo simul dari non possint. (2) statuit Bonifacius, datos ita procuratores ambos simul accedere ad causam debere, nec unũ sine altero agere, aut negocium occupare posse, nisi in solidum ambo constituti fuerint. At jure civili limitare ita negocium necesse non est, qvin simpliciter dicendum, occupationem negocii concedi uni ex pluribus procuratoribus, non tantùm si plures in solidum dati fuerint, *l. 32. ff. h. t.* sed etiam, si plures simpliciter. Nam & cum plures procuratores simul dantur simpliciter, verbis istis, IN SOLIDUM, nominatim non adjectis, singuli tamen adhuc in solidum dati intelliguntur *l. 60. §. 2. ff. mand. l. 55. ff. de adm. tut.* Dantur enim non ad partem causæ, (nec dari ita possunt, ut causam inter se dividant *l. 38. ff. h. t.*) sed ad causam ipsam vel agendam vel defendendam. At agere, defendere facta sunt, qvæ non magis divisionem recipiunt, qvàm ædificare, fossam fodere, rem tradere. (3) admittit Bonifacius, in spiritualibus & Ecclesiasticis causis, sive nominatim in solidum, sive simpliciter plures dati fuerint procuratores, unum tantùm admitti debere, ne implicari negocium contingat. At idem hoc periculum in civilibus causis metui debet, ut proinde frustra hîc aliqva statuatur differentia. (4) vult Bonifacius, ut hoc casu judex magis idoneum eligat, & qvem elegerit, solus sit procurator. At magis idoneus qværendus non est, ubi omnes dati pariter sunt idonei. Dominus autem omnes simul dando pariter judicavit idoneos, & pariter omnes comprobavit. Posito autem esse alium alio magis idoneum, tamen, qvia in re ad aliqvem pertinente absurdum est jus domini alienâ computatione, non ipsius domini arbitrio æstimari, *l. 36. ff. de bon. libert.* utiq; domini potius constituentis voluntas exqvirenda est, qvàm judicis æstimatio, ne forte eum eligat, qvem dominus consultus nollet. Qvicqvid hujus sit,

in judiciis hodiè obſervatur praxis juris Canonici, cui adſtipulatur gloſſa in *l.32. ff. h.t.* qvæ vult, pluribus procuratoribus ſimpliciter conſtitutis, nullum eorum cenſeri in ſolidum conſtitutum. Add. Mynſing. *cent.1. obſ. 47.* Mantica *lucubr. Vatican. l.7. c.17.* Steph. Gratian. *diſcept.201.* At in Syndicis diverſum hodiè jus obtinet, qvippe qvibꝰ poteſtas in ſolidum conceſſa adhuc creditur. Loſæus *de jur. univerſ. part.1. c.3. n.118.* & propterea etiam unus eorum absq; reliqvis audiri debet in judicio. Carpz. *ac proceſſ. tit.5. art.4. n.50. ſeq.*

ſi ſint in ſolidum conſtituti] In ſolidum etiam conſtituti intelliguntur, qvando conſtituens promittit habere ratum, qvicqvid ab eis, vel ab aliqvo eorum geſtum fuerit, it: qvando cuilibet eorum cauſam committit, eò qvod dictio hæc *(cuilibet)* ſit diſtributiva. Joh. Aloyſ. Ricc. *deciſ.1444.* Mantica *d. l.*

dominus litis factus] qvod intelligendum ratione ipſius litis ſeu controverſiæ formaliter ita dictæ, non ratione litis materialiter dictæ, hoc eſt, rei in litem deductæ. Hujus enim dominium retinet principalis, & ex hoc omne commodum aut incommodum ex ſententia proveniens ad principalem redit. Et hæc cauſa eſt, qvod à procuratore in dominum ipſo jure absq; ceſſione actiones tranſeant. *l.5. ff. de præt. ſtip. l.18. §.ult. ff. de damn. inf.* Gœdd. *de contrib. ſtip. c.10. n.30.* utiles tamen, non directæ. *l.27. l.28. ff. de procurat.* Vid. Donell. *lib.15. c.43.* Ummius *de proceſſ. diſp.3. n.46. ſeq.* Franzk. *ad tit. de procurat. n.14. ſeq.* Ant. Fab. *Cod. lib.2. tit.6. def.4. n.6.*

Procurator conſtitutus etiam ad ea, qvæ ſpeciale mandatum exigunt, non poteſt explicare ea, qvæ exigunt mandatum ſpeciale, niſi in procuratorio ſit facta expreſſio aliqvorum articulorum ſpecialis mandatum exigentium: qvo caſu etiam non expreſſos articulos poterit exeqvi procurator. h. d.

§. 7. Sed ſive unus ſit procurator, ſive plures, fines mandati diligenter cuſtodiendi erunt, usqveadeò, ut ſi generaliter [d] qvis ad omnia, etiam ſpeciale mandatum exigentia conſtitutus procurator fuerit, ex vi generalitatis hujusmodi ad aliqvem articulum, in qvo

[d] *cap. qvi ad agendum. eod. tit. in 6.*

qvo mandatum ſpeciale exigitur, admitti non debeat, niſi clauſulam generalem qvorundam articulorum ſpeciale mandatum exigentium ſubſeqvatur expreſſio: putà, transactionis,& jusjurandum deferendi. Tunc enim & non expreſſos caſus mandatum complectetur.

fines mandati] Vid. qvæ dixi *tit. anteced. §. ſed ſive uni.* Qvod ſi tamen procurator ſciente & patiente Domino fines mandati excedit, ex patientiâ tali ampliatur illud & extenditur. Vaſqv. *lib. 5 controv. c. 23. n. 5.* Franci ſc. de Caldas *de empt. & vend. c. 15. n. 51.*

Tunc enim & non expreſſos casûs] De æqvitate hujus conſtitutionis licet ſubdubitare. Qvia enim in cauſis ſpeciale mandatum reqvirentibus plerumqve aliqvod verſatur præjudicium, qvi in unum conſenſit, non propterea reliqva etiam, qvæ fortè ne cogitata qvidem fuérunt, probaſſe cenſendus eſt. E. g. qvi ad tranſigendum ſuper hereditate accepit mandatum ſpeciale, additâ ſimul clauſulâ generali, cum liberrimâ poteſtate, non propterea cenſendus eſt accepiſſe mandatum ad emendum iſtam hereditatem, Sed nec tranſigere qvidem poteſt, ſi repertum fuerit teſtamentum, de qvo mandans nullam habuit ſcientiam. Nec ergò ubiqve applicari poterit æqviparatio, qvam faciunt Doctores inter mandatum cum liberâ & mandatum ſpeciale. Joh. Mohedan. *deciſ. 323.* Cæſ. Barz. *deciſ. 154. n. 16.* Frid. Hiltrop. *de proceſſ. p. 1. tit. 21. n. 41.*

Mandatum non complectitur majora, qvàm ſint in procuratorio expreſſa. h. d.

§. 8. Crimina[e] tamen, vel defectus in perſonam electi, ſive ejus, cujus favore, vel facienda, vel jam facta eſt proviſio, nec hujusmodi generalitatis, vel expreſſionis obtentu, opponendi facultas competit, niſi ſuper hoc aliud in mandatis habeat. Nam hujusmo-

[e] *clem. 2. eod tit. c. non poteſt.*

di generale mandatum graviora, vel majora, qvàm in ipso procuratorio sint expressa, non complectitur.

facta est provisio] De provisionibus dixi supr. *lib. 1. tit. 27. §. per rescriptum.* Etsi autem in hoc cum autore conveniam, non posse nec debere procuratorem procuratorio nomine alicui crimen sine speciali mandato objicere; nolim tamen id in causis Ecclesiasticis, qvibus Ecclesiæ consulendum est, eò extendi, qvod non possit electo objicere crimen nomine proprio. Ad hoc enim promulgabantur & publicè proponebantur olim nomina eorum, qvi ministerio Ecclesiastico deputabantur, ut si qvis esset, qvi objicere qvid posset, illud denunciaret, cùm interfit Ecclesiæ, tales ministros præfici, qvi vitæ inculpatæ essent, & morum honestate eminerent.

Procuratori ad negotia liberum est qvandocunqve substituere. Procuratori verò ad judicia substituitur solùm in casibus hic expressis. h. d.

§. 9. Sed & illud non est omittendum, qvòd, licet procuratori ad negotia [a] liberum sit alium qvandocunqve constituere, Judiciario tamen [b] minimè id concedi, nisi aut lis fuerit contestata, vel in rem suam datus sit, vel à Domino substituendi fuerit concessa potestas: qvo casu etiam non expressam personam poterit in procuratorem eligere.

a *cap. 1. §. fin. eo. tit. in 6.*

b *d. cap. 1. §. licet. d. tit. in 6.*

procuratori ad negocia liberum sit] Nisi electa fuerit industria personæ, ut si mandatum datum est ad negocium non determinatum, nec sub certâ formâ, Menoch. *lib. 2. præsumt. 38.* Petr. Costal. *ad l. 8. §. si qvis mandaverit. ff. mandati.* qvâ ratione procurator ad rem vendendam creatus, nî mandato forma venditionis ac precii qvantitas explicetur, vices suas alii demandare non potest. Eman. Soarez *thes. recept. sent. lit. P. n. 300.* Vincent. Carocc. *de locat. part. 2. q. 124. n. 23. seq.*

nisi

nisi aut lis fuerit contestata] qvia tùm litis factus est Dominus. qvamdiu autem Dominus non est, procuratorem constituere neqvit, *arg. l. 1. ff. h. t.* Hodie tamen in judiciis Saxonicis nunqvam admittitur substitutus, priusqvam docuerit, mandatario seu procuratori substituenti, facultatem substituendi alium, â Domino principali fuisse concessam. Carpzov. *de process. tit. 5. art. 5. n. 6.*

vel in rem suam datus sit] Interesse videtur, utrum procurator in rem suam actionem instituat directam ex cesione sibi competentem, qvam propterea ex personâ Creditoris cedentis instituere debet; an verò agere malit nomine proprio actione utili, qvam non habet ex cesione, nec ex simplici venditione aut donatione, sed ex constitutionibus & rescriptis Principum. Priori casu non videtur alium dare procuratorem posse, nisi post litem contestatem, eò qvod alieno nomine in judicio compareat, utcunq; etiam hoc casu rem suam gerere dicatur *l. 9. C. h. t.* Sed posteriore casu, qvia proprio nomine agit, pro Domino habetur. Vid. Bachov. *de action. disp. 4. th. 3.*

vel â Domino] sed tùm non substituit jure & nomine suo, sed nomine Domini tanqvam nudus minister. Nomine proprio autem substituit, qvando nullâ tali sibi factâ potestate, ipse post litem contestatam alium facit procuratorem. Sieg. Scaccia *de sent. & re jud. gloss. 14. q. 25. n. 5.* Tùm enim non tàm substituit, qvàm ut novus aliqvis Dominus novum procuratorem constituit. Hinc est, qvod ita substitutus de rato cavere debet non ex personâ Domini ad qvem tota causa spectat, sed ex personâ sui substituentis. Berlich. *p. 1. concl. 14. n. 62.*

Regulariter in causis criminalibus non potest intervenire procurator. h. d.

§. 10. Non tamen in omni judicio procurator intervenire potest. In criminalibus [c] enim causis neqve accusator, neq; accusatus, nisi per se ipsos impetere, vel defendere permittuntur, nisi [d] vel ab illustri propulsanda sit injuria, aut rei contumacia sit excusanda, vel contra accusatorem sit excipiendum, aut de levi

c *can. in crimi nalib. 5. 93. glos. 1. in cap. veniēs. extrav. de accusat.*

d *can. absens. §. vis. 3. q. 9.*

levi crimine tractetur, aut, si de gravi agendum sit, civiliter agatur.

c. veniens & cap. super his. de Accusationibus.

In criminalibus enim causis] Maximis ea res in jure civili immersa est difficultatibus propter *l. 33. ff. de procurat. l. 3. C. de accus. l. pen. §. 1. ff. de publ. jud. l. 1. ff. an per al. caus. app. redd. poss.* de qvorum textuum conciliatione multum semper laborárunt interpretes Vid. Ant. Matthæus *de crim. tit. de accus. c. 4* Bachov. *in Treutl. vol. 2. disp. 26.* In his autem decisa ferè lis est, in criminibus, qvæ statutam habēt pœnam pecuniariam, & relegatione minorē, intervenire posse procuratorem, tùm ex parte accusatoris, tū ex parte rei, admitti etiā in aliis, si absens reus condemnari possit, nec non, si absentiæ tantùm causam reddere, aut defendere procurator, non si ipsum negocium principale peragere velit. Et in his ferè consistunt exceptiones ab autore adductæ. Add. Ant. Gabriel *l. 7. concluf. 9.* Joh. Parlador. *l. 1. rer. qvotid. c. 20.* Fern. Vasq. *l. 5. contr. c. 17.* Joh. Bapt. Costa *de remed. subsid. c. 79. illat. 1.* Rauchbar. *p. 1. qv. 7.* Virgil. Pingizer *qv. 16.* Camill. Borell. *decis. 66. n. 116. & multis seqq.* Cæterum hodierno jure in qvibuslibet causis criminalibus à parte accusatoris procurator admittitur ex constitut. criminal. Caroli V. *art. 12.* Carpzov. *in prax. crim. part. 3. qv. 105. n. 2.*

Clerici & monachi non possunt esse procuratores, nisi propriæ Ecclesiæ, urgente necessitate & superioris jussu. h. d.

§. 11. Sed nec omnes ad procuratoris officium temerè admitti debent. Ideoqve Episcopus & universi sacerdotes, cùm ad solam Dei laudem, piorumqve operum actiones sint constituti, ab hujusmodi ministerio excludendi erunt. Idem qvoqve obtinet in monachis [e]: nam & illos, cùm solitariam vitam degere profiteantur, à forensi strepitu, ac litigiis summoveri convenit. Planè monasterii exigente utilitate [f], vel necessitate, & Abbatis accedente imperio,

e extra. ne clerici, vel monach.

f can. monachi. 16. q. 1.

rio, ad procurationis [g] officium accedere minimè prohibentur. g *clem. 3. eod. tit.*

Ideoqve Episcopus] Vid. qvæ diximus supr. *h. t. §. qvin etiam.* Constituitur tamen inter Episcopos & Sacerdotes differentia, qvod Episcopus nullo modo patrocinari possit, Sacerdos autem possit aliqvando, scilicet pro se, pro Ecclesiâ suâ, pro personis sibi conjunctis, & pro miserabilibus personis.

Idem qvoq; obtinet] Vid. *c. de præsentium 16. q. 1. c. un. X. de Syndic.* Ratio autem subjecta potior & generalior mihi videtur, qvam qvæ vulgo à Doctoribus dari solet, ideò nempe procuratoris officio monachos prohiberi, qvia, dum omnia jura & actiones suas in monasterium transtulérunt, nihil omninò habeant proprii. Nec enim ad officium procuratoris reqviritur, ut aliqvid proprii habeat, cum procurator non de suo, sed de alieno litiget, nisi sit procurator in rem suam ex præcedente cessione, qvalis in monachum terminativè fieri neqvit. Cæterùm aliqvos casus, qvibus sine consensu Abbatis in judicio agere Monachus possit, notat Johannes Pelsius *in proceff. tit. 3. n. 55. seq.*

exigente utilitate] Sed utilitatem istam tàm latè extendunt, ut pauci restent casûs, qvibus regula robur suum retinere qveat. Dicunt, posse Monachum cum licentiâ Abbatis patrocinari pro amico Monasterii, eò qvod in consequentiam tractetur de utilitate monasterii, qvia per amicos Monasterii utilitas ipsius promoveatur. Qvin & alia summa faciunt capita, qvibus id liceat monacho; qvando scilicet vel miseria personæ, vel gratitudo ei debita, vel magna necessitas monasterii, vel grandis commoditas ejusdem, vel parvitas occupationis tale patrocinium justificant. Greg. Sayr. *inclav. reg. lib. 12. c. 22. n. 5.* At qvis non videt, solam rationem ultimam, parvitatem scilicet occupationis, ociosis Monachis ad suscipiendum patrocinium sufficere, & sic fori trituram atqve judiciorum secularium curam facilè ab eis excusari posse? Qvin & adhuc disceptant Canonistæ, an propter lucrum applicandum Monasterio extrinsecus, Monachus advocatus esse possit, uti *d. l.* refert idem Sayrus.

Clerici regulariter coram secularibus judicibus postulare non possunt. h. d.

h *cap. 1. extr. de postulâ.*

§. 12. Postulandi [h] qvoqve officium clericis, qvi stipendiis substentantur Ecclesiasticis, coram seculari judice in secularibus negotiis interdicitur, nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ prosequti fuerint, vel [i] nisi urgente necessitate pro conjunctis, aut miserabilibus personis postulare velint.

i *cap. fin. extr. de postulâ.*

Postulandi qvoqve officium clericis] Alios hic faci[t] Clericos ab Episcopis, sacerdotibus & monachis. Alibi tamen & isti qvoqve Clericorum nomine veniunt, qvatenus sc. vel proficua res fuerit, de qvâ agitur, vel damnosa. Vid. Aug. Barbos. *de appell. verb. jur. signif. n. 51.* Ab initio qvidem vox κλῆρος denotabat totam Ecclesiam sive cœtum fidelium *1. Petr. V, 3.* idq;, ut videtur, propterea, qvod is alicui vel aliqvibus regendus obveniat. Ecclesiasticorum a. Scriptorum nemo ferè non vocabulum κλῆρος soli collegio ministrorum Ecclesiæ attribuit, ut ita κλῆρος, & οἱ κληρικοὶ, & οἱ ἐν κλήρῳ sint illi, qvi apud eosdem contradistingvuntur τοῖς λαϊκοῖς. Primus Scriptorum Ecclesiasticorum, apud qvem vox κλῆρος ministris verbi divini peculiariter tributa est, videtur esse Tertullianus. Is mentionem facit clerici & qvi sunt in clero, nec non allectionis in clerum, *lib. de monog.* Legitur qvidem vocabulum istud etiam in scriptis, qvæ Tertulliani ævum antevertere à multis existimantur, utpote in canonibus, qvi Apostolis perperam tribuuntur, & in constitutionibus Clementis. Verùm hisce tuto fidere haud licet. Legitur etiam in Ignatii epistolâ ad Philadelph. *Diaconi & reliqvus clerus Episcopo pareant.* Verùm & hæc aliunde adscita & supposititia esse haud immerito censentur. Post Tertulliani ævum vox κλῆρος significatu, qvem diximus, freqventissima est. Cæterùm monachatum & clericatum pugnare hodiè inter se, & esse incompatibilia, pluribus docet Marcus Ant. de Dominis *l. 2. de rep. Eccles. c. 12. n. 51. & multis seq.*

qvi stipendiis] hoc est, qvod dicunt: Constitutus in sacris non sacerdos, & existens in minoribus, sed beneficiatus advocatus coram

Digitized by Google

tam judice seculari esse neqvit, & hinc inferunt, Clericos ordinum minorum non beneficiatos in causis civilibus perinde ut laicos patrocinari posse.

in secularibus negociis] Etsi igitur aliqvando Clericis talibus coram judice seculari patrocinari liceat, qvales casus mox refert autor, id tamen restringendum est tantùm ad negocia Ecclesiastica. Vid. Greg. Sayr. *d. l. n. 7.*

Excommunicati nec proprio nomine, nec alieno possunt esse in judicio, nisi ad defensionem. h. d.

§. 13. Hi verò, qvi excommunicationis vinculo innodati sunt[k], non solùm procuratorio nomine judicio interesse non possunt, verùm etiam nec proprio: actore tamen impugnante, excommunicato reo legitimæ defensionis copia non est adimenda.

k *cap. intelleximus. ext. de judiciis. c. exceptionem de Exceptionibus. c. cũ inter. d. t.*

Hi verò qvi excommunicationis vinculo] Sollicitat hoc Jac. Mæstertius *de just. Rom. leg. l. 2. c. 18 n. 7.* ex eo, qvod Pontifex hâc ratione falcem miserit in messem alienam, cum excommunicatio sit exclusio â communione spirituali, cui etsi adversum se præbeat Hahnius *obs. ad Wesenbec. tit. de procur. n. 4.* qvod admitti non debeat ad judicia, qvocum cibum capere prohibuerit Salvator, dubitare tamen adhuc licet de justitiâ constitutionis papalis. Ut maximè enim concedamus, prohibitionem de cibo capiendo excommunicatos spectare, qvod negat Joh. Seldenus *de synedr. vet. Ebr. l. 1. c. 9.* ipsa tamen phrasis singularem notat familiaritatis modum, qvem profectò non contrahit cum excommunicato, qvi cum eo litigat in judicio. Deinde excommunicatio non privat qvenqvam dominio aut jure naturali, gentium aut civili, sed facit tantùm excommunicatum â beneficiis Ecclesiæ propriis. Non disolvit conjugia, non impedit obseqvia magistratui & superioribus, non officia charitatis parentibus & aliis debita. Brochmand. *loc. de discipl. Eccles. c. 4. sect. 5.* Joh. Davenant. *qvæst. 48.* Posito tamen, Papam ita constituere potuisse, cùm etiam per leges civiles ampliari possint pœnæ Ecclesiasticæ,

asticæ, id tamen nihilo minus iniqvum videtur, qvòd excommunicatus nec ipse nec per procuratorem agere possit, sed possit se tantùm defendere per procuratorem; seqvitur enim inde, excommunicatum sibi obligatum habere posse neminem, conseqventer omnibus suis bonis exui, sed rectè obligatum esse alteri. Sed ante dixi, excommunicationem non privare dominio rerum, nisi id velint leges civiles in qvovis territorio superadditæ.

Procurator universitatis, in qva sunt excommunicati, non potest à judicio repelli, nisi tribus casibus. h.d.

a cap. fin. eod. tit. extrm.

§. 14. Sed bellè dubitari contigit, an universitatis[a] alicujus procurator ex eo repelli debeat, qvòd majores & jurati, per qvos eadem universitas regitur, tempore, qvo injunctum fuit procurationis officium, erant excommunicationis sententiâ innodati, qvasi & ille repelli debeat, cujus non recipiuntur authores? Et responsum est, hujusmodi procuratorem non repellendum, nisi vel illi ipsi excommunicati in literis procurationis essent expressi, vel aliàs eorum authoritate procurationis institutio facta fuisset, aut ipsa universitas excommunicationis conscia simul cum eis eundem procuratorem constituisset.

Sed bellè dubitare contigit] Non admodum bella est hæc dubitatio, sed res ex principiis Canonistarum clara. Aut enim ipsi regentes excommunicati procuratorem constituunt, aut universitas reliqva, aut conjunctim utriq;. Primo casu inutilis est constitutio ideò, qvia ex principiis Canonistarum excommunicatus omni forensi communicatione, omni etiam potestate civili exnitur & privatur. Secundo casu valida est constitutio. Tertio itidem invalida, qvia ex principiis Canonicis communicantes cum

cum excommunicato, minori involvuntur excommunicatione. Sed hic semper repetendum est, excommunicationis effectum malè ad judicia extendi, præsertim, cum in judiciis etiam illi audiri debeant, qvi planè sunt extra Ecclesiam nati & educati.

Procurator revocari potest expressè, & tacitè: & tacitè, putà si dominus per se incipiat causam tractare. h.d.

§. 15. Tandiu autem durat qvis procurator, qvandiu is, qvi eum constituit, revocet, sive expressè, sive etiam tacitè. Unde [b] si tu Titium simpliciter procuratorem constitueris, isq; in judicio procuratorio nomine esse cœperit, deinde tu, sive ante litem contestatam, sive post, ad causam ipsam venias, non ut ipsi assistas, sed ut causam eandem tractes, tractando causam Titium procuratorem revocare censeris: nisi qvòd non animo revocandi facias, vel expressè professus fueris, vel ex aliqvibus appareat conjecturis.

[b] *cap. si qvem. §. seqüs. eod. tit. in 6.*

sive ante litem contestatam] Ante litem contestatam pro lubitu & sine causâ potest à domino revocari procurator, & ipse Dominus judicium accipere. *l. 16. ff. de procur.* Post litem verò contestatam, qvia res integra esse desiit, cum procurator factus sit litis Dominus, non nisi causâ cognitâ seu ex justis causis, qvæ recensentur *l. 17. seq. ff. h.t.* revocari potest. *l. 22. C. h.t.* Et qvanqvam ipse procurator in mutationem consentiat, nec tùm tamen, si pars adversa contradixerit, sine justâ causâ mutari aut revocari potest. Carpzov. *decis. 45.* adeò ut ne qvidem dominus ipse litem in se transferre iterum sine causæ cognitione qveat. *d. l. 22. C. h.t.* actusq; in tali casu factus cum domino ipso jure nullus sit. Sichard. *ad d. l. 22. n. 8.* Qvod igitur indefinitè dicitur in *c. pen. X. h.t.* (ex qvo autor noster hæc transcripsit) removeri posse procuratorem etiam post litem con-

conteſtatam, nullâ omninò factâ mentione cauſæ cognitionis, id ita accipit Gloſſa, agi ibi de tali revocatione, cui non contradicitur; aliud eſſe, ſi contradicatur. Zoeſ. *in ff. h. t. n. 19.* Si ergo non procurator tantum antehac conſtitutus, ſed adverſarius etiam præſens eſt in judicio, nec qvisqvam eorum domino reaſſumenti litem contradixerit, valitura ſunt omnia acta etiam ſine cauſæ cognitione, & cenſebitur eo caſu procurator tacitè revocatus. Sichard. *d.l.* Eleganter Mantica *l. 7. lucubrat. Vatican. tit. 22. n. 3. 4. 5.* Et hactenus ex legibus poſitivis decidere ita neceſſe eſt, qvas ipſas tamen abrogatas hodiè, & nec Procuratores amplius litis Dominos fieri, nec prohibitum amplius eos poſt litem conteſtatam pro lubitu revocare, contendit Simon à Grœnewegen *de LL. abrog. in Holl. ad d. l. 22. C. h. t.* à qvo ut diſſentiamus, facit Carpzovius *dict. deciſ. 45.* Qvod ſi tamen, non attentis legibus poſitivis, res ad æqvitatem naturalem examinetur, qvandocunq; revocari poſſe procuratorem non videtur abſurdum, dum tamen id fiat ſine damno adverſarii, qvò etiam inclinat Joh. Ronchegall. *ad l. 2. ff. de duob. reis. n. 87.* atq; ſic de conſvetudine ſervari teſtatur Sigism. Scaccia *de ſent. & re jud. gloſſ. 14. qv. 25. n. 114.*

Actus præcedens ſubſeqventem limitat, & interpretatur. h. d.

c *cap. ſi qvem. in princ. eod. tit. in 6.*

§. 16. Sed ſi eundem Titium ſub ea forma c, qvoties te abeſſe contigerit, procuratorem conſtitueris: & poſtmodum per te ipſum cauſam tractes, non propterea tamē procuratorem revocare videris. Qvinimò Titius, qvandocunq; abeſſe te contigerit, procuratoris aſſumet officium.

procuratorem revocare videris] ſed ita cum pluribus & diverſis perſonis de eâdem re litigare compelletur adverſarius, qvod tamen ſtudiosè vitarunt leges, *l. 2. ff. de exerc. act. l. 5. §. 7. ff. jud. ſolv.* Cæterùm circa talem procuratorem, qvi à profecturo conſtituitur, differentiam faciunt Canoniſtæ, utrum ſimpliciter conſtituatur, an, qvoties conſtituentem abeſſe contigerit, & priore caſu per reditum revocari mandatum, poſteriore non revocari contendunt. Mantica *l. 7. lucubrat. Vatic. tit. 22. num. 11. 12.*

Pro-

Digitized by Google

Procurator, qui ſubſtituit, non poteſt ſubſtitutum revocare, niſi & revocandi habeat poteſtatem. Et procurator, qui ſubſtituit in una cauſa, non prohibetur in aliis ſe intromittere. h.d.

§. 17. Hæc autem de revocatione domini ſunt intelligenda. Nam ſi à procuratore tuo [d] alius procurator legitimè ſubſtituatur, poſt mandatum ſuſceptum, etiam ſi eo ſubſtitutus uſus non fuerit, ab illo revocari, niſi etiam poteſtas revocandi fuerit eidem conceſſa, non poteſt. Sed ſi, cùm ad plures, vel ad omnes cauſas Titium generaliter procuratorem conſtituiſſes, is in una, vel in altera ſubſtituerit, in reliqvis procuratoris officium exercere minimè prohibetur.

[d] *cap. is qui. de procurat. in 6.*

legitimè ſubſtituatur] Reſtringendum hoc eſt ad caſum duntaxat iſtum, qvo procuratori poteſtas ſubſtituendi data eſt, de qvo ſc. loqvitur *c. is qui 3. de procurat in 6.* Et ratio videtur eſſe, tùm qvia mandatum ſtrictè eſt accipiendum, tùm qvia ita ſubſtituens nō ſubſtituit jure & nomine ſuo, ſed nomine & autoritate Domini principalis. At principalis ſubſtituendi tantùm, non etiā ſubſtitutum revocandi poteſtatem dedit. Si tn. de intentione Domini principalis qvæſtio fuerit, dubitandum non eſt, ſubſtituenti potius qvam ſubſtituto cauſam fuiſſe commiſſam, nec ſubſtituto aliter locum dare voluiſſe dominum, qvam impedito ſubſtituente, ut ita contra intentionem Domini non ſit, ſi ſubſtituens ſubſtitutum revocet. Subſtituto autem facto per litis conteſtationem litis domino, ratio juris civilis revocationem prohibet, ut hoc caſu etiam revocandi poteſtas à principali conceſſa inanis fiat. Subſtituens enim non revocare poteſt ſubſtitutum, niſi eo caſu, qvo revocaret dominus ſubſtitutum à ſe. Vincent. Carocc. *de locat. part. 2. qv. 125. n. 63. & 75.*

Acta cum procuratore revocato, donec ignoratur revocatio, tenent. h.d.

§. 18. Ad

a *capit.mandato.extra. eod. tit.*

§. 18. Ad hæc etiam admonendi ſumus, qvòd ſi ignorante judice, vel adverſario [a], poſt conteſtatam litem mandatum revocatum fuerit, ratum eſſe debet judicium, in qvo qvis poſt ignoratam revocationem qvaſi procurator verſatus fuerit.

ignorante judice vel adverſario] Revocatio procuratoris ad lites vel ad judicia pervenire debet ad notitiam judicis & adverſarii; ſed revocatio procuratoris ad negocia ſufficit, ſi perveniat ad notitiam ipſius procuratoris. Joh.Bapt.Coſt. *de remed. ſubſid.remed.48.illat.un.n.8.* Aut igitur ſolus judex compertam habet revocationem, aut ſolus adverſarius, aut uterq;, aut deniq; neuter eorum. Primo caſu ſententia lata ipſo jure eſt nulla. Secundo caſu ſententia pro adverſario lata valet, ſed ope replicationis eliditur. Tertio caſu non valet qvod geſtum eſt. Qvarto, valet, & judicium procedit. Fr. Card. Mantic. *ſ.7.luctubr. Vatican. tit.21. n.20.ſeqq.* Sed & ipſe procurator de revocatione certiorandus eſt, qvo omiſſo, ſi aliqvid ab eo in præjudicium Domini geſtum fuerit, ratum id erit & validum; irritum verò & nullum, ſi id, qvod geſtum eſt, in favorem ejus ceſſerit. Stephan. Gratian. *diſcept.forenſ.c.18.n.37.* Camill.Borell. *deciſ.66.n.380.*

poſt conteſtatam litem] Sed &, ſi ante litem conteſtatam revocetur procurator, intimandum id eſt judici & adverſario, dum tamen in judicio aliqvid jam geſtum, aut ſaltem coram judice facta fuerit procuratoris conſtitutio. Vid. Zanger. *de except.p.2.c.8.n.59.ſeqq.* Et imò ſi res penitius conſideretur, non videtur fieri poſſe poſt litem conteſtatam revocatio procuratoris, ignorante judice vel adverſario, eò qvod poſt litem conteſtatam non licet revocare procuratorem, niſi causâ cognitâ, uti ſupra diximus.

Matrimonium contractum per procuratorem revocatum non tenet, licet revocatio non venerit ad notitiam partium. h. d.

b *cap.fin.§.fin. de procur. in 6.*

§. 19. Non ſic tamen in matrimonio ſtatuitur [b]: nam ſi procurator ad contrahendum ſpecialiter conſtitutus, ante qvàm contrahat, à domino revocatus fue-

Digitized by Google

fuerit, contractum poſtmodum matrimonium, licet tam procurator, qvàm ea, cum qva contraxit, revocationem hujusmodi penitùs ignoraverint, nullius momenti penitùs exiſtet: cùm illius conſenſus defecerit, ſine qvo firmitatem habere non potuit.

à domino revocatus fuerit] qvod etiam tacitè fieri poſſe ajunt, ſi ante contractum matrimonium alius procurator fuerit conſtitutus ad contrahendum cum aliâ, aut ſi ante contractum matrimonium à procuratore, is qvi mandatum dedit, cum alia matrimonium contraxerit, etiam ignorante procuratore. Did. Covarruv. *de matrimon. part. 2. c. 4. n. 14.*

cum illius conſenſus defecerit] Sed videamus, annon ſerò nimis denuncietur hæc pœnitentia. Certè, ſi promiſerit deinceps ea, eum qva per mandatarium cauſa matrimonii agi cœpit, non mandatarii tantum intereſſe poterit, ſed fœminæ etiam, qvæ ita contraxit. Utiq; enim indemnis illa præſtari debet, qvod cum injuriâ conjunctum ſit, petere aliqvam in matrimonium & mox ei renunciare. Nec verò ludere ita joculariter licet in cauſis matrimonialibus, poſtqvam præſertim de conjunctione animorum res eſt, qvæ mutationi & pœnitentiæ locum non facile relinqvit. Atq; hinc non placet deciſio hæc juris Canonici Paulo Cypræo *de jur. connub. c. 9. §. 22.* Qvò facit *l. 15. ff. mandat. l. 34. §. ſi Titium ff. de ſolut. l. 12. §. 1. ff. eod. l. 65. ff. de procurat.*

Acta judicii poſt revocationem procuratoris non ignoratam, non tenent. hoc dicit.

§. 20. Qvòd ſi ſcientibus judice [c] & parte mandatum revocatum fuit, & nihilo minùs eſt in judicio proceſſum per procuratorem revocatum, tam alia acta, qvàm ipſa ſententia nullum afferet domino præjudicium: cùm falſi procuratoris exceptio [d] non ſo-

c *cap. inſinuatione. & ſeq. extrav. eod. tit.*

d *capit. in noſtra. extr. de procurat. in 6*

lùm ante ſententiam, verùm etiam poſtea poſſit objici: qvâ probatâ, judicium prorſus nullum redditur.

cum falſi procuratoris exceptio] Hoc reſtringendum non niſi ad caſus habiles de tali ſc. procuratore, qvi vel mandatum planè non habet, & citra omnem voluntatem Domini cauſam agit, vel habet qvidem, ſed mutilum & inſufficiens aut etiam impertinens ad cauſam; vel revocatus eſt, & nihilominus à judice ejus rei conſcio admiſſus. Si enim revocatus qvidem fuerit, ignorante tamen judice & adverſario, irritus non fit proceſſus, cum procuratore tali modo revocato initus *l. 65. in fin. ff. de procurat.* Zanger. *de except. part. 2. c. 8. n. 67.*

Refutatio mandati non impedit refutantem acceptare, ſi mandans perduret in voluntate mandandi. h. d.

[c] *cap. licet iii. eod tit. in 6.*

§. 21. Non [c] idem juris ſtatuetur in eo, qvi abſens procurator conſtitutus præſentatum ſibi mandatum ſuſcipere nolle dixerit. Is enim refutatione hujusmodi neqvaqvam obſtante, qvandiu conſtituens in eadem voluntate perſtiterit, ad libitum mandatum acceptare poterit.

in eâdem voluntate perſtiterit] Secus eſt, ſi non perſtiterit in eâdem voluntate. Qvando enim poſt recuſationem mutatur voluntas ejus, qvi actum gerit, tunc ſubſeqvens ratificatio alterius nihil relevat.

mandatum acceptare poterit] Sed tùm incipit contractus à tempore acceptationis, non à tempore mandati transmiſſi. Nic. Reuſner. *p. 3. deciſ. 11. n. 21.* Berlich. *deciſ. 37.* Mantica *lucubr. Vatic. l. 3. tit. 13. n. 60.* Cæterùm qvousq; mutare liceat animum in negociis civilibus, ut uſus eorum aliqvis eſſe poſſit, hanc tradunt diſtinctionem Doctores: Qvando negocium non eſt perfectum, & perfectio pendet ex voluntate gerentis & ejus, qvi debet ratificare actum, tunc abſens non acceptans à principio poteſt mutare pro-

propoſitum, qvousq; gerens actum permanet in eâdem voluntate, qvia hoc caſu reperitur concurſus ejusdem voluntatis in idem. Qvando verò negocium eſt perfectum, qvia conſiſtit ex voluntate gerentis & alterius cum qvo erat geſtum, & convenit voluntas utriusq;, erat tamen in pendenti actio ſeu acqviſitio qvoad tertium, in cujus utilitatem erat geſtum, & tunc ſi ille tertius vult, qvod negocium efficiatur ſuum, neceſſe eſt, ut à principio ratificet, aliàs cum ſemel abdicat à ſe reprobando, non poteſt amplius fieri ſuum. Stephan. Gratian. *diſcept. for. c.92. n.44.* Non ſatis accuratè. Qvid obſtat enim, qvò minus acceptare poſſit hic tertius, qvando priores duo in eadem perſtant voluntate? Sanè uti in priore caſu conſentire poteſt Titius cum Cajo, ita in poſteriore Sejus cum Titio & Cajo, qvippe qvi tùm unam gerunt in reſpectu Seji perſonam.

Receptio inſtrumenti, & cautio domini operantur, qvibus procurator non poſſit renunciare mandato, ſed teneatur defendere.

§. 22. At[f] literis, vel inſtrumento, qvibus te aliqvis in cauſis ſuis procuratorem conſtituens, pro te debito modo cavit, ſimpliciter nullâ factâ proteſtatione, à te ſcienter receptis, non potes poſtea recuſare illius defenſionem: imò cogi poteris illum defendere in omnibus cauſis, & negotiis, ad qvæ prædicta inſtrumenta, ſeu literæ ſe extendunt: cùm per hoc ad omnia tuum præſtitiſſe videaris aſſenſum.

[f] *clem.1.eod. tit.*

At literis vel inſtrumento] Taciti pacti vim habet Epiſtola, ſi is, cui miſſa, taceat, ex qvo damnum ſentire poſſit *l.16.ff.ad SCt.Macedon. l.34.pr.ff. mandat.* Andr.ab Exea *de pact. n.52.* Nicol. de Paſſerib. *de ſcriptur. privat. l.3. q.1.* Atq; hoc etiam de tali epiſtolâ interpretatur Pontifex, qvâ procurator aliqvis conſtituitur, ſi nempe is, ad qvem mittititur epiſtola, eam accipiat & taceat. At jus civile invitum in hac materiâ interpretatur non eum tantùm, qvi contradicit, verum eum qvoq;, qvi conſenſiſſe non probatur. *l. 8. §.1. ff. de procurat.* Et agnoſcit hîc differentiam juris civilis & Canonici Nicol. Ant. Gravatius *ad praxin Octaviani Veſtrii l.4. c.5. n.33.* Nobis

Digitized by Google

ab jure civili hîc discedere religio est, qvod potior videatur ejus ratio, qvàm pontificia. Ut maximè enim tacens pro consentiente qvandoq; habeatur, id tamen non procedit in iis negociis, in qvibus leges expressum consensum reqvirunt, uti fit in *l. 5. ff. de serv. præd. urb. l. 45. §. pen. ff. de rit. nupt.* Jacob. Gothofred. *ad l. 142. ff. de R. J.* qvod & in mandato contingit *d. l. 8. §. 1. de procurat.* præsertim cum operam & factum alterius desideret, qvod tacens nunqvam promisisse censetur. Bachov. *ad Treutl. de mand. th. 5. lit. F.* Adeoq; non malè qvidam tùm demùm tacentem obligari aut pro consentiente haberi contendunt, qvando actus potest à tacente contradicendo impediri *l. 63. vers. scientibus ff. de re jud.* qvando verò actus tacente invito expediri potest, taciturnitatem pro consensu non haberi *l. 39. ff. de pign. act.*

Morte constituentis expirat mandatum, interdum etiam re non integra. hoc dicit.

§. 23. Morte qvoq; constituentis desinit qvis esse procurator, qvod interdum obtinet etiam re non integra. Nam g si prælatus, vel rector te pro beneficio suo, vel Ecclesia procuratorem constituat, & tu vivente illo litem contestatus fueris, aut negotium aliter attigeris, post mortem tamen illius, etiam qvoad cœpta, procurator esse desinis.

g *clem. fin. eod. tit.*

vel Ecclesia] At Ecclesia non moritur, & prælatus sive Episcopus tantùm est administrator & curator Ecclesiæ. Qvî ergo intercidere poterit mandatum moriente Episcopo, Ecclesiâ salvâ? Accedit, qvod in Ecclesiâ vacante Capitulum vel Collegium Canonicorum defunctum prælatum Principem repræsentat, adeoq; parem habeat cum eo autoritatem. Gail *lib. 1. Obs. 30. n. 10. 12.* Et qvod Ecclesiæ vacanti defensor dari possit, cum qvo judicium suscipiatur. Gail *d. l. n. 15.* qvidnî ergo Procurator maneat ille, qvî à vivo Episcopo nomine Ecclesiæ est constitutus. Nec movet ratio Canonistarum, qvod sede vacante nihil sit innovandum, qvia hîc nulla plane innovatio, sed pristina causa peragitur.

litem

litem contestatus fueris] Qvorsum ergo recipiunt Canonistæ vulgatum illud juris civilis axioma, qvod procurator per litis contestationem liti s fiat Dominus? Utiq; enim de jure civili propter hanc rationem sententia ferri potest, ut maximè Dominus principalis defunctus sit. Ant. Fab. *Cod. l. 2. tit. 6. def. 4.*

post mortem tamen illius] Qvod extendunt ad mortem cilem, ita ut locum habeat etiam in prælato renunciante, depositio aut translato. Franc. de Caldas *de Empt. & vend. c. 15. n. 33.* Sed id negat Gvid. Pap. *decis. 547.* ubi similiter adstruit, hanc constitutionem pontificiam tantum de actore prælato intelligendam esse, non etiam extendendam ad prælatum reum.

Procurator esse desinis] Desinit post mortem mandantis procurator esse etiam de jure civili, nisi procurator factus fuerit litis dominus. Qvod enim dicitur, mandatum morte solvi re integrâ, non hunc habet sensum, qvod, post qvam res integra esse desiit seu interesse cœpit, morte alterutrius interveniente mandatum non solvatur, & adhuc liberè perfici possit, qvod cœptum est, sed qvia obligatio mandati & actio ante mortem nata post mortem persevérat. Arn. Vinnius *ad. §. 10. Inst. de mandat.*

DE PACTIS ET TRANSACTIONIBUS,

TITULUS III.

Metu judiciorum interdum devenitur ad pacta, ad transactiones, & ad compromissa. h. d.

§. Consequens nunc est, ut videamus de serie, & actis ipsorum judiciorum. Sed qvia interdum accidit, ut judiciorum metu litigaturi ad pacta & transactiones veniant, aut ad arbitros declinent, ideò priùs paucis de his dispiciamus.

& transactiones] Ante omnia etiam ab ipso judice tentanda est amicabilis compositio, qvæ sæpè non frustra & magno cum emolu-

mento inſtituitur. Ventur de Valent. *in Parthen. litig. lib. 2. c. 4. n. 6. ſeqq.* Qvo qvidem in negocio non aliæ ſunt judicis partes, qvàm arbitratoris, & tùm judicis manus veluti qvieſcit. Uterq; ſcilicet partibus exponit moleſtias, & ſumptus litis haud exiguos, jacturam temporis, diſſidia inde reſultantia, animi rancorem, & odia qvotidiè renaſcentia, tùm & dubiũ litis evẽtum, & qvicqvid deniq; vel tædii vel adverſi ſubeſſe ſoleat. In causâ ipsâ, qvid ſibi videatur, ſæpè κατ' ἄνθρωπον, nec tamen per modum ſententiæ exponit, & ita ſibi temperat, ne absq; juſtâ ratione uni plus tribuat in præſentiâ utriusqve, qvàm alteri, difficulter aliàs litem compoſiturus.

ad arbitros] Non in omnibus cauſis compromitti poteſt, qvemadmodum nec tranſigi. Et hoc jure utimur, ut, in qvibus transactio locum non habet, in iisdem nec compromitti poſſit. Joh. Emeric. â Rosbach *in proceſſ. tit. 6. n. 12. 13.* In iisdem ergò nec amicabilis compoſitio â judice tentari poteſt.

Pacta ſunt ſervanda, & per ea etiam indultis Apoſtolicis derogari poteſt. hoc dicit.

§. 2. Et qvidem pacta inter qvoscunqve, qvacunqve de re inita, regulariter ſuam habere debent firmitatẽ: neqve enim qvisqvam, ut divinum monet oraculum, ea qvæ labiis ſuis procedunt, irrita facere debet. Qvod qvidem usqveadeò obtinet, ut Apoſtolicis etiam indultis pactum deroget. Inde[a] cùm monaſterio ab Apoſtolica ſede libera ſepultura conceſſa eſſet, pactumqve eſſet cum Rectore parochialis Eccleſiæ, ne parochiani ipſius ad ſepulturam reciperentur, reſponſum eſt, in dicto monaſterio ſepeliri eligentes, obſtante conventione, voti ſui fieri non poſſe compotes.

[a] *cap. 1. de pact. in 6.*

ſuam

ſuam habere debent firmitatem] Sed num ita, ut actio exiis detur de jure Canonico? Ita qvidem exiſtimant Viri ſummi, qvos inter eſt noviſimè Arnoldus Vinnius *tr. de pact. c. 7. n. 4.* moti imprimis *cap. 1.* & *3. X. de pactis.* Sed profectò ex illis nulla mihi videtur in hanc rem peti poſſe probatio. Qvod enim cap 1. attinet, tutò aſſerere non licet, nudum ibi interveniſſe pactum, cùm vocabulum pacti generaliter qvandoqve pro qvâvis conventione accipiatur. Sanè ſcriptum id fuiſſe & ſubſcriptione vallatum apparet ex *cap. 12.* Concilii Carthag. I. (2) Nihil obſtat, qvò minus vocabulum *Conventus* nominaliter de conventu Eccleſiaſtico, diſciplinam decernente, accipiamus, hoc ſenſu: *aut conventûs* i. e. Concilii, Synodi aut collegii Sacerdotalis diſciplinam ſentiat. Qvid enim opus eſſet (3) eccleſiaſticâ hâc diſciplinâ, cùm, ſi actionem ex pacto dari, probare debeat hic textus, ita potius verba formari debuiſſent: *aut conventus damnari debet in id, ad qvod vi pacti obligatus eſt.* Actio enim ex pacto nunqvam dabitur ad pœnam, niſi ſub pœnâ fuerit initum. (4) probè attendantur membra ſibi per alternativam hîc oppoſita: *Aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem, aut conventus* &c: At ſi vocabulum *Conventus* actionem ex pacto denotare debeat, non poſſet membrum hoc priori illi opponi, cum vel maximè per actionem efficiatur, ut inita pacta ſuam obtineant firmitatem. (5) conſideretur, in ipſo hoc concilio motam eſſe & inſtitutam actionem ab Antigono contra Optantium in plebes ſuas involantem, auditam eam ab Grato Epiſcopo & toto Concilio, pronunciatam tandem ſententiam in hunc modum: *aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem* &c: Qvid opus igitur erit novâ aliqvâ conventione? cum jam lata ſit ſententia ab ipſo concilio. Ex altero textu, qvi extat in *c. 3. X. h. t.* nihilo plus præſidii haberi poteſt. Deſumtum eſt illud ex *epiſt. 38. lib. 8.* Gregorii Magni. Scribit ibi Gregorius ad Januarium Epiſcopum Caralitanum in Sardiniâ, nunciatum ſibi à Carthaginienſe Epiſcopo (Dominico) & Præfecto Africæ Innocentio, opprimi in Sardiniâ minores ſive pauperes à majoribus, offerri ſimul ab iis, ſcilicet Africanis, qvæ peti deberent, ad reſtingvendum ſcilicet iſtud malum. Studioſè igitur agendum eſſe, ut ea, qvæ promiſſa eſſent, ſcilicet ab Africanis, opere

opere compleantur. Hic est sensus totius Epistolæ, ex qvâ conjicere licet, porrò, auxilia ab Africanis promissa fuisse copias militares, qvibus scilicet in ordinem redigi possent potentiores Sardiniæ. Disponit enim ibi Gregorius, qvid faciendum cum iis, qvi ad Ecclesias confugiunt, qvi profectò non confugerent, nisi adacti vi majori, & majore metu. Qvæso ego, qvid est in hâc epistolâ Gregorii, qvod actionem ex pacto dari, persvadere possit? Falsum est, qvod putat Vinnius, verba ea ad judicem esse directa; judicem enim nec Episcopus Carthaginiensis nec præfectus Africæ agnoscerent Episcopum Caralitanum. Falsum est, inscriptionem capituli esse ex ipso registro Gregorii. Falsum igitur est, in judicium vocatos fuisse, qvos promissis suis stare cupit Gregorius. aut judici seculari mandatum fuisse, ut pacto promissa curet impleri, judicio in eam rem dato. Ipse Episcopus Caralitanus studiosè id agere, h. e. omnem movere lapidem & instando, urgendo, rogando flagitare Africanos debet, ut ea scilicet auxilia & subsidia, qvæ promissa sunt ab Africanis, opere compleantur. Et hæc scilicet sunt præcipua illa fulcra, qvibus nititur opinio eorum, qvi de jure Canonico actionem ex nudo pacto dari contendunt. Qvod enim addunt, præsumendum esse, auctores juris Canonici in casu conscientiæ, ne peccatum foverent, secutos esse jus naturale & divinum, utroq; autem hoc jure pactiones qvaslibet firmas esse & validas, id partim præsumtione nititur, qvæ eliditur præsumptione hâc fortiore, qvod autores juris Canonici probaverint jus civile usitatum, ubi non disertè diversum qvid statuerint, partim verò hoc tantùm probat, jure Canonico firmas & validas esse pactione; sut autem præcisè eo modo firmæ & validæ habeantur, qvo habentur jure naturali & divino, argumentum non infert, tùm qvod impossibile sit in societate humanâ jura naturalia simpliciter exeqvi, tùm qvod ipsum jus Canonicum in personis & rebus jam satis notabiles superaddidit limitationes & differentias.

voti sui fieri non posse compotes] Autor supra in §. *alias autem, tit. de sepultur.* ex *cap. 1. eod. in 6.* probavit, liberam esse debere electionem sepulturæ, ut neminem inducere liceat qvocunqve modo, ut hîc & non alibi sepeliri se velle promittat. Dubitare jam licet, annon illi derogetur per ea, qvæ autor hîc ponit. Sanè utcunqve pactum inter parochianos & monasterii abbatem non intercesserit, sed inter abbatem & Ecclesiæ Rectorem, per indirectum tamen infringitur libertas ipsorum parochianorum, dum scilicet eorum cadavera ex pacto recipere prohibetur monasterium, & dum vix aliam eligere illi possunt sepulturam, qvàm in Ecclesiâ parochiali, ad qvam scilicet eos adigit pactum Ecclesiæ Rectoris.

Pactum

Digitized by Google

Pactum, per qvod filia dotata renunciat hæreditati paternæ, juramento vallatum, tenet. h. d.

§. 3. Eòdem etiam ſpectat[b], qvòd pactum à filia, dum nuptui traditur, cum patre factum, ut dote contenta, ad bona paterna nullum habeat regreſſum, ſi juramento vallatum ſit, licet lege civili improbetur, ſervari debet: cùm tale pactum non vergat in æternæ ſalutis diſpendium.

[b] *cap. 2. de pact. in 6.*

[c] *cum contingat. de jure. jurando.*

dum nuptui traditur] Nihil intereſt, ante nuptias fiat renunciatio, an poſt eas. Dauth. *in c. qvamvis. de pact. in 6. n. 78.*

cum patre factum] Poteſt etiam fieri cum fratre aut alio, dum tamen ille, de cujus hereditate agitur, conſentiat.

ut dote contenta] dum tamen ea congrua & revera data atqve accepta ſit, aliàs frater hereditatem petens exceptione doli repelli poteſt. Zaſ. *in l. 61. de V. O. n. 36. 37.* Qvod ſi aucta deinceps fuerint bona paterna, conſentaneum eſt æqvitati naturali, ut, qvod deeſt legitimæ, ſuppleatur, Hahn. *diſſert. de jur. rer. th. 84. n. 20.* à qvo tamen diſſentit Carpzovius *p. 2. conſtit. 35. def. 4.* cujus ſententiam vel ideò probamus, qvod qvantitas legitimæ jure poſitivo definita ſit, cui jam ante, qvippe juri pro ſe introducto, renunciavit filia juratò.

ad bona paterna] qvæ hîc conſideranda ſunt ſub qvalitate hereditatis ab inteſtato ſperatæ. Non ergo hîc intelliguntur bona, qvæ non jure hereditario, ſed peculiari transferuntur, ut ſunt feudalia, emphyteutica & ſimilia, nec ea, qvæ aliter qvam ſucceſſione ab inteſtato deferuntur, qvâ ratione non excluditur filia renuncians ab iis bonis, qvæ pater ipſi relinqvit in teſtamento. Sichard. *ad l. 3. n. 7. C. de collat.*

nullum habeat regreſſum] Habere tamen poterit regreſſum, qvando cauſa, propter qvam facta fuit renunciatio, ceſſat. Unde filia, qvæ renunciavit patri in favorem fratrum, qvi erant tempore renunciationis, ſuccedere poterit, non obſtante renunciatione, illis vivo patre decedentibus.

tibus. Fern. Vasqv. *de succeſſ. lib. 2. §. 18. reqviſit. 29. limit. 1. n. 146.* Tiraqvell. *tr. ceſſante cauſ. part. 1. n. 232.* Sed & per indirectum filia renuncians bona paterna recuperare poteſt, qvando ſcilicet ipſa deinceps ſuccedit fratri, ad qvem bona paterna pervenérunt, qvia fratris tùm eſt hereditas, cui renunciaſſe non cenſetur. Gail. *2. obſ 148. n. 12.*

ſi juramento vallatum ſit] qvod præcisè exigitur, nec adimpleri poteſt per æqvipollens, nec adeò per promiſſionem / **bey adelichen Ehren/oder an Eydes ſtat.**

licet lege civili improbetur] *l. ult. ff. de ſuis & legit. hered. l. 3. C. de collat.* Ratio eſt, qvia privatorum cautiones auctoritate legum, qvæ certos modos non modò acqvirendæ ſed etiam amittendæ hereditatis conſtituunt, non cenſentur *d. l. ult. ff. de ſuis & legit.*

ſervari debet] Hoc ita interpretatur Franzkius, qvod juramentum tantùm ſervari debeat, & qvod propterea ſolius religionis vinculo obligatio teneat, non qvod propterea ipſe etiam actus invalidus confirmetur, *lib. 2. reſolut. 6.* Add. Vinnius *de pact. cap. 18. n. 10.*

Pactum, qvod tendit ad periculum animæ, non ligat. h. d.

§. 4. Qvod ſi ſervatum in animæ tendat detrimentum [c], qvia fortè ſit pactum de re turpi, veluti qvòd poſt mortem Titii clerici Sejus in beneficio ſuccedat: vel aliter de jure vel de facto ſit impoſſibile, nullam inducet obligationem.

[c] *cap. fin. ext. de pact.*

Sejus in beneficio ſuccedat] Hoc pactum ideò improbatur, qvia non eſt in Titii poteſtate ſucceſſorem ſibi facere in munere Eccleſiaſtico, ſed ad integram id pertinet Eccleſiam. Canoniſtæ autem hanc imprimis rationem reddunt, qvia tale pactum ſuſpicionem præbeat Simoniæ, qvam tamen amittat, ſicubi acceſſerit autoritas Papæ. Vid. qvæ diximus *lib. 1. tit. 18. §. non abſimilis ratio.*

vel de facto ſit impoſſibile] Impoſſibile dicitur vel naturâ tale, cui ſcilicet natura impedimento eſt, qvo minus exiſtat, veluti ſi qvis ita ſtipu-

Digitized by Google

ſtipulatus fuerit: ſi digito cœlum attigero, dare ſpondes? *§. 11. Inſt. de inut. ſtip. l. 6. in f. ff. de cond. & dem.* vel jure talé, cui ſcilicet jus, pietas, exiſtimatio, verecundia, boni mores impedimento ſunt. *l. 9. l. 14. l. 15. ff. de condit. inſt.* Et hoc alio nomine dicitur turpe, impoſſibile autem propterea, qvia eo ipſo, dum efficere non licet, exiſtere non poteſt.

Transactiones, qvæ non ſunt juri contrariæ, ſervari debent, & partium juribus derogant. h. d.

§. 5. Transactiones [d] qvoqve ſimilem juris firmitatem obtinent, usqveadeò, ut jurib. omnibus, qvæ partibus aut obtentu præſcriptionis, aut privilegii, ſeu qvocunqve modo ſuffragari poterant, vires adimant. Sed & hoc de illis transactionibus intelligere nos oportet, qvæ non ſunt juri contrariæ. Alioqvi ſi aut ſuper re ſacra [e], & litigioſa, aut in cauſa matrimonii interpoſitæ ſint, nullum robur obtinent.

d *cap. 1. extr. de trans.*

e *cap. conſtitutus. & cap. fin. ext. de trans.*

ut juribus omnibus] Transactio nempe eandem vim habet, qvam res judicata *l. 20. C. de transact.* Et ea propter cauſa transactione deciſa & finita non magis, qvàm ſententia *l. 1. C. ſent. reſc. non poſſ.* retractatur, etiamſi transactio facta ſit de cauſa, ex qvâ is, qvi transegit, non erat obligatus *l. 23. C. de transact.* idqve per nova inſtrumenta poſtea reperta doceri poſſit, *l. 19. C. eod.*

ſuper re ſacrâ & litigioſâ] Conjunctim hæc accipienda ſunt, qvemadmodum & ſpecies facti in *c. 7. X. de transact.* proponitur de eccleſiaſtico beneficio in litigium deducto. Unde etiam aliqva exemplaria omittunt copulam ET. Aliàs autem ſi res tantùm litigioſa, non autem ſacra fuerit, nullo jure prohibetur transactio. Cæterùm nec de ſacrâ qvidem transactionem irritam aut illicitam eſſe, ſi res ſpiritualis compenſetur largitione vel ceſſione alterius rei ſeu juris ſpiritualis proportionati, notat Barboſa *ad d. cap. 7. n. 2. & 3.*

aut in causâ matrimonii] Transactio matrimonii conservandi causâ inita non est illicita. At si ad dissolvendum matrimonium transactio comparata est, ea merito improbatur, propter indissolubile vinculum conjugii, & ne temerè dissolvantur benè contracta sponsalia. Beust. *de sponsalib. c. 9.* Sed hoc ita, si de contracto matrimonio constet, Marpurg. *conf. 25. n. 291. p. 1.* Si verò causa adhuc est dubia, non prohibetur transactio, qvia tunc non tàm de matrimonio, qvàm de lite transigitur. Heig. *part. 2. q. 17.*

DE ARBITRIS,

TITULUS IIII.

Qvi sint propriè Arbitri. h. d.

a *can. à judicibus. §. arbitrarii. 2. q. 6.*

§. 1. Arbitri a dicuntur propriè, qvi nullam potestatem habentes, consensu litigantium in judices eliguntur, in qvos compromittitur, ut eorum sententiæ stetur.

qvi nullam potestatem habentes] scilicet tanqvam arbitri. Potest enim compromitti etiam in judicem ordinarium *§. seq. c. 5. & 10. X. h. t.* qvi potestatem habet, scilicet ut judex, non ut arbiter. Qvod ipsum tamen intelligendum de Magistratu, qvi judex est, non de judice pedaneo, qvippe qvi arbitrium suscipere prohibetur *l. 9. §. 2. ff. h. t.* eò qvod ex formulâ præscriptâ judicare teneatur. Bachov. *ad Treutl. vol. 1. disp. 12. th. 6. lit. F.*

consensu litigantium] Consensum istum jus civile stipulatione pœnæ aut pecuniæ vallatum reqvirebat. *l. 11. §. 2. & 3. ff. h. t. l. 13. §. 1. l. 32. §. 18. h.* qvod ne noviori qvidem Justiniani jure mutatum est, *Novell. 82. c. 11.* Sed hoc tantùm singulari constitutione *in l. 5. C. h. t.* introductum est, ut, si sententia citra præcedentem partium stipulationem lata approbata deinceps fuerit vel expressè per subscriptionem, vel tacitè per lapsum decem dierum, rata ea sit & firma. Jure Canonico utrum nudo pacto fieri qveat compromissum, ad effectum scilicet agendi ex sententiâ arbitri, non potest

Digitized by Google

teſt decidi aliter, qvàm ex decisâ qvæſtione præjudiciali, utrum de jure Canonico ex nudo pacto detur actio? de qvâ egimus *tit. anteced.*

in judices eliguntur] Arbiter nec verè judex eſt, qvia ſc. conſenſus privatorum judicem facere non poteſt *l.3.C.de jurisdict.* nec ejus pronunciatum verè eſt ſententia *l.1. C. de recept.arb.* Dicitur tamen judex eò, qvod arbitria ad ſimilitudinem judiciorum redacta ſint. *l.1. ff. h.t.* Franzk. *in comment.ad ff.h.t.n.13.ſeq.*

ut eorum ſententiæ ſtetur] Appellari enim ab eâ neqvit, ſive æqvum ſive iniqvum pronunciaverint, tùm qvòd ſibi imputare debeat, qvi compromiſit *l. 27. §. 2. ff. h. t.* tùm qvòd judicati actio inde præſtari neqveat. *l.1.C.eod.* Et certè fruſtranea omnis eſt appellatio, cum nec ad pœnam evitandam proſit, qvia ſtipulatio, nî ſententiæ pareatur, ita maximè committitur, cum certum ſit non parere, qvi, qvantum in ſe eſt, irritare nititur, nec ad vim judicati ſiſtendam, qvippe cum eam arbitri ſententia non habeat, nec pœnâ ſolutâ amplius qvidqvam parti victæ verendum ſit. Hillig. *in Donell.enucl.l.28.c.ult.lit.C.* Gail. *1.Obſ.150.n.8.* Ant.Fab. *Cod.l.2.tit.35.def.6.*

Tam in judicem ordinarium, qvàm delegatum poteſt compromitti. h.d.

§. 2. Sed etſi qvi legitimam in partes poteſtatem habeant, ab eisdem tamen in arbitros eligi poterunt. Qvòd non ſolùm de eis intelligendum eſt [b], qvi ordinariam exercent jurisdictionem, verùm etiam de his, qvi delegatam tantùm obtinent.

c.cum tempore.h.t.

b *cap.cùm olim.ext.eod. gl.pen.can. à judicibus. 2.q.6.*

Sed etſi] Diſſenſum hîc ſtatuunt nonnulli inter jus civile & canonicum, ſed forte perperam, cum jus civile inferiores magiſtratus, qvi cogi à Prætore poſſunt, arbitros eſſe non prohibeat *l.4.ff.h.t.* Bachovius tamen etiam in prætores & præſides compromitti poſſe contendit, *in Treutl. diſp.12. th.6.lit. F.* ſed ei refragatur *l.3.in fin. h.t.* Addatur Marc. Anton. Blancus *de compromiſſ.qv.2. n.41.*

Ponit perſonas, in qvas non poteſt compromitti. h.d.

§. 3. Sed neq; ſervi [c], nec, qvi ſervis ſimiles ſunt, mona-

c *can.2. §. ſervi.7.q.7.*

Digitized by Google

chi & regulares, arbitrium in se recipere possunt. Ad hos enim qvies, oratio, & manuum labor, non autem causarum spectat cognitio. Hæretici qvoqve, apostatæ, schismatici, infideles, & excommunicationis vinculo ob delictum proprium innodati, arbitrorum in se officium assumere non poterunt.

c. de præsentium 16. qv. 1.

Sed neq; servi] qvia compromissa redacta sunt ad similitudinem judiciorum: cum servo autem nullum judicium subsistit. Atq; hoc adeò verum est, ut ne liber qvidem homo, in qvem unà cum servo compromissum est, cogi possit ad sententiam dicendam *l. 7. ff. h. t.* nec vice versâ cogi possit arbiter, in qvem compromiserit homo liber cum servo *l. 32. §. 8. eod.*

qvi servis similes sunt, monachi] Hodierni monachi nō magis servi sunt, qvàm Papa servus est servorum, qvippe qvi sub abjecto hoc nomine dominus dominantium esse affectat, ut benè animadvertit Jason *in l. rescripta C. de precib. Imp. off.*

& manuum labor] Ex hoc prolixè deducit Marcus Antonius de Dominis *de rep. Eccles. l. 9. c. 5. n. 51. seqq.* impropriationes decimarum & Ecclesiarum factas cœnobiis & Monachis fuisse contra Monachalia instituta, Monachosq; debere potius penu Ecclesiæ suorum laborum fructibus augere, qvàm ab ipso aliqvid, ut sibi jure debitum, accipere. Talem enim laborem manuum priscis monachis usitatum fuisse, ex antiqvis monumentis constat. Vid. Renat. à Valle *in Hipparch. n. 94. seq.*

Hæretici qvoq;] Fatetur glossa, difertum textum de his & sequentibus non haberi, & indigere rem pontificali decisione, qvo ipso dubiam adhuc eam haud frustra præsupponit. Et certè cum infidelium judicium nunqvam refugerint Christiani in primitiva Ecclesia, nec arbitrium eorum tantoperè refugiendum erit, cùm fori & Ecclesiæ distincti semper fuerint limites, distinctaq; negocia.

In laicum de re spirituali non potest compromitti, nisi sit clerico adjunctus, vel in eum sit compromissum authoritate Apostolicâ. h. d.

§. 4. Sed

§. 4. Sed nec in eum, cujus licet ex delicto aliqvo non sit læsa existimatio, laicus [d] tamen est, de re spirituali compromissum fieri potest. Si tamen [e] is aut clerico sit adjunctus, aut Apostolicâ authoritate compromissum susceperit, Arbitri partes exeqvi minimè prohibebitur.

d *cap. contingit. ext. eod.*

e *cap. per tuas. in fin. ext. eod.*

laicus tamen est] Fluit hoc ex eo, qvod laicus in causis Ecclesiasticis judex esse neqveat. At falsum id esse, supra *ad tit. 1.* ostendimus, cùm potestas jus dicendi non possit haberi aliunde, qvàm ab eo, qvi summum tenet imperium, qviq; vi unius ejusdemq; potestatis legislatoriæ & Ecclesiasticis & civilibus negociis jura præscribit. Qvod autem privilegiata hodiè in causis Ecclesiasticis ubiq; ferè terrarum instituta sint judicia, non minus acceptum ferendum est principi, qvàm aliud qvodcunq; tribunal in civilibus.

de re spirituali] qvæ sint res & causæ spirituales, oppidò magnum adhuc inter Pontificios est disidium. Dixi aliqva supra *ad tit. 1.* ut & ad *tit. 1. lib. 2.*

clerico sit adjunctus] Laicus ergo non est omninò incapax, aliàs ne qvidem cum clerico arbitrium sucipere posset, exemplo servi *l. 7. ff. h. t.* atq; hinc solâ honestate prohiberi laicum in causis spiritualibus arbitrum esse, tenent qvidam Canonistæ.

aut apostolicâ autoritate] Si verum est, solâ honestate prohiberi Laicos in causis spiritualibus arbitrari, Papæ dispensatio erit contra honestatem. Sed hoc qvotidianum est, & ab Romana sede non alienum.

In fœminas non potest compromitti, nisi id permittat regionis consvetudo, & ordinis. Qvi non prohibetur, potest recipere compromissum. h. d.

§. 5. Fœminæ [f] qvoq;, licet illæ summæ opinionis existant, ab omni judiciali examine usqveadeò sunt sepa-

f *cap. dilecti filii. ext. eod.*

ſeparandæ, ut ex illarum ſententiis nulla pœna adverſus illius contemptores, nullaq; pacti exceptio oriatur, niſi regionis probata conſvetudo talium munerum participes illas redderet. Cæteri verò, qvos neq; ſacrorum Canonum, nec ſecularium legum ſtatuta ſpecialiter arcent, omnes ad tractanda arbitria admittendi erunt.

Fœminæ qvoq;] Ita conſtituit Juſtinianus in *l.ult. C.h.t.* ante qvam tamen fœminas arbitrium recipere potuiſſe, ſaltem inter libertos & familiares ſuos, opinatur Cujacius *l.13.obſ.c.23.*

Cæteri verò] Vid.Marc.Ant.Blanc. *de compromiſſ. qvæſt.2.* Scaccia *de judic.lib.2.c.2.n.567.ſeq.*

Reperiuntur qvidam, qvi non poſſunt compromittere. h.d.

§. 6. Sicuti autem ii, qvos ſuprà recenſuimus, arbitria exercere prohibentur, ita etiam illorum qvidam compromittere non permittuntur, qvi tam ex libris Pontificii, qvàm Cæſarei juris commodiùs cognoſci poterunt.

qvidam compromittere non permittuntur] ſive qvod idoneam ſtandi in judicio perſonam non habeant, ut ſunt ſervi, ſive qvod obligari non poſſint, ut ſunt impuberes, furioſi & prodigi. Mulier rectè compromittit, niſi qvatenus compromiſſum incidit in ſpeciem intercesſionis, qvia tùm juvari poteſt SCto Vellejano, *l.32. §.2. ff.h.t.* Zoeſ. *in Digeſt.h.t.n.5.*

Ponit cauſas, ſuper qvibus non poteſt compromitti. Et qvòd ſuper matrimonio ſpirituali poteſt compromitti, ſecus ſuper carnali. h.d.

§.7.Ple-

§. 7. Pleræq; etiam cauſæ arbitrorum notionem effugiunt: nam [a] liberales, matrimoniorum, filiationum, monachationum, converſionum, in integrum reſtitutionum: item [b] criminales, & qvæ majores judices exigunt, per arbitros cognoſci non poſſunt. Qvod autem diximus, de matrimoniis compromitti non poſſe, de carnalibus intelligendum eſt: nam qvòd de ſpirituali matrimonio compromitti poſſit, ſecundum ea, qvæ ſuprà diximus, nulla eſt dubitatio.

a *cap. pen. in fin. ext. de reſtit. in integ.*

b *d. cap. pen. in initio.*

nam liberales] qvia favor libertatis eſt, ut majores judices habere debeat *l. 32. §. 7. ff. h. t.* majores ſc. arbitris, qvi ex mera privata conventione conſtituuntur. Aliàs enim cognitione liberalium cauſarum non excluduntur judices pedanei *l. 8. & 9. ff. de liberal. cauſ.* Bachov. *in Treutl. vol. 1. diſp. 12. th. 7. in fin.* Arnold. Vinnius *ad §. 1. Inſt. de act.*

matrimoniorum] ne contingat matrimonia diſſolvi aut conciliari contra leges Eccleſiaſticas.

filiationum] ſive litigium ſit inter maritum & uxorem de partu agnoſcendo, ſive inter patrem & filium de paternitate & filiatione contendentes.

monachationum] qvia & hæc cauſa liberali videtur admodum ſimilis.

converſionum] Supra dixi, Canoniſtas hodiernos diſtingvere converſos à monachis. Hos enim in choro per Eccleſiaſticos ordines divinis officiis inſervire dicunt, illos verò Eccleſiaſticis ordinibus non inſigniri, nec in choro ſervire, & proinde Fratres Laicos dici.

in integrum reſtitutionum] qvia illæ imperii magis ſunt, qvàm jurisdictionis *l. 26. ff. ad municip.* Sed arbitri nec jurisdictionem qvidem habent, nedum imperium.

item criminales] qvia crimina non privato arbitrio sunt committenda, sed publicâ autoritate vindicanda. Deficit etiam in arbitro imperium, qvo vindicari ea debent.

de spirituali matrimonio] Matrimonium hoc planè nullum esse, & nullo planè niti fundamento dixi ad *lib.1.tit.17.*

Arbiter super pluribus, si super uno tantùm pronuntiet, non expirat compromissum, nisi habuerit à partibus facultatem ita pronuntiandi. h.d.

§. 8. Finiuntur autem arbitria pluribus modis: utputà, sententiæ prolatione, & temporis lapsu. Sententiæ prolatione finiuntur arbitria, cùm de omnibus, de qvibus compromissum fuerit, arbiter pronuntiavit. Nam si de qvibusdam tantùm sententiam tulerit, nisi talem pronuntiandi potestatem à partibus habuerit, compromissum non expirat.

Sententiæ prolatione] Vid. *l.21.& l.25.ff.h.*

de qvibus compromissum] Attendendum est compromissum, & videndum, qvæ potestas arbitro sit data, *l.32.§.15.ff.de recept.arb.* Aliqvando generaliter est compromissum de omnibus controversiis, aliqvando de certa lite. Cum excedit fines potestatis sibi datæ à compromittentibus, impune ei non paretur. Ideò sive de re dixerit sententiam, de qvâ non est compromissum, sive aliter dixerit, qvàm est compromissum, non valet sententia. Ita e. g. si expressum est compromisso, ut arbiter eodem die de omnibus controversiis sententiam dicat, non videtur functus officio suo. si de qvibusdam dicat, de qvibusdam diem proferat, ut maximè potestatem proferendi acceperit, *l.25.ff.de recept.arb.*

nisi talem] Reliqva enim compromisso non fuerunt comprehensa. Debet igitur arbiter omnes circumstantias, causarum, loci, temporis, modi pronunciandi in compromisso præscriptas observare, qvia ex compromisso omnis ejus potestas dependet, nec aliud ei licebit, qvam qvod ibi ut efficere possit cautum est *d.l.32.ff.h.t.* Ver-

Termini lapsu compromissum expirat. h.d.

§. 9. Lapsu temporis expirat arbitrium, cùm terminus compromisso comprehensus re infectâ labitur.

lapsu temporis] nisi partes prorogaverint tempus & arbiter in mora pronunciandi fuerit, *l.21. §.5.ff.h.t.* Qvod si compromissum factum fuerit in judicem aliqvem, ut is intra certum diem causam definiat, præstitumq; fuerit juramentum parendi & standi sententiæ intra illum diem latæ, ac demum compromisi dies prorogetur, non censetur juramentum ipsum prorogatum, sed de novo jurandum est, si qvidem sub juramento compromittentes obligari velint, etsi prorogatio cum omnibus clausulis primi compromisi facta sit, Franzk. *2. resolut.1.n.56.*

Morte tam arbitrorum, qvàm compromittentium expirat compromissum, nisi specialiter sit dictum de hæredibus compromittentium. h.d.

§. 10. Mortis [c] qvoq; interventu compromissa irritatur, tam arbitrorum, qvàm etiam litigatorum. Compromissum [d] enim in compromittentis hæredes non extenditur, nisi de his qvoq; specialiter caveatur. Sunt & alii modi, qvibus compromissa finiuntur: qvos tamen, ut ad cœptum judiciarii ordinis propositum festinemus, ex aliis juris libris cognoscendos relinqvimus.

c *cap.pen. ext. de offic. del. cap.ex parte. in fi.ext.eod.*

d *cap. fin. ext. eod.*

tàm arbitrorum] etiam uno eorum, si plures fuerint electi, mortuo, *c.uno 42.X.de offic.& pot.jud.del.*

qvam etiam litigatorum] etsi plures ex una parte vel rei vel actoris compromisissent, & unus tantùm ex his decessisset, si qvidem causa fuerit individua. Si enim dividua fuerit, licet ex parte defuncti expiret, ratione tamen superstitum adhuc subsistit. Hartmann. Pistor. *Observ.100.*

niſi de his qvoq;] Alias duas exceptiones habet Johannes Bapt. Coſta *de fact. ſcient. aut ignor. diſt. 75.* videlicet 1. qvando compromiſſum eſt in arbitratorem, ex eo qvod habet vim contractus. 2. qvando compromiſſum eſt juratum. Sed neutra hîc aliqvid poteſt. Non prima, qvia huc non pertinet, cum non de arbitratore, ſed arbitro qvæſtio ſit inſtituta, ſed nec ratio ejus qvidqvam valet, qvia & compromiſſum in arbitrum vim habet contractus. Non ſecunda, qvia juramentum non poteſt extendere naturam actûs, cui adjicitur.

DE IN JUS VOCANDO,

TITULUS V.

Judex debet habere notarium, vel duos viros idoneos, qui ſcribant acta judicii. hoc dicit.

§. 1. Ergo ſi partes neq; pactionibus, neq; transactionibus, neq; compromiſſis concordes reddi poterunt, ad judicem deveniendum erit. Illud autem imprimis proſpicere judicem oportebit, ne ſcilicet debitæ ſolennitates in judicio prætermittantur: adhibebitq; [c] publicam perſonam, aut duos viros idoneos, qvi univerſa acta judicii conſcribant, ut Innocentianâ conſtitutione, in generali concilio editâ, latiùs continetur.

c. cauſam. de judiciis.

[c] *cap. qvoniam contra. ext. de probat.*

neſcil. debitæ ſolennitates] aut ordo intervertatur. Vid. prolixè Sichard. *ad l. 4. Cod. de ſentent. & interlocut.*

publicam perſonam] per qvam Dd. intelligunt Notarium, & conficiunt exhinc, Notarium duabus aut etiam tribus aliis perſonis æqviparari, Panormitanus *in c. qvoniam X. de probat.* Thomas Grammaticus *deciſ. Neapol. 60. n. 11.* Maſcard. *de probat. concluſ. 1099. n. 3.* Camill. Borell. *lib. 2. tit. 18. n. 150. & 213.* M. Ant. de Amat. *deciſ. 7. n. 4.* Johann. Althuſ. *Dicæol. l. 1. c. 51.*

Digitized by Google

c. 51. n. 6. Qvod uti in actis conscribendis suo non destituitur fundamento: ita si generaliter de qvovis testimonio accipias, merito suspectum videtur Jacobo Menochio *de A. J. Q. cas. 105. n. 39.* cum difficile sit, imò iniqvum, testium duorum omnium exceptione majorum fidem unius hominis testimonio enervari. Sed & minus valere dictum Notarii, qvando non ut tabellio, sed ut testis auditur, asserit Barnabas Cornazzanus *decis. 42. n. 6.* Alvarus Valasc. *consultat. 89. n. 3.* qvanqvam id non negem, in dubio Notarii alicujus testimonium præferri debere, cæteris paribus, alterius non Notarii depositioni, qvæ videtur etiam esse sententia Mascardi *d. l. n. 4.* qvia pro Notario semper est præsumptio, & creato Notario dicitur creatum qvodammodo unum oraculum veritatis. Cæs. Barzius *decis. 50. n. 9.* Gvido Pap. *decis. 540.* Didac. Covarrav. *lib. 2. resol. cap. 13. num. 10. seqq.*

qvi universa acta judicii conscribant] Rectius universa conscribuntur, qvanqvam sint, qvi ea hinc excipiunt, qvæ scripturam non reqvirunt. Vid. Joh. Bapt Asinius *in prax. judic. §. 14. cap. 5.* Utrum autem judex ipse, si præsertim Notarius fuerit, acta conscribere possit? vid. idem Asinius *c. 9. & 19.* Berlich. *p. 1. concl. 8. n. 48.*

Initium judiciorum est citatio, sine qva omnes actus regulariter sunt nulli. h. d.

§. 2. Omnium [a] autem judiciorum instituendorum principium & fundamentum sunt citationes, sine qvibus omnia, qvæ adversus absentes in omni negocio, aut loco aguntur, viribus carent. Nam neqve naturalis, neqve civilis ratio qvenqvam indefensum judicari permittit. Qvicunqve igitur cum altero judicio contendere voluerit, ante omnia curare debet, adversarium ita moneri, ut sese coram judice exhibere teneatur.

a *gl. pen. cap. ecclesia sanctæ Mariæ. ext. de constit.*

c. omnia. 3. q. 9. c. pastoralis. de re judicata in Clement.

principium & fundamentum] Alii principium judicii faciunt litis contestationem, cum per in jus vocationem judicium cœptum nondum

nondum dicatur *l. 15. ff. ratam rem hab. l. un. C. de lit.conteſt.* Et hinc citationem partem eſſe judicii negant. Sed utraq; ſalvari poteſt opinio. Judicii enim vocem ſi laxius accipias pro toto litis tractu ab in jus vocatione usqve ad executionem, citatio non minus pars eſt judicii, qvàm litis conteſtatio, qvâ ratione etiam veſtibulum pars ædium, & proœmium pars orationis dici poteſt. At ſi presſius judicii vocabulum acceperis, ut ea tantum contineat, qvæ olim apud judices pedaneos expediebantur, nempe pro progreſſu judicii â lite conteſtatâ usq; ad ſententiam, citatio qvidem pars judicii propriè dici neqvit, principium tamen eâ ratione adhuc dici poteſt, qvod ſinę eâ ad judicium deveniri neqveat. Hug. Donell. *l. 23. c. 1.* Gail. *1. obſ. 48. & 74.* Hahn. ad Weſenbec. *tit. de in jus voc. n. 13.* Carpzov. *in proceſſ. tit. 9. art. 3. n. 46. ſeq.* Eſt igitur citatio de ſubſtantia proceſſus, non per ſe, ſed qvoad aliud, qvia judex non poteſt de cauſa controverſâ cognoſcere, niſi præſente parte, vel contumaciter abſente. Sichard. *ad l. prolatam 4. C. de ſentent. & interlocut. n. 8.*

citationes] Differebat olim in jus vocatio & citatio. In jus vocatio fiebat ſine ullo juſſu Prætoris ſeu Magiſtratûs; citatio non niſi judicis juſſu præeunte, voce præconis; illa fiebat ad prætorem; hæc ad judicem datum, niſi magiſtratus ipſe de causâ fuerat cogniturus: illa fiebat juris experiundi causâ, hæc facti diſceptandi: illam faciebat acturus ipſe, qvi in jus vocabat, hanc non niſi judex ſive apparitor ejus. Vultej. *in diſcept. ſcholaſt. c. 1. & 2.* Et ita qvidem Veteres verbo *citare* nunqvam uſi ſunt pro *injus vocare.* In conſtitutionibus tamen Juſtiniani promiſcuus eorum vocabulorum eſt uſus. Sed & hodiè latior verbi citandi, qvàm in jus vocandi uſus eſt. qvippe citationi locus eſt etiam poſt cœptum judicium & in qvâvis parte judicii, veluti cum qvis citatur ad audiendam ſententiam, ad videndum jurare teſtes &c. cum in jus vocatio de primâ illâ citatione, qvæ judicium præcedit, dicatur duntaxat. Arnold. Vinnius *ad §. ult. n. 5. J. de pœn. tem. litig.*

ſine qvibus] Atq; hinc volunt, nec principem qvidem ſine præviâ citatione abſentem condemnare poſſe. Octavian. Veſtrius *in præl. lib. 3. c. 2. n. 7. & ibi* Nic. Anton. Gravatius *num. 22.* Anton. Gabrielius *de citat. lib. 2. concluſ. 1.* Scacc[illegible] *de judic. lib. 1. c. 88.* Boër. *deciſ. 247. n. 5. 6. 7.* Hilliger *in Donell. enucl. l. 23. c. 2. lit. A.* Qvirin. Kubach. *cent. 1. deciſ. 9. qv. 4.* qvod citatio juris naturalis eſſe videatur, qvippe ad defenſionem pertinens.

Digitized by Google

nens. Camill. Borell. *l. 1. tit. 43.* Subſeqventium tamen citationum tantam non eſſe neceſsitatem, Dd. nonnulli ſtatuunt. Hillig. *d. l. lit. B.* Didac. Covarruv. *pract. qveſt. c. 23. n. 6.* forte ex eo, qvod ſemel citatus invigilare deinceps teneatur cauſæ ſuæ. Sed rectius, ni fallor, ſentiunt alii, ſemper opus eſſe partis vocatione, qvotiescunqve actus expediendus cauſæ cognitionem deſiderat, & abſenti præjudicio eſſe poteſt. Ilico Ummius *de proceſſ. diſp. 5. n. 43.* qvalis actus imprimis eſt pronunciatio ſententiæ, Joh. Aloyſ. Riccius *deciſ. 1470.* ita ut nō valeat ſtatutū diſponens de validitate ſententiæ, qvæ ſine prævi citatione lata eſt. Idem Riccius *d. l.* Scaccia *d. l. n. 4.* Gail. *1. Obſ. 109.* Qvod etſi ita limitet Barnabas Cornazzanus *deciſ. 194.* utputet, judicem appellationis, ubi ſibi liqveat de bonâ causâ ejus, qvi in primâ inſtantiâ ſententiam pro ſe habet, in meritis cauſæ poſſe ſententiam iſtam qvantumvis nullam tàm ex defectu citationis, qvàm qvovis alio defectu, confirmare; videtur tamen ſententia iſta tunc demum, cum ita confirmatur, ex novâ cauſæ cognitione robur accipere, cum anteà non valuiſſet. Cæterùm, num generalis citatio ad totam cauſam facta ejus ſit valoris, ut ulterior citatio neceſſaria non ſit, multum adhuc disqvirunt Doctores. Pleriq; ſunt in eâ ſententiâ, nullam eſſe tantam ejus vim, ut ad ſeqventes qvoscunq; actûs extendi debeat, niſi ubi citandus longius abfuerit â curiâ. Scaccia *d. l. n. 10.* Bachov. *in Treutl. vol. 1. diſp. 4. th. 8. B.*

viribus carent] ita ut nec tum qvidem ſuſtineatur ſententia, ſi in favorem non citati lata ſit. Zoeſ. *ad ff. h. t. n. 21.*

Ex qvatuor capitibus eluſoria redditur citatio: & citatus à non ſuo judice non tenetur comparêre. h. d.

§. 3. Fit tamen interdum pluribus modis b, ut qvis vocationi de ſe factæ parêre non compellatur, utputà ex perſonæ qvalitate, loci conditione, temporis ratione, & forma citationis. Perſonæ qvalitas inefficacem reddit citationem tam jus dicentis, qvàm etiam in jus vocati. Nam ſi te is in jus vocet, qvem tibi judicem non eſſe competentem manifeſtum ſit, dubio

b *gloſſ. 2. can. pen. 3. q. 2.*

dubio procul ad comparendum vocatio talis te minimè coarctabit.

tàm jus dicentis] In citatione nomen judicis qvatuor imprimis ob causas est exprimendum: 1. ut constet citato, utrum judex sit competens, 2. utrum jussu judicis decreta sit citatio. 3. utrum judex sit ordinarius an delegatus, qvia hic copiam factæ delegationis transmittere debet. 4. qvia error in nomine judicis vitiat citationem. Gail. *1. Obs. 48.*

manifestum sit] Si enim dubium adhuc fuerit, comparere debet citatus & incompetentiam judicis allegare. Gail. *d. l. n. 8.* Mynsing. *cent. 6. Obs. 7.* Gœdd. *de sequestr. cap. 1. n. 5.* Et tùm judex ipse, cui incompetentia opponitur, de jurisdictione suâ cognoscere potest *l. 2. §. 6. l. 5. ff. de judic.* Gail. *l. 1. obs. 34. n. 1.* Zanger. *p. 2. c. 1. n. 447.*

minimè coarctabit] adeò, ut, etiamsi deinceps pronuncietur sententia, ea tamen nullius momenti sit, nec appellatione, ut suspendatur, opus habeat. Barnab. Cornazzan. *decis. 166.*

Qvi legitimè citatus mutavit judicem, non propterea potest declinare judicem, cùm sit præventus. h. d.

§. 4. Si tamen [c] contigerit, eum, qvi legitimè citatus fuerit, alterius postmodum fieri jurisdictionis, qvasi præventus, jus revocandi forum non habebit.

[c] *cap. pen. ext. de foro competent.*

legitimè citatus fuerit] Nam si citatio illa illegitima sit seu invalida, nullum producit effectum, nec constituit aliqvem in morâ, nec perpetuat jurisdictionem, nec præventionem inducit. Zanger. *de except. part. 2. c. 3. n. 15.* Invalida autem & illegitima citatio illa est, in qvâ vel nomen judicis, vel citandi, vel ejus, qvi citationem fieri fecit, vel causa, ob qvam qvis citatur, vel deniq; locus judicii, & dies seu terminus omissi sunt.

qvasi præventus] Vid. *l. penult. ff. de jurisdict. l. 7. ff. de judic.* Franc. Duaren. *tit. de judic. p. 167.* Ubi enim judicium cœptum est, ibi debet termi-

terminari. Ant. Gabriel. *l. 2. de judic. concluſ. 1.* Prævention em autem per ſolam citationem induci, notat Gail. *1. Obſ. 29. n. 5.* & ad eum Græveus *conſid. 2.* Sed enim ſi vera ſunt, qvæ ſcribunt Doctores, prævention non induci, ſi vel actor non compareat in judicio, vel reus non comparens de contumaciâ non accuſetur, ſoli citationi ſine alio adjumento effectum prærventionis adſcribere vix licebit. Add. Ummius *de proceſſ. diſp. 5. n. 70.* Carpzov. *lib. 2. reſponſ. 47. & in proceſſ. tit. 9. art. 3. n. 58. ſeq.* Zanger. *de except. p. 1. c. 13. n. 12.* Qvicqvid tamen hujus ſit, ſtatuendum nihilominus eſt, ipſi ſoli citationi effectum hunc tribuendum eſſe, qvantumvis alius judicii actus nondum acceſſerit, Carpzov. *in proceſſ. d. l. n. 43.* ſed interire tamen & extingvi iſtum effectum, qvam primùm ipſa citatio per circumductionem vires amittit, atq; exſpirat.

Citatus ad inſtantiam ſpoliatoris non tenetur comparere. h. d.

§. 5. Idem juris eſt, ſi judex qvidem tuus ſit[d], ex eo tamen te mandet vocari, ut in judicio cum ſpoliatore tuo ſtare compellaris: nec enim antea comparere cogeris, qvàm ad omnia canonicè reſtitutus fueris[e].

[d] *gloſſ. 2. can. pen. 3. q. 2*

[e] *can. ſi. in ſi. 5. q. 2.*

Idem juris eſt] Hæc verba connectenda ſunt non cum immediatè præcedentibus, ſed cum iis, qvibus judicis citationi propter defectum jurisdictionis pareri non debere dixerat.

nec enim antea comparere cogeris] Iſtud non videtur; Diverſa enim ſunt, non reſpondere & non comparere. Utcunq; enim reſpondere non tenearis, non propterea tamen ab obligatione comparendi liberaris, ſaltem ad id, ut judici de exceptione tuâ conſtet, & ne in contumaciam ferat ſententiam.

Ex qvalitate loci citatio non arctat ad comparendum. h. d.

§. 6. Locus[f] qvoqve, ad qvem vocatus fueris, tunc invalidam reddit citationem, cùm aut incertus eſt, aut

[f] *gloſſ. 2. cap. pen. 3. q. 2.*

citantis non ſubeſt jurisdictioni. Idem etiam dici poterit, ſi citandus extra judicis territorium moram trahere comperiatur. Tunc enim jus dicenti impunè non paretur. Qvemadmodum &, ſi locus citatione deſignatus peſtilens ſit, aut aliàs pro citato malè tutus g.

g *cap. ex parte tua. extr. de appell.*

cum aut incertus eſt] niſi aliunde citatus de loco certiorari facile poſſit, cum in dubio etiam locus, in qvo citatio conſcripta & data eſt, pro loco jurisdictionis exercendæ ſit habendus. Græven ad Gail. *concluſ. 52. n. 5. 6. 7.* Qvod ſi verò judex fuerit ordinarius, certoq; & perpetuo loco judicare ſolitus, non eſſe in citatione neceſſariam mentionem loci, communis eſt Doctorum ſententia. Carpzov. *de proceſſ. tit. 7. art. 2. n. 37.*

ſi citandus extra judicis territorium] Hunc tamen per literas reqv ſitorias in ſubſidium citari poſſe, nemo ambigit. Vid. Berlich. *1. concluſ. 11.* Sed qvæ ipſæ literæ meræ preces ſunt ad alterius territorii magiſtratum directæ. Carpzov. *in proceſſ. tit. 7. art. 3. n. 14.* qvi tamen, ſi officium hoc præſtare nolit, per ſuperiorem ad id adigi poterit. Carpzov. *d. l. & part. 1. conſt. 2. def. 28.* Id verò ſæpè disqviritur, utrum judex ſubditum ſuum in alieno territorio degentem citare in eo territorio ſine tali reqviſitione qveat? Affirmat poſt alios Johannes Baptiſta Coſta *de remed. ſubſidiar. c. 16. n. 5.* Sed verior mihi videtur ſententia negantium, absqve reqviſitione ſcilicet citari talem in alieno territorio non poſſe. Joh. Tilem. de Benignis *ſyntagm. 3. dec. 3. vot. 5. n. 15.* Jul. Clar. *l. 5. ſent. §. pract. crimin. qv. 31. n. 19.* Anton. Perez. *Cod. de in jus voc. n. 12.* hactenus ſcilicet, ut ibi executioni mandetur citatio. At ſi in territorio ipſius citantis abſens ad domum citetur, qvia tùm non in alieno, ſed ex alieno territorio citatur, qvo minus id fiat, nulla ratio impeditiva ſubeſt. Ant. Fab. *Cod. lib. 2. tit. 2. def. 1.* Ummius *de proceſſ. diſp. 5. n. 60.* ubi etiam Edictalem citationem fieri poſſe contendit, qvod tamen admittendum non eſt, niſi eo caſu, qvando citandus fuerit vagabundus, & locus, ubi commoretur, planè incertus. Joh. Bapt. Coſta *remed. 13.* Græven *l. 1. concluſ. 57.*

peſti-

Digitized by Google

peſtilens ſit] Niſi contagium ſit leve & modicum, qvod vix meretur excuſationem. Vid. prolixè Joh. Franciſcus Ripa *de peſte cap. 3.*

malè tutus] Locus non tutus dicitur non tantùm, qvando qvis in loco judicii multos habet inimicos capitales aut eorum amicos, aut ibidem timet periculum aliqvod, vel qvandam injuriam, qvæ ſibi vel ab ipſo judice, vel alio inferri poſſet, puta incarcerationem vel cruciatus corporis, forte ob id, qvod bannitus vel relegatus ſit, vel eo in loco deliqverit, ſed etiam qvando in locis, per qvæ tranſire neceſſariò cogitur reus, ut veniat ad locum judicii, ejusmodi aliqvid timet. Zanger *de except. part. 2. c. 5. num. 5.* Prükman *part. 2. conſ. 4. num. 38. ſeq.* Qvod ſi igitur locus judicii notoriè eſt periculoſus, non neceſſe eſt, ut exceptionem in judicio proponat citatus, qvin potius, qvicqvid â judice deinceps in proceſſu peractum fuerit, ipſo jure erit nullum. Roland. â Valle *vol. 2. conſil. 68. num. 14. ſeqq.* Sebaſt. Medic. *de fort. caſ. p. 2. q. 12. n. 19.* Sunt, qvi in caſu loci non tuti ab citato reqvirunt juramentum, qvod vocant, perhorreſcentiæ. Joh. Bapt. Coſta *remed. ſubſid. 60. illat. 1.* Seraphin. de Seraphinis *de juram. privileg. 7. n. 28.* Verùm nulla ejus videtur eſſe neceſsitas. Aut enim notoriè non tutus eſt locus judicii, & tùm qvid opus erit juramento? aut non notoriè, & tùm probationem intervenire debere ipſe adſerit Coſta *d. l. n. 7.* Hanc autem probationem non per juramentum, ſed vel teſtibus vel indiciis inqubitatis fieri debere, rectè definit Zangerus *d. c. 5. n. 6.*

Diebus feriatis in honorem Dei etiam ex conſenſu partium non poteſt procedi. Et anguſtia temporis ad comparendum dati vitiat citationem. b. d.

§. 7. Sed & ſi te judex juſſerit adeſſe aut inter anguſta nimis tempora, aut qvæ veneranda ſint divini cultus gratiâ, nullas vires habebit talis juſſio h. Qvamvis enim non prorogare, ſed expedire deceat qvæſtiones, usqveadeo tamen his diebus judiciorum ſtrepitus debet conqvieſcere, ut, niſi vel neceſſitas cogat,

vel pietas ſvadeat, conſentientibus etiam partibus, proceſſus habitus non teneat.

inter anguſta nimis tempora] Jure civili initio ſingulas citationes decem dierum ſpacio diſtingvi ſufficiebat, *l. 69. ff. de judic. l. 13. §. 2. C. eod.* deinde triginta dierum intervallum ſingulis citationum edictis neceſſarium erat *Nov. 112. c. 3.* At moribus noſtris Judices pro locorum intervallo & perſonæ qvalitate edictorum numerum augeré vel diminuere ſolent. Ant. Perez. *Cod. de in jus voc. n. 7.* Qvâ ratione aliqvi vicena millia paſſuum in ſingulos dies dinumerari volunt, per *l. 1. ff. ſi qvis caution. §. 16. Inſt. de excuſ. tut.* Octavian. Veſtr. *in prax l. 4. c. 2.* In Camerâ arbitrarium hoc eſt, conſideratâ tamen loci propinqvitate vel longinqvitate. Gail *l. 1. O. 53. n. 20.* In foro Saxonico tempus ordinarium eſt ſex ſeptimanarum, & trium dierum, qvod vocari ſolet eine Sächſiſche Friſt. Sed numqvid valet citatio ſine omni temporis adjectione? Ita volunt plurimi, qvos ſeqvitur Gravatius ad Veſtrium *d. l. n. 11.* ubi communem dicit; per talem enim citationem hoc innui, ut congruo tempore citatus comparere teneatur. Sed rectius meo judicio Ummius *de proceſſ. diſp. 5. n. 54.* talem citationem invalidam dicit, cùm aliàs fruſtranea eſſet omnis diei adpoſitio, ſi qvidem poſt elapſa tempora nimis anguſta nullum non tempus congruum erit. niſi congruum iſtud tempus de primâ juridicâ explicare velis cum Grævæo *p. 1. concluſ. 53. n. 6.* Cæterùm præfixo certo tempore, adhuc qværitur, utrum computari debeat dies aſſignationis vel notificationis aut inſinuationis, ad id, ut ab exceptione termini anguſti excludatur citatus? v. g. ſi judex alicui 10. dies præfixerit ad comparendum, an dies hodiernus in computationem decendii veniat, an minus? Affirmant alii, alii negant apud Ummium *d. l.* Cum affirmantibus facit Bach. *in Treutl. vol. 1. diſp. 4. th. 3. lit. F.* Negantibus accedit Zangerus *in comm. ad cap. ſuper eo 12, n. 29. X. de appellat.* qvi tamen ibi loci diem termini computari vult in termino, h. e. pro legitimo & congruo habet tempore, ſi terminus juridicus incidat in diem ultimum temporis præfixi. Id qvod negat Carpzovius *de proceſſ. tit. 7. art. 2. n. 52.* Utrobiqve eligenda videtur ſententia benignior, illic Zangeri, hîc Carpzovii, *arg. l. 1. ff. ſi qvis caution.*

divini cultus gratiâ] Qvidam tamen Canoniſtæ ſuſtinere nitun-

niuntur talem citationem, qvæ ad diem feriatum facta est, qvoniam proceditur demum die seqventi, non feriatâ. Vid. Gail. *1. Obs. 53. n. 2.* Zanger. *de except. part. 2. c. 7. n. 3.*

nullas vires habebit] Imò verò citatio, qvæ nimis angustum continet terminum, illas habet vires, qvod citatus in expensas condemnari qveat. *c. cum dilecti 6. X. de dol. & contumac.* Carpzov. *p. 1. c. 2. def. 24.*

judiciorum strepitus] num ergò nec insinuari poterit citatio die feriato? Ita arbitrantur plurimi moti per *l. fin. C. de fer.* A qvibus dissentit Gail. *1. Obs. 53. n. 7.* Bachovius *ad Treutl. vol. 1. disp. 4. th. 4. in f.* ubi dictum textum accipit de citatione, qvæ necessitatem mox seqvendi & comparendi continet, aut etiam de eo casu, qvo qvis non ex remotis locis ad tribunal aliqvod supremum, sed ab ipsius loci judice & apparitore in judicium vocatur. Sanè cùm insinuatio citationis vix aliqvid judiciale habeat, tàm rigorosè, ea ne die feriato fiat, prohibitum nullibi videtur.

vel necessitas] In iis, qvæ celeritatem reqvirunt, ut si actio tempore peritura fuerit, si debitor de fugâ fuerit suspectus &c. de qvib. Scaccia *de judic. l. 2. c. 5. n. 18. seqq.*

vel pietas] qvod intelligunt non de omni piâ causâ, sed ea tantùm, qvæ respicit opera misericordiæ. Augustin. Barbosa *in c. f. n. 27. X. de feriis.*

consentientibus etiam partibus] qvia non in privatorum favorem, sed DEI honorem ejusmodi feriæ sunt introductæ. Ludov. à Pegvera *decis. 53. n. 4.*

Feriis indultis hominum causâ renuntiari potest. h. d.

§. 8. Aliud [a] tamen obtinet, si ob hominum necessitates feriæ indultæ fuerint. Tunc enim acta cuncta tenent, si de partium processerint voluntate.

[a] *cap. fin. in fin. ext. de feriis.*

ob hominum necessitates] ut sunt feriæ messium & vindemiarum *l. 2. C. de fer.* qvæ etiam prosunt iis, qvi non sunt occupati in messibus aut vindemiis, qvod vel Advocati eorum, vel procuratores, vel testes, vel alii, qvorum necessariam habent operam in judicio, messibus

aut vindemiis occupentur. Zanger *de except. p.2. c.7. n.12.13.* Carpzov. *p. 1. c.3. def.22.* Qvin etiam in illis locis feriæ ejusmodi prosunt, ubi nec messes nec vindemiæ fiunt, sed occupati tamen sunt homines, ut aliunde perqvirant, nisi forte talis sit locus, in qvo vinum planè non bibitur. Sig. Scaccia *de judic. l.2. c.5. n.145.146.* aut, qvod hinc infertur, nisi certo & destinato tempore in colligendâ ejusmodi penu homines non occupentur.

processerint voluntate] qvæ etiam tacita esse potest, si sc. non fuerit à convento contra citationem exceptum. *l. 1. §.1. ff. de fer.* Sed & judicis necesse est ut accedat consensus, cum & in ipsius gratiam feriæ messium & vindemiarum fuerint constitutæ. Anton. Tessaur. *decis. 39. num.3.*

Delegatus debet in citatione inserere tenorem suæ commissionis, & designare auditorium. Secùs est in Ordinario. b.d.

§. 9. Jam verò multum interest, delegatusne citet, an Ordinarius. Ille enim, cùm alienâ utatur jurisdictione, longè remotos nõ nisi literis commissionis [b] suæ tenorem continentibus, & intra certa spacia qvem vocare poterit. Et cùm proprium non habeat auditorium, certum hujusmodi literis locum, ubi se citatus exhibere valeat, designare illum oportebit: cùm in Ordinario nulla subsit hujusmodi necessitas.

b *cap.2.ext.de dilat. gl.2. cã.pen.3. q.2. c.cum in jure. de officiis jud. deleg. c.statutum.de rescriptis in 6.*

commissionis suæ tenorem continentibus] Ita ferè receptum est inter Doctores, adeò ut velint tenore hoc omisso citatum comparere non teneri. Rutger. Rulant *de Commissar. lib.5. c.3. n.7.* Ut autem ipsum exemplar commissionis citationi adjungatur, id ajunt necesse non esse. Mynsing. *cent.3. obs.1.* Sed enim comparendum esse citato, utcunq; tenor commissionis ipsi non fuerit transmissus, tenet Græveus *p. 1. concl.48. consid.3.* Bachov. *in Treutl. vol.1. disp.4. th.5. lit.A.*

& intra certa spacia] ut sc. non ultra duas dietas *c. nonnulli 28. X. de rescript.* sive jure noviori, non ultra unam dietam *c. statutum 11. §.*

n. §. cum verò, & seq. de rescript. in 6. extra diœcesin commorantem ad judicium vocet. Tale enim rescriptum impetrare prorsus est prohibitum. Est autem dicta hoc loco unius diei iter. Vid. Augustin. Barbosa *ad d. c. nonnulli X. de rescript.*

auditorium] Ita appellatur locus, ubi causæ audiuntur *l. 54. §. 1. ff. de re jud. l. 22. ff. ad SCt. Trebell. l. 18. §. 1. & 2. ff. de minorib.*

certum hujusmodi literis locum] qvem, nisi committens præscripserit, Commissarius eligere potest pro lubitu, ut tamen tutus sit, non pestilens, non suspectus &c. de qvibus Rutger. Rulant *de Commissar. l. 5. c. 3. n. 9. seqq.*

cùm in Ordinario] dum tamen ille certo & perpetuo loco judicare fuerit solitus, uti supra dixi.

Ponit, qvid agendum sit delegato, si jurisdictio ejus expirat in peremptorio. hoc dicit.

§. 10. Item in delegato qværi potest, si peremptoriè partes is citaverit, & earum altera, die datâ, sese absentat contumaciter, an saltem circa ultimam diei partem sit in negotio procedendum? & utrùm, si duxerit expectandum, fit iterum citandus contumax? Et in hac specie multum interest, duret jurisdictio post peremptorium terminum, an expiret. Primo enim casu, in diem alteram æqvitate svadente judex expectare poterit, nec propterea peremptorio elapso, pars contumax citanda erit, nisi gratiam eidem fecerit benignitas judicantis: posteriore verò, ne frustra judicialis instantia evanescat, si partes, [c] *c. cap. consuluit nos. ext. de offic. delegat.*

cùm

cùm id noverint, seſe judici non præſentaverint, horâ, qva congruè procedi poſſit ad exeqvendum, propter qvod eis legitimè terminum peremptorium aſſignaverit, ad executionem liberè procedere poterit. Diſcretus tamen judex in aſſignatione peremptorii non debet jurisdictionem ſuam, niſi neceſſitas urgeat, adeò coarctare.

ſi peremptoriè] Peremptoria citatio dicitur tùm, qvando judex abſentem ita vocat, ut ipſi ulteriorem tergiverſandi facultatem præcisè deneget *l.70.& 71.ff. de judic. Ummius de proceſſ.diſp.5.n.65.*

Primo enim caſu] Duo igitur hîc judicis arbitrio relinqvuntur, 1. ſi ita viſum fuerit, ut expectet in diem ſeqventem, 2. ut denuò citet contumacem ad proceſſum in ſeqvente illo die peragendum. Ad neutrum judex tenetur, ſed utrumq; benignitati ejus committitur.

judicialis inſtantia] Inſtantia nihil aliud eſt, qvàm contextus & continuatio proceſſûs in judicium deducti. Dn. Parens *p.m. ad aur.prax. Calvol.in prælud. n.1.*

horâ qvâ congruè procedi poſſit] Citationi ſatisfeciſſe videtur citatus, ſi poſt meridiem in judicio ſe ſiſtat, utcunq; ad comparendum ſummo diei mane citatus fuerit. Poſt Arum. *l.1.deciſ.11.* Carpzov. *in proceſſ. tit.7. art.2.n.56.*

adeò coarctare] Si tamen ipſum etiam tempus termini peremptorii à committente fuerit præſcriptum, præcisè id erit obſervandum, neq; tùm ulla judici relinqvitur facultas dilatandi aut coarctandi terminum.

Citatus poteſt ex legitimo impedimento non comparere qvo tamen ceſſante, debet ſe judici præſentare. h.d.

§. 11. Adhuc, tametſi omnia ſolenniter peracta fuerint,

rint, nec vocatus accedat ad judicem, qvibusdam casibus excusandus erit: utputà si facto adversarii impeditus, aut ad majus tribunal vocatus, vel vinculis, aut infirmitate detentus, aut aliis [d] similibus causis implicatus non accesserit. Debet tamen cessante impedimento, qvanto potuerit citiùs, judici sui copiam facere [e].

d *cap. qvoniã. §. si autem de carnal. extr. ut lite non contest.*

e *cap. cùm dilecti. extr. de dolo & contum.*

ad majus tribunal vocatus] Interesse videtur, utrum judex superior concurrentem jurisdictionem habeat cum inferiore, an minus. Priore casu superiori, posteriore verò inferiori se sistere debet citatus, nisi aliud qvid consvetudine fuerit receptum. Bachov. *in Treutler. vol. 1. disp. 4. th. 5. in f.*

vel vinculis aut infirmitate detentus] Utrum autem tales procuratorem mittere teneantur, variè disceptatur. Qvod captivum attinet, ea ferè est sententia Doctorum, teneri eum procuratorem mittere, eò qvod impedimentum voluntarium, ut itineris suscepti, item qvod probabile non est, ut est omne id, qvod ex delicto provenit, ab onere constituendi procuratorem non relevet. *l. 20. ff. de minor. l. 26. §. 1. ff. ex qvib. caus. maj.* nisi vel procuratorem habere planè neqveat, vel ita in vinculis custodiatur, ut non pateat ad eum accessus, vel deniq; causa sit gravis & ardua. Ægrotum autem planè excusari, & ne qvidem Procuratorem constituere teneri, nisi morbus fuerit perpetuus aut diu duraturus. Vid. Fulv. Pacian. *de probat. l. 2. c. 46. n. 35. seq.* Sfort. Odd. *de restit. in integr. qv. 30. per tot.* Thomas Actius *de infirm. part. 1. c. 31.* Ar. Pinell. *in auth. nisi tricennale n. 43. C. de bon. mat.* Mynsing. *cent. 4. Obs. 58.* Petr. de Ferrar. *in prax. tit. 4. n. 13.* Matth. Wesenbec. *cons. 112.* Zas. *in l. qvæsitum 60. ff. de re jud. n. 6. seq.*

DE DOLO ET CONTUMACIA, ET IN POSSESSIONEM MISSIONE,

TITULUS VI.

Qvis dicatur contumax, & qvid sit contumacia, & qvibus pœnis puniatur.

hoc dicit. Aaaaa §. 1. Er-

§. 1. Ergo juridicè vocatus, & nulla legitima cauſa impeditus, ſi ſe judici præſentare neglexerit, adverſario accuſante, contumaciæ crimen incurrit. Eſt enim contumacia, erga judicem, vel prælatum commiſſa inobedientia. Hæc autem variè juribus coërcetur: nunc enim litis damno, nunc mulctâ, nunc expenſarum refectione [a], & rei ſeqveſtratione, vel Eccleſiaſticæ ſententiæ [b] innodatione ob contumaciam ſuam conventus afficitur.

a *cap. cùm dilecti. in fin. extra eod.*
b *cap. tuæ fraternitatis. extra. ut lite nō conteſtata.*

ſi ſe judici præſentare neglexerit] dum tamen ipſe judex, & pars adverſa, cum qvâ litigatur, præſentes fuerint in judicio. Horum enim alterutro deficiente, citatus, ſi non comparuerit, pro contumace haberi non poteſt. Joh. Bapt. Aſinius *in prax. §. 17. c. 1. n. 3.*

adverſario accuſante] Hoc tanqvam neceſſarium reqviſitum pleriq; omnes ex *l. 13. §. 2. C. de judic.* inculcant Pragmatici, ut actor in termino compareat & contumaciam rei accuſet, cum aliàs judex ad condemnationem pervenire non ſoleat. Ant. Teſſaur. *deciſ. 19.* Gail. 1. *obſ. 55. n. 6.* Sichard. *ad auth. qvi ſemel C. qvomod. & qvand. jud. n. 16.* Hartm. Piſtor. *p. 1. qv. 3. n. 10.* Græven *p. 1. concluſ. 55. conſid. 1.* Berlich. *p. 1. concl. 17. n. 73.* Scaccia *de judic. part. 1. c. 91. n. 15.* etiamſi ex ſtatuto contumacia inducatur, Hartm. Piſtor. *d. l. n. 12.* Coler. *de proceſſ. execut. p. 1. c. 2. n. 17.* Poteſt tamen judex jurisdictionis ſuæ tuendæ gratiâ, etiam parte non petente, contumacem punire. Emeric. Rosbach *in prax. tit. 30. n. 12.*

contumaciæ crimen] crimen contumaciæ absq; animo doloſo non committitur, Carpzov. *in proceſſ. tit. 7. art. 2. n. 14.* & hinc dolo etiam comparatur, *in rubric. huj. tit.* Celſ. Bargal. *de dolo l. 5. c. 21.* ita ut pro delicto habeatur, qvod pœnam mereatur, *l. 53. ff. de re jud.* non tamen verè, ſed impropriè delictum eſſe contendit Gail. *de pac. publ. l. 2. c. 5. n. 8.* Jerem. Setſer. *de juram. lib. 5. c. 6. n. 6.* Sed eſt nihilominus tanta ejus cum delicto convenientia, ut ex contumaciâ defuncti heres condemnari neqveat. *l. un. in f. ff. ſi*

qvis

qvis jus dic. non obtemp. Carpzov. *in proceſſ. tit. 24. art. 1. n. 9.* Et hinc contumaciam, qvæ jus alterius lædit aut impedit, pro vero delicto habet Scaccia *de judic. l. 1. c. 93.*

Hæc autem variè] De remediis juris adverſus contumaces vid. Fulv. Pacian. *de probat. l. 1. c. 72.* Teſſaur. *deciſ. 265.* Scaccia *de judic. l. 1. c. 93.* Rosbach *in prax. tit. 30. n. 43.*

rei ſeqveſtratione] Hanc non niſi unico tantum caſu locum habere contendit Gœddæus *de ſeqveſtr. c. 1. n. 106. ſeqqq.* nempe qvando qvalitas rei non patitur immiſſionem in poſſeſſionem, nec tamen cauſa aliter expediri, nec ad ulteriora procedi poteſt, niſi ſeqveſtratio intercedat, atq; illum caſum eſſe in causâ beneficii, perſonatûs & dignitatis Eccleſiaſticæ, ſi contumax ſit excommunicatus, & de poſſeſſione, non autem ſi de proprietate litigetur.

Actor mittitur in poſſeſſionem rerum rei contumacis, & poſt annum efficitur verus poſſeſſor, reſervatâ qvæſtione ſuper proprietate. h. d.

§. 2. Illud qvoq; videtur ordinarium, ut, contumace adverſario tuo exiſtente, in poſſeſſionem earum rerum, de qvibus qvæſtio vertitur, vel [c] qvæ aliàs ſunt in patrimonio rei, pro modo debiti, ſi perſonalis inſtituatur actio, cuſtodiæ causâ inducaris, ut tædio affectus reus veniat aliqvando reſponſurus. Qvòd [d] ſi adhuc per annum in ſua contumacia perſeveraverit, judice decernente verus poſſeſſor efficieris, ſuper proprietate duntaxat adverſæ parti defenſione reſervatâ. Sed ſi miſſus in poſſeſſionem [e] fructus dilapides, ſeqveſtrandi erunt, & qvod diſtractum eſt, in priſtinum ſtatum erit revocandum.

c *cap. fin. §. in alio is. extra. ut lite non conteſtata.*

d *cap. 1. extra. de eo qvi mit. in poſſ.*

e *cap. 2. extr. de ſeqveſtr. poſſ.*

in possessionem earum rerum] Omnia hæc ex jure civili sua hîc facit Pontifex. Vid. *tit. ff. de reb. autoritate jud. possid.*

adhuc per annum] jure civili annum expectandum esse volunt tantùm in realibus actionibus; in personalibus verò arbitrarium, ut locus secundo fiat decreto, statuunt tempus. At ex jure Canonico utrinq; tempus annuum reqvirunt. Hahn *Obs. ad Wesenb. tit. de damn. infect. p. m. 438.*

verus possessor efficieris] per id tamen dominium nondum acqviris, sed tantùm usucapiendi conditionem fructuumq; commoditatem.

fructus dilapides] Hoc de primo casu intelligi debet, qvando qvis custodiæ tantùm causâ ex primo decreto in possessionem mittitur.

Si ob potentiam adversarii contumacis non possit actor possessionem ingredi, vel illam amiserit, nihilo minùs efficitur verus possessor elapso anno. hoc dicit.

f *cap. contingit. extr. eod. tit.*

§. 3. Si tamen propter rei potentiam[f], sive dolum, contigerit, ut intra annum rem custodiendam nancisci non possis, vel etiam acqvisitam amittas, ne contumax melioris, qvàm obediens, conditionis existat, de Canonica æqvitate sancitum est, ut hoc etiam casu verus, elapso anno, possessor actor constituatur.

de canonicâ æqvitate] cum de juris civilis rigore verus possessor fieri neqveat, nisi qvi ante ex primo decreto in possessione aliqvandiu fuerit.

Si reus contumax dederit cautionem de standojuri, nec mulctandus est, qvòd adversarium non fuerit passus esse in possessione. Et missionem passus restituetur. h. d.

§. 4. Hoc

Digitized by Google

§. 4. Hoc tamen [g] tunc obtinet, cùm reus nullam cautionem præstitit: nam si de stando juri caverit, nec mulctandus, qvòd in possessione actorem esse passus non fuerit, & missionem passus illico constituendus erit.

g *cap. 1. eod. tit. extra.*

de stando juri caverit] Istam cautionem non aliter qvàm per fidejussores fieri debere statuunt juris civilis Doctores, per *auth. & qui jussit Cod. de reb. aut jud. poss.*

nec mulctandus] hoc obtinet tantũ in personis & rebus Ecclesiasticis *c. 1. X. h. t.* Privatus alius non est immunis à pœnâ, etsi offerat cautionem judicio sisti. Hâc enim possessionem qvidem à creditore vacuam facit, non tamen se liberat à pœnâ interdicti, ne vis fiat ei, qvi in possessionem missus est.

Actor anno lapso non reputatur possessor, si per eum steterit, qvò minùs intraverit possessionem. h. d.

§. 5. Idem [h] juris est, si annus lapsus esse proponatur, per reum tamen non steterit, qvo minùs ante terminum & possessionem receperit, & cautionem dederit.

h *cap. 2. in fin. extrav. de eo qvi mit. in poss.*

Idem juris est] Sensus hic est, lapsum anni non obstare, qvo minus reus cautionem præstando possessionem recuperet, dum tamen ipse impeditus fuerit, qvo minus intra annum cautionem præstare potuerit. Et hoc jure utimur, ut nulla præscriptio currat adversũ eum, qvi [illegible] illâ suâ culpâ impeditur.

Excommunicatus à delegato Principis etiam delegato mortuo non potest ab Ordinario absolvi, vel alio, præterqvàm in mortis articulo, vel de mandato Papæ. h. d.

§. 6. Qværi[a] contigit, si delegatus, qvi reum propter contumaciam manifestam excommunicationis vinculo innodavit, vel petitorem causâ rei servandæ in possessionem induxit, rebus eximatur humanis, an eidem juri parere volenti, & idoneam cautionem offerenti ordinarius ab solutionis beneficiū impertiri, & possessionem restituere valeat? Et responsum est, qvòd, cùm delegatus, qvoad hoc, sit Ordinario major, excommunicatus ab eo non potest per alium, præterqvàm in mortis articulo, sine mandato summi Pontificis absolutionis gratiam obtinere, vel possessionem recuperare, nisi alius ei in onere succesſerit, & honore.

[a] *cap. pastoralis officii. §. praterea. extra. de offic. ordin.*

qvoad hoc sit Ordinario major] ut scilicet Ordinarius immiscere se isti causæ neqveat.

præterqvam in mortis articulo] Ita docent Canonistæ, qvod omnis Sacerdos qvoslibet pœnitentes â qvibusvis peccatis & censuris in articulo mortis absolvere possit. Vid. Barbosa *ad c. pastoralis 11. n. 16. X. de offic. jud. ord.* Atqve id etiam in nostris Ecclesiis ita observatur, utcunqve excommunicatio aliàs, qvemadmodum & receptio, non nisi ab Consistoriis expediatur. Vid. *artic. general. n. 11.*

vel possessionem recuperare] Separari hoc debet ab absolutionis gratiâ, nec uno contextu comprehendi, ne qvis ita intelligat, possessionem recuperari in articulo mortis ab Ordinario, perinde uti absolutionem in articulo mortis impetrari dixerat. Atqve ita distinctim ista habentur in matrice, qvæ extat *cap. pastoralis 11. X. de offic. jud. ord.* qvæq; idcircò rectior est, qvàm contextus autoris.

Passus

Passus missionem, si mortuo delegato praestet infra annum cautionem de parendo juri, etiam post annum recuperabit possessionem. h. d.

§. 7. Sed [b] ne missus in possessionem verus efficiatur post annum possessor, missionem passus coram Ordinario, vel, si ejus copiam habere neqviverit, coram publicis & honestis viris, ut qvasi praescriptionem interrumpat annalem, offerre, ac praestare poterit de parendo juri cautionem, ut sic etiam post annum per Apostolicam sedem possessionem recuperare mereatur.

[b] *cap. pastoralis officii. §. praterea. vers. verumtamen. extr. de offic. ordin.*

coram publicis] Nolim ego statuere, non alios nisi Notarios hic esse intelligendos, cum publica persona etiam ille dici possit, qvi qvodvis publicum officium gerit. Et sic etiam coram Episcopo & defensore civitatis interrumpi posse praescriptionem, constituit Justinianus *lib. 2. C. de annal. except.*

In causis beneficialibus non habet locum missio in possessionem, sed in locum ejus poterit procedi lite non contestatâ. h. d.

§. 8. Sed [c] ista qvidem tunc procedent, cùm de profanis rebus erit disceptatio: nam qvi super dignitate, personatu, vel beneficio Ecclesiastico obtinendis cum aliqvo litigat possessore, ob partis adversæ contumaciam in possessionem mittendus non erit, ne per hoc ad ea ingressus vitiosus pateat. Licebit tamen judici hoc casu etiam lite non contestatâ diligen-

[c] *capit. um. de eo qvi mitt. in possess. in 6.*

Digitized by Google

genter examinato negocio, ipsum sine debito terminare, contumaciam absentis divinâ replente præsentiâ.

obtinendis] Secus est, ubi jam obtenta sunt, & controversia non tituli possessionisq;, sed proprietatis intuitu movetur *c. dilecto filio X. de V. S.* Cessat enim tùm prohibitionis ratio, qvæ est, ne peregrinus aut vitiosus pastor, & qvi potius lupus rapax est, ansam grassandi in ovile Christi conseqvatur. Gœdd. *de seqvestr. c. 2. num. 3. seqq.* Sed & in obtinendis olim missio in possessionem decerni solita est, uti ex *c. 1. X. de eo qvi mitt. in poss.* observat Cujacius; sed istud deinceps mutavit Innocentius IV. qvod videret, vitiosum hinc dari sæpè ingressum ad beneficia Ecclesiastica.

Contra reum contumacem, si de causa liqveat, potest ferri sententia etiam in causa profana, lite contestatâ contra actorem verò etiam lite non contestatâ. h. d.

§. 9. Qvod interdum etiam in profanis obtinebit: utputà [d], si contestata lite reus contumax fuerit, & de causa liqveat, vel actor ipse contumaciæ crimen incurrat: qvo casu, etiam lite non contestata, instante reo, judex & testes recipere, & sententiam ferre debebit.

d *cap. causam qvæ. & cap. seqvent. ex. eod.*

si contestatâ lite] qvia lite non contestatâ, cum de causâ non liqveat, plenum jus transferri neqvit *c. prout 4. X. de dol. & contum.* Putat tamen Bachovius, etiam in casu litis non contestatæ litem in contumaciam pro contestatâ haberi & super toto negocio pronunciari posse, *vol. 2. in Treutl. disp. 24. th. 1. lit. A.* sed qvod ipsum irregulare esse agnoscit. Regulare tamen id esse in Camera dicit Gail. *l. 1. Obs. 59. n. 7.*

sententiam ferre debebit] Major namqve est contumacia actoris, qvàm Rei, & Rei partes semper sunt favorabiliores. Actor enim agere

gete non tenetur, reus verò citatus neceſſariò comparere debet. Gail. *d. l. n. 6.* Ant. Fab. *Cod. lib. 3. tit. 1. def. 19. n. 3. & def. 23. n. 12. 13. 14.*

Si actor non venerit in termino, ad qvem reum citari fecerit, debet reo reficere expenſas, & cavere de in poſterum comparendo : aliàs non admittitur ad aliam citationem. h. d.

§. 10. Idem [a] qvoqve actor, ſi ad terminum, ad qvem adverſarium citari fecerit, venire contempſerit, venienti reo in expenſis propter hoc factis legitimè condemnabitur: & ad aliam citationem minimè admittendus erit, niſi de fideliter in poſterum comparendo idoneam cautionem dederit.

[a] *capit. 1. eod. tit. in 6.*

legitimè condemnabitur] Dum tamen accuſata fuerit contumacia, aliàs citatio circumducitur *l. 73. §. 1. ff. de judic.* Carpzov. *l. 2. reſponſ. 47. n. 7.* Condemnabitur autem in expenſas etiam eas, qvæ in advocatos & procuratores factæ ſunt. Carpz. *de proceſſ. tit. 8. art. 1. n. 45.* Add. Hartm. Piſtor. *Obſ. 140.*

in poſterum comparendo] ſive, de lite proſeqvendâ. Propter contumaciam enim ſemel commiſſam præſumptionem fecit ulterioris contumaciæ committendæ. Johan. Bapt. Vivianus *ad cap. 1. de dol. & cont. in 6.*

Judex debet eſſe contentus unâ pœnâ ex pluribus, qvæ adverſus contumaciam competunt & excreſcente contumaciâ poteſt etiam ad alias protedere. h. d.

§. 11. Qvod autem diximus, juribus variè contumaciam coërceri, non eſt ita accipiendum, qvaſi omnes ſimul pœnas jus dicens infligere contumaci debeat, ſed qvòd variarum pœnarum ſibi datur optio: unde

d. c. qvoniam frequenter. in fine.

alterutrâ,qvæ magis timeri debeat,judex à principio contentus erit,ad aliam nihilo minùs proceſſurus, ſi hoc meruerit protervitas contumacis.

ad aliam nihilominus] eamq; duriorem,ſi viſum fuerit. Unde in ſententiis noſtris plerumq; præmittitur comminatio pœnæ inſecuturæ aut decernendæ,ut conſtet contumaci,qvantum ſibi damni ex morosâ contumaciâ expectandum fuerit.

DE LIBELLI CONCEPTIONE, ET OBLATIONE,

TITULUS VII.

Actor reo comparente debet clarum judici libellum offerre. Et qvid ſit libellus. h. d.

§. 1. Inprimis igitur reo in aſſignato termino comparente judici libellum actor offeret [b], & illum ita clarum & planum,ut ex ejo inſpectione deliberare reus valeat,utrùm cedere velit,an contendere: atqve ut, ſi contendendum ſit,diſpicere valeat judex, qvemadmodum à ſe concipienda ſit ſententia. Nihil enim aliud eſt libellus [c],qvàm brevis ſcriptura claram actoris intentionem continens, & contra adverſarium neceſſariò concludens.

[b] *can. inducie.§. offeratur.3.q.3.*

[c] *cap.1.in gl. 1.extr.de libel.oblatiõ.*

in aſſignato termino] Ordine judicii enim præcedere vocationem,ſeqvi editionem,ordine autem cogitandi præcedere libelli conceptionem,ſeqvi in jus vocationem,enucleatè tradit Hugo Donellus *comment. ad tit Cod. de in jus vocand. n.5.6.7.* Franzk. *ad tit. de edend. n.2.* Hodiè plerum-

plerumq; libellus offertur judici, & ejus copia inſeritur citationi, ut mox in termino reſpondeat reus. Vid. Hillig. *in Donell. enucl. l. 23. c. 3. lit. A.*

judici libellum actor offeret] imò potius reo, ut notat ipſe Gratianus *c. inducie 3. q. 3.* & Juſtinianus *auth. offeratur C. de litis conteſt.* Diverſimodè tamen id uſu fuiſſe oſtendit Georg. Obrecht *de libell. c. 4. n. 1. 2. 3.*

ita clarum & planum] ita ut nihil ambiguitatis aut obſcuritatis contineat, certamq; habeat petitionem. Obſcurum autem fieri libellum dicunt 1. ratione æqvivocationis, 2. ratione generalitatis, 3. ratione alternativæ, 4. ratione locutionis non coarctatæ, 5. ratione indefinitatis ſive infinitatis. Gail. *1. Obſ. 62. n. 3.* Sed duos hos modos poſtremos cum ſecundo coincidere haud fruſtra putat Sig. Scaccia *de judic. c. 50. n. 18.* ubi tamen addit modum alium, videlicet contrarietatis, qvando libellus continet contraria. Qvi enim talia petit, audiendus planè non eſt, Prukman. *1. conſ. 47. n. 137.* Hart. Piſtor. *Obſ. 94. n. 56.* Menoch. *2. præſumpt. 41.*

concipienda ſit ſententia] Sententia enim debet eſſe conformis libello.

qvàm brevis ſcriptura] Anguſtior videtur hæc definitio, cùm etiam absqve ſcriptura edi poſsit actio *l. 1. §. 1. ff. de edend.* adeoqve plurimi Dd. dividunt libellum â formâ accidentali in ſcriptum & non ſcriptum. Ilic. Umm. *de proceſſ. diſp. 6. n. 37.* Obrecht *de formand. libell. cap. 2. n. 7.* Add. Scaccia *de judic. lib. 1. c. 50. n. 19.* Sichard. *ad auth. offeratur C. de lit. conteſt.* Hillig. *in Donell. enucl. l. 23. c. 4. lit. B.*

neceſſariò concludens] Sufficit interdum, ut præſumtivè concludat. Gail. *1. Obſ. 61. n. 17.* qvo ipſo tamen neceſsitati concludendi contra reum nihil decedit. Eſt autem libellus ſyllogismus Juriſtarum, qvi primò factum refert, deinde addit cauſam petendi, & ex his tandem concluſionem infert, nempe ipſam petitionem. Udalric. Zaſ. *in pr. Inſt. de act. n. 14.* Fieri autem poteſt, ut narratio vera ſit, & falſa tamen annectatur petitio, de qvo videri poteſt Obrecht *de lit. conteſt. c. 6. n. 20. 21.*

Libellorum alii ſunt accuſatorii, alii conventionales. h. d.

§. 2. Porrò libellorum duæ ſunt ſpecies[d]: alii enim ſunt accuſatorii, alii conventionales. Accuſatorii

d *gloſſ. 1. cap. 1. extra. eod. tit.*

e *can. perſcripta ſit. §. libellorum. 8. q. 8.*

ſunt[e], qvibus qvis aliqvos apud judicem alicujus criminis reos defert: de qvibus qvidem in præſenti nobis non eſt inſtitutus ſermo, ſed infrà ſuo loco & ordine dicetur. Conventionales ſunt[f], qvibus in civilibus diſceptationibus utimur, dum rem noſtram, aut qvam nobis deberi putamus, in judicio petimus.

f *d. gloſſ. t. cap. 1. eod. tit. extm.*

duæ ſunt ſpecies] Utraqve ſpecies vicisſim ſubdiſtingvi poteſt, ita ut libellus tùm accuſatorius, tùm conventionalis vel ſit ſimplex vel articulatus. Sed articulatus tamen in judiciis Saxonicis eſt prohibitus. Vid. Conſtitutiones Auguſti Elect. *p. 2. conſt. 2.* Ordinat. *proceſſ. tit. 5.* Dan. Moller. *ad d. conſt. 2.* Schult. *Obſ. 4.*

conventionales ſunt] Dicuntur ita, qvod reus eis conveniatur, *l. ult. C. de annal. except.*

rem noſtram, aut qvam nobis] his verbis reales & perſonales actiones innuit, cum propriè res noſtra nobis non debeatur. *l. 27. §. 2. l. 34. pr. ff. de aur. & arg. leg.* Vocabulum tamen debendi qvandoqve ita latè ſumitur, ut etiam actionibus realibus adaptari poſſit, ut ſcilicet debere dicatur, qvi jure aliqvid præſtare tenetur *l. 178. §. f. ff. de V. S.* Arn. Vinn. *ad §. 1. Inſt. de act. n. 13.*

Qvæ debeat continere libellus, & qvòd ineptus, vel obſcurus libellus non obligat ad reſpondendum, & qvòd judex illum poteſt lacerare. h. d.

§. 3. Exprimet igitur oblatus libellus non ſolùm agentis, & conventi nomen, ſed & jus dicentis, & petitæ rei[g], & actionis qvalitatem. Et ſi perſonali[h] experiendum ſit actione, petendi qvoqve cauſa exprimenda erit: alioqvi nec conventus reſpondere tenebitur,

g *cap. 2. extr. eod. tit.*

h *cap. fi. extr. eod. tit.*

& ju-

Digitized by Google

& judex libellum non legitimæ conventionis formam continentem concerpere ac destruere poterit. *c. examinatis. de judiciis.*

non solum agentis] Id tùm demum necessarium esse dicit Obrecht *de formand. libell. c. 11. n. 1.* qvando alieno nomine qvis agit, non ita, qvando suo proprio, qvia eo ipso, dum libellum porrigit, satis de actore constare potest. At enim interdum non satis constat, e. g. qvando heredes Creditoris, qvando cessionarii actiones instituunt, qvi ignoti planè possunt esse debitori.

& conventi nomen] Si plures rei ut singuli conveniuntur, omnes statim ab initio nominandi sunt. Obrecht. *d. l. n. 18. 19.* si ut universi, Præfectorum tantùm & Magistratuum fieri potest mentio.

sed & jus dicentis] Hujus nomen exprimi necesse non est, sed potest ille ab officio, aut dignitate, aut jurisdictionis nomine describi. Joh. Pels *in proceff. tit. 21. n. 4.* qvod nomen jurisdictionale vocat Sig. Scaccia *de judic. lib. 1. c. 50. n. 3.*

& petitæ rei] qvando enim de re, qvæ petitur, non constat, dicitur libellus incertus, qvi non admittitur, ubi res aliqva singularis in judicium deducitur. Secus est in re universali & generali. Ant. Perez *Cod. de edend. n. 5.* Sichard. *ad rubr. Cod. de judic. n. 6.*

& actionis qvalitatem] rectè dicit qvalitatem. Nomen enim actionis ut libello inseratur, neq; de jure Canonico *arg. c. 6. X. de judic. c. fin. X. de libell. oblat.* neq; de jure civili *l. 3. C. de edend. arg. l. 1. ff. eod. l. 2. C. de formul. & impet. act.* necessarium videtur. Vid. Bachov. in *Trentl. vol. 1. diff. 4. th. 10. lit. C.* Hahn *in Wesenbec. tit. de edend. n. 7.* H. Zoes. *eod. tit. n. 8.* Obrecht. *de formand. libell. c. 8. n. 23.* Dissentiunt multi, qvi jure civili, Digestorum præsertim, nomen actionis in libello exprimi debuisse contendunt. Ant. Perez *Cod. de edend. n. 8.* Andr. Gerhard *decad. 18. q. 2.* Forster. *in stat. Justinian. l. 4. p. m. 248.* Non verò alium ob finem actionis nomen exprimendum esset, qvàm ut deliberare posset reus, cedendum, an contendendum sibi foret. Qvod cum ex facti narratione & subjectâ petitione cognosci facile possit, non est qvod de speciali actionis nomine qvis sollicitus sit. Gail. 1. *Obs. 61. n. 9. 10.* Bernhard. Græv. *ad Gail. conclus. 61. n. 22.* & Joh. Tileman de Benign. *syntagm. 3. decad. 2. vot. 10. n. 72.*

Digitized by Google

petendi qvoq; causa] Causa petendi in omni libello exprimenda est, ut justa hinc inferatur conclusio. Sed in actione tamen personali exprimenda est causa propria & specialis, cum non sufficiat dicere, qvod reus actori obligatus sit decem dare, sive qvod obligatus sit ex contractu aut qvasi; sed specificè dicendum est: ajo te mihi dare oportere decem, qvæ tibi mutua dedi. In actionibus in rem etiam causa aliqva exprimenda est, sed sufficit tamen causa communis & generalis, h.e. sufficit, dicere, se dominum esse, non opo est, ut adjiciatur titulus, ex empto, ex donato, ex legato &c. Ratio differentiæ est, qvod res non nisi unâ ex causâ possit esse nostra *l.3.§.4.ff.de acq.poss.* deberi verò ex pluribus causis qveat. *l.14.§.2.ff.de except.rei jud.* Unde qvi se dominum dicit, satis dicit de jure suo, ex qvo scire possit adversarius, utrum sibi expediat contendere, nec ne. At in actione in personam, nisi causa obligationis propria exprimatur, nihil de eo reus statuere potest. Bachov. *in Treutl.vol.1. disp.4. th.10.lit.C.* Arnold.Vinn. *ad §.2.n.16.Inst.de act.* Anton.Perez *Cod. de edend. num.7.*

ac destruere poterit] etiam parte non petente, adeò ut dentibus lacerari possit à judice talis libellus. Jac. Schultes *obs.6.* Ventur. de Valent. *in Parthen. litigios. l.2. c.10. n.28.* Carpzov. *p.1.c.2.def.11.* Hillig. *in Donell.enucl. l.23.c.4.lit.J.* Si tamen libellus duo habeat capita, utile alterum, alterum inutile, aut duæ in eo exprimantur causæ, apta altera, altera inepta, attenditur caput utile, & propter istud sustinetur libellus. Hering *de fidejussor.c.24.n.69.* Barn.Cornazzan. *decis.77.n.4.*

Plures dantur casus, in qvibus solennis libelli porrectio non est necessaria, hoc dicit.

§. 4. Sunt tamen casus, in qvibus solennis hæc libelli oblatio minimè est necessaria[a]: veluti in qvibus de plano ac sine strepitu & figura judicii procedendum erit, & in qvibus etiam non contestatâ lite testes recipi possunt, & alii plures.

[a] *clem. sapè. de verb. signific.*

minimè est necessaria] Ubi tamen necessaria est, minimè poterit consensu partium remitti, qvia non earum tantùm interest, sed ipsius

Digitized by Google

ipsius etiam judicis,& ut durante processu , si qvod dubium occurrat,ad id,qvod primitùs petitum fuit,recurri qveat. Nicol.Calvol. *in prax. §. libellus 9. concluf. 5.* Hillig. in Donell.enucl. *l.23.c.4.lit.B.* In qvibus autem causis libellus necessarius non est , in illis nihilominus opus est qvaliqvali petitione brevem simul facti narrationem complectente, ut & judici & adversario de desideriis actoris constare possit. Nic. Ant. Gravatius ad Octaviani Vestrii praxin *l.5. c.2.n.10.* Paris de puteo *de syndic. verb. libell.vers.an contra.n.5.* Cæterùm,in qvibus causis libellus necessarius non sit,prolixè explicat Joh. Bapt.Asinius *in prax.§.4.c.3.*

de plano,ac sine strepitu] Verba ista sufficienter explicantur in *Clement. sæpè de V. S.* Et tales causæ vocantur aliàs summariæ , de qvibus prolixè agit Jac.Schultes *Obs.3.*

Benè faciet judex , si rem terminare qvaret sine tela judiciaria.h.d.

§. 5. In his qvoq; casibus, in qvibus libelli est necessaria porrectio, probè judex fecerit, si principales personas , vel in subsidium etiam advocatos factum ipsum proponere jusserit, & sine tela judiciaria controversiam terminare tentaverit. *c.studendum. c.placuit.90. distinct.*

terminare tentaverit] qvod aliter fieri posse vix videtur, qvàm per amicabilem compositionem ; sed tùm judex non tàm judicis, qvàm arbitratoris partibus fungitur. Nec cogi possunt litigantes talem compositionem inire,aut à processu semel cœpto desistere.

Oblato libello , debent reo dari dilationes ad excipiendum,& ad evitandam obscuritatem una materia est uno in loco tractanda.h.d.

§. 6. Oblato tamen secundum juris ordinem libello, certæ reo convento indulgendæ sunt induciæ [b],qvibus deliberet,cedendum sibi sit,an contendendum: acceptandus, an recusandus judex: deniq;, ut propo- b *can. inducia.§. offeratur 3.q.3.*

Digitized by Google

ponat, si qvas habet, exceptiones. Qvæ propterea comparatæ sunt, ut ii, adversos qvos instituuntur actiones, defendantur. Harum verò qvædam ante litis contestationem opponendæ erunt, qvædam verò etiam post contestatam litem. Sed ne, si qvi inter has alieni tractatus medii fuerint interjecti, hujusmodi sectio obscuritatem pariat, videamus nunc generaliter de exceptionibus.

indulgendæ sunt inducie] viginti dierum, *anth. offeratur C. de lit. contest.* & ibi Sichardus. *c. inducie §. offeratur 3. q. 3.* In foro Saxonico hodiè tales inducie necessariæ non sunt. Qvia enim unà cum citatione reo transmittitur libellus, & terminus præfigitur Saxonicus sex septimanarum & trium dierum, satis deliberare secum poterit reus, cedendum sibi sit, an contendendum. Vid. Matth. Coler. *decis. III.*

DE EXCEPTIONIBUS, ET REPLICATIONIBUS,

TITULUS VIII.

Qvid sit exceptio, & qvotuplex ejus sit species: dilatoria, & peremptoria. Et qvòd dilatoriarum qvædam respiciunt judicem, qvædam actorem, qvædam reum, qvædam causam. h. d.

§. 1. Exceptio est [c] actionis, vel intentionis exclusio. Exceptionum summa divisio in duo genera deducitur [d]: aut enim sunt dilatoriæ, aut peremtoriæ. Dilatoriæ sunt, qvæ rem & judicium differunt. Harum qvædam judicis personam respiciunt, qvædam agentis, qvædam rei conventi, qvædam verò actionis

c *gloss. in vers. irritari. cap. dudum. elji. extra. de elect. gloss. fin. cap. ex parte. extra. de foro competēt.*

d *gloss. 1. cap. exceptionum. extra. eod. de except.*

Digitized by Google

nis & cauſæ qvalitatem. Perſonam judicis reſpiciunt, vel qvæ illius incompetentiam arguunt, vel de ipſo ſuſpicionem ingerunt, ſecundum ea, qvæ ſuprà ſuo loco latiùs expoſuimus. Et hæ declinatoriæ qvoq; poterunt appellari. Actoris partem illæ ſpectant, qvæ illum non legitimam in judicio ſtandi perſonam habere demonſtrant: qvales ſunt procuratoriæ: utputà, ſi qvis per monachum, aut regularem, aut clericum agere velit. Item ſi qvis ut tutor, vel curator, vel procurator, vel ſyndicus compareat, & illum tutorem, vel curatorem, vel procuratorem, vel ſyndicum eſſe negetur, vel ſuâ non intereſſe, vel audiri non debere proteſtetur, & ſi qvæ ſunt his ſimiles. Ex perſona rei deducuntur: veluti ſi qvis ab eo, qvi alienam litem defendit, de judicato ſolvendo cautionem poſtulet, aut ſi ab actore ſe ſpoliatum eſſe reus conventus coram judice qveratur, & propterea reſtitutionis beneficium imploret, vel ſi actorem ex legitima cauſa domum revocet. Actionem & cauſam reſpiciunt, ut cùm proponitur de ineptitudine, aut incertitudine libelli, aut de litis pendentia, aut cùm nondum diem ſolutionis veniſſe prætenditur.

actionis vel intentionis] Doctores alias exceptiones dicunt esse facti & intentionis, alias verò actionis sive juris. Exceptiones intentionis & facti dicunt opponi tùm, qvando qvis intendit sine actione, qvæ ipso jure per solutionem, compensationem, acceptilationem sublata est, qvoniam sc. de facto & non de jure actio intenditur. Exceptiones actionis dicunt eas, qvando actio qvidem de jure competit, verùm aliqvid est, qvod facit, qvo minus cum effectu competat. Has propriè, illas impropriè dici exceptiones, & sic esse divisionem non generis in species, sed æqvivoci in sua æqvivocata. Didac. Covarruv. *in c. possessor, de reg. jur. in 6. part. 1. pr. n. 5.* Fulv. Pacian. *de probat. p. 1. c. 68. n. 62. seq.* Nic. Bellon. *ad §. in omnibus n. 14. Inst. de fide juss.* Bachov. *ad Treutl. v. 2. disp. 26. th. 1. lit. C.* Carol. de Grassis *excep. 26.* Vultej. *ad Inst. de except. n. 25.*

exclusio] non actualis tantùm, sed etiam potestativa, h.e. sufficit, qvod excludere actionem possit, etiamsi non semper actu excludat, cùm etiam tùm rectè dicatur exceptio, qvando in judicium nondum est deducta, intuitu sc. actionis qvam excludere debet. Hahn *in Wesenbec. h. t. n. 3.* Definitionem autem hanc peremptoriis tantùm exceptionibus competere nonnulli volunt, non etiam dilatoriis, qvia scilicet hæ non excludunt actiones, sed differunt tantùm & ad tempus nocent; unde dilatorias non esse propriè exceptiones contendit Cæsar Contardus *in l. diffamari c. 6. n. 7.* Sed enim, qvalis est exceptio, talis etiam exclusio, & vice versâ. Si exceptio est temporalis, etiam exclusio temporalis erit; si illa est perpetua, etiam hæc perpetua erit. Dom. Arumæus *exercitat. Justinian. 19. n. 4.* Cæterùm qvia exceptio tantùm actionis expulsio est, ejus hic erit effectus, ut Reus ab institutâ actione absolvatur, non etiam, ut aliqvid consequatur. Fulv. Pacian. *l. 1. de probat. c. 69. n. 20.* Heig. *l. 2. qv. 8. n. 6.* Schultes *Obs. 25. n. 2. 3. 4.* Hartm. Pistor. *l. 4. q. 18. n. 18. seq.* Gail. *l. 2. de pac. publ. c. 12. n. 23.* Gars. Mastrill. *decis. 14. n. 22.*

aut peremptoriæ] Alii addunt anomalas, qvæ & ante & post litem contestatam opponi possint, veluti est exceptio excommunicationis: alii mixtas, qvæ & dilatoriæ & peremptoriæ esse possint, aut qvæ tam in vim dilatoriarum ad processum impediendum, qvàm peremptoriarum ad terminandam litem opponi possint. uti est exemplum in *l. 56. ff. de condict. indeb.* Sed enim dictæ sunt exceptiones perpetuæ & temporales sive peremptoriæ & dilatoriæ non à tempore & modo proponendi, qvod illæ qvocunq; tempore & in qvacunq; judicii parte tàm ante, qvàm post litem

Digitized by Google

litem conteſtatam opponi poſſint,nam & dilatoriæ qvædam poſt litem conteſtatam, & peremptoriæ nonnullæ intra certum tempus locum habent;ſed ab effectu & tempore,qvo earum vis & efficacia durat,ita ut perpetuæ illæ omnes ſint & dicantur,qvæ objectæ efficiunt,ne unqvam actio noceat;temporales verò,qvæ ad tempus tantùm nocent & actionem non perimunt,ſed vulnerant tantùm. De eſſentiâ igitur exceptionum dilatoriarum eſt,qvod differant tantùm actionem, ſed qvod ante litis conteſtationem proponantur,de earum eſſentiâ non eſt.Bachov.ad Treutl.*diſp. de except. th.* 1. *lit. C. in fin.* Franzk. *ad §. 8. Inſt. de except.* Mixtæ autem & anomalæ ſemper ad alterutram ſpeciem referri & reduci poſſunt.

actionis & cauſæ qvalitatem] Sed ad claſſes has enumeratas referri adhuc neqveunt exceptio loci non tuti,exceptio feriarum, exceptio termini anguſti &c: qvocirca neceſſe erit adhuc aliam claſſem addere,aliarum ſcilicet circumſtantiarum,ex qvibus naſci poterit reo exceptio, uti ipſe deinceps agnoſcit autor infr. *§. Ducuntur &c.*

Perſonam judicis reſpiciunt] Pertinet huc etiam exceptio prævention is,qvando ex duobus judicibus concurrentibus alter præoccupaverit. item exceptio omnimodæ inhabilitatis judicis, ut ſi ſit mente captus,ætate minor. &c:

declinatoriæ] qvod declinent judicem & judicium. Dividuntur â qvibusdam in declinatorias fori & declinatorias judicis. Per illas judex ut incompetens rejicitur. Per has judex competens propter ſuſpicionem recuſatur. Paurmeiſter *de jurisdict. lib. 1. cap. 27. num. 18.* Eas autem propriè exceptiones non eſſe, Abbas Panormitanus olim cenſuit,hoc inductus argumento,qvod declinatio jurisdictionis non proponatur adverſus actionem,neqve illis actor ſed judex excludatur. At enim ut maximè iſtiusmodi exceptione directò judex petatur, negari tamen neqvit, obliqvè etiam actoris intentionem excludi. Ita etiam exceptiones procuratoriæ non principaliter litem ſed perſonam evitant,& tamen pro veris exceptionibus habentur *l. 2 in f. & l. 3. in f. ff. de except.* Hillig.in Donell. enucl. *l. 22. c. 1. lit. F.*

qvales ſunt procuratoriæ] Sed hæ non auctoris tantum, partem ſpectant,ſed etiam ex perſonâ rei ſuboriri poſſunt. Commodius exemplum eſt exceptio ſatisdationis pro reconventione & expenſis.

vel ſua non intereſſe] Hæc verba non amplius ad procurato-

rem, sed ad ipsum actorem principalem referenda sunt. Procurator enim agere potest, etsi sua nihil interfit; & si interesset, suo nomine jam ageret, non alieno, nec proinde procurator esset. Et imò videtur hæc exceptio potius peremptoria, dum non differt judicium, sed planè perimit.

vel audiri non debere] hæc exceptio videtur esse generalis. Qvi enim exceptione procuratoriâ repellitur, cui obstat exceptio non competentis actionis, imò etiam cui exceptiones ipsam actionem concernentes opponuntur, ut libelli inepti, litis pendentis &c: illum audiri non debere rectè petitur.

defendit] Nemo enim secundum veterem regulam alienæ rei sine satisdatione defensor idoneus intelligitur. *§. 5. Inst. de satisdat. l. 46. §. 2. ff. de procurat.* Hodiè verò in foro Saxonico talis satisdatio à Reo non reqviritur. Dan. Moller *ad p. 1. const. 5. n. 2.* Carpzov. *2. respons. 79.*

se spoliatum esse] de exceptione spolii agetur infra *tit. 10.*

Declinatoriæ exceptiones proponi debent ante omnem exceptionem, alioqvi amplius opponi non poterunt. h. d.

§. 2. Hæ verò regulariter omnes ante litis contestationem proponi debent: sed qvas declinatorias appellavimus, non modò ante litem contestatam, verùm etiam ante omnem dilatoriam exceptionem opponere reum oportebit: alioqvi si aliam primò proposuerit, cùm per hoc in jurisdictionem ejus, coram qvo proposuit, consensisse videatur, ejusdem jurisdictionem serò declinare conabitur.

ante litis contestationem] qvia enim de constituendo judicio sunt & personis, qvibus judicia constant, cùm scilicet qværitur, an justæ & legitimæ sint personæ litigatorum, an judicis, an locus judicii tempusve legitimum, planè necesse est ante judicium, aut in exordio judicii eas opponi, excuti, disceptari. qvia jam constituto judicio præposterè agitur de eo constituendo. Cujac. *l. 17. Obs. 34.*

Alio-

Digitized by Google

Alioqvin ſi aliam primò propoſuerit] Ordinem in opponendâ exceptione talem reqviri, ut fori præſcriptio & judicis propter ſuſpicionem recuſatio ante alias dilatorias opponi neceſſe ſit, iisqve prætermiſſis objectâ exceptione dilatoriâ aliâ audientiam judicis electam cenſeri, nusqvam in jure relatum eſt. Paurmeiſter *de jurisdict. l. 1. c. 27. n. 18.* Sichard. *ad l. 19. C. de probat. n. 10.* Imò verò usqve ad litem conteſtatam declinatoriæ exceptioni locum eſſe, patet ex *l. 4. C. de jurisdict.* Qvæ in contrarium objiciuntur, diluit Bachovius ad Treutl. *vol. 1. diſp. 12. th. 10.* Eum ſeqvitur Arnoldus Vinnius *de jurisdict. c. 11. num. 8.* Sed ex adverſo nihilominus ſtant plurimi Doctores, qvos allegat Hilliger in Donell. enucl. *l. 22. c. 9. lit. Cc.* freti obſervantiâ fori, qvæ utramqve in proceſſu ordinando facit paginam.

Dilatoriæ exceptiones, non declinatoriæ, regulariter proponuntur ante litem conteſtatam, qvandoq; tamen etiam poſt. h. d.

§. 3. Ergo in initio litis declinatoriæ opponi debent, & probari: cæteræ poſt oblatum libellum ante litem conteſtatam intra terminum à judice aſſignatum, qvandocunqve opponi, & probari poterunt. Sed & lite conteſtatâ qvandoqve eas opponere licebit, veluti [a] ſi qva nuper reo competens exorta fuerit, vel is, qvi eam opponere voluerit, poſtmodum ad ſuam notitiam perveniſſe jurejurando fidem faciat, vel eſſet hujusmodi, qvæ retrò actum proceſſum nullum redderet, ut eſt ea, qvæ vel mandati, vel jurisdictionis defectum arguit.

[a] *cap. paſtoralis. in fin. extra. eod. tit. c. in noſtra. de Procuratoribus.*

intra terminum â judice aſſignatum] Terminus vel â judice præfigitur, Berlich. *p. 1. concl. 18 n. 3. 4. 5. 6. & concl. 84. n. 94.* Zanger. *de except. p. 2. c. 22. n. 21.* vel â lege, qvemadmodum in foro Electorali Saxonico omnes in univerſum dilatorias exceptiones primò ſtatim termi-

no opponere neceſſe eſt, additâ ſimul eventuali litis conteſtatione. Conſtitut. Auguſti *3. part. 1.* Ordinat. proceſſ. *tit. 11.* qvo caſu, qvia omnes uno qvaſi contextu proferuntur, tàm curiosè ut ordo inter declinatorias & reliqvas dilatorias obſervetur, fortè neceſſe non eſt, Sichard. *ad l. 19. n. 10. C. de probat.* Sed qvid, ſi neglexerit reus terminum præfixum & contumaciter emanſerit, num admittendus erit adhuc cum exceptionibus dilatoriis ? Negat Hilliger in Donell. enucl. *l. 22. c. 9. lit. Cc.* ubi tamen fingit ſibi, qvi non eſt, adverſarium Danielem Mollerum, adverſarium tamen habet Dn. Carpzovium *part. 1. conſt. 3. def. 7.* qvi ſtatuit, judicis arbitrium hîc multum poſſe. Verior mihi in puncto juris videtur ſententia Hilligeri, tùm qvod terminus etiam â judice, nedum â lege præfixus ſit peremptorius & excluſivus, *c. paſtoralis 4. X. de except.* tùm qvod melior ita eſſet conditio contumacis, qvàm comparentis qvidem, ſed non omnes exceptiones primo mox termino opponentis, talem enim in ſecundo termino, ſi dilatorias exceptiones porrò objicere velit, audiendum non eſſe, ipſe aſſerit Carpzovius *d. l. def. 5.* Pro Carpzovio tamen militat obſervantia fori. Add. Jac. Schultes *Obſ. 11.*

exorta fuerit] qvia non poteſt videri approbaſſe perſonam judicis vel adverſarii, & ſic remiſiſſe cauſam, qvæ tùm temporis nondum exiſtebat. Vid. Panorm. *in cap. dilectus n. 54. X. de ord. cogn.* Covarruv. *l. 1. reſolut. 16. n. 12.* Carpzov. *p. 1. conſt. 11. n. 15.* E. g. qvando judicem ut ſuſpectum recuſare licet. Sichard. *ad l. 13. C. de procur. n. 5.* Privilegium tamen fori ſuperveniens talis cauſa non eſt, propter qvam declinari judicium cœptum qveat, *l. pen. ff. de jurisdict. l. 7. ff. de judic.*

vel mandati] Si enim falſus procurator inveniatur, nec dici controverſiæ ſolent, nec poteſt eſſe judicium, *l. 24. C. de procur.* Et hinc qvovis tempore objici poteſt exceptio legitimationis.

Et ex loco, & ex tempore, & ex aliis fontibus ducuntur exceptiones. h. d.

§. 4. Ducuntur autem hujusmodi exceptiones non ſolùm ex ſuprà poſitis cauſis, ſed etiam ex loco, ex tempore, & ex aliis pluribus, ut tam Pontificii, qvàm

Digitized by Google

qvàm Cæsarei Juris libris facile est legentibus cognoscere.

ex aliis pluribus] qvæ nec numerari qvidem possunt. Sic enim non tantùm ex legibus & statutis publicis, qvæ infinita esse possunt, sed etiam ex pactis privatorum, qvæ & ipsa innumera sunt, dantur exceptiones, qvas omnes uno ordine comprehendere impossibile est.

Exceptio excommunicationis, licet sit dilatoria, tamen potest opponi & ante, & post litem contestatam. h. d.

§. 5. His annumeranda est etiam excommunicationis [a] exceptio, qvæ licet & ipsa dilatoria sit, à cæteris tamen dissimilem naturam sortita esse deprehenditur: nec enim post oblatum tantùm libellum ante contestatam litem, velut cæteræ, sed in qvalibet parte litis opponi poterit [b], peremptorio termino ad proponendum exceptiones declinatorias & dilatorias præfixo minimè obstante. Qvod est in hac exceptione specialiter observandum, ne qvisqvam in periculum animæ suæ excommunicato communicare compellatur: qvòd si eam reus omiserit, ut actor sumptibus & laboribus fatigetur, in expensis legitimis condemnandus erit.

a *cap. exceptionem excõmunicationis. extr. eod.*

b *clem. 1. eod. tit.*

dissimilem naturam] non ab omnibus, cùm ipse autor modò dixerit, etiam eas exceptiones, qvæ mandati vel jurisdictionis defectum arguunt, posse post litem contestatam opponi. Dissimilis autem hujus naturæ cum mentionem fecisset Joh. Petrus de Ferrariis *in prax. tit. 4. gloss. 18. adverte*, inqvit, *qvia aliâ ratione hoc fuit per Papam introductum,*

ctum, ut ampliaretur ejus potestas, tàm in foro seculari, qvàm in Ecclesiastico, qvæ magis restringenda esset, qvàm amplianda, qvoniam psalterium malè sonat cum citharâ.

in periculum animæ suæ] Nam qvi scienter cum excommunicato communicat, jure Pontificio excommunicationem minorem incurrit *c. 2. X. de except.* De cujus Legis Ecclesiasticæ justitiâ dicendum erit infra *lib. 4. tit. de sententiâ excommunicationis.*

communicare compellatur] Supra dixi ad tit. *de procurat. §. hi verò.* iniqvum videri, qvod excommunicatus in judicio actoris partes sustinere prohibeatur, cùm tamen non privetur per excommunicationem dominio rerum, neqve jure naturali, gentium, aut civili excludatur, sed tantùm bonis Ecclesiæ propriis. Nec profectò pro communicatione haberi poterit, qvæ potiùs odium & disidia excitat, actio in judicio. Et notandum est, qvod refert Zoes. *ad tit. ff. de except. n. 12.* tùm in Hispaniis, tùm in Galliis exceptionem istam hodiè non amplius attendi, sed & alibi rariorem ejus esse usum propter extravagantem *ad evitanda &c:* Martini V.

reus omiserit] malitiosè, qvia aliàs nullâ præcedente culpâ condemnari in expensas non posset. Sed propterea tamen ipsâ exceptione reus non excluditur.

In opponenda exceptione excommunicationis servanda est certa forma. hoc dicit.

§. 6. Sed cùm per malitiam hæc exceptio in judiciis opponeretur freqventiùs, Innocentianâ constitutione consultissimè cautum est[c], ut certa in ea proponenda forma servari debeat, uti ex ipsius constitutionis tenore facilè apparere potest.

[c] *cap. 1. eod. tit. in 6.*

cùm per malitiam] Exceptio ista, cum à limine judicii repellat actorem, ambabus manibus à reis arripitur, & hinc sæpiusculè per calumniam objicitur. Fibula igitur malitiæ huic injicienda fuit. Et statuunt communiter Doctores, non attendi debere eam exceptionem, qvan-

Digitized by Google

qvando excommunicatus non est notorius vel non denunciatus, qvando agitur super attentatis, qvando reus debitor suspectus est de fugâ. &c: Vid. Carol. de Grassis *except. 4. n. 22. seq.*

Exceptio excommunicationis potest actori opponi in prima tantùm instantia, non in secunda. Idem de cæteris dilatoriis. h. d.

§. 7. Hæc [d] tamen in prima tantùm instantia sibi locum vendicant: qvòd si succumbens actor appellaverit prætextu excommunicationis oppositæ, à prosequtione appellationis minimè excludendus erit: qvod & in cæteris dilatoriis multò magis locum obtinet.

d *cap. significavit. extra eod.*

minimè excludendus erit] Rationem hanc reddit Pontifex *c. significaverunt 11. X. h. t.* qvia omnis legitima defensio excommunicato in judicio reservetur. At hâc ratione neq; in primâ instantiâ actori adversus exceptionem Rei replicanti objici poterit exceptio, qvia qvalis defensio est appellantis adversus sententiam, talis est defensio actoris adversus exceptionem rei.

Reus excommunicatus licet reconvenire non possit, admittitur tamen ad proponendas suas legitimas defensiones. h. d.

§. 8. Reus [e] autem, nullo obstante excommunicationis vinculo, velut rectè convenitu, ita ad legitimas defensiones semper admittitur. Satis enim absurdum esset, si actore impugnante defensionis copia reo denegaretur: qvia sic multoties condemnaretur absolvendus. Reconventionis tamen potestas eidem minimè permittitur.

e *cap. cùm inter. extr. eod. tit.*

Digitized by Google

Reus autem] Minus hæc invicem conveniunt, actorem excommunicatum agere non posse aut potius repelli propter excommunicationē, qvod excommunicato communicare tendat in periculum animæ; & tamē periculū animæ nō obstare, qvo minus agi possit contra reū excōmunicatū. Qvæso, qvæ hîc periculi differētia? Imò verò, qvia reꝰ conventꝰ invitus communicat, actor verò voluntariè, cū in ipsius arbitrio sit agere & non agere, magis videtur tolerari debere reus excommunicato actori respondens, qvam actor adversus excommunicatum reum causam intentans. Sanè qvia communicatio utrobiqve relativa est, & eadem, aut admitti utrinq; aut prohiberi utrinqve ea debuisset. aut deniq; non tàm in communicatione, qvæ in periculum animæ vergat, causa exceptionis qværenda est, qvàm in eo, qvod, ubi suscipere tantùm, non etiam intentare actionem excommunicato concessum fuerit, rubore suffusus facilius ad qværendam reconciliationem Ecclesiæ inducatur.

Reconventionis tamen] qvia scilicet agere in judicio neqvit. Agit autem, qvi convenientem reconventione impetit.

Superiùs dicta de excommunicatione, intelliguntur de majori. h. d.

f *cap. 1. eod. tit. in 6.*

§. 9. Cæterùm [f] qvæ suprà de excommunicatione diximus, non de qvacunqve excommunicatione sunt intelligēda, sed de ea tantùm, qvæ à perceptione sacramentorum, & à fidelium communione separat, ut etiam ipsa Innocentianæ constitutionis verba demonstrant.

communione separat] h. e. de excommunicatione majori, uti ea explicabitur infra *lib. 4.* Cæterùm volunt, taliter excommunicatum, etsi ei exceptio excommunicationis à Reo non objiciatur, ipso jure officio judicis ab agendo repelli debere, & hinc excommunicationis publicæ exceptionem cuilibet judicio tacitè inesse. *c. 12. in fin. X. de except.*

Perem-

Peremptoriæ exceptiones sunt, qvæ jus actoris perimunt, & semper agentibus obstant. h. d.

§. 10. Peremptoriæ, * seu elisoriæ exceptiones sunt, qvæ in totũ jus agentis perimunt [g], & semper agentibus obstant: qvalis est, doli mali, metus, pacti conventi, solutionis, jurisjurandi, præscriptionis [h], transactionis, & rei judicatæ, & si qvid contra leges factum esse dicatur.

g *cap. 1. de litis contestat. in 6.*

h *can. 2. in fin. 3. q. 6.*

semper agentibus obstant] Non enim actionem solùm, sed etiam obligationem tollunt, idq; non minore cum effectu, qvàm si sublata esset ipso jure, *l. 112. ff. de R. J. l. 40. ff. de condict. indeb.*

**Exceptiones peremptoriæ litis finitæ sunt, qvæ impediunt litis ingressum, hoc dicit.*

§. 11. Harum qvædam dicuntur peremptoriæ litis finitæ, qvædam simpliciter peremptoriæ. Peremptoriæ litis finitæ sunt, qvæ litis impediunt ingressum, & adversus agentem omni tempore opponi possunt [a]: qvalis est exceptio transactionis, jurisjurandi, & rei judicatæ, qvæ vel in ipso limine judicii proponi poterunt [b]. Cùm enim super negociis, transactione, jurejurando, & sententiâ decisis, aliàs lis inchoata terminata fuerit, valdè absonum visum fuit, super eisdem novum assumi debere judicium, & qvasi in infinitum forensia jurgia protrahere. Inde qvoq; litis finitæ exceptiones appellantur, qvòd, ut

a *cap. 1. de litis contestat. in 6.*

b *can. 2. 3. q. 6.*

aliqvis esset finis litium, institutæ fuerint. Idem juris est in aliis etiam peremptoriis exceptionibus, qvæ vulgò manifestæ sunt, & notoriæ habentur.

qvæ litis impediunt ingressum] Animadvertit Bachovius ad Treutl. *h. t. th. 8. lit. C.* dari exceptiones, qvæ impediant litis ingressum, & tamen non sint litis finitæ, qvò refert exceptionem præscriptionis, renunciatæ litis, pacti de non adeundo judice, SCti Vellejani & Macedoniani, it. solutionis, acceptilationis, novationis &c: Atqve hinc exceptiones litis finitæ speciem esse dicit exceptionum litis ingressum impedientium. Qvò etiam inclinat Antonius Perez *Cod. h. t. n. 11.* Posito hoc, latior erit definitio autoris, qvàm ut conveniat definito.

& rei judicatæ] Ultra tres istas nullam amplius dari, qvibus lis finita dici qveat, Doctorum est sententia, qvanqvam alii etiam exceptionem præscriptionis, item litis renunciatæ addant.

qvæ vulgò manifestæ sunt] uti de exceptione jurisjurandi testatur *l. 9. pr. ff. de jurejur.* de exceptione pacti de non petendo Alexander *n. 2.* Jason *n. 6.* Alciatus *n. 27.* in *l. Creditori 5. C. de pact.*

Exceptiones peremptoriæ proponuntur post litem contestatam ante sententiam. hoc dicit.

d. c. 1. §. 12. Cæteræ verò litis contestationem minimè impediunt, atq; ante sententiam erunt regulariter proponendæ, qvas qvidem si dolo malo suo tempore in prima instantia reus proponere distulerit, etiam in causa appellationis opponendi sibi facultas denegabitur.

c. inter monasterium de sententia & re judic.

ante sententiam] qvædam verò etiam post sententiam & rem judicatam opponi possunt, ut est exceptio solutionis, compensationis, competentiæ, & omnes illæ, qvæ non impugnant judicatum, sed mode-

Digitized by Google

moderantur & temperant, de qvibus Petrus Coſtalius *ad l. 38. ff. de R. V.* Nicol. Valla *de reb. dub. tract. 16.* Ant. Fab. *Cod. lib. 8. tit. 23. def. 2.* Anton. de Padilla *ad l. 1. n. 36. C. de jur. & fact. ignor.* Huc pertinet etiam exceptio SCti Macedoniani & Vellejani *l. 11. ff. de SCt. Macedon.* Cæterùm ex conſtitutionibus Electoralibus Saxonicis peremptoriæ exceptiones omnes conjunctim in ipsâ ſtatim litis conteſtatione opponi debent, nec audiendæ ſunt deinceps, ſi fuerint omiſſæ. Carpzov. de *proceſſ. tit. 9. art. 7. n. 5. 9. 12.*

facultas denegabitur] Qvid ita? cùm appellatio reducat cauſam in eum ſtatum, in qvo fuit lite jam conteſtatâ. Hart. Piſtor. *l. 4. qv. 23. num. 3.* atqve lite jam conteſtatâ usqve ad ſententiam licet opponere exceptiones peremptorias. In foro tamen noſtro Electorali ideò ſententia Autoris tenet, qvia, ut dixi, omnes exceptiones peremptoriæ in ipsâ ſtatim litis conteſtatione ſunt conjunctim conteſtandæ. Carpzov. *p. 1. conſt. 21. def. 10.*

Præjudiciales exceptiones ſunt, qvæ alteri cauſæ præjudicium afferunt, putà, exceptio conſanguinitatis, cauſæ reſtitutionis viri: exceptio natalium, petitio hæreditatis &c.

§. 13. Sunt etiam qvædam exceptiones, qvæ præjudiciales appellari poſſunt, ex eo, qvòd alteri cognitioni præjudicium afferunt: utpotè, ſiqva mulier Titium in virum petat, qvi ad mulieris intentionem elidendam conſanguinitatis objiciat exceptionem [c]: qvâ probatâ, cùm qvæſtio principalis perimatur, de ipſa eſt cognoſcendum, anteqvàm ad diffinitionis articulum procedatur. Idem [d] ſi petenti hæreditatem natalium objecta ſit exceptio. Cùm enim ſucceſſionis cauſa à cauſa natalium dependeat, poſteriore qvoq; loco cognoſcenda erit.

c *cap. literas tuas. extra. de reſtitut. ſpoliat.*

d *cap. penul. extr. de ordin. cognit.*

Digitized by Google

qvæ præjudiciales appellari poſſunt] Tales plures refert Nicolaus Valla *de reb.dub. tract. 16.* videlicet, ſi inter heredem ſcriptum & heredem ab inteſtato ſit qvæſtio de herede, qvia heres ab inteſtato impugnat teſtamentum, it: ſi qverela inofficioſi moveatur, tùm enim ſilere interim debet qvæſtio de libertate teſtamento data *l.7.ff.de herod.pet.* Item ſi qvis agat judicio familiæ herciſcundæ, & negetur eſſe heres &c:

Spoliatus opponens de ſpolio in modum exceptionis, non cogitur reſpondere, antequam ſit reſtitutus. h.d.

c *cap.fin. ext. de ordine cognit.*

§. 14. Sed [c] etſi qvæſtio ſpolij in modum exceptionis petentibus objecta fuerit, probationes ſuper ſpolio primitùs erunt audiendæ: eoq; legitimè probato, reus non cogetur reſpondere * poſitionibus, donec integrè reſtitutus fuerit.

* petitionib9, meliùs.

non cogetur reſpondere] Eſt enim hæc exceptio dilatoria, qvæ tamen fit peremptoria tùm, qvando interdicto uti poſſidetis actori objicit reus, qvod violenter â ſe fundum poſſideat. Jacob. Schultes *Obſ. 25. num. 40.*

Non debet judex in cauſa ſuperſedere obtentu exceptionis ſpolii, niſi dicatur factum ab actore, & hoc in civilibus: in criminalibus verò poteſt etiam objici de ſpolio à tertio facto, ſi qvis dicatur vel totâ ſuâ ſubſtantiâ, vel majori parte ſpoliatus: nec agenti ſuper rebus Eccleſiaſticis poteſt opponi exceptio ſpolii rerum privatarum, vel contrà. h.d.

§. 15. Sed qvia hujusmodi exceptionem nonnunqvam in judiciis calumniosè propoſitam cauſas Eccleſiaſticas contingebat impedire, & per interpoſitas appellationes principalis cauſæ cognitionem perimere, conſultiſſimè Innocentianâ [a] conſtitutione de-

a *cap.1.de reſtitut. ſpoliat. in 6.*

cre-

Digitized by Google

cretum fuit, ut in civilibus negociis ſpoliationis objectu ab alio, qvàm ab actore factæ, judex in cauſa principali procedere non poſtponat. In criminalibus verò etiam, ſi à tertio ſpoliatus fuerit, dum tamen vel totâ ſuâ ſubſtantiâ, vel majori parte ipſius ſe per violentiam privatum affirmet, objecta exceptio proceſſum differet, pœnis ſtatutis, ſi eandem intra certa tempora non probaverit objiciens: eo qvoq; ſalubriter adjecto [b], ut rerum privatarum ſpoliatio agenti ſuper Eccleſiaſticis, vel ex contrario, non opponatur.

[b] *d. c. 1. §. fin.*

ſpoliationis objectu] Habet locum ſpolii exceptio, etiamſi commiſſum id fuerit in aliâ re, qvàm qvæ in lite verſatur. Zanger *de except. l. 2. c. 18. n. 5.* Berlich. *p. 1. concluſ. 21. n. 35.* Gail. *2. Obſ. 75. n. 5.*

ab actore] qvò tamen referuntur etiam caſus, ſi alteri mandarit actor, ut ſpoliaret, item ſi ſpoliationem alterius ratam habuerit, Jac. Schultes *d. l. n. 11.*

In criminalibus verò etiam] niſi per modum inqviſitionis procedatur. Anton Gabriel. *l. 5. tit. de reſtitut. ſpoliat. concluſ. 3. n. 4.*

pœnis ſtatutis] juridicis & civilibus, ut ſunt pœnæ expenſarum, aut qvod audiri reus amplius non debeat &c.

intra certa tempora] qvindecim dierum, qvi incipiunt à die judicati. Atq; in his ſufficit jure Saxonico, articulos offerri, totam verò probationem iis abſolvi neceſſum non eſt. Carpzov. *p. 1. conſt. 6. def. 1. & 2.* Jure autem Canonico intra iſtos qvindecim dies tota probatio eſt abſolvenda. Dan. Moller *ad conſtit. 6. part. 1. n. 8.*

Accu-

Accusato excipienti de spolio à tertio facto, debet indulgeri tempus, intra qvod restitutionem petat, & causam, si potest, finiat: qvo elapso, non obstante tali exceptione, accusari poterit. h. d.

§. 16. Inter scholares [c] olim dubitari contigit, si spoliatus à tertio contra suum accusatorem de spolio excipiat, an ei tempus indulgeri debeat, infra qvod restitutionem imploret, ne fortè sic existens omnem accusationem eludat: & id æqvitati & juri satis consonum visum fuit. Unde si infra tempus indultum restitutionem non petierit, & causam, cùm posset, ad finem non perduxerit, non obstante exceptione spolij, deinde accusari poterit.

c *cap. 1. §. solet autem. de restitut. spol. in 6.*

Inter scholares] h. e. studiosos in Academiis, qvi etiamnum in Italiis scholares vocantur. Vid. Limnæ. *de jur. publ. l. 8. c. 6. n. 1.*

restitutionem imploret] Reus enim exceptionem spolii objiciens, restitutionem petere non tenetur, sed tantùm, qvod absolvi debeat, & ne respondere teneatur, anteqvam ab actore restitutus fuerit. Sic igitur accusator semper repelli poterit. Id ne fiat, certum hîc jubetur præfigi tempus, intra qvod restitutionem petere necesse habeat.

Exceptiones contra testes peremptoriarum naturam sapiunt, ideo ante sententiam proponendæ. h. d.

§. 17. Sunt & aliæ exceptiones, qvas propriè neqve dilatorias, neq; peremptorias appellaveris: cujusmodi sunt, qvæ adversus productos testes opponuntur: utputà [d], si qvis Mævium examinatum, infamem,

d *cap. præsentiũ, ubi glos. extra. de testib.*

Digitized by Google

mem,excommunicatū,vel aliàs criminoſum eſſe dicat. Qvæ tamen cùm ad peremptoriarum naturam accedere videantur,ipſæ qvoq; ante ſententiam proponendæ erunt.

infamem] De qvalitate teſtium, & num tales admitti debeant, dicendum erit infr. *tit. de probationibus.*

ad peremptoriarum naturam] Qvia ſc. ubi deficit actor in probationibus, ipſa actio perit,& reus abſolvitur.

Ponit differentiam, utrùm teſti objiciatur crimen,de qvo nunqvam aliàs fuerit convictus vel objiciatur crimen,de qvo aliàs qvis confeſſus & convictus fuit,h.d.

§. 18. Multum tamen intereſt,an per exceptionem tantùm teſtibus opponantur crimina, de qvibus nunqvam accuſati fuerint : an verò ea, de qvibus aliàs convicti,vel confeſſi fuerunt. Primo enim caſu e objectorum criminum probatio antea exhibenda erit, qvàm cauſa per ſententiã terminetur, & ſi convicti vel confeſſi fuerint,ordinariâ ceſſante pœnâ,ſufficiet,qvòd à perhibendo teſtimonio repellantur, præſertim cùm objectum crimen minimè cauſam contingat. Poſteriore verò,cùm non ſit cuiqvam contra alios credendum, niſi ſe priùs probaverit innocentem, à ferendo teſtimonio penitus repelli poterunt.

e *cap. 1. extr. eod. tit.*

Multum tamen interest] id sc. qvod priore casu probatio criminis instituenda sit, posteriore nulla necessaria sit probatio.

ordinariâ cessante pœnâ] Sc. in hoc processu. Potest tamen judex deinceps ex officio, confesso aut convicto pœnam infligere, cum interfit Reip. ne delicta maneant impunita.

minimè causam contingat] Si enim causam contingat, faciliùs videtur locus esse aut inqvisitioni, aut, si crimen probatum jam fuerit, pœnæ. Vid. Hartm. Pistor. *Obs. 126.*

Opponens exceptionem, qvæ adversus opponentem opponi potest, nihil agit: & hoc, si proprio nomine excipiat: secùs, si nomine suæ Ecclesiæ. h. d.

§. 19. Cavebit autem reus, ne qvam contra adversarium suum exceptionem porrigat, cujus ipse nexibus implicetur: cùm scire debeat, nullum hanc esse juris effectum habituram: veluti [a] si plura beneficia possidens de eadem pluralitate adversus alium excipiat: vel si perjurium [b], aut excommunicationem is objiciat, qvi pejeravit, vel Ecclesiasticâ sententiâ innodatus fuerit. Hoc tamen ita accipiendum est, cùm proprio nomine conventus excipit [c]: cæterùm si suam defendens Ecclesiam, tales exceptiones opposuerit, audiendus erit, nec, qvòd opponens eisdem sit obnoxius, replicari poterit.

a *cap. cùm ecclesia. extr. eod. tit.*

b *gloss. in cap. præsentiũ. & cap. testimonium. extr. de testib.*

c *cap. dilecti filii. extr. eod. de except.*

cujus ipse nexibus implicetur] ita testis infamis contra pariter infamem admittitur. Schrader. *de feud. part. 2. part. 9. princ. sect. 13. n. 41.* In accusationibus tamen licet excipere & rejicere testem, qvi de eodem crimine damnatus est. Donell. *l. 25. ad l. testium 14. sive, 18. C. de testibus.*

aut

aut excommunicationem] Non ſatis conſideratè autor hîc exempla cumulat. Is qvidem,qvi plura habet beneficia, audiri non debet,ſi de eâdem pluralitate adverſus actorem excipiat, *c.3.X.de except.* ſed is, qvi perjurii & excommunicationis notam objicit actori, audiendus eſt, ut maximè actor eandem notam replicando obverterit adverſus reum. *c.8.X. eod.* Replicatio, qvâ actor perjurii & excommunicationis notam ſibi à reo objectam, in eum tanqvam pilam retorqvet, non recipitur; ſed replicatio, qvâ actor de pluralitate beneficiorum exceptionem ſibi objectam in reum retorqvet,recipitur. Qvæ verò hîc ratio eſt differentiæ? Reſpondet Cujacius *ad d. c.8.* reum opponendo actori exceptionem excommunicationis & perjurii ſuſcipere defenſionem Eccleſiæ, cujus ſcil. intereſt,excommunicationis vel perjurii notâ affectum non cooptari vel conſcribi in ſuum corpus ſive in numerum ſuorum clericorum; at exceptionem de pluribus beneficiis nihil propriè ſpectare ad defenſionem Eccleſiæ, nec ejus qvicqvam intereſſe, ſi qvis plura beneficia habeat,modò ſupereſſe poſſit omnibus. Replicatio igitur, qvæ inefficax eſt,qvalis eſt excommunicationis, attendi in judicio non debet. Siqvidem & excommunicato & perjuro juris ſui vel Eccleſiæ ſuæ defenſio permittitur. Ad qvid ergò replicabitur de excommunicatione, cum per eam defenſio rei non retundatur, nec actoris perſona, cui excommunicationis nota objecta eſt,habilitetur aut idonea reddatur?

cum proprio nomine] Hactenus nihil intereſt, proprio nomine an Eccleſiæ reus excommunicationis exceptionem objecerit. qvia excommunicatus jura ſua defendere non prohibetur. *c.5. X. de except.* Ergò dum reus objicit actori exceptionem excommunicationis, eo ipſo repellit eum à limine judicii,qvia excommunicato omnis actio denegatur. *c.2. X. de except. c.7. X. de judic.* ſed dum actor replicat adverſus reum de ſimili excommunicationis nexu,nihil agit,eò,qvod non obſtante excommunicatione reus jura ſua defendere adhuc qveat.

Qvi excipit,non confitetur agentis intentionem, & poteſt qvis plures etiam contrarias exceptiones opponere,& ſi judex non admittat, poteſt appellari,& judex puniri.h.d.

§. 20. Poſtremò ſciendum eſt,eum, qvi excipit [d], non propterea agentis intentionem confiteri illum vide-

d *cap.cũ venerabilis. exr. eod.cap. exceptio nem. de reg. jur. in 6.*

ri, cùm eidem non ſolùm unam, ſed etiam plures, qvanqvam contrarias, proponere liceat: qvæ ſi legitimæ fuerint, & judex non admiſerit, reo qvidem per appellationis remedium ſuccurretur, & judex ipſe meritis pœnis coërcendus erit.

non propterea agentis intentionem confiteri] Ita exceptio ſolutionis non infert actionem, ſive confeſſionem de numerato, qvia exceptio ſolutionis tantùm eſt confeſſio de ſolutione, at ſolutio non infert debitum ſeu numeratum, cùm qvotidiè indebita per errorem ſolvantur. Et hinc igitur, qvi dicit ſe ſolviſſe, admittitur ad probationem indebiti *l. 25. ff. de probat.* qvod fieri non poſſet, ſi confeſſio ſolutionis debitum ipſum inferret. Ita etiam in conditionali exceptione (v. g. promiſi, ſed conditionaliter, vel ſub conditione, ſi hoc vel illud feceris) reus non cogitur conditionem adjectam probare, nec, ſi non probaverit, tanqvam qvi de intentione actoris jam faſſus ſit, condemnari debet, ſed imò intentionem actoris in effectu negat, & onus probandi ſimplicem promiſſionem ipſi imponit. Vid. Franzk. *2. reſolut. 18. & 20.*

qvanqvam contrarias] modò in facto ſint compatibiles. Si enim excipiat qvis de pacto de non petendo, idqve Lipſiæ ita iniiſſe dicat, & deinceps etiam de ſolutione, qvæ eâdem die Erffordiæ facta ſit, excipiat, audiendus non erit. Zanger *de except. l. 3. c. 26. n. 336.* Hillig. in Donell. *l. 22. c. 8. lit. B.*

Adverſus exceptiones dantur replicationes. h. d.

§. 21. Dantur adverſus exceptiones replicationes: de qvibus multis agere ſupervacuum eſſet, cùm inſtitutæ ſint ad ſimilitudinem exceptionum, qvæ adverſus actiones opponuntur: de qvibus ſi qvis pleniùs velit intelligere, ex his, qvæ ſuperiùs diffusè de exceptionibus poſuimus, mutuari poterit.

ad ſimi-

ad ſimilitudinem exceptionum] Unde & in *l. 22. §. 1. de except.* cõtraria dicitur exceptio, qvaſi exceptionis exceptio, qvia ut reus exceptione actionẽ, ita actor replicatione exceptionẽ rei elidit, *l. 2. § 1. ff. de except.* In effectu itaqve replicatio ſub exceptionis nomine continetur, poſtqvam ſcilicet reus per exceptionem ſuam partes qvaſi actoris ſubit, & hinc actor vicisſim replicatione ſuâ excipiendo rei qvodammodo munus ſuſtinet.

DE MUTUIS PETITIONIBUS,

TITULUS IX.

Si reus conventus nolit, vel non poſſit excipere, ſi habeat, unde actorem reconveniat, poterit illum reconvenire. h. d.

§. 1. Igitur oblato ab actore libello, ſi reus conventus nullâ ſit exceptione munitus, qvæ vel judicium differat, vel litis ingreſſum impediat, mutuis petitionibus adverſarium ſuum fatigare poterit, & agentem coram eodem judice, anteqvam litem conteſtetur, reum conſtituere. Cujus enim qvis[a] in agendo obſervat arbitrium, eundem habere contra ſe judicem in eodem negotio dedignari non debet. Propoſitâ ergo actoris intentione, & reſponſione factâ ſuperqvæſtionib. rei monitione præmiſsâ, in continenti actor reſpondere compellendus erit, ut viciſſim poſtea rationes partium judex audiens, concordiâ vel judicio utriusq; negocium terminet.

[a] *can. §. 1. eujus 3. q. 8.*

coram eodem judice] Qvod ſi judex ille non eſt compe-

tens rei conventi,& ille omiserit incompetentiam allegare, atq; actorem apud eundem judicem reconvenerit, hoc ipso jurisdictionem ejus prorogasse intelligitur. Ant. Fab. *Cod. l. 3. tit. 1. def. 39.*

antequam litem contestetur] Non necessariò ante litis contestationem instituenda est reconventio, sed sufficit, si eodem durante judicio proponatur, *c. dispendia 3. de rescript. in 6.* qvod nonnulli eo usq; extendunt, ut sufficere dicant, si proponatur ante conclusionem in causâ. Alii admittunt qvidem istud, non tamen cum privilegio simultanei processûs, cum iniqvum videatur, ut actor, qvi jam penè sententiam sperat, expectet, usq; dum ad eundem terminum reconventionis causa deducatur. Unde ad processum simultaneum reqvirunt pleriq;, ut aut ante litis contestationem aut in ipsâ lit. contest. aut illicò post eam reconventio instituatur. Vid. Ilic. Ummius *de proceff. disp. 10. n. 19.* H. Zoës. *ad ff. tit. de re jud. n. 44.* Ant. Perez *C. de sentent. & interlocut. n. 23.* Sichard. *ad auth. & consequenter C. eod. n. 5. 6.* Brunneman. *in proceff. civil. c. 10. n. 11.* Nos facimus cum Bachovio, qvi in comment. ad Treutl. *vol. 1. disp. 25. th. 13. lit. C.* statuit, in qvâvis parte judicii adhuc durantis reconventionem locum invenire, cum non sit de essentiâ reconventionis, ut simultaneo processu cum conventione terminetur. Sed & citiùs una causa finiri potest alterâ, & majorem una cum conventione connexionem habet alterâ, ut necesse non sit, ad tempus litis contestatæ adstringi reconvenientem. Add. Rittershus. *ad Novell. p. 9. c. 17. n. 6.*

cujus enim qvis] Verba hæc sunt *l. 14. Cod. de sentent. & interlocut.* qvæ sua fecit Papa *c. accusatores 3. q. 8.*

in eodem negocio] Hæc verba, qvæ Imperatoris sunt, vel intelligenda sunt de eodem judicio, cum Bernardo Ursino *de reconvent. c. 8. n. 2.* cùm idem negocium videatur, qvod inter easdem partes coram eodem judice tractatur. vel dicendum, eo tempore, qvo Justinianus *l. 14. C. de sentent. & interlocut.* edidit, causam reconventionis connexam esse debuisse causæ principali, non diversam, cum Bachovio in Treutl. *d. l. lit. B.* & Anton. Perez. *C. d. t. n. 22.* vel deniqve textum istum de mutuis petitionibus non esse accipiendum, concedi debet Cujacio *ad Novell. 96.* Primam explicationem nisi probemus, ab oscitantiæ vitio vix liberabitur autor.

compellendus erit] adeò, ut actori respondere renuenti audientia in causâ conventionis denegari debeat. Hillig. in Donell. enucl. *17. c. 18. lit. M.* nec pœnitere deinceps aut renunciare litiâ se motæ potest, in eum finem, ut ju-

ut judicium reconventionis evitet. Bern. Urſin. *de reconvent. c. 25. n. 1.* Qvemadmodum verò Actor reconventus judicem, qvem in ſuâ causâ probavit, repellere neqvit: Sic ex diverſo reus, ut maximè velit, pendente lite conventionis actorem in alio judicio neutiqvam convenire poteſt; ſed ipſe qvoqve vel apud eundem judicem mox eum reconvenire, vel litis ſibi illatæ terminum expectare cogitur. *Novell. 96. c. 2. §. 1.* Sichard. *ad auth. & conſequenter n. 2. C. de ſent. & interloc.*

utriusq; negocium] unâ ſive duabus ſententiis, nihil intereſt, enim duæ ſententiæ neceſſariæ videantur tùm, qvando cauſæ planè ſunt diverſæ. Aut ſaltem una tùm dicetur ſententia reſpectu materiæ in qvâ, ſcripturæ & continuitatis, cum revera duplex ſit ſententia reſpectu materiæ circa qvam. Dn. Brunnemann. *in proceſſ. civil. c. 10. n. 1.* Sed nec uno eodemq; tempore ſemper pronunciari poteſt ſuper utriusqve negocio; Si enim de utrâqve causâ pariter liqveat, nihil obſtat, qvo minus ſimul definiantur; ſi autem priùs liqveat de unâ, qvàm de aliâ, vel reconventor non pergat in reconventione, tunc poteſt judex pronunciare ſolùm de eâ causâ, de qvâ liqvet, & ſuperſedere in aliâ. *l. 1. §. ult. ff. qvæ ſentent. ſine appell. reſcind.* Mynſing. *1. Obſ. 10.* Bachov. in Tr. *d. l. lit. C.*

Etiam coram judice delegato poteſt reus actorem reconvenire. h. d.

§. 2. Nec ſolùm coram Ordinario reconventio talis ſibi locum vendicat, verùm [b] etiam coram delegato: unde niſi reus literas impetrare maluerit, actorem ſibi obnoxium eodem durante judicio coram datis judicibus reconvenire poterit.

[b] *c. 1. h. t.*

[b] *cap. diſpendia. de reſcript. in 6.*

coram delegato] De eo, qvi mandatam habet jurisdictionem, dubium nullum eſt. In delegato Principis intereſſe videtur, utrum ad totam & integram cauſam, an verò ad certum aliqvem articulum delegatio fuerit facta. Poſteriore enim caſu reconventio locum non habebit, uti nec eo caſu, qvando delegatio qvidem ad totam cauſam, non tamen ad inſtantiam actoris, ſed ex officio emanavit. Vid. Menoch. *de arb. jud. qvæſt. lib. 1. qvæſt. 44.* Sichard. *ad l. 14. C. de ſent. & interloc. n. 8.*

datis

datis judicibus] Per datos judices hic ipſi intelligendi ſunt delegati, non verò pedanei, qvippe qvi judices communes non fuérunt, & propterea ſecundum rationem juris veteris apud eos nulla inſtitui potuit reconventio.

Actoris & rei convenientis æqualis debet eſſe conditio in judicio. h. d.

§. 3. Utriusq; autem, tam actoris, qvàm rei reconvenientis æqva debet eſſe conditio: unde [c] cùm cauſa appellatione remotâ committitur, ſi reus actorem reconvenerit, uno eodemq; jure circa appellationis remedium uterq; cenſendus erit.

c *cap. fin. ext. eod. damnat. pet.*

uterq; cenſendus erit] Hoc jure retorſionis fieri cenſet Bernardus Urſinus *de reconvent. c. 18.* qvod tale reſcriptum impetratùm ſit ab actore in ſui favorem. retorqvendum igitur in eundem iſtud eſſe in causâ reconventionis. Sed de hoc dubitat Johannes Parladorius *l. 2. rer. qvotid. c. fin. part. 5. §. 10. n. 16.* ubi non præſumi dicit, ſolius actoris favore appellationem remotam fuiſſe, cum ſit res maximi præjudicii, atq; ex qvâ maxima inter actorem & reum inæqvalitas introduceretur. Qvicqvid hujus ſit, nos paritatem actoris & rei in præſenti caſu arceſſere malumus ex conditione judicis, qvi ita delegatus eſt, ne liceret ab eo provocare; qvæ conditio non in conventione tantùm, ſed etiam in reconventione attendenda eſt, cum uterq; litigantium in iſtum judicem tali qvalitate præditum conſenſerit. Sed nec alius hoc modo judicem dabit, niſi qvi ſummum tenet imperium *l. 1. §. 4. ff. à qvib. appell. non lic.* nec alius dabitur, niſi qvi probatæ ſit fidei & perſpectæ induſtriæ, qvemq; princeps novit non aliter judicaturum eſſe pro ſapientia, ac luce dignitatis ſuæ, qvàm ipſe foret judicaturus *l. 1. §. 1. ff. de offic. præfect. prætor.*

Coram arbitris non habet locum reconventio. h. d.

§. 4. De arbitris dubitari poterit, an coram eis reconventioni locus eſſe poſſit [d]? & cùm arbitri judicare non poſſint, niſi de his tantùm, ſuper qvibus in

d *cap. cùm dilectus. extr. de arbitris.*

eos

eos compromiſſum fuit, reſponſum eſt, coram eis reconventionem locum habere non poſſe.

niſi de his tantùm] Non ſatis apparet ratio differentiæ, qvare coram arbitro reconventio inſtitui neqveat, poſſit autem coram judice delegato. Rationem enim Bartoli, ab Sichardo *in l. 14. n. 8. C. de ſentent. & interlocut.* probatam, qvod ſc. delegatum actor ſolus probaverit, arbitrum autem utercq;, ut inſufficientem pleriq; rejiciunt. Si dicis, arbitrum de his tantùm, ſuper qvibus compromiſſum eſt, judicare poſſe, dico ego vicisſim, nec delegatum qvidem tenorem commiſſionis ſuæ excedere poſſe. Si regeris cum Ilicone Ummio *de proceſſ. diſp. 10. n. 11.* commiſſiones eſſe ſtricti juris qvoad reliqva, non qvoad reconventionem, qvod hæc favorabilis ſit, & reſcripto tacitè incluſa videatur, in promptu reſponſio eſt, peti principium, nec propterea, qvod favorabile qvid occurrat, extendendam eſſe commiſſionem. Accuratius igitur perpendenti omnia iſta deniq; ſuccurrit differentiæ ratio, qvod delegatus jurisdictionem accipiat & verus conſtituatur judex: arbiter autem nec jurisdictionem acqvirat per compromiſſum, nec verus conſtituatur judex, unde facilius illic, qvàm hic aliqva locum habere poteſt extenſio.

Reus conventus coram judice laico, non poteſt reconvenire actorem ſuper cauſa ſpirituali. h. d.

§. 5. Interdum etiam accidit, ut nec coram Ordinario, nec coram delegato judice reo actorem reconvenire ſit poteſtas, utputà, ſi coram judice laico conventus actorem ſuper cauſa juris patronatus, decimarum, matrimonii, aut alia ſpirituali reconvenire velit.

Interdum etiam accidit] Regula eſt; De qvâ causâ judex per modum conventionis cognoſcere neqvit, de eâ nec per modum reconventionis cognoſcere poteſt. Zanger. *de except. l. 2. c. 1. n. 378. ſeq.* Qvamvis enim reconventio tollat privilegium perſonæ, non tamen tollit privilegium cauſæ. Finkelthauſ. *de jur. patronat. c. 8. n. 12. 13.*

si coram judice laico] Exempla adducta loqvuntur de defectu jurisdictionis ratione causæ. De defectu jurisdictionis ratione personæ num idem dicendum sit, ambigitur, e. g. qværitur, num Clericus Laicum coram judice Laico conveniens coram eodem de causâ civili reconveniri possit? de causa civili inqvam, & tali, in qvam ordinata est jurisdictio ejusdem judicis. Et qvanqvam id neget Antonius Faber *20. conject. 7.* affirmant tamen, & de communi testantur Joh. Bapt. Costa *remed. subsid. 120. n. 4. seqq.* Zoes. *ad ff. tit. de judic. n. 89. & tit. de re judicat. n. 35.* Ant. Perez *Cod. de sentent. & interlocut. n. 19.* Gail *1. Obs. 37. n. 6.* Rittershus. *ad Novell. p. 9. c. 17. n. 10.*

aut aliâ spirituali] De causis spiritualibus & earum foro competente egimus *tit. 1.* hujus libri, ubi totam istam in spiritualibus juris dicendi potestatem principi acceptam ferendam esse ostendimus.

Excommunicatus non potest reconvenire. h. d.

[c] *cap. cùm inter. in fin. extr. de exception.*

§. 6. Idem [c] juris est, si conventus excommunicationis vinculo innodatus existat. Huic enim licet alioqvi excipiendi facultas minimè sit interdicta, actorem tamen reconvenire non conceditur, ne, qvod (ut suprà diximus) in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur.

Idem juris est] Si verum est, reconventionem venire in consequentiam judicii conventionis, cum fœdere talis connexitatis, qvæ non possit separari, neq; dividi, uti vult Joh. Baptist. Costa *remed. subsid. 120. n. 5.* non poterit excludi excommunicatus potestate reconveniendi. Sed enim qvia agendi potestatem omnem excommunicatis denegant Canonistæ, non possunt non etiam reconveniendi potestatem eis denegare. Vid. qvæ dixi *tit. antecedent.*

Super causa criminali non remittitur reconventio: idem in causa depositi. hoc dicit.

§. 7. Illis qvoq;, qvi coram judice criminaliter conven-

venti fuerint [f], vel ſuper depoſito, niſi ſe priùs innocentes probaverint, & depoſitum reſtituerint, alios criminandi, vel conveniendi licentia non conceditur.

f *can.1. & 23. q. 11.*

criminaliter conventi fuerint] Regula eſt, anticategorias ſive reaccuſationes regulariter non eſſe licitas, qvam tamen variè limitant Doctores. Accuſatus enim per anticategoriam aut ſuam ſuorumq; injuriam proſeqvitur, aut non proſeqvitur. Priore caſu admittitur ad reaccuſandum etiam de minore crimine priori planè non connexo, & tùm utrumq; judicium ſimul expeditur *l.19.C.qvi accuſ.non poſſ.* Poſteriore caſu, ſi accuſati nomen inter reos receptum eſt, de crimine connexo accuſatorem reaccuſare poteſt, *l.2.§.5.ff.ad L.Jul. de adult.* de crimine ſeparato non poteſt, *l.5.ff. de publ.judic.* ſi receptum nondum eſt inter reos accuſati nomen, de crimine majori tantùm, non autem de crimine minori aut æqvali accuſatorem ſuum reaccuſare poteſt. *d.l.5.ff. de publ.judic.* Vid. Franzkius *l.2.reſolut.16.* Antonius Matthæus *de criminib.ad lib.48.ff.tit.13.cap.10.* Ant. Faber *Cod.lib.9.tit. 1.def.1.* Dn.Brunnem. *in proceſſ.civil.c.10.n.10.*

vel ſuper depoſito] Contrarium ſtatuit Sebaſt. Medices *de compenſat. part.2.q.16.n.23.* nec fortè ſine ratione. Dicitur enim in *l.23.ff. depoſ.* actionem depoſiti contrariam dari depoſitario per modum reconventionis. Id namq; ſignificant iſta verba: *apud eundem judicem utiliter experitur.* Nec enim apud eundem judicem experiri, h. e. agere poſſet, niſi conventione durante reconveniendo fundaſſet judicium. Poteſt ergo depoſitarius reconvenire deponentem ante reſtitutionem, & poteſt hinc etiam jure retentionis uti.

DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM,

TITULUS X.

Intentans ſpolia non poteſt reconveniri, niſi ſuper cauſa ſpolii. h.d.

§. 1. Is qvoq;, qvi ſe qvibusdam rebus, aut juribus ſpo-

liatum conqveritur, ab adverſario ſuo reconveniri non poterit: nam ſuper ſpoliatione conventus, adverſus reſtitutionem petentem non eſt, niſi ſuper qvæſtione ſpolij, audiendus. Reſtitutionis enim petitio in hoc privilegiata eſſe noſcitur, ut ipſam intentans non cogatur ante reſtitutionem ſpoliatoribus reſpondere. Unde[a] cùm qvis ſe de beneficij poſſeſſione violenter ejectum apud judicem conqveritur, ſi adverſarius eundem non Canonicè dicat inſtitutum, de violenta priùs ejectione, qvàm de Canonica inſtitutione cognoſcendum erit.

a *cap. in literis ſuis. extra. eod. tit.*

reconveniri non poterit] ne qvidem ſuper prioritate, ne violentia & ſpolium maneat impunitum. Andr. Fachineus *l. 8. controv. c. 10.*

niſi ſuper qvæſtione ſpolii] Diſtingvunt Dd. utrum qvis reconveniatur de ſpolio alterius & diverſæ rei, qvàm qvæ primùm in judicium deducta eſt, ut qvia ſpoliaſti me veſte, & ego te libro, & tùm admittunt reconventionem, qvod utraq; ſpoliatio ſit æqvè privilegiata qvoad hoc, ut confeſtim reſtituatur ablatum, & ſic pares ſint actor & reus; an verò reconventio fiat de ſpolio ejusdem rei, & tùm non admittunt reconventionem, ſed prius & ante omnia ajunt debere iſtam ultimam violentiam purgari. Alvar. Valaſc. *conſultat. 88.* Anton. Gabriel. *concluſ. 1. de reſtitut. ſpoliat. n. 172.* Sed eam ſententiam improbat H. Zoeſ. *in comment. ad tit. X. de reſtit. ſpol. n. 11.* eò qvod generaliter loqvatur *c. fin. X. de ordin. cognit.* Atqve hinc reconventionem ex ſpolio admittit etiam circa eandem rem, qvod primus ſpoliator agens ſit indignus privilegio reſtitutionis. Ante eum idem ſtatuit Cæpoll. *conſ. 60.* Joh. Guttierrez *de junm. confirm. p. 3. c. 19. n. 2.* Noviſſimè verò Petrus Friderus *de interdict. comment. 25. c. 34. ſeq.* qvatuor enumerat caſus, qvibus reconventioni in cauſa ſpolii etiam circa eandem rem locum relinqvit. (1) ſi ſpolium in actionem deductum factum ſit non ex intervallo, ſed in continenti poſt primũ ab ipſo actore commiſſum *l. 3. §. 9. l. 17. ff. de vi & vi arm.*

(2) ſi

(2) Si posterius prætensum spolium sit factum per viam potius retinendæ aut retentionis, utpote si in loco controverso qvidem, sed â me tamen possesso pro defensione possessionis meæ plagas venatorias aut simile qvid, non tàm spoliando, qvàm pignorando detineam. (3) si reconventio fiat eo casu, qvantumvis dominii vel petitorii respectu, qvo & nuda exceptio ratione notorietatis vel paratissimæ probationis restitutionem sustineret, reamqve tueretur. Notorium enim & manifestum dominii defectum suspendere agentem interdicto recuperandæ. (4) si fiat reconventio vel potiùs interventio â qvodam tertio, qvi non sit ipse spoliator, cui actor etiam ante restitutionem respondere tenetur. Sed enim qvod qvartum hoc & ultimum attinet, pertinere huc non videtur, cum, ipso fatente Fridero, reconventio dici neqveat, ubi nulla præcesserit conventio respectu reconvenientis. In tertio casu dicit Friderus fieri reconventionem dominii vel petitorii respectu; non ergo in causâ possessionis, nec ita, ut reconventio de spolio in eâdem re commisso instituatur; nec video, qvomodo â spoliante & possidente de dominio per modum reconventionis agi possit. Neqve secundus qvidem casus satis videtur accommodatus. Præsupponit enim, possidere me fundum & in eo abstulisse plagas venatorias alterius, qvi mihi litem de fundo facit. At spolium in qvæstione nostrâ utrinqve debet esse commissum, ut reconventioni locus sit. In casu autem præsenti & fundum ego ex spolio possideo, & plagas venatorias. Utrinqve ergo adversus me intentari potest actio spolii, non vice versâ â me adversus alium. Restat ergò solus primus casus, qvem etiam admittunt Doctores, non tamen ita, ut de eâdem re sub formâ commissi spolii utrinqve agatur, uti vult Friderus, sed ut spoliato agenti per modum exceptionis spolium regeratur. Impossibile enim videtur, ut ejusdem rei nomine uterq; litigantium eodem tempore edicto recuperandæ possessionis experiri possit *l. 62. ff. de judic. §. 4. Inst. de interdict.* Add. Bernard. Ursin. *de reconvent. c. 18.*

Spoliatus est ante omnia, & qvoad omnia, restituendus. b. d.

§. 2. Sed etsi spoliatus non primus coram judice super spolio sibi illato consistat, sed criminali judicio ab adversario lacessitus spoliationis causam proponat, ita demum super petitione judex procedere poterit, si

priùs reſtitui ſpoliatum ſuâ ſententiâ juſſerit: omnes enim leges tam Eccleſiaſticæ, qvàm ſeculares ante omnia cuncta ſpoliatis, vel ejectis redintegranda [b], & damna ſarcienda eſſe præcipiunt: fructus [c] qvoqve non tantùm à violento poſſeſſore perceptos, ſed etiam qvi à veteri poſſeſſore percipi veriſimiliter potuiſſent, reſtituendi erunt, nec reſtitutionis ſolùm ſententia ſufficiet, niſi re ipsâ omnia judicis officio reſtituantur, ita ut ejectus, vel ſpoliatus etiam naturalem poſſeſſionem recipiat, cunctaq;, qvæ ſibi ablata fuerint, eodem, unde ſurrepta fuerunt, revocentur.

[b] *can. redintegranda. 3. q. 1.*

[c] *cap. gravis. ext. eod. tit.*

fructus qvoq;] etiamſi non ſint petiti. Forſter. *in tractat. Juſtin. lib. 4. tit. 4. lit. A.* Si tamen fructuum & cauſæ liqvidatio longioris temporis moram ſecum trahat, & ſpoliator urgeat, ut ſuum conſeqvatur, cautionibus expediri res poteſt, ut ſoluto in promptu, qvod liqvido debitum eſſe appareat, de ſuperfluo per idoneam ſatisdationem ab eo caveatur. Ant. Faber *Cod. lib. 3. tit. 7. def. 10.*

naturalem poſſeſſionem recipiat] h. e. rem ipſam in ſuâ naturâ recipiat. Non igitur liberatur reſtituere juſſus, ſi judicialiter depoſuerit. Carpzov. *lib. 1. reſp. 3.*

cunctaqve qvæ ſibi ablata fuerint] qvæ ita pleniſſimè debent reſtitui, ut reſtituta non dicantur, niſi & damna & fructûs omnes à ſpoliatore percepti ad ultimum usqve qvadrantem reſtituantur. Ant. Fab. *Cod. d. l. def. 8. n. 17.* Andr. Tiraqvell. *tr. de judic. in reb. exig. ferend. §. 34.* Joh. Gutierrez. *de jurm. confirm. part. 3. c. 19. n. 2.* Cothman. *reſponſ. 67. num. 2. 3. ſeqq.*

Qvæſtio

Digitized by Google

Qvæstio spolii per modum reconventionis proposita non impedit processum super alia causa civiliter institutum. h. d.

§. 3. Qvòd civiliter conventus adversario spolii qvæstionem regerat, cùm mutuæ tunc intelligantur petitiones in idem judicium deductæ, vicissimq; tractatæ, unicâ simul erunt sententiâ terminandæ. *c. cum dilectus. de ordine cognit.*

unicâ simul erunt sententiâ] Doctores tamen statuunt, si per modum actionis ante litem contestatam propositum fuisset spolium, qvòd tùm effectum suspensivum habeat, ut possessorium absolvi necesse sit, priusqvàm in petitorio processus continuetur. Ex qvo deinceps disputant, utrum eundem effectum suspensivum habeat spolium, si per modum actionis post litem contestatam in judicium deducatur. Et hoc affirmat Didacus Covarruvias *l. 1. var. resol. c. 16. n. 13.* in eo scilicet casu, qvando spoliatio lite jam contestatâ facta fuerit, secus si ante litem contestatam contigerit. Add. Hartm. Pistor. *p. 4. q. 18. n. 22. seqq.* Sed imò etiam in secundâ & tertiâ instantiâ suspendi petitorium per possessorium institutum tenet Joh. Aloys. Riccius *decis. 1263.*

Cùm spolium proponitur in modum exceptionis, nulla fertur restitutionis sententia: sed qvamdiu non fuerit reus restitutus, non est cogendus actori respondere. h. d.

§. 4. Sed hæc qvidem obtinent, cùm in modum actionis spolii qvæstio proponitur: sed si citra litis contestationem de spolio qvis excipiendum duxerit, super ipsa qvidem exceptione probationes primitus recipiendæ erunt: eâ tamen legitimè probatâ, nulla restitutionis erit ferenda sententia, sed tamdiu spoliatori super petitionibus suis respondere cogendus

dus non erit[a], donec ab ipso restitutus fuerit. Quemadmodum enim, si in modum exceptionis aliqvod crimen testi objicitur[b], ut à testimonio repellatur, & si crimen contra eum civiliter probatum fuerit, sibi pœna non infligetur ordinaria, sed ejus duntaxat testimonio non creditur: sic spoliatione in modum exceptionis tantùm probatâ, restitutionis sententia minimè ferenda erit.

a *cap. fi. extra. de ordin. cognit.*

b *cap. 1 extr. de except.*

nulla restitutionis erit ferenda sententia] Advocati igitur, dum excipiunt de spolio, non debent ad ejus restitutionem dirigere conclusionem, sed potius actorem non audiri debere petant, priusqvam reus plenariè restitutus sit; secus enim si fiat, effectum repulsivum exceptio hæc habere non poterit, sed, eâ non obstante, in causâ principali reus procedere jubebitur. Carpzov. *p. 1. const. 6. def. 7.* Sed putat tamen Hartmannus Pistoris *d. l. n. 25.* simul de spolio excipi & interdictum recuperandæ per viam reconventionis proponi posse.

si in modum exceptionis] Vid. qvæ dixi supr. *tit. de except. §. multum tamen interest.*

Tribus casibus privatus à judice dicitur spoliatus si non servavit juris ordinem, si nulliter pronunciavit, si erat judex incompetens. h. d.

§. 5. Spoliatus autem non solùm is intelligitur, qvi à privato qvocunqve homine rerum qvarundam possessione indebitè privatus fuit: sed etiam[c] ille, qvem judex ipse, juris ordine prætermisso, beneficio vel aliis rebus carere coëgit: vel is, qvi, licet juris qvidem ordinem servaverit, spoliati tamen, & de facto damna-

c *cap. conqverente extr. eod. tit.*

Digitized by Google

damnati judex erat incompetens: vel si judex sit competens, circa privationem tamen nulliter pronunciavit.

juris ordine prætermisso] Veluti si citatus non fuerit, sed rectâ alter aliqvis immittatur, etiamsi immissio ista fiat ad reseriptum Principis. *l. meminerint 6. C. unde vi.* Vid. Jacob. Menochius *remed. 8. recup. poss. per tot.* Achilles Personalis *de adipisc. possess. n. 244. seqq.* Fernand. Vasqv. *l. 4. controv. c. 11. n. 13.* Carpzov. *1. respons. 2. & libr. 3. resp. 108.* Joh. Vincent. Honded. *vol. 2. consult 21. n. 2. 3.* De Principe tamen qvæstionem apud suos indecisam dicit Petrus Antonius de Petra *de potest. princip. cap. 6. part. 2. num. 106.*

Spoliasse & is intelligitur, qvi mandavit spoliari, aut spolium suo nomine factum ratum habuit, vel spoliatori successit in vitium. h. d.

§. 6. Is qvoqve spoliasse intelligitur, qvi, licet ipse non spoliaverit, per alium tamen spoliari mandaverit[d], aut spolium suo patratū nomine ratū habuerit: unde & is restitutioni obligabitur, qvemadmodū[e] & ille, qvi rem indebitè occupatam, scienter recipiendo spoliatori succedit in id vitium. Licet enim is non spoliaverit, cùm tamen, qvoad periculum animæ, non multum interfit, utrùm qvis injustè detineat, an alienum invaserit, contra hujusmodi possessorem spoliato per restitutionis beneficium, non obstante juris civilis rigore, succurritur.

d *can. notum, ubi gloss. 2. q. 1. & cap. cùm ad secundum. in fi. ubi gloss. extra. eod.*

e *cap. sæpe contingit. extr. eod.*

unde & is restitutioni obligabitur] etsi non possi-

deat,qvia tùm tenetur ad æſtimationem *l.1.§.12.13.14.15.it.§.34.in f.§.35.36.ff. de vi & vi armat.*

ſcienter recipiendo] Non competit ergo contra tertium poſſeſſorem,qvi bonam fidem & juſtum titulum habet,remedium recuperandæ poſſeſſionis *l.7.ff.de vi & vi armat. c.ſapè 18.X. de reſt.ſpol.* Andr. Fachineus *l.8.controv. c.12.* Si tamen mala fides ſupervenerit, videtur poſſeſſor ex dictamine conſcientiæ in foro interno obligatus eſſe ad reſtitutionem, per ea,qvæ diſputat Auguſtinus Barboſa *ad c.5.n.9.X.de reſtit.ſpol.*

juris civilis rigore] Ita enim generaliter accipiunt textum *in l.7.ff. de vi & vi arm.* qvem ipſum per *c.ſapè 18.X. de reſt.ſpoliat.* correctum ait Menochius *remed.16.recuperandæ.n.2.*

Renunciatio facta poſt ſpolium non impedit ſpoliati reſtitutionem, ſecùs ſi antè fuerit renunciatum,& teſtes ſuper ſpontanea renunciatione non ſunt admittendi ante reſtitutionem.h.d.

f *capit.2.ext. eod. tit.*

§. 7. Illud qvæſitum[f] eſt, ſi poſt ſpolium Eccleſiæ renunciaſſe qvis dicatur, an ob hujusmodi renunciationem ſpoliato ſit deneganda reſtitutio,& cùm non ſit veriſimile,qvòd ſponte proprio juri renunciaverit,qvi renunciat,ſpoliatus hujusmodi, non obſtante renunciatione,reſtituendus erit. Teſtes etiam partis alterius de juramento,& renunciatione ſponte factâ,non antè admittendi erunt, qvàm ſpoliatus plenariè fuerit reſtitutus. Qvòd ſi ante[g] ſpolium Eccleſiam ſponte abjuraſſe reperiatur, perpetuum ei ſuper negocio ſilentium imponendum erit.

g *cap. acceptm. ext. eod. tit.*

eccleſiæ renunciaſſe] h. e. in effectu ipſi petitorio. Qvod ſi autem renunciavit ſpolio & ſic judicio poſſeſſorio, iſta renunciatio impedit poſſeſſorium ſive reſtitutionem. Nec enim tunc præſumitur involuntaria

taria renunciatio, nec dolus, nec metus, nisi probetur, vel ex conjecturis saltem appareat, Joh. Guttierrez *de juram. confirm. p. 3. c. 19. n. 21.* Seraphin de Seraphin. *de privileg. juram. privileg. 124. in addit. n. 3.* Diss. Sebast. Medic. *de reg. jur. part. 2. reg. 9. n. 3.* Cæterùm probare neqveo, qvod idem restitutionis argumentum ad publica pacificationum negocia adplicare contendit Joh. Petrus de Ferrariis *in pmx. tit. 45. gloss. 12. n. 10.* dum vult, Principes & dominos, qvibus per violentiam manifestam ablatæ fuerint villæ vel castra, si postea factâ pace renuncient juri suo, qvod in talibus villis & castris ablatis habuérunt, non obstante renunciatione tali posse hujusmodi castra repetere & vindicare, & se restitui ad possessionem postulare. Enimverò, qvod hîc de restitutione in casu renunciationis constitutum est, in profanis vel omninò non admittunt Interpretes, vel non nisi factâ renunciatione ex metu. Menoch. *remed. 1. recup. n. 279.* Deinde inter Principes utrinqve supremos nemo est, qvi restitutionem jubere possit. Tertiò belli in se spectati nulla est injustitia, uti spolii. Qvartò pacificatio est instar transactionis, dato aliqvo & retento.

qvod sponte proprio juri] Præjudicat ergò renunciatio, si sponte fiat. Unde si qvis judicialiter in manus superioris renunciat, qvia ex tali renunciatione notorietas defectûs in proprietate causatur, ipsi etiam possessorio præjudicatur. Guttierrez *d. l.* Add. Menoch. *remed. 1. recuper. n. 263. seqq.* Anton Gabriel *l. 5. tit. de restitut. spol. conclus. 4.*

non admittendi erunt] qvod probatio ea sit altioris indaginis, & spoliatus actutùm spoliatione probatâ restitui debeat.

Ponit aliqvos casus exceptos ab illa regula, Spoliatus ante omnia est restituendus. h. d.

§. 8. Sunt & alii casus, qvib. jure denegabitur spoliatis restitutio: ut putà, cùm agenti per modum exceptionis de alia spoliatione opponitur, aut tam super proprietate, qvàm super spolio eodem tempore disceptari spoliatus ipse consenserit, aut ante restitutionis

d. c. cum dilectus. vers. verum. c. cum dilectg. de causa possess. & propriet.

poſtulationem petitoriâ actione judicium expertus ſuccubuerit.

de aliâ ſpoliatione opponitur] Benè dicit: *dealiâ*, h. e. alterius rei ſpoliatione. Ubi notandum, textum in *cap. ult. X. de ord. cogn.* ex qvo verba hæc deſumpſit autor, intelligendum eſſe de Clericorum ſpoliationibus, qvorum in gratiam conſtitutum fuit, ut, ſi Clericus ab aliqvo bonis ſuis ſpoliatus eſſet, non poſſet in judicio conveniri, neqve civili actione, neqve criminali accuſatione, anteqvam reſtitutus eſſet, ne ſcilicet Clerici pauperes & nudi in judiciis contendere cogerentur. Fachineus *lib. 8. contr. c. 11.* De jure civili exceptio ſpoliationis adverſus ſpoliatum agentem non aliter habet locum, qvàm ſi ſecunda iſta ſpoliatio, de qvâ agitur, in continenti facta fuerit poſt primam de qvâ accipitur, non ſi ex intervallo primus ſpoliator iterum dejectus fuerit. *l. 3. §. 9. l. 17. ff. de vi & vi arm.*

ſpoliatus ipſe conſenſerit] ſive expreſse, ſive tacitè, qvod fit, qvando patitur facere probationes ſuper dominio. Qvia igitur proprietas ſemper trahit ad ſe poſſeſſionem, ideò inaniter diſputatur de recuperandâ poſſeſſione, qvando conſtat de petitorio. Sig. Scaccia *de judic. l. 2. c. 7. n. 138. ſeqq.* Atqve hinc cautio eſt, ut actor, qvando videt reum ingredi judicium proprietatis, ſtatim contradicat, & proteſtetur, qvod audiendus ille non ſit, anteqvam ipſe fuerit reſtitutus. Joh. Petr. de Ferrariis *in prax. tit. 45. gloſſ. 12. n. 7.* Non ſufficere tamen ſimplicem contradictionem, ſed appellationem interponendam eſſe putat Achilles Perſonalis *de adipiſc. poſſ. n. 381.* qvod tamen neceſſarium non videtur, cum & ſalvum maneat proteſtatione interpoſitâ jus proteſtantis, & judex eum, qvem ſuper probationibus non audivit, condemnare vix qveat.

Probatio ſpolii, abſentia ſpoliatoris, & lapſus temporis, non operantur reſtitutionem, ſi ſpoliator non abſit per contumaciam, vel dolum. h. d.

c. conſultationibus de officio judicis deleg.

§. 9. Item ſi ſpoliatore non per contumaciam, vel per dolum abſente, ab Apoſtolica ſede ad judices ſpoliatus literas obtinuerit, ut ſi eum ſpoliatum judicibus conſtiterit, intra certum temporis ſpacium reſtituatur,

tur, ſi reus intra præfixum terminum ſeſe judici exhibere non poſſit, qvanqvam temporis lapſus immineat,& actor ſit ſuam poſſeſſionem & dejectionem probare paratus, nihilo minùs reſtituendus non erit.

nihilominus reſtituendus non erit] Qvia enim tùm procedi non poteſt in contumaciam, & ſpoliatori fortean competere poſſunt ejusmodi exceptiones, qvæ ſpoliatum repellant, ſatius erit, reſtitutionem tantisper differre.

Si contra agentem ſpolio opponatur exceptio, per qvam concludatur actorem non poſſediſſe, ſpoliatus ante omnia non reſtituitur. h. d.

§. 10. Sed & ſi talis opponatur exceptio, qvæ agentem minimè poſſediſſe concludat, tamdiu ſuſtinenda erit reſtitutio, donec ſuper tali exceptione cognitum fuerit: ut ecce, nec laici ſpiritualia poſſidere, nec ſacerdotes uxores habere poſſunt. Unde ſi vel illi ſe beneficiis ſpoliatos, vel hi ab uxoribus ſe deſtitutos coram judice conqverantur, & ab adverſariis de ſecularitate, vel de ſacerdotio agentibus opponatur, procul dubio differenda erit. *c. cauſam, de præſcriptis.*

minimè poſſediſſe concludat] Multo minus igitur reſtituendus erit actor, ſi reus directò excipiat, actorem nunqvam poſſediſſe, & ſic ſpoliatum dici non poſſe, ſed ſe perpetuò poſſediſſe, nunqvam ſpoliaſſe. de qvo vid. Menoch. *remed. 1. recup. n 354.* Nicol. Boër. *deciſ. 238. n. 5.* Notandum tamen eſt ad hanc autoris ſententiam, poſſe qvandoqve peti reſtitutionem ejus, qvod de jure poſſidere qvis non poteſt, qvalia exempla refert Gvi-

do Papæ *qv. est.288.* inprimis de laico decimis ſpoliato, item de uxore rebus ſibi à Marito donatis ſpoliatâ.&c.

nec laici ſpiritualia poſſidere] qvippinî? ita namq; jus baptizandi tempore neceſsitatis qvilibet habet Laicus. Et nondum inter ſe conveniunt Canoniſtæ, qvousq; res ſpirituales extendere velint.

nec ſacerdotes uxores habere] Dixi ad *tit.22. lib.1.*

ſe beneficiis ſpoliatos] Qvâ ratione beneficium pro re ſacrâ & ſpirituali habeatur à Canoniſtis, dixi ad *lib.1.tit.26.*

Cùm pro ſpoliatore militat juris præſumptio, ſpoliatus non eſt ante omnia reſtituendus. hoc dicit.

§. 11. Qvinimò & cùm ſola juris præſumptio pro ſpoliatore contra ſpoliatum militat, impedienda erit reſtitutio: ex qvo apparet[a], eum, qvi (exempli gratiâ) reſtitui poſtulat ad decimas, qvas intra alienæ parochiæ limites poſſediſſe aſſerit, neqvaqvam reſtituendum eſſe, niſi evidenter docuerit, qvòd earum poſſeſsionem legitimè aſſeqvutus fuerit: qvia eas occupaſſe injuſtè veriſimiliter præſumitur, cùm ex prædiis perveniant intra alienam parochiam conſtitutis, manifeſtumq; ſit, eas jure communi ad eandem Eccleſiam pertinere, niſi aliud oſtenſum fuerit.

[a] *cap.fin. eod. tit.in 6.*

ad decimas] De origine & conditione decimarum dixi ad *lib.2.tit.26.*

qvòd earum poſſeſsionem] Regulariter nemo cogi poteſt, ut poſſeſsionis ſuæ titulum doceat *l.11.C.de petit. hered.* Semper tamen excipiuntur illi caſus, in qvibus contra poſſeſſorem præſumitur. *Moller l.4.ſemeſtr.c.38.n.10.* Qvoties enim militat juris aliqva præſumtio pro adverſa-

Digitized by Google

versario; possidenti verò resistit, toties possessor tenetur edere titulum suæ possessionis. Hartm. Pistor. *part. 2. qv. 46. n. 8.*

Hæreticus non restituitur ante omnia: idem si in restitutione timetur de periculo animæ, vel scandalo, qvia differtur restitutio. h. d.

§. 12. Plures præterea sunt casus, qvibus spoliatus illicò non restituitur: veluti, cùm hæresis labe pollutus deprehenditur, vel factâ restitutione animæ periculum immineret, vel scandalum timeri possit: & alii, qvi non minùs secularibus, qvàm Pontificiis legibus continentur. *c. inter sollicitudines. de purgat. can. c. literas. h. t.*

cum hæresis labe] propter principium Canonistarum & Pontificiorum, qvo contendunt, hæreticum non posse esse dominum alicujus rei. De qvâ re cum qvæstionem movisset Franciscus à Victoria *relect. 5. n. 8. 9. 10. seq.* ita concludit, jure divino hæreticum non amittere dominium bonorum, jure autem humano incurrere qvidem hæreticum à die commissi criminis confiscationem bonorum, non tamen licere fisco ante condemnationem bona occupare, & hæreticum nihilominus in foro conscientiæ manere dominum, anteqvam condemnetur. Cæterùm oppidò faciles sunt Pontificii in confiscandis bonis hæreticorum, uti videre licet apud Sebastianum Gvazzinum *de confiscat. bon. concluf. 21. n. 12. seqq.* id verò num justum sit, disputat Antonius Matthæus *de criminib. tit. de pœn. c. 2. n. 6.* Nos distingvimus inter hæreticos improbiores, qvi scil. cum blasphemiâ aliqvâ, aut etiam excitatâ seditione hæresin sectantur, & moderatiores, qvi ejusmodi crimina hæresi non conjungunt. In illos, uti mortis supplicio animadverti potest, ita sine dubio etiam confiscatione bonorum; in hos non æqvè. Add. Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Eccles. l. 7. c. 8. n. 21. 22. 23. 24.* Qvicqvid hujus sit, tenendum utiq; erit contra autorem, hæreticum spoliatum, ante condemnationem omninò esse restituendum, propterea sc. qvod fisco tùm nullum adhuc jus competat. imò verò vel ideò restituendum esse, ut fiscus aliqvando acqvirat.

animæ periculum immineret] Exemplum dant de mari-

to repetente mulierem in gradu prohibito ſibi conjunctam. Menoch. *remed.1.recup.n.318.* Ant.Gabriel. *de reſtit.ſpol.concl.1.n.168.*

Spoliatus poteſt ſuſpenſo petitorio ante concluſionem in cauſa intentare poſſeſſorium: ſecus ſi ſit concluſum, niſi tamen aliter judici videatur. hoc dicit.

§. 13. Poſtremò ſciendum eſt, in ſpoliantis odium conſtitutum eſſe[a], ſi ſpoliatus proprietatis litem ingreſſus fuerit, nullam de illata ſibi violentia mentionem faciens, anteqvam renunciatum ſit, aut concluſum in proprietatis judicio, ut idem debeat ſuper poſſeſſorio, etiam petitorio ſuſpenſo, audiri. Qvòd ſi renunciatum fuerit, vel concluſum, ut jam poſſit cauſa proprietatis ſententiâ terminari, ne lites litibus inculcentur, & via poſſit fraudibus aperiri, cauſâ non decisâ, poſſeſſorio non erit utendum: niſi judex, qvi de cauſa cognoſcit, hoc ipſum ex juſta cauſa viderit expedire: putà, cùm ex perſpicuis indiciis iniqvitas invaſoris facilè arguitur, & ſpoliato caſu, ſive dolo ſpoliatoris dominium probandi facultas ſubtracta fuerit.

a *cap. paſtoralis. ext. de cauſa poſſ. & propriet.*

aut concluſum] qvia per concluſionem renunciatur ulteriori tractationi & agitationi cauſæ, & cauſa eſt penè deciſa, ubi jam plenè eſt inſtructa: imò, qvod ad partes attinet, paria ſunt, concluſum in cauſa vel ſententiam eſſe latam. Gail. *de pac. publ. lib.1.c.20.n.26.*

iniqvitas invaſoris] Evidentia qvippe ſpolii, ſeu invaſionis

ais facit spoliatorem improbiorem, qvèmadmodum rapina furto est improbior. Add. Anton. Perez. *C. de interdict. n. 22. 23. 24.*

DE LITIS CONTESTATIONE,
TITULUS XI.

LItis contestatio ita dicitur, vel qvod utraq; pars denunciaret in perendinum diem, ut ad judicem datum veniret & in eam rem testes vocaret, qvi tribunali adsistebant. Bernhard. Sutholt *dissert. de jurisdict. n. 308.* vel qvod post dilatorias exceptiones remotas & confutatas actor attestaretur, se statim intentionem suam probaturum, & è contrario reus contestaretur, exceptiones suas probaturum, postqvam actor intentionem suam veram esse docuisset. Joh. Parlador. *rer. qvotid. l. 1. c. 14. n. 4.* vel qvod de re controversâ utrinq; contestatio fieret, constans narratione actoris & contradictione rei. Obrecht. *de lit. contest. c. 1. n. 19. & c. 5. n. 21.*

Litis contestatio est fundamentum judicii, qvo deficiente, frustrà superædificabitur. Et, qvando dicatur lis contestata. h. d.

§. 1. Hactenus ea complexi fuimus, qvæ plerunqve ante causarum discussionem vertuntur, qvæ non tam judicij partes habentur, qvàm judiciorum præparatoria: perveniamus nunc ad ea, qvibus ipsum judicium constituitur. Est autem judiciorum qvasi fundamentum qvoddam litis contestatio: nam [b] si illa à partibus prætermissa fuerit, procul dubio omnia, qvæ seqvuta fuerint, corruent, seq; ipsos litigatores inanib. laboribus, & sumptibus vexabunt: unde nec testes recipi, nec ad sententiam per judicem procedi poterit. Ea [c] verò fit per petitionem in jure propositam, & congruam responsionem seqvu-

b *cap. 1. extr. eod. tit.*

c *cap. dudum. el 2. §. licet. extr. de electione.*

tam, animo conteſtándi litem factam, cùm judex per narrationem negocij cauſam audire cœperit: unde ſi qvis poſitionibus ſimpliciter reſpondeat, aut peremptoriam exceptionem proponat, neqvaqvam per hoc eſſe facta conteſtatio litis intelligitur.

fundamentum qvoddam] Supra ſub tit. *de in jus voc.* judiciorum fundamentum dixit eſſe citationes. Utrumq; rectè, ſi intelligatur eo ſenſu, qvem ibi explicavimus. Uti autem judicii vocabulum modò laxiùs ſumitur, modò ſtrictiùs, ita & vocabulum litis, de qvo videri poſſunt Ventura de Valent. *in Parthen. litigioſ. lib. 1. c. 5. n. 10. ſeqq.* Carpzov. *lib. 3. reſponſ. 37. n. 11. 12.* Id certum eſt, ante litem conteſtatam judicium propriè dictum cœptum non eſſe, ut maximè actor in jus vocaverit reum, & ſatis judicio ſiſtendi causâ acceperit, qvia ſc. tùm nondum petit aut agit, ſed petere aut agere vult. *l. 15. ff. rem rem hab.* Gail. *1. Obſ. 74.*

à partibus prætermiſſa] ita ut ne qvidem partium conſenſu litis conteſtatio omitti aut tolli poſſit. Gail. *d. l. n. 9.* Mynſinger *l. 3. Obſ. 74.* ſi qvidem judicium ſubſiſtere & ſententia inſecutura vires ſibi *lege* tributas obtinere debeat. Hoc enim ſi attendere nolint partes, poſſunt qvidem formam judicii omittere, ſed tunt judicium propriè dictum non eſt, nec propriè dicta ſententia, ſed valebit ea tantùm in vim cujusdam arbitramenti ſeu pacti. Robert. Marant. *part. 2. de ord. judicior. n. 40.*

nec teſtes recipi] adeò ut nec indicium qvidem faciant teſtes ante litem conteſtatam producti, licet vel ex conſenſu utriusq; partis recepti fuerint, vel depoſitiones eorum poſtea approbatæ ſint. Dornſperger *ſyntagm. jur. l. 1. c. 11. pag. 138.*

in jure propoſitam] h.e. in judicio, coram judice competente. Obrecht *de lit. cont. c. 4. n. 7.* Ita enim potius explicanda ſunt verba qvàm ex vetere jurisprudentia, ſecundum qvam id tantùm *in jure* fieri dicebatur, qvod apud Prætorem in tribunali ſedentem peragebatur.

& congruam reſponſionem] Qvæ tamen ſi in ſimplici confeſſione intentionis actoris conſiſtat, non videtur litis conteſtationem facere, cum conteſtatio litis non aliter fieri poſſit, niſi per contradictio-

dictionem mutuam *l.14. §.1. C.de judic.* Atq; hinc nulla videtur dari litis contestatio affirmativa, Arn. Vinnius *ad rubr. Inst. de offic. jud.* pro qvâ tamen adhuc pugnat Dn. Hahn. *obs.in Wesenbec.tit.de judic.n.7.*

animo contestandi] Necessarium tamen non est, ut diserte verbis hoc ipsum exprimatur, se animo litem contestandi respondere velle, uti vult post alios Berlichius *1. concl.26. n.22.* sed præsumitur illud, sicubi congrua facta fuerit contradictio. Sig. Scaccia *de judic.lib.1.c.103.n.3.* Qvinimò nec intentio qvidem litem contestandi semper necessaria est, qvandoqvidem, si reus protestetur, qvod litem super libello exhibito contestari nolit, postea verò simpliciter respondeat libello negativè, per hanc responsionem lis nihilominus contestata intelligitur. Gail *1.Obs.73. n.6.* Hœig. *p 2.qv.2.n.31.* Alciat. *ad l.40. n.26. ff. de V.S.* Brunneman. *in proces. c.14. n.18.*

cum judex] Desumta sunt hæc verba ex *l. un. C. de lit.contest.* & potuissent hic omitti, nisi prolixior esse voluisset autor. Siqvidem narratio hic intelligitur talis, qvæ fit utrinq; ab actore & reo contendentibus.

positionibus] Qvi enim ponit aliqvid, nihil petit ab adversario, nec etiam ostendit, per hoc se agere velle. *c.un.X.de lit.contest.* Itaq; si libellus articulatus exhibeatur, debet exhiberi cum petitione, & super eâ petitione inprimis lis contestari. Gail *1.Obs.73.n.8.* Sed enim, ut præcisè super petitione fiat litis contestatio, fortè necesse non est. Si enim narratio actoris per contradictionem rei impugnatur, aut tale qvid allegatur, per qvod illa enervatur, ipsa qvoqve petitio sive conclusio libelli, ut maximè directò non impugnetur, vacillabit. Cæterùm qvare per responsionem factam positionibus non inducatur litis contestatio, rationem hanc reddit Nicolaus Calvolus *in prax. §. litis contestatio 13. concluſ. 1.* qvia una debeat esse litis contestatio & non plures, si autem per responsionem ad positiones lis contestaretur, tot intelligerentur litis contestationes, qvot essent positiones. Qvæ ratio minimè concludere videtur. Qvia enim articulatim qvandoq; discerpitur narratio actoris, qvidni articulatim etiam discerpi possit responsio? Sed uti istic unus tantùm intelligitur libellus, ita & hic una tantùm litis contestatio.

aut peremptoriam exceptionem] sc. si objiciatur ex intervallo, secus si fiat illico post narrationem factam ab actore. Bernh.

Wurmſer. *lib.1. tit.13. obſerv.4.* Sed enim nullam in litis conteſtatione ſtatui debere temporis differentiam verius videtur, cùm, qvod actor ſemel propoſuit judicialiter, revocare facilè non poſſit, & dum utriusq; ſcripta ſunt in medio, ſemper ea loqvi cenſeantur. Obrecht *de lit.conteſt.c.6.n.6.* Cæterùm qvod ipſam rem attinet, utiq; nulla fit litis conteſtatio per objectionem exceptionis peremptoriæ, ſi qvidem actor ad ulteriora non procedat. At qvando actor replicando exceptionem negat, aut porrò procedi petit, qvia utroq; hoc caſu exceptioni contradicit, aut contradicere intelligitur, hoc caſu reo affirmante & actore negante litis conteſtatio inducitur, qvatenus ille excipiendo actoris, hic replicando rei vices ſubit. Bachov. *in Trentl.vol.1.diſp.12.th.2.lit.A.circa fin.*

Procurator, tutor, & ſimiles, poſſunt litem conteſtari. h. d.

§. 2. Fit autem litis conteſtatio non ſolùm per principales, ſed etiam per procuratorem [d], tutorem, & perſonas ſimiles.

[d] *cap.1.ext. eod.*

per procuratorem] Ex qvo enim per procuratores intentare & ſuſcipere litem cœptum eſt, etiam litis conteſtatio per eos fieri potuit. Nec opus eſt, ut procurator litem conteſtaturus ſpeciale ad hunc actum exhibeat mandatum. Carpzov. *in proceſſ.tit.5.art.2.n.50.*

& perſonas ſimiles] qvæ alieno nomine in judicio admittuntur. Hinc etiam conjunctæ perſonæ, qvæ cum cautione rati admittuntur, litem conteſtari poſſunt.

Advocati reſponſio, niſi ſit ſtatim revocata, facit litis conteſtationem. h. d.

c.cum cauſam. de Appellation.

§. 3. An advocati reſponſio litis conteſtationem faciat? dubitari poteſt; & ex facto reſponſum eſt, niſi ſtatim revocata fuerit, illius qvoq; reſponſione conteſtationem fieri.

niſi ſtatim revocata fuerit] intereſſe videtur, utrum advocatus litem conteſtetur præſente cliente, & tum revocatione opus eſt; an verò abſente eo, & tùm advocatus vel mandatum habet, vel non habet.

bet. Priore casu revocari litis contestatio ab advocato facta non potest. Posteriore casu, non valet litis contestatio, nisi rata habeatur à domino *l.36.ff.de judic.* & igitur tùm nec revocatione opus est.

Cùm officium judicis pro actione instituitur, est necessaria litis contestatio. hoc dicit.

§. 4. Nec solùm, cùm per actionem judicium instituitur, erit litis contestatio necessaria: sed etiam ubicunq; judicis officium pro ipsa proponitur actione: veluti, cùm restitutio in integrum non incidenter, sed principaliter postulatur. *c. finali. de officio judicis.*

ubicunq;] Non videtur defendi posse universale hoc assertum. Qvando enim e. g. petuntur tutores, ibi etiam officium nobile implioratur, & tamen qvid faciet ibi litis contestatio? cum nec sit forte qvi contradicat. Nisi forte eas imploratione judicis intelligat, qvæ sine contradictore expediri non possunt, cum illæ revera subeant vicem actionum.

pro ipsâ proponitur actione] Distingvunt enim Dd. actionem ab officio judicis, de qvâ re videri possunt Joh. Bapt. Costa *de remed. subsidiar. c.33.* Oswaldus Hilliger in Donell. enucl. *lib.19. c.1.lit.P.* Intelligit autem hîc officium judicis nobile, qvod sc. ad meram implorationem, ubi nulla actio jure prodita est, exercetur. Mercenarium enim actionibus inservit. Vid. Costa *d.l.* Franzkius *ad pr.Inst.de offic. jud.n.14.15.* Sutholt *de jurisdict.n.272.seqq.* Petr.Frider. *de proceff.p.2.c.58.n.10.*

non incidenter] Qvando id fiat, explicat Sfortia Oddus *de restitut.in integr.qv.35. art.9.n.59.* videlicet, qvando petitur contra interlocutoriam sententiam, Gvil.Redoanus *de reb.Eccles.non alien.qv.78.cap.fin. n.1.* aut qvando petitur per viam exceptionis, cujus rei exemplum dat Franciscus Duarenus *ad tit. ex qvib.caus.majores.pag.m.131.col.2.*

Qvi effectus seqvantur ex litis contestatione. h.d.

§. 5. Igitur seqvutâ contestatione reus & judici subjicitur, & actori obligatur, dilatoriis exceptionibus

via præcluditur, actiones perpetuantur, præscriptio interrumpitur, alii qvoqve effectus emanant, ut tam Civilibus, qvàm Ecclesiasticis constitutionibus suis locis traditur.

judici subjicitur] dum scilicet audientiam ejus eligit. Qvod si judex non fuerit cómpetens, hoc ipso, dum litem contestatur, ejus prorogat jurisdictionem, omissâ, qvam objicere poterat, fori præscriptione. Arn. Vinnius *de jurisdict. c. 11. n. 7.* Per consequens lite contestatâ non potest amplius recusari judex, nisi ex causâ novâ emergente, & per litis contestationem simul obligantur litigantes instantiæ, ut ab eâ invito adversario discedere neqveant. Ant. Perez *Cod. h. t. n. 10.*

& actori obligatur] ad totum processum judicialem & ad id, qvod sententiâ definitum fuerit. Atq; hinc litis contestatio dicitur qvidam contractus *l. 29. ff. de novat. l. 83. §. 1. ff. de V. O.* & judicio contrahere dicuntur litigantes *l. 3. §. 11. ff. de pecul.*. qvod diversimode explicant Doctores. Sanè litis contestationem verum contractum non esse, uti vult Donellus *lib. 12. c. 14.* patet ex *d. l. 83. §. 1. ff. de. V. O.* Unde alii qvasi contractum exinde conficiunt, sed qvomodo? cum actio demum detur â re judicatâ. Respondet Ægidius Hortensius, *ad l. 29. ff. de novat.* totius litis â contestatione ad rem judicatam usq; continuato animo rei suæ persequendæ, unum tempus & unum contextum videri, atqve ita rem judicatam videri jam in continenti litis contestationis, qvæ ipsam naturam actionis mutat temporalem perpetuando, morte rei perituram ad heredes transferendo. Sive, ut explicat Franciscus Card. Mantica. *lucubr. Vatican. lib. 22. tit. 22. n. 20.* per litis contestationem reus obligatur ad id, qvod petitur in judicio, si contigerit eum condemnari, & sic ille qvasi contractus in sententiâ perficitur.

præcluditur] qvia scilicet dilatoriæ exceptiones omnes ante litis contestationem proponi oportet. *supr. tit. de excep. §. hæ verò.*

actiones perpetuantur] tum illæ, qvæ aliàs morte rei conventi pereunt, qvales sunt pœnales nonnullæ, furti, damni injuriæ, actionis injuriarum atrocium &c: tum, qvæ morte actoris intereunt, ut est actio injuriarum, tùm etiam, qvæ morte & interitu materiæ subjectæ, rei videlicet, cujus

Digitized by Google

cujus nomine qvid petitur, extingvuntur, ut ſunt actiones noxales, tùm deniqve, qvæ non niſi intra certum tempus moveri poſſunt. Qvæ omnes ſi ſemel judicio incluſæ fuerint *l. 139. ff. de Reg. Jur.* h. e. ſi lis conteſtata fuerit, perpetuantur, ita qvidem, ut poſt litis conteſtationem omiſſæ intra qvadraginta annos repeti poſſint. *l. ult. C. de præſcr. trig. ann. l. 1. §. 1. C. de ann. except.*

alii qvoq; effectus] de qvibus Camillus Borell. *deciſ. 50. n. 98.* Andr. Vallenſ. *in parat. tit. h. t. §. 2.*

Cùm civiliter agitur. & probabiliter de morte teſtium, vel diuturna abſentia timetur, poſſunt examinari teſtes, etiam lite non conteſtatâ. h. d.

§. 6. Admonendi tamen ſumus, qvod traditum eſt, lite non conteſtatâ non poſſe teſtes recipi [a], aut ad ſententiam perveniri, non eſſe perpetuum. Nam ſi fortè de morte teſtium timeatur, vel abſentiâ diuturnâ, cùm Civiliter eſt agendum, ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis caſibus ſubtrahatur, ſenes, & valetudinarii, & alii teſtes, de qvibus ex probabili cauſa timetur, etiam lite non conteſtatâ ſunt admittendi, ſeu pars conventa ſit contumax, ſeu ſine dolo ſit abſens, ut conveniri non poſſit.

[a] *extr. ut lite non conteſt. per totũ & cap. 1. eod. tit. extra.*

ſi fortè de morte] Differentia eſt inter actorem & reum. Ex actoris perſonâ ut obtineatur receptio teſtium ad perpetuam rei memoriam, reqviritur, ut vel ſenes ſint teſtes, vel valetudinarii, ita ut mortis ſubſit periculum, vel diu abfuturi *c. qvoniam frequenter X. ut lite non conteſt. auth. ſed & ſi qvis C. de teſtib.* Reus indifferenter & ſine diſcrimine ætatis, valetudinis aut abſentiæ non modò ſenes aut valetudinarios, ſed qvoslibet producere poterit. Gail *l. 1 Obſ. 92.* Hartmann. Piſtor. *l. 1. qv. 39.* Rutger. Ruland *de Commiſſ. part. 2. lib. 1. c. 3.* Hartmann. Hartmann. *tit. 15. Obſ. 10. & 11.*

cum

cum civiliter est agendum] In criminalibus enim testes ad perpetuam rei memoriam ex personâ accusatoris non recipiuntur, etiamsi de eorum morte vel diuturnâ absentiâ timeatur, qvia scilicet pœnarum executiones favorabiles non sunt. Atq; id etiam obtinet, si civiliter qvidem agatur simul, ad rei scilicet ablatæ restitutionem, sed non nisi secundariò, principaliter autem ad pœnam reo infligendam. Hahn *Obs. in Wesenbec. de testib. n. 5.* Reus autem favore innocentiæ admittitur, ut examinare faciat testes ad perpetuam rei memoriam. Gail. *d. l. n. 13. seq.* Hartmann. Pistor. *d. l. num. 10. 11.*

seu sine dolo sit absens] imò verò etiamsi præsens sit, & sive actor in continenti agere possit, sive ei facultas agendi nondum detur, & absq; sui culpa, qvo minus agere possit, impediatur. Hartm. Pistor. *d. l. n. 3. & 12.*

Qui testes examinavit ad perpetuam rei memoriam, debet intra annum vel convenire adversarium, vel examen denunciare. h. d.

§. 7. Debet[b] tamen actor intra annum, ex qvo facultas sibi data fuerit, adversarium convenire, aut saltem hujusmodi testium receptionem eidem denunciare: alioqvi attestationis sic receptæ non valebunt, ne fortè hoc procuretur in fraudem, ut scilicet processu temporis exceptiones legitimæ ad repellendũ testes, vel aliæ, locum habere non possint.

b *cap. fin. §. sed si extra. ut lite non contest.*

intra annum] qvod si non fecerit, præsumitur, examinationem in fraudem factam esse. Annus autem ille ab initio utilis est, h. e. non currit, nisi â tempore, qvo potuit agere. Gail *d. l. n. 5. 6.*

denunciare] ut veniat & videat jurare testes, interrogatoria conficiat, & id, qvod sua interest, attendere, atq; circumspectè rem suam agere qveat. Gail. *1. Obs. 94. n. 4.* ubi citationem necessariam esse ait, Conf. Berlich. *1. concluf. 46. n. 47. 49.* Speckhan *cent. 2. claff. 4. qv. 30. seq.*

non

Digitized by Google

non valebunt] Istiusmodi testes infra annum faciunt fidem, postea non. Hartmann. *tit. 15. Obs. 10. n. 4.*

locum habere non possint] qvia currente tempore testibus defunctis probationes planè possunt deficere, qvibus aliàs pars adversa inutilitatem suam legitimè uti potuisset.

Nota ex isto §. bonam regulam ad cognoscendum, quando non est necessaria litis contestatio. h. d.

§. 8. Sunt c & alii casus, in qvibus absqve litis contestatione legitimè possunt testes produci, & lis sententiâ terminari: qvos tam ex his, qvæ suprà de contumacia diximus, qvàm etiam ex aliis locis cognoscere licebit. Et generaliter, ubicunq; libellus non exigitur, aut jus agendi contra certam personam non dirigitur, litis contestatio non est necessaria.

c *d. cap. fin. §. sunt & alii. ut lit. non contest.*

Sunt & alii casus] de qvibus vid. Prosp. Farinac. *de testib. lib. 3. tit. 8. qvæst. 76.*

libellus non exigitur] Dixi supr. *ad tit. de libelli concept. & oblat.*

contra certam personam non dirigitur] Non satis capio, qvid hîc sibi velit actor, nisi intelligat fortè tales imploratione judicis, qvibus aliqvid fieri volumus, nemine dissentiente aut contradicente.

DE JURAMENTO CALUMNIÆ,

TITULUS XII.

CAlumnia hîc propriè est alicujus in litibus per fraudem & frustrationem vexatio *l. 233. ff. de V. S.* Juramento igitur calumniæ asseverant litigantes,

tes, se non calumniandi animo, sed juris sui opinione & fiduciâ fretos agere vel alteri resistere. Ab hoc distingvere cœpérunt Canonistæ juramentum malitiæ, ejusq; distinctionis varios modos comminiscuntur, de qvibus videri possunt Scaccia *de judic. l. 2. c. 1. n. 62.* Græven ad Gail. *l. 1. concluſ. 87. conſid. 1.* Sed in effectu tamen juramentum hoc malitiæ nihil differt â juramento calumniæ speciali, qvod ante Justinianum circa probationes præstari oportebat, de qvo in *l. 1. C. de jurejur. propt. calumn.* Franzk. *ad tit. ff. de jurejur. n. 61.*

Actor recusans subire juramentum calumniæ cadit ab actione, reus habetur pro confesso. h. d.

§. 1. Sed, ut veritate præviâ judicia expediantur, institutum est, ut litigatores in exordio litis de calumnia vitanda jurare debeant. Qvod juramentutum si qvis præstare recusaverit [a], actor qvidem ab instituta cadet actione, & pro confesso reus habendus erit.

[a] *cap. fin. §. fin. extrav. eod. tit.*

in exordio litis] scilicet post litem contestatam *l. 2. pr. C. de jurejur. propt. calumn.* â litis contestatione enim incipit initium litis. Jer. Setser. *de juram. l. 3. c. 6. n. 3. 4.* Obrecht *de juram. calumn. c. 9. n. 7. 8.*

de calumniâ vitanda] Capita hujus juramenti faciunt communiter hæc qvinqve: 1. qvod non calumniandi animo litem exercere velit, 2. qvod bonam causam sive defensionem se habere putet. 3. qvod in tota lite nullam exigere velit probationem, nisi qvam pro veritate necessariam esse putaverit, 4. qvod nullam allegationem differendi causâ proponere velit. 5. qvod non corrumpere velit judicem. Herm. Vultej. *in jurisprud. Rom. l. 2. c. 31. n. 58.* Finkelthaus *de jur. patron. cap. 8. n. 22.* Apparet autem hinc, juramentum hoc opinionis magis esse, qvàm assertionis, nec perjurum dici posse, qvi non obtinuit. Ant. Perez *Cod. h. t. n. 2.*

habendus erit] non qvidem ipso jure, sed per sententiam judicis insequentem, *auth. principales personæ §. 5. Cod. h. t.* Fern. Vasqv. *lib. 5. controv. c. 25. n. 25.*

Incau-

In causa suæ Ecclesiæ clericus non cogitur jurare de calumnia, secus in propria: quo casu jurat propositis tantùm scripturis, non tactis. h. d.

§. 2. In hac tamen parte qvibusdam casibus clericis jura pepercerunt. Vetuerunt[b] enim, ne, dum propriæ Ecclesiæ causa peragitur, inconsultis illorum prælatis, hujusmodi subire jusjurandum cogantur: licet in propriis causis hujusmodi privilegio minimè gaudere noscantur. Sed & qvo casu hoc juramentum subire vel permittuntur prælati, vel jubentur, non tactis[c], sed tantùm propositis scripturis, id implebitur.

b *cap. 1. & seq. ext. eod.*

c *cap. fin. extr. eod.*

jura pepercerunt] propter canones, qvibus Clerici prohibentur, ut omninò jurare non audeant. *c. 1. X. h. t.* At enim eodem modo jurare prohibentur etiam Laici *Matth. V. 34.* qvi tamen jure canonico juramenta in judicio præstare non prohibentur.

inconsultis illorum prælatis] aut si fuerit Episcopus, qvi jurare debet, inconsulto Pontifice Romano, *d. c. 1. X. h. t.* At profectò, qvàm incommodum id fuerit, qvibusve impedimentis processus innodetur, nemo non videt. Rationem autem hujus rei Augustinus Barbosa *ad c. 1. X. h. t. n. 9.* reddit hanc, qvia juramentum calumniæ defertur autore prætore, & sic clericus consentiret in judicem non suum, qvod ei licitum non esset. Rectius censet Joh. Bapt. Vivianus *ibid.* ideò peti debere licentiam, qvod attendere prius debeat prælatus, num tales sint qvalitates Clerici, ut metui neqveat perjurium.

minimè gaudere] qvid ita? cùm non minus hîc militet ratio, qvod per Canones jurare prohibeantur Clerici. Et qvæ erit ratio differentiæ, qvod, ficubi Ecclesiam concernat causa, inconsulto superiore non liceat jurare clericis, liceat autem, si causa fuerit propria. Utrobiqve calumniandi animus poterit subesse, & pronior fortè in causa propriâ. Ipsa tota tamen distinctio inter causam Ecclesiæ & causam propriam in hâc materia

non videtur satis fundata. Probatio petitur ex *c. 1. X. h. t.* ubi hæc habentur verba: *si expedire Ecclesiæ suæ noverint.* Sed ista verba non tàm objectum, qvàm finem exprimunt, hoc sensu, Clericum nec per alium qvidem jurare debere, nisi hoc expediat suæ Ecclesiæ, i. e. si Ecclesiæ id non sit probrosum.

sed tantùm propositis scripturis] ex mysticâ qvâdam, uti Duarenus jocatur, ratione, qvia scilicet episcopis nostris, ut sunt mores seculi, sufficit, juxta se posita habere Evangelia, etiamsi non legant ea, nec attingant qvidem. *in tit. de jurejur. c 11.* Cæterùm qvæ ita extrinsecus adhibentur ceremoniæ, ipsam essentiam juramenti non ingrediuntur, adeoq; cavendum hîc erit à Sichardo, qvi in *auth. sacramenta puberum C. si adversus vendit.* tactum Evangeliorum ad substantiam sacramenti reqvirit, cum qvo facit etiam Antonius Tessaurus *decis. 47.* cùm tamen DEUS non ad ceremonias illas, sed cor ipsum potius respiciat, adeoqve inter verbale & corporale juramentum non distingvat. Franzk. *tit. de jurejur. n. 17.* Rauchbar. *part. 2. qvæst. 2. n. 88.* Hillig. in *Donell. lib. 21. c. 13. lit. B.*

Hodie etiam in causis spiritualibus juratur de calumnia. h. d.

§. 3. In causis spiritualibus olim de calumnia minimè jurabatur : sed qvia & in illis litigatores freqventer calumniari compertum est, novissimè sancitnm est[d], ut in eis id, qvod in cæteris constitutum est, observari debeat.

d *cap. 1. §. fin. eod. tit. in 6.*

minimè jurabatur] Ratio ponitur in *c. 2. X. h. t.* qvod tales causæ non ex legũ districtione, sed ex canonum æqvitate finem debitum sortiuntur. Sed profectò in juramẽto calumniæ nullus est rigor legũ, qvin potius ipsissima æqvitas, ne judiciis vexetur adversarius. Neq; ista æqvitatis ratio cessaret in causis spiritualibus, nisi præsumtio esset, neminẽ in iis calumniari, eò qvod DEI & Ecclesiæ principalis habeatur ratio. Joh. Bapt. Vivian. *ad c. 2. h. t.* Alia est ratio causarum pecuniariarum, qvæ rem cujusq; propriam concernunt, qvæq; majore cum contentione & aviditate aguntur. Cujac. *ibid.*

obser-

observari debeat] & tùm reus jurare nolens habetur qvidem pro confesso, non tamen nisi qvoad præjudicium proprium. Si autem interesse & utilitatem partis adversæ consideres, reus jurare nolens non habebitur pro confesso, ad id scilicet, ut inde aliqva parti adversæ adcrescat utilitas, ne scilicet hâc ratione & viâ detur ingressus vitiosus ad beneficia. Scaccia *de judic. lib. 2. c. 1. n. 150. seq.*

Etiam procuratores jurare de calumnia tenentur, qvandocunq; judici videbitur. b. d.

§. 4. Et non tantùm principales, verùm etiam procuratores [e], & syndici [f], hujusmodi juramentum suscipere compellendi erunt, etiam si, qvid ponere, aut respondere debeant, à dominis instructi fuerint, aut post hoc præstitum juramentum deputati fuerint: nec enim illud intra certa judicii tempora coarctatum reperitur, sed [g] poterit judex exigere, qvoties expedire viderit.

e *capit. 2. §. procuratores. eod. tit. in 6.*

f *cap. pen. & fin. extra. eod. tit.*

g *cap. 2. in fin. eod. tit. in 6.*

verum etiam procuratores] De his nihil constitutum est jure civili. Ducitur tamen argumentum ab advocatis, qvi simile juramentum præstare coguntur *l. 2. pr. C. de jurejur. propt. calumn.* nempe se integro animo causam clientis sui suscipere, nec falsi patrocinii sibi conscios esse, nullam se operam nullumq; studium in causâ clientis sui intermissuros, deniqve si qvid malitiosè aut improbè fingi in eâ postea deprehenderint, ejus se patrocinium protinùs omissuros *l. 14. §. 1. C. de judic.* Ad exemplum igitur advocatorum jus pontificium voluit procuratores similiter suo nomine jurare. *c. 6. X. de jurem. cal. & c. 2. eod. in 6.*

post hoc præstitum juramentum] scilicet ab ipso principali. Procurator enim hoc casu non jurat amplius de calumniâ domini, sed de suâ propriâ. qvemadmodum & substitutus procurator jurare tenetur, etiamsi substituens jam antea tale juramentum præstiterit. Obrecht *de juram. calumn. c. 10. n. 44.*

qvoties expedire viderit] Sed qvid est, qvod dixit supra, in exordio litis jurandum esse de calumnia. Distingvere debuisset ex mente Canonistarum inter juramentum calumniæ & malitiæ; illud enim semel tantùm in tota causa, hoc verò toties præstari debere dicunt, qvoties præsumatur aliqvid dici vel fieri malitiosè. Scaccia *de judic. l. 2. c. 1. n. 62.* Illud juramentum calumniæ generale, hoc speciale diximus supra; & præstito illo, de jure civili hoc non habet locum. *Novell. 49. c. 3.*

De calumnia juratur etiam in causa appellationis. h. d.

h *capit. 2. in princ. eod. tit. in 6.*

§. 5. Præterea [h] qvanqvam in prima instantia partes juraverint, non tamen propterea in causa appellationis hujusmodi juramentum declinare poterunt, cum rursus & de calumnia vitanda, & dicenda veritate jurare partes sint compellendæ.

in causâ appellationis] De jure canonico disertè id constitutum est in *c. 2. de juram. cal. in 6.* De jure civili autem valdè ea res disputata est inter veteres glossographos, uti patet ex *gloss. ad l. 2. pr. in verb. moviſſe C. de jurejur. propt. calumn.* Pro affirmativâ sententiâ concludit Obrecht *de jur. cal. c. 8. n. 11.* Sed videndum, ne verior sit contraria, qvandoqvidem judicium appellationis super eâdem lite, qvæ in prima instantia discussa fuit, instruitur, & Justinianus, qvi juramentum calumniæ generale iterari noluit, *Novell. 49. c. 3.* non tàm ad judicium, qvàm ad litem in judicio tractandam respexisse videtur.

Juramenti de calumnia omissio non vitiat processum. h. d.

i *capit. 1. in princ. & §. 1. eod. tit. in 6.*

§. 6. Illud postremò admonendi sumus, qvòd propter omissum [i] tacitè in tota causa calumniæ juramentum, judicialis processus aliàs factus legitimè, nec est nullus, nec ob eam causam venit annullandus: cùm hujusmodi juramenta præstari de substantia ordinis judiciarij non existat.

qvæ

nec est nullus] Ita qvidem de jure Canonico, sed de jure civili tàm expressa, qvàm tacita juramenti calumniæ generalis remissio, omissio vel dissimulatio differtè inhibetur. *l. 2. §. 4. C. de jurejur. propt. cal.* Andr. Rauchbar *p. 1. qvæst. 11. n. 2.* Ant. Perez *Cod. h. t. n. 16.* adeoq; de jure civili juramentum istud est de substantia judicii. Qvanqvàm enim plurimi sint, qvi statuant, non simpliciter & per se id esse de substantia judicii, sed solùm, si exactum fuerit, atq; adeò tum demum, si præstitum non fuerit, processum nullum reddi: tacitam autem remissionem etiam de jure civili locum habere; tamen qvia Imperator districtè cavit, ne dissimulatione, qvo tacita hæc conventio innuitur, sanctio sua deludatur, & non pro commodo privatorum, sed pro publicâ utilitate legem istam se posuisse scribit, nec aliter vel actorem vel reum certamina subire debere, nisi præstito hoc juramento, consequens est, ut, parte non petente, judex proprio motu istud juramentum exigat. Hillig. in Donell. *lib. 24. c. 3. lit. P.* Obrecht *de juram. calumn. c. 11. n. 8. 9. 10. seqq.* ubi *n. 15.* ait, omisso, aut à judice non exacto hoc juramento sententiam ipso jure nullam reddi.

UT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETUR,

TITULUS XIII.

Lite pendente nihil innovandum, & lis tunc pendere dicitur, cùm citatio legitima pervenit ad partem citatam, aut per eam factum est, qvo minùs perveniret. h. d.

§. 1. Institutâ ergo lite, & solennibus præstitis satisdationibus & calumniæ juramento exhibito, ad probationes, & merita causæ descendendum erit: & interim pendente lite nihil innovari poterit. Lis [a] autem pendêre hoc respectu tunc dicetur, non modò cùm lis contestata fuerit, verùm etiam postqvam à judice competenti citatio emanarit, & ad partem citatam pervenerit, vel per eam factum est, qvo minùs

[a] *clem. 2. eod. tit. c. final.*

nùs ad ejus notitiam perveniret, dum tamen in citatione ea sint expressa, per qvæ possit qvis instrui, super qvibus in judicio convenitur.

nihil innovari poterit] ne qvidem per rescriptum Principis, qvod ideò pro subreptitio habetur, qvia præsumitur non fuisse concessurus, si intellexisset litem super eâ re pendere, *c. super literis 20. X. de rescript.* Joh. Bapt. Leonellus *de subrept. rescript. qvæst. 6. art. 9.*

citatio emanarit] Reqviruntur hîc à Doctoribus ista sex: (1) qvod citatio emanaverit, (2) à competenti judice, (3) qvod ad citatum pervenerit saltem præsumptivè, (4) qvod per illam citatus plenè instruatur, (5) qvod sit apta & congrua, (6) qvod nuncius sufficienter intimaverit. Leonell. *d. l.*

Ob dilapidationem etiam lite pendente fit sequestratio.

b *cap. fin. ext. de sequestr. possess.*

§. 2. Planè [b] ab eo, qvi, postqvam à sententia provocavit, possessionis fructus dissipat, etiam lite pendente sequestrari poterunt.

sequestrari poterunt] Sequestratio regulariter est prohibita *l. un. C. de prob. sequestr. pec.* extra ordinem tamen ei locus fit, inprimis eo casu, qvando metus subest, ne res litigiosa dilapidetur & dissipetur, qvò pertinet exemplum, qvando post appellationem appellans fructûs agri, de qvo disceptatur, depopulatur *l. 21. ff. de appellat.*

Litis pendentia non invalidat matrimonium contractum. b. d.

c *cap. cùm in apostolica. ext. de sponsal.*

§. 3. Sic etiam [c] si, dum super matrimonio lis pendet, secundum qvis matrimonium ritè contraxerit, si primum non tenuisse declaratum fuerit, pendentis litis obtentu secundum irritari non poterit. Ei tamen qvi in contemptum contraxerit, competens pœnitentia imponenda erit. *ritè*

ritè contraxerit] qvomodo verò ritè contrahere potuit, qvi lite pendente contraxit, cùm utiq; is non careat dolo? Sufficit tamen mulierem, cum qvâ contraxit, fraudis & litis fuiſſe ignaram. Unde ſi non ignaram ejus litis aliam Uxorem duxerit, forſitan nec cum eâ nuptiæ eſſe intelligentur. Cujac. *ad c.18. X.de ſponſal.*

ſecundum irritari non poterit] Simile exemplum habetur in *c.1. X. de eo qvi dux. in matr.* Maritus verò hoc caſu ideò prætextu litis pendentis matrimonium cum ſecundâ initum irritare neqvit, ne ex dolo commodum ſentiat. Mulier verò ideò, qvia ex eventu & ſententiâ nunc publicatâ apparet, prius matrimonium non fuiſſe validum.

DE PROBATIONIBUS,

TITULUS XIV.

Qvid ſit probatio, & qvibus modis fiat. h.d.

§. 1. Probatio igitur eſt idoneis argumentis & legitimis mediis facta demonſtratio. Contingit autem qvid probari variis modis: utputà, confeſſione partium, depoſitione teſtium, inſtrumentorum exhibitione, juris jurandi religione, inſpectione judicis, notorietate rei, ſuſpicione vehementi, famâ, atq; aliis adminiculis.

Probatio igitur eſt] Non valdè laborandum eſt in definitione conſtituendâ, ſufficit noſſe, probationem eſſe rei dubiæ apud judicem factam oſtenſionem, eamq; & teſtibus & inſtrumentis fieri poſſe.

variis modis] Genera probationum decem recenſet Camillus Borellus *tom.2. deciſ.tit.2.n.5.6.* videlicet, 1. teſtes, 2. inſtrumenta, 3. confeſſionem, 4. rei evidentiam, & rei aſpectum, 5. juramentum ab adverſario delatum. 6. ſententiam ſeu rem judicatam. 7. communem opinionem. 8. famam publicam. 9. conjecturam hominum, 10. præſumptiones. Communem tamen

men opinionem probationem facere rectè negat Treutlerus *disp. 4. th. 2. lib. vol. 2.* Dividunt aliàs probationes in artificiales & inartificiales, juxta Aristot. *1. Rhetor. c. 2.* Vid. Fulv. Pacian. *lib. 1. de probat. c. 4.* Menoch. *l. 1. præsumt. 1. & 2.* Hug. Donell. *l. 25. com. 5. & 6.*

Qvomodo nascatur probatio ex confessione, & qvæ sint positiones. h. d.

§. 2. Partium confessione tunc constat probatio, cùm reus positionibus respondendo, vel aliàs in judicio de intentione confitetur actoris. Sunt autem positiones, breves qvædam narrationes facti seriem continentes, ad eliciendam veritatem conceptæ, super qvibus qvis petit ab adversario responderi, qvas ad faciliorem [d] expeditionem litium propter partium confessiones, & probationum defectum usus longævus in causis admisit, & juris probavit authoritas.

Gloss. in c. si post præstitum, de Confessis in 6.

d clem. fin. de verb. signif.

cùm reus] Fiunt positiones non ab actore tantùm, sed etiam à Reo, & non tantùm qvoad exceptiones peremptorias, sed etiam dilatorias. Frid. Hiltrop. *de proceff. part. 3. tit. 5. n. 4.*

positionibus respondendo] Inter positiones & articulos differentiam constituunt Dd. qvod positiones potissimum ad confessionem adversarii eliciendam, articuli verò, ut negata testibus vel instrumentis probentur, conficiantur. Ita ergò, qvi positiones exhibet, omnia eorum contenta confiteri, sed qvi articulos exhibet, non confiteri contenta censetur. Gail. *lib. 1. Obs. 79.*

in judicio] sed tùm necesse est, ut fiat præsente actore *l. 6. §. 3. ff. de confess. l. fin. ff. de interrogat.* & acceptante, qvia ante acceptationem adversarii etiam in judicio facta confessio revocari potest. Marescott. *2. resol. 44. n. 7. 8.* necesse est porrò, ut fiat coram judice competente, & qvidem *in loco* judicii, aliàs non noceat. Socin. *reg. 88. & 92.* Extrajudicialis confessio præ-

sente

ſente parte facta & ab ea acceptata itidem vim habet plenæ probationis. Ant. Gabriel. *lib. 1. tit. de confeſſis concluſ. 2.* Guttierrez *de jurram. confir. p. 1. c. 54.* Carpzov. *1. conſt. 16. def. 21. & lib. 3. reſponſ. 67.* Hunn. *in Colleg. jur. Canon. diſp. 11. n. 118. ſeqq.*

facti ſeriem continentes] Non enim interrogativis, ſed aſſertivis verbis concipi debent, aliàs pars non tenetur illis reſpondere, qvia is, qvi ponit, fatetur, non qvi interrogat.

ad faciliorem expeditionem litium] Ut enim controvertentes cauſæ ſuæ conſulant, ſolent facere poſitiones in relatione facti medio juramento dandorum, ad qvas adverſarius medio juramento reſpondendorum categoricè reſpondeat, ut ex reſponſionibus iſtis aliqvid eliciant, qvod ad cauſæ ſuæ inſtructionem proficuum ſit.

& probationum defectum] Finis enim poſitionum eſt, ut per confeſſionem adverſarii ponens relevetur ab onere probandi.

Recuſans reſpondere poſitionibus, habetur pro confeſſo. h. d.

§. 3. Si [a] qvis igitur poſitionibus ſibi factis reſpondere reqviſitus recuſaverit, vel, ne reſponderet, ſe per contumaciam ſubtraxerit, pro confeſſo habendus erit. Hoc tamen ita demum obtinet, ſi à judice reſpondere juſſus, illum abſentem fieri contigerit: ſed ſi ante qvàm juberetur, contumaciter abſceſſerit, tunc pro confeſſo minimè reputabitur, ſed contra eundem, tanqvam contumacem, procedendum erit, prout juris ratio dictaverit.

[a] *cap. 1. de cõfeſſ. in 6.*

pro confeſſo habendus erit] Ut qvis in contumaciam habeatur pro confeſſo, qvatuor hæc reqvirunt Doctores. (1) qvod poſitiones poſt litem conteſtatam ſint exhibitæ. Aliàs enim, ſi nunqvam comparuit reus, poteſt qvidem lis in contumaciam pro conteſtata haberi, poſitiones tamen pro confeſſatis haberi non poſſunt, ſed ad probandum admittuntur.

Gail. *1. Obſ. 80.* (2) qvod ſit juſſus & monitus reſpondere in præſentiâ à judice & non per nuncium. (3) qvod absq; rationabili causâ qvis recuſet reſpondere. (4) ut medio juramento dandorum factæ ſint poſitiones. Vid. Frid. Hiltrop *de proceſſ. part. 3. tit. 5. n. 29.*

prout juris ratio dictaverit] ſecundum modum procedendi generalem adverſus contumacem, qvâ de re actum ſupra *tit. de dolo & contumac.* Add. Sig. Scaccia *de judic. l. 2. c. 7. n. 74. & 478. ſeqq.*

Confeſſus, & probationibus convictus, aqviparantur: & confeſſio erronea, ſi ſtatim revocatur, non affert præjudicium. h. d.

§. 4. Redditis igitur circa exhibitas poſitiones reſponſionibus, diligenter ab actore diſpiciendum erit, an à reo ſuper controverſia legitimam confeſſionem extorſerit: qvo qvidem caſu & ipſe probationum oneribus relevabitur, & judicis in cognoſcendo partibus ceſſantibus ſtatim ſuper tali confeſſione pronunciandum erit. Planè[b] ſi per errorem facti hujusmodi confeſſionem emanaſſe doceatur, confitenti, ſed tamen confeſſionem ſuam ſtatim revocanti, nullum præjudicium generabitur: alioqvi, qvod ſua qvisqve voce dilucidè teſtatus eſt, proprio non valebit amplius teſtimonio infirmare.

[b] *capit. fin. in gloſſ. ext. de confeſſ.*

confeſſionem ſuam ſtatim revocanti] Imò verò etiâ ex intervallo revocari poteſt confeſſio erronea. Jacob Ayrer *in explic. l. un. C. de error. calcul. n. 121.* & in causâ appellationis licet revocare erroneam confeſſionem, qvam qvis emiſit in primâ inſtantiâ. Guttierrez *de juram. confirm. part. 3. c. 8. n. 4.* In continenti autem poteſt revocari confeſſio etiam non erro-

Digitized by Google

erronea. Vid.plenè Scaccia *de judic.l.2.c.7.n.609.seq.& 668.* Frid.Hiltrop.*de proceſſ.part.3. tit.17.rubr.de revocat. confeſſ.*

Reus non tenetur edere actori, niſi inſtrumenta communia. h.d.

§. 5. Non tamen [c], qvia poſitionibus reus reſpondere compellitur, documenta qvoq;, qvæ ad cauſam pertinentia penes ſe detinet, niſi ſibi cum actore ſint communia [d], exhibere compellendus erit: nam grave nimis eſſet, illum ad eorum exhibitionem urgeri, per qvæ ſibi poſtea præjudicium fieret. Sed actor ipſe, inficiante reo, ſumptis congruis dilationum temporibus, intentionis ſuæ proprias probationes afferet, vel teſtes inducendo, vel inſtrumenta, & alias ſcripturas producendo.

c *cap.1.ubi tot. ext. eod.*

d *cap.ſi perpetuus. extra. de fide inſtrument.*

Non tamen qvia poſitionibus] Rationem diverſitatis, qvare poſitionibus actoris reſpondere teneatur reus, inſtrumenta edere non teneatur, anxiè qværunt interpretes, uti videre eſt apud Gilkenium *in l. 1. C. de edend.n.21.* Franciſc. Zoannett. *in d.l.1.n.4.5.* Philipp.Maſin. *ibid.n.55.* Id certum eſt, in foro conſcientiæ ad utrumq; teneri reum, & ergò, cùm per poſitiones magis urgeatur conſcientia rei, qvàm per ſimplicem petitionem editionis, magis illis, qvàm huic aſſiſtere voluérunt jura civilia.

documenta qvoq;] Regula eſt, actorem à reo probationes intentionis ſuæ exigere non poſſe, & per conſeqvens reum non teneri edere actori inſtrumenta ad fundandam intentionem, è contrario, teneri actorem qvævis inſtrumenta reo ad fundandam exceptionem edere. Vid. Fulv. Pacianus *de probat.l.1. c.61.62.ſeq.* Sig.Scaccia *de judic.l.2.c.11.n.480.* Menoch.*de arb.jud.qvæſt.caſ.499.* Hug. Donell. *l.23.com.7.* Hartm.Piſtor. *obſerv.218.* Jacob.Bornit.*de inſtrument.part.2.lib.1.c.1.* Berlich.*1.concluſ.45.* Ex naturali tamen ratione teneri tàm actorem qvàm reum edere petenti inſtrumenta & ita in Rota Romana obſervari oſtendit Antonius Merenda *controv.lib.5. c.36.*

cum actore sint communia] qvot modis instrumenta dicantur communia, vid. Rutger Ruland *de commissar. part. 2. lib. 5. c. 19. n. 6.* Exceptiones & casûs alios, qvibus reus edere instrumenta tenetur, refert Hahn *ad Wesenbec. tit. de edend. n. 12.*

sumptis congruis dilationum temporibus] Utilitatis gratiâ & propter impedimenta, qvæ qvandoqve emergunt, secunda sæpè & tertia, qvin & qvarta dilatio cum solennitate legali dari à judice potest. *L. 7. ff. de fer. Novell. 99. c. 4.* Gail. *1. Obs. 91.* Coler. *decis. 121.*

instrumenta & alias scripturas] Etiam privatæ scripturæ dicuntur instrumenta, communi tamen vel potius judiciali loqvendi more instrumenti voce publicæ scripturæ denotantur. Bachov. *in Treutl. tit. de fid. instrum. th. 1. in fin.*

Reus citandus est ad videndum jurare, & deponere testes, & testi injurato non creditur, nisi fuerit remissum juramentum à parte. h. d.

§. 6. Debet autem in primis, si ex dictis testium rei sit eruenda veritas, admoneri adversarius, ut auditurus juramentum veniat [e], ne, si prætermissum id fuerit, qvod contra leges actum deprehenditur, nullam habeat firmitatem. Sed & testium depositiones non aliter recipiet judex, qvàm priùs jurisjurandi religione firmaverint [f], qvòd tantùm, qvæ vera noverint, professione suæ testificationis aperient: nullius [g] enim testimonio, qvantumcunq; religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in præjudicium credi debet alterius, nisi fortè juramentum ab adversa parte remittatur [a].

e *cap. 2. extra. de testib.*

f *can. pen. 3. q. 9.*

g *cap. nuper nobis. extr. de testib.*

a *capit. tuis qvæstionib. ext. de testibus.*

admo-

Digitized by Google

admoneri adverſarius] *c. 2. X. de teſtib.* Gail. *1. Obſ. 98. n. 6. & Obſ. 102. n. 1.* Weſenbec. *Conſ. 98. n. 8.* Vincent. Hondedæ. *1. conſ. 101. n. 6.* aliàs enim planè non valet eorum depoſitio, etiamſi mille eſſent, qvi deponerent. Thom. Grammatic. *deciſ. 11. n. 7.* Ratio autem, qvare citari debeat adverſarius, duplex affertur, (1) ut videat, an teſtes, qvi jurant, ſint illi, qvorum nomina ſunt edita in articulis, ne alii falſo ſupponantur. (2) ut videat, cujus phyſiognomiæ & conditionis appareant, ſi ſint teſtes ignoti, ut eò melius interrogativa adverſus eorum perſonam inſtrui poſſint. Sig. Scaccia *de judic. l. 2. c. 8. n. 21. 22.* Poteſt tamen conſvetudine aut ſtatuto introduci, ut teſtes non citatâ parte producantur. Hartmann. Piſtor. *Obſ. 194.*

auditurus juramentum] Partes juramento præſtando præſentes adeſſe poſſunt, non autem examini, qvia id fieri debet in ſecreto *l. nullum C. de teſtib.* König *in proceſſ. c. 77.* Ant. Fab. *Cod. l. 4. tit. 15. def. 52. num. 2.*

qvàm prius] Teſtis igitur juret ante examen, aliàs ejus depoſitio non pobat. Mynſing. *cent. 3. Obſ 80.* König *de proceſſ. c. 76. n. 3.* Ayrer. in *proceſſ. p. 1. c. 8. Obſ. 3. n. 38.* Scaccia *de judic. l. 2. c. 8. n. 533.* Gail. *l. 1. Obſ. 101. n. 9.*

juris jurandi religione firmaverint] Juramentum enim dicendæ veritatis eſt pars ſubſtantialis teſtimonii. Petr. Frid. *de interdict. c. 27. n. 19.* Ruland *de commiſſar. part. 2. lib. 2. c. 11.*

qvantumcunq; religioſus exiſtat] Igitur & Clerici in teſtimonium vocati jurare debent. Virgil. Pingiz. *q. 35.* Carpzov. *p. 1. conſt. 16. def. 69.* Sig. Finkelthaus *Obſerv. 95.* Hahn ad Weſenbec. *tit. de teſtib. n. 5.* imò etiam Cardinales & Epiſcopi. Octavian. Veſtrius *in prax. l. 6. c. 2. num. 6.* Non tamen tenetur ſacerdos revelare confeſſionem ſibi factam. Carpzov. *d. l. def. 70.*

ab adverſâ parte remittatur] Judex tamen, non obſtante remiſſione partis, poteſt adhuc, ſi neceſſarium viſum fuerit, teſti juramentum deferre. Gail. *1. Obſ. 101. n. 5.*

Teſtes recuſantes jurare, ſunt ſub pœna excommunicationis cogendi & juramentum de non deponendo non tenet. ib. d.

§. 7.

b *cap.1.& seq. ext.de test. cogendis.*

§. 7. Qvòd[b] si testes à judice moniti sese vel odio, vel gratiâ, vel timore â ferendo testimonio subtraxerint, per censuras Ecclesiasticas testificari compellendi erunt, nec audientur, qvòd sese, qvo minùs deponant, proprii juramenti vinculo innodatos asserant[c].

c *cap.intimavit.extr. de testib.*

per censuras ecclesiasticas] Ita qvidem fieri volunt â judice Ecclesiastico; â judice autem seculari cogi potest testis indictâ mulctâ & captis pignoribus. Sig. Scaccia *de judic. l. 2. c. 10. n. 102. 105.* Hug. Donell. *l. 25. c. 16.* Frid. Hiltrop. *in proceſſ. part. 3. tit. 9. c. 3. n. 2.* Sed num etiam carcere? Affirmat Scaccia *d.l. n. 106. seq.* Negat post alios Berlichius *part. 1. conclus. 41. n. 31.* nisi nec mulcta nec pignora ab eo haberi possint.

innodatos asserant] i. e. etiamsi juraverint, se nolle testimonium dicere. Qvia hoc juramentum est contra bonos mores & ex se non obligat. Capell. Tholosan. *decis. 241.* & ibi Stephan. Aufrer. *in not.* Wurmser. *tit. 18. Obs. 24.* Gail. *1. Obs. 100. n. 3. 4.*

Diligens debet esse judex in examinando super omnibus qvalitatibus totius causa. h.d

d *cap. licet universis. ext. de testib.*

e *cap. cũ causam. ext. de testib.*

§. 8. Interrogabit[d] ergo judex testes in qvalibet causa ad minus duos (nulla enim causa est regulariter, qvæ unius testimonio qvantumvis legitimo terminetur) eosq; diligenter examinabit[e] de singulis circumstantiis, diligenter inqvirens, de causis videlicet, de personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, & certitudine, cæterisq;, qvæ ad rem facere,

Digitized by Google

cere & negocio convenire existimabit. Illud qvoqve subtiliter animadvertere nõ omittet, qvo vultu, qva constantia, qvâve animi trepidatione testes deponant, cùm interdum ex his, vel ipsis invitis testibus, magis qvàm ex verborum serie rerum veritas elucescat.

ad minus duos] Testium effrenatam multitudinem esse reprimendam *c. 37. X. de testibus.* & judicis id arbitrio relinqvendum. Scaccia *l. 2. de judic. c. 8. n. 710. seq.* Menoch. *de arb. jud. qvæst. cas. 249.* Ant. Fab. *Cod. l. 4. tit. 15. def. 14.* sufficere tamen ad qvemcunq; actum probandum testes duos. Coler. *decis. 120.*

nulla enim causa est regulariter] Unum tamen testem interdum fidem facere notant Doctores, e.g. in causis modicis & levis præjudicii. Tiraqvell. *tr. de judic. in reb. exig. fer. §. ex qvibus.* item in summarissimo possessorio. Berlich. *p. 1. concl. 36. n. 59.* Carpzov. *3. respons. 94. n. 10. 12. 13.* item in probandâ morte peregrinantis aut militantis *Novell. 117. c. 11.* Carpzov. *p. 1. const. 16. def. 38.* Finkelthaus *Obs. 85. n. 3. seq.* item si testetur testis de facto proprio, & nihil ejus interesit, uter ligantium vincat. Ant. Fab. Cod. *l. 1. de prob. c. 48.* Carpzov. *p. 1. Const. 16. def. 39.* Add. Camill. Borell. *tom. 2. tit. 4.* Anton. Gabriel. *l. 1. tit. de testib. conclus. 1.* Anton. Perez *Cod. de testib. n. 17.*

diligenter examinabit] Judex igitur ipse, aut cui ea res commissa est, examini interesse debet. Ventur. de Valent. *in Parthen. litig. of. l. 2. c. 10. n. 29. 30. 31.* nec fidem eam facit examen peractum à Notario absqve commissione judicantis. Scaccia *l. 2. de judic. c. 8. n. 37. seq.* Bernh. Græveus *l. 2. pract. conclus. 102. consid. 1.*

diligenter inqvirens] Qvia igitur talis inqvisitio haberi non potest, sicubi testi in scriptis deponere permittatur, rejicitur iste testandi modus, nisi specialiter alicubi receptus fuerit. Gail. *1. Obs. 100. n. ult.* Rutger Ruland *de Commissar. part. 2. l. 2. c. 15.* Ant. Fab. *l. 4. Cod. tit. 15. def. 52.*

quo vultu, quâ constantiâ] Hoc est, quod rescripsit Hadrianus Imp. testibus se non testimoniis crediturum, & eum qui judicat, magis scire posse, quanta fides habenda sit testibus *l. 3. ff. de testib.* Add. Rutger Ruland *de Commissar. part. 2. lib. 2. c. 23. 24.* Ant. Fab. *Cod. l. 4. tit. 15. def. 52.* Ita testis nimis animosè deponens suspectus redditur. Prosp. Farinac. *de testib. quæst. 60. n. 35. 36.*

Ex causa delegabit judex examen testium. h. d.

§. 9. Si qui tamen eorum, qui interrogandi sunt, valetudinarii[f], vel senes, vel debilitate confecti habeantur, vel etiam ita paupertate depressi, ut ad præsentiam judicis venire non possint, idoneum deliget judex, quem ad suscipiendas illorum attestationes dirigat.

f capit. si qui testiũ. extr. de testib.

paupertate depressi] Paupertas ex se hoc non facit, ut Judex ad eum mittere teneatur. Volunt igitur intelligi hîc pauperem talem, qui nobili ex stemmate cùm ortus sit, propter paupertatem, quâ premitur, hominum conspectum fugit. Add. Ruland *de Commissar. p. 2. lib. 2. c. 5. n. 22.* Sed Cujacius ad *c. 8. X. h. t.* ex antiquâ decretali ita legit: *Si qui paupertate depressi sunt, & non potuerit eos idem ad vestram præsentiam ducere.* Ut sensus sit, si nec ipse, qui eos testes producit, per inopiam possit eos suis sumptibus in judicium producere, cum productio aliàs sumtibus producentis fieri debeat, ut tùm mittatur in domum eorum, qui eos audiat.

idoneum deliget judex] Solet ejusmodi examen sæpè hodiè & ferè ex arbitrio judicis, etiam in criminalibus, aliis committi. Andr. Rauchbar. *p. 1. quæst. 13. n. 38. seq.*

Testes considerantur conditione, naturâ & vitâ. h. d.

c. 1. d. t.

§. 10. Testes verò non omnes recipiendi sunt, sed fideles duntaxat, & idonei. Censentur autem testes conditio-

ditione, naturâ, & vitâ. Conditione, si liber testis sit, non servus: servus enim sæpè metu dominantis veritatis testimonium supprimit. Naturâ, si vir sit, non fœmina: nam varium, & mutabile semper fœmina.

non servus] *l. 8. l. 11. C. de testib.* Idq; etiam in famulis nostris obtinere, vult Fernandus Vasqvius *l. 2. contr. 33. n. 8.* non qvidem, qvod servi sint illi, sed qvod verendum sit, ne metu aut favore domini veritatem supprimant.

non fœmina] Locum hunc desumptum ex cap. *forus in f. X. de V. S.* non simpliciter accipiendum, sed ita intelligendum, ut non facilè fides habeatur sexui fragili, contendit Zoël. *1. ad Digest. tit. de testib. n. 5.* Aliàs enim in causâ civili mulier non prohibetur esse testis. Mascard. *de probat. vol. 2. concluf. 762.* Anton. Fab. *Cod. l. 4. tit. 15. defin. 58.*

nam varium & mutabile] Testimonium tamen fœminæ, si fuerit inculpata & integræ famæ, præfertur testimonio Viri subiectæ fidei & vilissimæ famæ. Vasqv. *2. contr. 30. n. 7.*

Mulieres non sunt in forum trahenda gratiâ testimonii ferendi, sed ad eas est mittendus tabellio, h. d.

§. 11. Cujus tamen testimonium, si qvando necessarium fuerit[g], cùm mulieres honestas ipsa, ac naturalis pudor virorum cœtibus immisceri prohibeat, qvacunq; authoritate testimonii ferendi causâ, vel aliâ, qvæ jure non exprimatur, in judicium personaliter evocari, vel trahi non poterit, sed ad eam mittendus tabellio, & juxta Bonifacianæ constitutionis tenorem procedendum erit.

g *capit. 2. de judic. in 6.*

in judicium personaliter evocari] quanquam [illegible] nonico antiquiori diversum obtinuerit per *c.3.X.de testib.* Vid. Barbos[illegible] *de judic.in 6.*

tabellio] Notarii igitur examen tùm demum valet, quand[illegible] commissum est â judice.

Bonifacianæ constitutionis] quæ est in *d.c.2. de [illegible]*

Testis malæ vitæ caret fide.h.d.

§. 12. Vitâ censetur testis, si innocens sit, & integer: nam si vita bona defuerit, fide carebit.

si vita bona defuerit] Testis igitur scortator non est [illegible] Lanfr.de Oria *in c.quoniam contra falsam 11. vers. testium depositio[illegible] probat.*

Clerici possunt testificari pro Ecclesia, & singulares personæ pro [illegible] tate sua, nisi tamen aliqua causa probabilis impediat.h.d.

§. 13. In summa, qvicunqve jure minimè prohibentur, ad testimonium perhibendum sunt admittendi. Clerici[a] ergo à ferendo testimonio super negocio propriæ Ecclesiæ, vel aliæ singulares personæ, in causa suæ universitatis arcendi non erunt, nisi ad agendum, respondendumve fuerint instituti, vel ipsos alia causa probabilis impedierit.

a *cap.cũ nuncius.ext. de testib.*

super negocio propriæ Ecclesiæ] si commodum inde resul[illegible] non tangit singulos, sed universitatem. Barbosa *in c.12.X. de testib.*

in causa suæ universitatis] Etiam hic distingvendum est [illegible] sectâ & causa principaliter commodũ singulorũ respiciat an nõ respi[illegible] ori n. casu nõ admittitur, qvod testis ita fiat in propriâ causâ. Frotp [illegible]

de testib. quæst. 60. illat. 17. Didac. Covarruv. *pract. qu. 18. n. 4.* Menoch. *de arb. jud. quæst. cas. 106.* Vasqv. *l. 2. contr. 33. n. 12. seq.* Camill. Borell. *tom. 2. tit. 10.* Garf. Maistrill. *decis. 255.*

fuerint instituti] i. e. nisi universitatis nomine agant ipsi vel excipiant.

alia causa probabilis] uti sunt multæ, propter qvas testimonium qvis dare prohibetur.

Monachi de consensu Abbatis, possunt testimonium dicere. h. d.

§. 14. Monachi qvoqve, & qvicunqve sub alterius obedientia constituti sunt, de sui præsulis licentia rectè testimonium dicent. *c. 1. in fin. de juramento Calumn.*

Monachi qvoq;] Hos tamen non esse integros testes, & omni exceptione majores, tenet Vasqvius *l. 2. contr. 33. n. 1820.* Et de Franciscanis, num omninò admitti debeant, dubitatum aliqvando fuisse notat Petr. de Ferrar. *in prax. tit. 10 gloss. 9. n. 18.*

de sui præsulis licentiâ] qvia scilicet monachus ex pravâ consvetudine nec velle habet, nec nolle. *c. non dicatis 12. qu. 1.*

Christianorum testimonia adversus infideles admittuntur, sed non contrà. hoc dicit.

§. 15. Christianorum [b] qvoqve testimonia adversus Judæos in omnibus causis recipienda erunt, nullis sibi contra hoc principum privilegiis suffragantibus. Sed contra Christianũ nec Judæus, nec Paganus, nec Hæreticus, aut aliter infidelis, neq; excommunicatus aut aliter criminosus rectè testimoniũ dicent. [b] *cap. Judæi. ext. de test. & Clem. 1. eod. tit.* [c] *pagani 2. qvæst. 7. c. constituimus 3. q. 5.*

principum privilegiis] Qvæ & â qvibus concessa fuerint ista privilegia, qvæ in constitutionibus suis pungit & perstringit Clemens V. Papa in *Clemens. 1. de testib.* non succurrit jam. Et videtur fortè tale

privilegium in Hispaniis concessum fuisse, ubi Judæorum maxima tùm fuit seges.

contra Christianum nec Judæus] Valere tamen dicit Andreas Vallensis *tit. de testib. §. 2. n. 17.* testificationem Judæi pro Christiano contra Christianum, qvia par esset causa odii. Qvæ ratio cum sufficiens non sit, eò qvod in alterum fortè majore odio ferri possit, non temerè qvid erit admittendum adversus constitutionem generalem. Aliter se res habet jure Saxonico, qvo Judæus contra Christianum testis esse minimè prohibetur. Coler. *decis. 127.* Qvaliter autem formari debeat juramentum, qvo Judæus ad testimonium dicendum coërceri possit; videri potest Marqvardus de Susannis *tr. de Judæis part. 2. c. 5. n. 10.*

nec hæreticus] Admittit tamen ejus testimonium jus civile in contractibus & ultimis voluntatibus, *l. 21. C. de hæret.*

Criminosus perseverans in crimine non potest testificari, emendatus verò in causa civili potest, nisi fuerit reus perjurii, vel nisi sit affectus infamiâ; in causa verò criminali, licet emendatus, difficilius admittitur. h. d.

§. 16. Planè qvod de criminoso diximus, distinctionem recipit: nam si is, cui ab adversa parte opponitur [c], adhuc in ipso crimine perseverat, tam in civili, qvàm in criminali causa ab omni prorsus testificandi officio excludendus erit: si verò sit de crimine emendatus, nec eum comitetur infamia, non est in causa civili, vel etiam cùm de crimine civiliter agitur, præterqvam pro reatu perjurii, repellendus. In criminali autem qvæstione, si in alio judicio contra ipsum accusatione de crimine institutâ confessus, vel convictus fuit, vel si tunc per exceptionem convincatur, aut ejus gravata sit opinio, ex eo qvòd qvan-

c *cap. testimonium. extr. de testib.*

qvandoq; fuit tali modo repulſus, qvamvis hoc caſu non excluderetur in cauſa civili, poteſt à teſtimonio, licet egerit pœnitentiam, removeri.

Planè qvod de criminoſo diximus] De infamibus diverſimodè ſentiunt Dd. Infamiâ ſive juris ſive facti notatum in totum excludunt Canoniſtæ, Civiliſtæ non omnem, ſed eum tantùm, qvi expreſsè prohibitus eſt, *l.3.§.5.l.13.ff.de teſtibus*. Vid. Colleg. Argentorat. *tit.de teſtib.n.6.* Bachov. in Treutl. *vol.2. diſp.5. th.8. lit. B.* Anton. Matthæ. *de crimin.p.733.n.8.* Donell. *lib.25. c.9.* Andr. Vallenſ. *tit.de teſtib.* §.2. *n.16.* Capeil. Tholoſan. *deciſ.174.* Id tamen certum eſt, iſtiusmodi talibus tantam non habendam fidem, qvanta habetur integris vitæ & ſcelerum puris.

crimine perſeverat] De crimine tamen iſto ante omnia convinci debet teſtis *c.13.X.h.t. c.1.X de except.*

in causâ civili] qvalicunq;, etiamſi non rem perſeqvantur, aut qvanti intereſt, ſed pœnam ex delicti cauſa.

pro reatu perjurii] ubi ſufficit, qvod teſtis in alia cauſa pejeraſſe probetur, etſi de perjurio damnatus non ſit.

per exceptionem convincatur] Hoc tamen caſu teſtis infamiam non incurrit, qvia non per modum actionis convictus fuit, ſed tantùm per modum exceptionis, qvalis exceptio, qvantumvis famoſa ſit, infamem non facit. *arg.l.21.ff.de his qvi not.inf.*

qvamvis hoc caſu] Ratio differentiæ eſt, qvia criminalia judicia civilibus ſunt graviora, & hinc major teſtium delectus eſt habendus.

Validum ab initio tractu temporis non infirmatur, etiam nova ſuperveniente causâ. h. d.

§. 17. Illud in dubium non venit, ejus teſtimonium, qvi integer depoſuit, infringi, debilitarive minimè poſſe, qvanqvam illum poſt depoſitionem factum eſſe contigerit criminoſum. Nec enim qvod rectè ſemel

semel factum est, ex hujusmodi eventu postea debet infirmari, cùm culpandus non sit, qvi idoneum, nunc in testem producit, si aliqvando eundem futurum malum non divinaverit.

qvanqvam illum post depositionem] Testium enim qvalitas ex eo tempore dijudicatur, qvo testimonium dictum est, num integram adhuc inter cives habeant opinionem. Hâc ratione, ut maxime aqvis tempore depositionis infamis fuerit, si pro tali habitus eo tempore non est, testimonium ejus non infirmatur. Andr. Vallens. *d.l.n.15.* Multo minus igitur rejiciendum erit testimonium ejus, qvi eo tempore, qvo in testimonium vocatus fuit, nihil tale commisit, ex qvo infamia inferri possit. Qvamqvam de sententia Vallensis adhuc valdè dubitem, nec locum eam habere putem, nisi cùm lis tota fuerit decisa. Et omninò contrarium ejus sententiæ statuit Gailius *l.1.obs.105.n.8.*

Domestici & similem habentes causam, non possunt esse testes. h.t.

a *cap. in literis. extra. de testib.*
b *cap. personas. extr. de testib.*

§. 18. Domestici qvoq; [a], & qvi similem habentes causam consimili qvoq; morbo [b] verisimiliter laborare existimandi sunt, si certum id sit, aut super eo legitimè convinci possint, si ab alterutra partium testes adducti fuerint, ad testimonium admittendi non erunt.

Domestici qvoq;] Domestici dicuntur tribus modis, propter necessitudinem & conjunctionem arctissimam, ut pater & filius, maritus & uxor, cognati &c. 2. cui qvis imperare potest, ut servus, famulus, propriè coloni, laboratores, mercenarii. Bachov. ad Treutl. *vol.2. disp. lit.F.* Hahn ad Wesenbec. *tit. de testib. n.3.* Nulli eorum facilè admittuntur, vel propter subjectionem & obedientiam, vel propter affectionem. Admittuntur tamen qvandoq; & inprimis in his negociis, qvæ domi & secreto geruntur neqve per alios testes probari possunt, aut qvando agitur de innocentia. Anton. Fab. *l.4.Cod.tit.15. def.7. n.2. & def.60.* Sichard *in l. fin.*

n.4. C. de jur. delib. Alvar. Valaſc. *deciſ.45.* Coſtal. *in l.4. ff. de teſtib.* Cothman *Conſil.15.n.46.* Maſcard. *de probat. vol.1. concl.533.n.15.*

Non poteſt qvis eſſe teſtis in cauſa, in qvâ fuit advocatus, vel procurator. hoc dicit.

§. 19. Is qvoq;[c], qvi in prima inſtantia alicujus cauſæ advocationem & patrocinium ſuſceperit, licet advocatus & procurator eſſe deſierit, qvia tamen adhuc affectus cauſæ præſumitur, in judicio appellationis in teſtem recipiendus non erit.

c *can.2. §. teſtes. verſ. patroni. 4. q. 3.*

patrocinium ſuſceperit] Advocatus teſtis in cauſa Clientis eſſe nec poteſt, nec debet, ne jura clientis & ſecreta cauſæ revelare teneatur. Anton. Fab. *Cod. l.4. tit.15. def.19.* Richter *deciſ.85.* niſi conſtet, qvod ob eam cauſam patrocinium ejus petitum fuerit, ne teſtimonium dicere cogi poſſet. Fab. *ibid. n.3.* In illis igitur capitulis, qvæ ante patrocinium vel poſt illud cognita habet, tenetur deponere. Berlich. *deciſ.101. n.6.7.* Add. Annæ. Robert. *l.2. rer. jud. c.19.* Coſtal. *in l. ult. ff. de teſtib.* Surd. *deciſ.190.* Borell. *tom.1. tit.85.n.74.* Vaſqv. *2. contr.33.* Arum. *deciſ.10.* Reuſner. *p.2. conſ.22.n.17.18.*

Ad teſtes examinandos etiam tres dilationes dari poſſunt, & ex cauſa etiam qvartam, ſub certo tamen jurejurando. h.d.

§. 20. Dabunt autem judices tam in Eccleſiaſticis, qvàm in civilibus cauſis ad exhibendos teſtes, non ſolùm unam, ſed ex cauſa ſecundam etiam & tertiam dilationem: qvartam[d] verò diſceptantibus non largientur, niſi præſtito ab eo, qvi poſtulat, juramento, qvòd non per calliditatem aliqvam qvartam productionem poſtulet, ſed qvia illorum, qvos inſtat nunc de novo producere, priùs notitiam habere ne-

d *cap. pen. ext. de teſtib.*

Digitized by Google

qviverit, qvodq; neqve per ſe, neq; per alium teſtificata ſubtraxerit, vel didicerit: qvo caſu qvartam qvoqve dilationem accommodabit judex, maximè ſi productioni teſtium non fuerit à partibus renunciatum [e].

[e] *cap. conſtitutis. in fin. ext. de teſtib.*

ſed ex cauſa] Singulæ enim dilationes debent dari cum cauſæ cognitione, & cognitio ea ſemper debet accuratior eſſe in poſterioribus, qvàm in prioribus. Scaccia *de judic. l. 2. c. 3. n. 119.*

tertiam dilationem] Non ergò prorogari debet dilatio prima, eò qvod ſecunda & tertia dilatio adhuc dari poteſt, & qvarta etiam prævio juramento. Qvæ, ſi nec tùm paratus fuerit producens, etiam prorogari poteſt, ex certa & prægnanti causâ, prævio ſimili juramento. Gail. *lib. 1. obſ. 91.* ubi ſimul tempora dilationum concedendarum, pro diſtantiâ locorum & perſonarum arbitrio judicis committit. Add. Græveum *ad Gail. d. l.*

juramento] qvod ideò reqviritur, qvia ſuſpicio eſt, ne cognitis teſtium dictis ſubornentur alii, qvi veritatem teſtimoniorum evertant, vel addendo aliqvid, qvod priores teſtes non dixerunt, vel ex dictis qvædam immutando. Vid. *Novell. 90. c. 4.*

Multa conceduntur, ne probationes intereant, qvæ aliàs non concederentur qvod probatur hic tribus exemplis. h. d.

§. 21. Siqvidem ne probationes depereant, multa permittuntur, qvæ alioqvi non concederentur, ut ecce [f], ſi is in cauſa judex datus fuerit, qvem in teſtem produci ſit neceſſarium, removendus, & alius in ejus locum ſubſtituendus erit. Sic & aliàs citato adverſario [g] recipiuntur, & publicantur teſtes, qvos reus inducendos duxerit. Sic & Eccleſia neceſſa-

[f] *cap. dilecto filio. extra. de teſtib.*

[g] *cap. ſignificavit extra. de teſtib.*

riæ

riæ probationis omisſione læſa, etiam adverſus Eccleſiam reſtituenda erit. *c. auditis. de in integrum reſtitutione.*

removendus] ſi remotio petatur ante litis conteſtationem. Poſtea enim non conceditur, maximè poſt didicita teſtificata, poſt qvæ cauſæ judex in teſtem produci non poteſt. Joh. Bapt. Coſta *de remed. ſubſid. c. 70. illat. 2.*

citato adverſario] Citatio etiam hic eſt neceſſaria, ſi non ſit periculum in mora, Gail. *l. 1. Obſ. 94. n. 4.* Add. Scacc. *de judic. l. 2. c. 8. n. 146. 185.* Speckhahn *cent. 2. claſſ. 4. q. 30. 31. 32.* Et citatio iſta diſertè exprimat, productionem fieri debere ad perpetuam rei memoriam. Berlich *1. concl. 46. n. 32.*

& publicantur teſtes] Deſumpſit auctor hæc ex inſcriptione *c. 41. & c. 43. X. de teſtibus.* Et hinc plurimi Doctores inter productionem teſtium ad perpetuam rei memoriam factam ab actore, & inter eam, qvæ fit à reo, differentiam ſtatuunt hanc, qvod ex parte rei factæ depoſitiones illicò publicentur, cum actoris atteſtata demum poſt litem conteſtatam publicari debeant. Scaccia *d. l. n. 172.* Proſp. Farinac. *de teſtib. qv. 75. n. 233.* A qvibus ſaniores pleriq; diſſentiunt, Speculat. *tit. de teſte §. nunc tractemus n. 5.* Berlich. *1. concluſ. 46. n. 55. 56.* Coler. *deciſ. 299.* inprimis ex eo, qvod deterior ita fieret conditio rei, dum omnis ei ulterior probatio præſcinditur, & atteſtata ejus aperiuntur, anteqvam qvicqvam probaverit actor. Accedit, qvod in hanc rem textus allegari poſſit omninò nullus, ut meritò hîc diſceſſus faciendus ſit ab auctore.

qvos reus] Uterq; tum actor tùm reus teſtes producere poteſt ad perpetuam rei memoriam. Sed actori tamen id non licet, niſi certis caſibꝰ, ut ſi teſtes ſint ſenes, valetudinarii, peregrinaturi ad loca remota, aut ſi aliter actor impediatur agere. Berlich *d. l. n. 7. ſeq.* Reus verò indiſtinctè petere tale examen ex ſua parte poteſt, qvia ſc. non eſt in ejus poteſtate, qvando ab actore conveniatur. Rutger Ruland *de commiſſar. part. 2. l. 1. c. 3. n. 4.* Hartm. Piſtor. *l. 1. q. 39.*

etiam adverſus Eccleſiam] contra vulgatum juris axioma, qvod privilegiatus contra pariter privilegiatum non utatur privilegio ſuo.

Publicato processu non possunt testes examinari super eisdem, nec in prima, nec in secunda instantia secùs super emergentibus de novo. b. d.

§. 22. Elapsis igitur tribus dilationibus, postqvam renunciatum est probationibus, & publicata dicta testium, regulariter producendi testes rursus non erit danda copia. Et sicut [h] non licet super eisdem, vel directò contrariis articulis, alios, vel eosdem testes in principali causa producere: sic non debet in causa appellationis licere, cùm non minùs in ea, qvàm in principali testium sit timenda subornatio. Qvòd si [a] nova contingat emergere capitula, super qvibus partes testes novos velint inducere, recepto solenni juramento testium, non obstante publicatione super veteribus factâ, nec in primo, nec in secundo judicio rejiciendi erunt.

c. cum venisset. de testibus.

h *clem. 2. de testib.*

a *cap. cùm causam. extr. de testib.*

Elapsis igitur tribus dilationibus] Videtur hic autor in mente habuisse authenticam *jubemus C. de judic.* sed qvam non de probationibus, verum de allegationibus juris ad judicem faciendis intelligunt Interpretes, Sichard. *n. 2.* qvæ tamen parum aut nihil prosunt. Gail. *1. Obs. 107. n. 13. 14.* qvod idem de scriptis probatoriis censet Adam Keller *de offic. juridico polit. l. 2. c. 29. n. 6.* vocans ea Narrenwerck und unnütz Geschwätz.

postqvam renunciatum est probationibus] Si allegationibus juris renunciatum est, non obstante istâ renunciatione allegationes adhuc fieri possunt. Sed si probationibus renunciatum est, non erunt illæ admittendæ, nisi legalissimi testes omni exceptione majores producantur. Sichard. *d. l. n. 11.* Hiltrop. *de proceff. part. 3 tit. 28.* Ista renunciatio hodiè utplurimum fieri solet per conclusionem in causa, de qva vid.

vid. Ilic. Ummius *in proceſſ. diſp. 19. th. 1.* Græven ad Gail. *1. conclus. 107.* Ruland *de Commiſſ. p. 1. lib. 6. c. 3. 4.* Scaccia *de judic. l. 2. c. 12. n. 5. & 11.*

& publicata dicta teſtium] De publicatione vid. Ruland *de commiſſ. part. 1. l. 6. c. 1. & 2.*

regulariter producendi teſtes] Dicit, *regulariter*, qvia dantur caſus, qvibus etiam poſt didicita atteſtata audiri adhuc poſſunt teſtes, qvos enumerat Ant. Faber *Cod. l. 4. tit. 15. def. 5.* Joh. Bapt. Coſta *de fact. ſcient. cent. 1. diſt. 72.* Surdus *deciſ. 126.* Moller. *p. 1. conſt. 21. n. 4.* Berlich. *part. 1. conclus. 40.* Gail. *l. 1. Obſ. 105.* Joh. Aloyſ. Riccius *deciſ. 132.* Fern. Vaſqv. *l. 5. ſ. 31.* Ant. Teſſaur. *deciſ. 28.*

non erit danda copia] Ratio eſt, qvia facilè fieri poteſt, ut ſubornatis teſtibus dicta invertantur, vel addendo aliqvid, qvod priores teſtes non dixerunt, vel ex dictis qvædam immutando.

vel directò contrariis] non minus enim hîc metuenda eſt ſubornatio, ac ſi ſuper articulis teſtes examinarentur. Carpzov. *p. 1. conſt. 21. def. 3. n. 2.* ubi *defin. ſeq. 4.* concludit, ſuper articulis indirectè contrariis teſtes admitti in appellationis inſtantiâ.

in cauſâ appellationis] Plurimi faciunt hîc diſcrepantiam inter jus civile & Canonicum. & jure civili etiam ſuper iisdem capitulis in inſtantiâ appellationis teſtes examinari poſſe contendunt, Dd. *in l. per hanc C. de temp. appell.* Unde nonnulli putant, jus Canonicum tantùm in foro Eccleſiaſtico, non verò in terris Imperii obſervari debere. A qvibus diſſentit Hartm. Piſtoris *part. 4. qv. 24.* Add. Mynſing. *1. Obſ. 41.* Cacheran. *deciſ. 14. n. 2.* Wurmſer. *tit. 18. obſ. 27.* Ruland. *de commiſſar. 1. c. 2. n. 13.*

Qvod ſi nova] Illa tamen capitula nova debent dependere ab illis, qvæ in articulis veteribus continebantur, & ad cauſam facere. Auguſtin. Barboſ. *in c. 17. n. 2. X. de teſtib.* Petr. de Ferrar. *in pract. Pap. tit. 12. gloſſ. 13. n. 5.*

rejiciendi erunt] Si rejiciantur, conſulit Berlichius, ut novus libellus concipiatur & nova actio inſtituatur. *p. 1. concl. 51. n. 13.*

Qvaliter, & qvando poſſit in teſtes objici. hoc dicit.

§. 23. Sed interdum accidit, ut eos, qvi jure in teſtes re-

cipi non debuerant, admiſſos tamen eſſe ab aliqva partium prætendatur: in qva ſpecie ſtatutum eſt[b], ut ſi qvid in eos habent, ante publicationem debeant objicere, poſtea verò tunc demum id licebit, cùm juramento partes firmaverint, qvòd non dolo velint ad opponendum deſcendere. Sed & ſi oſtendere qvis paratus fuerit, poſt publicationem didicisſe ſe, qvod in perſonas vult objicere, tunc qvoq; opponendi patêre debet aditus. Idem juris eſt, ſi fortè qvis ante publicationem id fuerit proteſtatus. Cæterum cùm qvis proteſtatus fuerit, velle ſe poſt publicationem depoſitionum perſonas teſtium repellere, ſi qvid in favorem proteſtantis dixerit, non de facili fides adhibebitur.

b *cap. præſentium. extr. de teſtib.*

Sed interdum accidit] Deſumpſit hæc autor ex *c. 31. X. de teſtib.* & multo prolixius iſta exponit, qvàm ipſum capitulum, ex ſe ſatis clarum & perſpicuum. Hoc tamen capitulum non obſervari in Camerâ docet Gail. *1. obſ. 87. n. 5.* & qvod etiam omiſsâ tali proteſtatione, exceptiones poſt publicationem rotuli tàm contra dicta, qvàm perſonas teſtium admittantur.

ſi qvid in favorem proteſtantis dixerit] Ex hoc paragrapho conficit Cujacius *ad d. c. 31.* eum, qvi poſt publicationem teſtes refellit contra ſe productos, non poſſe poſtea eos pro ſe ipſo producere ullâ in causâ. Qvod ſanè non videtur ex his verbis elici poſſe, ſed hic eſt ſenſus, non facilè credendum teſti rejecto, ſi qvid pro rejiciente depoſuerit, qvod ſc. rejiciens eum probare omnino noluerit. Et poſſe me teſtem, qvem reprobavi, deinceps producere, oſtendit Nic. Boër. *deciſ. 245. n. 5. 6.*

Teſtes

Teſtes probatorios, & reprobatorios probatoriorum reprobare licet, ſed reprobatorios reprobatoriorum non licet. h.d.

§. 24. Illud [c] etiam admonendi ſumus, qvòd non ſolùm teſtes ſuper principali negotio deponentes aliis teſtibus licebit repellere, ſed etiam contra ſecundos primorum reprobatorios probationes proferre licebit. Et non admittente judice, appellationis remedium licitum erit interponere. Ulteriùs autem partibus ad reprobationem teſtium aſpirare minimè licebit, ne, ſi producendi qvartos contra tertios, & ſic deinceps partibus licentia tribuatur, negocium contingat in infinitum protelari.

[c] *cap. licet. el 3. extrav. de teſtib.*

Ulterius autem] Primos ſecundi poſſunt refutare, & ſecundos tertii. hos tertios autem refutare permiſſum non eſt, ut lis aliqvando finiatur. Duæ ergo teſtium refutationes hinc inde admittuntur, tertia improbatur, cùm tamen non improbetur tertia teſtium productio. Ratio differentiæ eſt, qvia favorabilis eſt probatio, odioſa teſtium impugnatio.

Qvaliter judex penſare debet dicta teſtium, & qvòd poteſt illos repetere, & interrogare, usqve ad ſententiam. h.d.

§. 25. Publicatis igitur atteſtationibus, non ſolùm [d] ad multitudinem teſtium reſpicere judicem oportet, ſed etiam ad qvalitatem illorum: item depoſitiones rimari, & diligenter inſpicere debet, & ex his, qvibus potiùs veritatis lucem aſſiſtere judicabit, animi ſui motum

[d] *cap. in noſtra. & cap. cum causã. ext. de teſt.*

motum informabit, qvòd ſi circa alicujus teſtis dictum judicis hæſitet intellectus, eundem rurſus ad examen revocare poterit. Et generaliter, judex usqve ad prolationem ſententiæ interrogare ſub facto poterit, ubicunqve aliqvid dubitationis [a] inciderit.

c. *cum Johannes. in fin. de fide inſtrũ.*

a *cap. cum clamor. extra. de teſtib.*

ſed etiam ad qvalitatem illorum] eleganter Arcadius JCtus in *l. 21. §. fin. ff. de teſtib.*

eundem rurſus] Imò poteſt judex ex officio poſt publicatas atteſtationes etiam alios teſtes recipere & examinare. Berlich. *t. concluſ. 40. n. 24.* qvò facit *c. 53. X. h.*

Teſti ſtatim ſeipſum corrigenti non adimitur ob id fides, & poteſt judex teſtem repetere ſuper omiſſis. h. d

§. 26. Eum qvoqve, qvi non ſtudiosè, ſed lingvæ lubrico erraverit, & ſeſe confeſtim correxerit, reprobare judex non decet: ſecùs autem, ſi correctioni ſuæ tempus interpoſuerit. Repetere autem non ſolùm obſcurè [b] deponentem poterit, ſed etiam [c] ſi à principio ſuper certis capitulis eundem interrogare poſtulante adverſario, vel negligentiâ, vel calliditate prætermiſerit.

c. *præterea. in fin. de teſtibus cogend.*

b *ſuprà §. præcedere. in fin.*

c *cap. per tuas. extra. de teſtib.*

confeſtim] i. e. anteqvam diſceſſerit à judice, & de temporis intercapedine, qvatenus ex eâ teſtis argui poſſit, judicis arbitrio committendum eſt.

certis capitulis] Omiſſio igitur interrogatoriorum non vitiat examen

Digitized by Google

examen,ſed remanet facultas parti,ut poſtulet repeti teſtes ad interrogatoria. Mynſing.*1.Obſ.32.*

Probationes fiunt non ſolùm teſtibus,ſed & inſtrumentis. & inſtrumentorum appellatione non largè ſumptâ continentur ſolùm ſcripturæ, qvæ in judicio exhibentur.h.d.

§. 27. At ſi partes vivæ vocis adminiculo in probando deſtitutæ fuerint,ad inſtrumentorum productiones decurrere eas oportebit: & licet inſtrumentorum adeò latè pateat appellatio,ut hoc nomine etiã teſtes contineantur, qvippe & ipſi cauſam inſtruunt,nos tamen in præſenti pro ſcripturis in judicio exhibendis magis utimur,qvæ qvidem in litibus exercendis eandem cum depoſitione teſtium vim obtinent.

ad inſtrumentorum] qvæ vox mortua dicuntur. Azo *in ſumm. de fid. inſtrum.*

etiam teſtes contineantur] *l. 1. ff. de fid. inſtr.* Philipp. Maſin.*ad l.1.C.de edend.n. 2.* Petr.Frider.*de proceſſ.lib.2.c.59.* Jac. Bornit. *l. 1. de confect.inſtr.c.1.2.*

Inſtrumenta poſſunt exhiberi usqve ad concluſionem in cauſa.h.d.

§. 28. Exhiberi autem [d] in jure poterunt inſtrumenta, non ſolùm ante atteſtationum publicationem, ſed & poſtea usq; ad diffinitivum ſententiæ calculum:antea tamẽ, qvàm in cauſa concluſum fuerit. In cauſa [e] autem concluſum eſſe tunc dici-

d *cap.cum dilectus.extr. de fide inſt.*

e *gloſſ. in d. cap.cum dilectus.*

cimus; cùm à partibus omnibus probationibus renunciatum fuerit.

ſed & poſteà] qvâ ratione differt probatio per inſtrumenta, à probatione, qvæ fit per teſtes, qvæ poſt publicationem atteſtatorum repeti non poteſt. Ratione enim inſtrumentorum nullus ſubeſt timor ſubornationis, uti ſubeſt in teſtibus. Gail. *1. Obſ. 105. n. 4.* Inſtrumenta tamen, qvorum in libello fit mentio, ſtatim produci debent. *l. 1. ff. de edend.* Socin. *reg. 150.* Donell. *23. com. 6.*

usqve ad diffinitivum] h. e. usqve ad ſententiam. Sed poteſt tamen qvandoq; etiam poſt ſententiam inſtrumentum produci & inprimis illud, qvod liberationem continet. Dan. Moller *p. 1. conſt. 17. n. 13.*

Scriptura ſolùm publica in judicio fidem facit, & qvæ ſit ſcripturæ publicæ. h. d.

§. 29. Non tamen omnis ſcriptura in judicio producta fidem faciet, ſed ita demum [f], ſi per manum publicā ſcripta fuerit, ita ut appareat publica, aut authentico ſigillo muniatur: alioqvi nullius roboris firmitatem obtinebit.

[f] *cap. 2. extr. de fide inſtrum.*

ſi per manum publicam] imò etiam privata ſcriptura, cæteris paribus, plenam facit fidem. Vid. Berlich. *1. concluſ. 36. n. 25. ſeqq.* Barboſ. *ad c. 2. X. de fid. inſtr.*

ita ut appareat publica] Non opus eſt, ut integra ſcriptura manu Notarii ſit exarata, ſed poteſt Notarius alteri non Notario committere ſcripturam, modò ipſe poſtea ſubſcribat. Scaccia *l. 2. de judic. c. 11. n. 540. 568 570.*

aut authentico ſigillo] Sigillum utiqve hic intelligendum eſt publicum. Unde publicum inſtrumentum communiter dicitur, qvod aut publicè confectum eſt, h. e. à publicis perſonis, aut publicâ firmatum eſt autoritate. Bernit. *de inſtrument. l. 2. c. 6.*

Exem-

Digitized by Google

Exempla ſolenniter ſumpta, fidem faciunt.h.d.

§.30. Idem [g] & de exemplis dicendum erit, qvæ tamen, ſi ſolenniter ſumpta fuerint, eandem cum originalibus habitura ſunt authoritatem. Solenniter autem tunc dicentur ſumpta [h], cùm coram ordinario judice, vel ad hoc ab ipſo ſpecialiter delegato præſentata fuerint, atqve is diligenter inſpecta, dum nullâ parte ſui vitiata comperit, per publicam perſonam exempla ſumi præcipit.

g *gloſſ. 2. cap. 1. extrav. de fide inſtr.*

h *cap. fin. ext. de fide inſtrum.*

Solenniter autem] Mynſingerus *cent. 6. Obſ. 73.* iſta reqviriti: ut judex perſpecto originali cognoverit, id validum eſſe ac ſolenne, plenamq; fidem mereri. 2. ut judex in formam publicam redigi præcipiat. 3. ut traductio fiat ex juſtâ cauſa. 4. ut exemplator ſit notarius. 5. ut exemplatio â judice mandetur. 6. ut citentur, qvorum intereſt. Add. Scaccia *de judic. l. 2. c. 11. n. 626. ſeqq.* Ant. Fab. *Cod. l. 4. tit. 16. def. 12.*

Redacta in publicam formam poſt mortem tabellionis faciunt fidem. h. d.

§. 31. Eandem etiam authoritatem & ea obtinebunt, qvæ ad petitionem eorum [i], ad qvos pertinent, permiſſu judicis ordinarii in publicam formam redacta fuerint, ſi tabellio morte præventus ea non perfecerit, ſed in notas tantùm redacta moriens reliqverit.

i *cap. pen. ext. de fide inſtrum.*

ſed in notas tantùm redacta] Regulariter inſtrumentum ſubſcriptum nullam facit fidem, licet reperiatur in protocollo Notarii. Ant. Fab. *Cod. lib. 4. tit. 16. def. 21. n. 1. 2.* Receptum tamen eſt, ut ex eo alius notarius conficere Inſtrumentum & deſcribere poſſit, non tamen niſi judicis au-

Digitized by Google

toritate. Bornit. *de instrum. l. 3. c. 4. & lib. 5. c. 6.* & vocatis iis, qvorum interest Ant. Fab. *d. l. def. 28.* Berlich. *t. concluſ. 36. n. 107. 108.* Et exhinc protocollum Notarii publicam fidem facit, eò qvod mors notarii vim ſigni & ſubſcriptionis habeat. Gail. *2. Obſ. 43. n. 4.* qvæ tamen ratio meo judicio non ſatis apta videtur.

Inſtrumentis non vitiatis, & de vitio non ſuſpectis creditur, & error unius literæ, & raſio in loco non ſuſpecto, non vitiat inſtrumentum. h. d.

a *cap. inter dilectos. extr. de fide inſtrum.*

§. 32. Exhibebuntur[a] ergo inſtrumenta publica non cancellata, neqve abolita, nec ullâ parte ſui vitiata, aut aliqvo pacto de falſitate ſuſpecta, qvanqvam ſi exceptor literam[b] imprudens omiſerit, aut documentum in loco non ſuſpecto[c] interleverit, non propterea veri fides, & inſtrumenti authoritas vacillabit.

b *cap. ex parte. ext. d. tit.*

c *cap. ex literis. d. tit. extrn.*

non cancellata] Cancellatio propriè dicitur, qvando per modum crucis ſcriptura deletur. & tùm vel tota ita deletur, vel ex parte tantùm. Si tota, pro abolita habetur & nihil amplius infert. Si ex parte tantùm, ſuſpecta redditur, niſi in partibus minus principalibus & citra dolum cancellatio iſta facta appareat. Bornit. *de inſtrum. part. 2. lib. 2. c. 26.*

de falſitate ſuſpecta] Ex qvibus ſuſpicionibus falſitas inſtrumenti arguatur, vid. Menoch. *de arb. jud. qvæſt. l. 2. caſ. 187. n 34. ſeqq.*

in loco non ſuſpecto] Raſura in loco inſtrumenti ſubſtantiali vitiat totum. Socin. *reg. 2.* Menoch. *d. l. n. 40.* Barnab. Cornazzan. *deciſ. 163.* Camill. Borell. *conſ. 23. n. 6.*

Ad ſupplendum probationem poteſt jusjurandum deferri. h. d.

d *cap. fin. de jurejurando.*

§. 33. Qvòd[d] ſi nec teſtibus, nec inſtrumentis intentionem ſuam actor legitimè deduxerit, permittente judice

judice non plenæ probationes jurisjurandi religione ſuppleri,& cauſa terminari poterit. Nec enim aliud eſt juramentum,qvàm veritatis confirmatio, cùm aliqvid Deo teſte aſſeritur.

permittente judice] imò jubente. Qvanqvam enim nonnulli ſtatuant,non poſſe juramentum ſuppletorium à judice parti imponi, niſi ab eâ petitum fuerit. Schurff.*conſ.47.cent.2.n.1.ſeq.* Ant.Fab.*Cod.lib.4. tit.1.def.* 8. verior tamen eſt ſententia eorum,qvi etiam non petente parte judicem ex officio id imponere teneri contendunt per *l.3.C.de R.C.* Carpzov.*part.1.c.23. def.2.* Moller *p.1.conſt.22.n.5.6.*

non plenæ probationes] Ut juramento ſuppletorio locus ſit,ſemiplena adeſſe debet probatio,qvalis eſt, ſi vel unus teſtis adſit,dummodo integræ exiſtimationis, nec contrariâ ullâ præſumptione is, qvi teſtem habet,oneretur. A. Fab. *Cod. l.4. tit.1.def.4.* Minima enim præſumptio juramentum tale excludit.Ant.Fab *d.l.def.18.* Joh. Bapt. Coſta *de remed.ſubſid.c.96.97.* Ad ſemiplenas probationes pertinent etiam ſcriptura privata, comparatio literarum,confeſſio extrajudicialis, & ſimilia.Sichard. *in l.3.n.13.ſeq.C.de R.C.*

Juramentum aliud voluntarium,aliud neceſſarium & neceſſarium, niſi ex cauſa, recuſari non poteſt.h.d.

§. 34. Sed cùm ſit juramentum multiplex, duplex tantùm in propoſito conſiderari poterit[e]: aut enim eſt neceſſarium, aut voluntarium. Neceſſarium eſt, qvod ad ſupplendas probationes à judice parti defertur: qvod propterea neceſſarium nuncupatur, & qvòd à judice illud omnino deferri partibꝰ oportet, & qvòd ritè delatum ab eisdem, niſi ex juſtis cauſis, recuſari non poterit.

[e] *gloſſ.1. cap. fin.extr. de jurejuran.*

Sed cum sit juramentum multiplex] Omne qvidem juramentum confirmationem aliqvam in se habet,& ita unius generis est, sed ratione tamen objecti est vel confirmatorium vel promissorium vel decisorium. Priores duæ species res non controversas,tertia lites & controversias concernit. Franzk. *ad tit. ff. de jurejur. n. 35.* Et hanc ultimam solam hic considerat autor.

aut enim est necessarium] De nominibus hisce,necessarium,voluntarium,judiciale, vid.Donell. *l. 24.c.24.*

deferri partibus oportet] Non ergo præstatur id permittente judice,qvod paulo supra volu t autor ; sed judicem deferre id oportet, aliàs appellare poterit actor.Sichard.*ad rubr. C. de probat. n. 7.* Fachineus *l. 1. contr. 16.*

recusari non poterit] Habetur enim pro confesso , aut causam amittit,qvi jurare non vult sine justâ causâ.

Qvæ sint justæ causæ recusandi juramentum.h.d.

c.2. de probat. §. 35. Sunt autem justæ recusandi causæ,utputà si actor plenè probaverit,aut si sibi non plenè cognitam rem ipsam asserat:&,si qvæ sunt hujusmodi.

si sibi non plenè cognitam] Num ergo jurari tali casu non poterit de credulitate?Imò verò potest.Vid.Carpzov. *p.1. const.23.def.8.*

si qvæ sunt hujusmodi] e. g. si dicatur non ritè concepta juramenti formula.

Si pro reo sunt præsumptiones,sibi deferendum est juramentum , nisi aliter judex arbitretur.h.d.

f *cap. fin. §. fi. extra. de jurejuran.* §. 36. Sed & si f pro reo præsumptiones fuerint,eidem sacramentum judex deferet ad suam tuendam innocentiam,nisi,inspectis personarum & causæ qvalitatibus,illud actori deferendum censeat.

Sed

Digitized by Google

Sed & ſi pro reo præſumtiones] qvæ faciunt, ut judex in alterutram partem propendeat. Actori enim deferendum eſt juramentum eo caſu, qvando reus intentionem ejus ſimpliciter negavit, ille verò ſemiplenè probavit. Reo verò, ſi intentionem actoris per ſe qvidem veram eſſe concedat, ſed per oppoſitam exceptionem ſemiplenè probatam, cur damnari non debeat, oſtendat. Franzk. *ad tit. ff. de jurejur. n. 135.*

inſpectis perſonarum] in paribus probationibus honeſtiori & minus ſuſpecto, ut: maſculo potius qvam fœminæ imponi debet juramentum. Donell. *l. 24. c. 11. n. 9.* Hartm. Hartmann. *tit. 25. obſ. 6. n. 9. 10.* Ludov. Roman. *in repet. l. admonendi n. 102.*

Voluntarium juramentum eſt, qvod defertur à parte parti, qvod deferenti poteſt referri, niſi ſimus in famoſis actionibus. h. d.

§. 37. Voluntarium [g] eſt, qvod à parte parti in judicio defertur: qvod qvia litem terminat, deciſorium qvoq; nuncupari poterit. Et appellatur voluntarium, qvia pars non niſi volens deferet, & ab eo, cui defertur, licitè recuſari ac referri poterit. Planè [h] ſi reus famoſis actionibus conventus fuerit, hujusmodi jusjurandum agenti referri minimè permittetur, cùm non actor, ſed ipſe, qvi convenitur, facti proprii conſcius eſſe debeat.

[g] *d. cap. fin. in gloſſ. l. de jurejuran.*

[h] *capit. fin. in prin. ext. de jurejuran.*

in judicio] ad differentiam juramenti extrajudicialis, qvod à parte parti extra locum judicii defertur, idq; recuſari qvidem liberè, ſed nullâ ratione referri poteſt. Franzk. *d. l. n. 110.*

deciſorium qvoq;] atqvi generale hoc eſt vocabulum, qvod etiam neceſſario juramento tribuitur.

licitè recuſari] Regulariter juramentum delatum recuſari nequit *l. 34. §. 6. ff. de jurejur. l. 9. C. eod.* Dantur tamen aliqvi caſus, qvorum tredecim

decim refert Gilkenius *in l.12.§.1. C.de R. C.* Autor autem recusandi potestatem ita videtur intelligere,qvod scil. recuset ille, qvi juramentum delatum refert„

ac referri] Relatio juramenti non semper habet locum , inprimis, qvando is , cui delatum est juramentum , meliorem habuerit rei notitiam,qvàm deferens. Paul. Granut. *theorem.10. n.25. 26.* Menoch. *l.1. de arb. jud.qvæst. cas.89. n.7.* Sic & ubi semel relatum fuerit,referri ulterius neqvit *l.34.ff.de jurejur.*

si reus famosis actionibus] juramentum in actione famosâ deferri posse, Dd. probant non tantùm ex *c.fin.X.de jurem.* sed etiam ex *l.9.§.1.ff.de jurejur.* Vincent.Carocc.*de in lit.jur.qv.21.* Sed Interpretes juris Saxonici hoc casu delationem non admittunt. Reinh. Rosa ad Dan. Moller. *l.4.const.42.n.14.* Carpzov. *p.1.const.12.def.31.*

Ponit exempla plura , in qvibus probationes respiciunt personam judicis, hoc dicit.

§. 38. Judicis inspectione consistunt probationes : utputà , cùm pro terminandis finalibus qvæstionibus propriis oculis loca judex subjicit,aut ex aspectu corporis ætatem colligit , aut cùm ex literis Ordinarii, vel Apostolicis excommunicatus , aut dignitatibus honestatus qvis deprehenditur, vel cùm ad probandam virginitatem ab honestis , & prudentibus matronis,vice suâ judex inspici mulierem jubet.

c. literis.de probat.in Clement.

c.cum propofuisti.c.causam matrimonii, de probat.

Judicis inspectione] Hanc probationem esse omnium primam , fortissimam & potentissimam,dicunt. Sed ejus tamen sex faciunt reqvisita. (1) ut facies rei non sit mutata , (2) ut citetur pars adversa ; aliqvando tamen hoc necessarium non esse, & judicem ex officio inspectionem perficere posse. (3) ut indicatur certus dies. (4) ut non agatur de mero possessorio. (5) ut assumantur in arte periti. (6) ut semel tantùm fiat , nisi propter errorem revisione opus sit. Joh. Bapt. Costa *de remed. subsid. c.101. n.8.* Universa tamen ut singulatim semper concurrant,fortè necesse non est.

utputa

Digitized by Google

utputa] plurima exempla recenſet Coſta *d. l. n. 3.* Ruland de Commiſſar. *p. 2. lib. 3. c. 4.*

finalibus qvæſtionibus] Qvid in tali inſpectione obſervandum ſit, ut juſti conſtituantur fines, prolixè exponit Ruland. *d. part. 2. lib. 6. per tot.*

ætatem] Ex adſpectu utcunq; ætas colligitur, ſed ex eo tamen argumentum infallibile non conficitur, qvin potius admittit probationem in contrarium. Menoch. *de arb. jud. qvæſt. caſ. 117.* Intelligendus autem eſt autor de inſpectione in genere, qvæ fit in lineamentis & habitudine corporis, non de obſcœnâ illâ & inhoneſtâ, cujus meminit Juſtinianus *in pr. Inſt. qvib. mod. tut. finitur.*

ad probandam virginitatem] An ſit Virgo, eſt in difficili ac penè impoſsibili, nec hujus rei usqvam legitur obſtetricibus delatum arbitrium, inqvit Cujacius *lib. 17. Obſ. 27.* Sed plurimi tamen JCti probationem ejusmodi ex inſpectione admittunt. Vid. Pacian. *de probat. l. 2. c. 2.* Add. Selden *de Uxor. Hebr. l. 3. c. 1.* Paul. Zacchias *qvæſtion. Medico-Legal. lib. 1. 4. tit. 2. q. 1. 23.*

Notorium probatione non indiget. h. d.

§. 39. Sed & ſi qvid notorium fuerit [a], teſtium depoſitionibus, vel inſtrumentorum exhibitione amplius declarari non debet, cùm talia probationem, vel ordinem judiciarium non reqvirant.

[a] *can. de manifeſta. 2. q. 1. cap. tua nos. ext. de cohabit. cler. & mulier. c. ad noſtrum. de jurejur.*

Sed & ſi qvid notorium fuerit] Notorium ſumitur diverſimodè. Aliqvando ſignificat id, qvod vel coram toto populo, vel majore ejus parte factum eſt. Atq; ita ſumitur ferè in materia delictorum. Ant. Gomez *l. 3. reſol. c. 1. n. 41.* Aliqvando ſumitur pro evidentiâ tali, qvæ oſtendi qvandocunq; poteſt, & ulteriori probatione non indiget. Id verò naſci dicunt 1. ex ſententia judicis & re judicatâ. 2. ex actis judicii publicis. 3. ex confeſsione partis judicialis. 4. ex inſtrumento publico. 5. ex evidentiâ facti. Scaccia *de ſentent. & re jud. gloſſ. 14. qv. 19. n. 109. ſeq.* Gail. *1. Obſ. 16.* Coler. *de proceſſ. execut. p. 4. c. 1. n. 49.* Sed enim multa ſæpè dicuntur eſſe notoria, qvæ notoria non ſunt, an autem notoria ſint, judicis eſt diſcernere. Vid. omnino

Vultejus *in jurispr. Rom. l. 2. c. 2. n. 7. 8. 9. 10.* Jac. Schultes *qv. 77. n. 11. 20. 22.* Dornsperger *in syntagm. jur. l. 1. c. 41.*

amplius declarari non debet] Communiter distingvitur inter notorium facti permanentis & transeuntis. Illud probari non debet, qvia sc. seipsum exhibet, hoc verò probatione opus habet. Mynsing. *cent. 6. Obs. 3.* ubi adhuc aliter distingvit, utrum sc. judici probari debeat, qvoad hanc qvalitatem, qvod sit notorium, an verò necesse sit factum ipsum subjectum notorio probare. Vid. prolixè Scaccia *de judic. l. 2. c. 9. n. 23. & multis seqq.*

Judex debet advertere, ne dubium recipiat pro notorio. h. d.

b *cap. consuluit nos. ext. de appellat. v. c. ex parte, cum c. seq. de verb. signif.*

§. 40. Sed cùm multa dicantur notoria [b], qvæ non sunt, prospicere debet judex, ne, qvod dubium est, pro notorio recipiat.

prospicere debet judex] uti ante dixi, judicis arbitrio committitur, qvando qvid dicatur notorium. is enim juxta facti, loci, temporis & personarum circumstantias istud determinabit. At si dicendum, qvod res est, nullum propriè dici poterit notorium, nisi id forte, qvod in conspectu judicis & circumstantis coronæ factum est. Etsi enim in reliqvis operosior aliqva probatio non reqviratur, sed allegatione tantùm aut *inspectione* opus sit; ipsa tamen hæc allegatio est qvædam probationis species, per qvam fides fieri debet judici. Vid. Anton. Mattheus *de crimin. h. pag. 729.*

Vehemens suspicio interdum habet vim notorii. h. d.

c *cap. ex literis fraternitatis. ext. de præsumt.*

§. 41. Ad notorium propè accedit vehemens suspicio: nam si (exempli gratia) de [c] carnali copula qværatur, & sint, qvi solum cum sola, nudum cum nuda, in eodem lecto jacentem, locis secretis, & ad hoc commodis, & horis electis se vidisse deponant, procul dubio ex suspicionibus tam vehementibus seqvutam copulam pronuntiari poterit. Planè si de gra-

Digitized by Goog

gravi crimine actum fuerit, propter solam suspicionem [d], qvanqvam vehementem, nemo condemnabitur.

d *cap. literas vestras. extr. de præsumption.*

vehemens suspicio] Conjecturæ & suspiciones in his ferè locum habent, qvæ sui naturâ clam arbitris & occulto fieri solent. *l. 5. §. à barbaris ff. de re militar.* At propter suspiciones tamen neminem damnari debere Trajanus Imp. rescripsit *l. 5. ff. de pœn.* Videtur autem autor cum Pontifice per suspiciones innuere velle præsumptiones. Maximè enim differre suspicionem à præsumptione & hanc illâ graviorem esse, ostendit Menochius *de præsumt. l. 1. q. 7.* Sed nec præsumptiones qvidem semper sufficiunt. Et in delictis qvidem vix faciunt, ut condemnari qvis possit, nisi delictum fuerit levius & præsumptio urgens atq; violenta, qvo tamen ipso casu mitior semper pœna decernenda est. Carpzov. *prax. crim. part. 3. q. 116. n. 51. seqq.* Mascard. *de probat. part. 3. concl. 1221. n. 53. seqq. & 1223. n. 30. seq.*

qvi solum cum sola] Ex mente plurimorum Doctorum non sunt hæc sufficientia indicia ad condemnationem, sed ad torturam tantùm, etiamsi testes de arctissimo complexu nudi & nudæ, & qvod virum prostratam mulierem prementem viderint, deponant, qvod contingere possit, ut nó perveniatur ad ipsum illiciti coitûs actum, sed in conatu tantùm res permaneat. Carpzov. *prax. crim. part. 2. qv. 57. n. 72.* Et hinc volunt aliqvi, sufficere ista indicia ad thori separationem & dotis amissionem. Vid. Polydor. Rip. *de nocturn. temp. c. 36. n. 27.* qvod innuit *c. 12. X. de præsumpt.* ex qvo autor hæc transcripsit. Conf. Philipp. Pascalis *de virib. patr. potest. part. 1. c. 5. n. 8. 9.*

Fama præstat adminiculum cæteris probationibus. Et judex ex variis debet animum suum instruere. h. d.

§. 42. Fama qvoq; si de aliqvo facto invulgata fuerit, cæteris præsumptionibus non leve, præsertim in qvibusdam, præstabit adminiculum. Demum circumspectus judex motum animi sui non ex una tantùm re, sed ex variis argumentis, & testimoniis, qvæ

c. cum causam. de probation.

Digitized by Google

rei aptiora esse compererit, confirmabit. Judicaturum enim oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plenâ inqvisitione discutere, nec sententiam priùs ferre, qvàm peractis omnibus nihil habeat in qvæstione, qvod proponat.

c. judicantem 30. qvæst. 5.

Fama qvoq;] Fama in qvibusdam causis plenè probat, ut in factis antiqvis, in loco remoto gestis, in probandâ virtute & nobilitate &c. Vid. Berlich. *1. conclus. 36. n. 76. seqq.* Regulariter autem fama tantùm semiplenam probationem facit. Qvæ qvomodo probari debeat, vid. Fulv. Pacian. *de probat. l. 1. c. 49.* Barnab. Cornazzan. *decis. 26.* Fr. Mantica *Lucubrat. Vatican. lib. 23. tit. 5. n. 9. 10. 11.* Vincent. Honded. *p. 1. conf. 102. n. 69. 70.*

Demum circumspectus judex] Potest enim judex testibus clarè & plenè probantibus nihilominus ex causâ fidem non habere. Bartol. *in l. Lucius 21. de his qvi not. infam. in f.* Curt. jun. *consil. 78. n. 2.* Decius *in c. ex literis 3. X. de probat. col. 2.*

DE SENTENTIIS, ET RE JUDICATA,

TITULUS XV.

DIffert sententia & res judicata. Illa est pronunciatio & se habet per modum agentis & causæ, hæc verò est ipsum pronunciatum & se habet per modum facti. illa non tàm negocio, qvàm instantiæ finem imponit, hæc verò controversiam sopitam reddit. H. Zoës. *ad tit. ff. de re jud. in pr.*

Duæ sunt species sententiarum, interlocutoria, & diffinitivæ &, interlocutoria potest revocari ante diffinitivam. h. d.

§. 1. Videamus nunc de sententiis, & re judicata. Est autem sententia nihil aliud, qvàm controversiæ propositæ à judice ritè facta diffinitio. Sententiarum duæ sunt species: aut enim interlocutoriæ sunt,

aut

aut diffinitivæ. Interloqvutoria eſt illa, qvæ inter principium & finem cauſæ fertur ſuper his, qvæ incidunt, vel emergunt: qvalis cùm judex dandam, vel negandam dilationem ad examinandos teſtes, vel exhibenda inſtrumenta interloqvitur, vel ſuper aliqvibus exceptionibus pronunciat: qvam nec in ſcriptis ferri oportet, & ante diffinitivam ſententiam qvandocunq; judex revocare poterit.

Videamus nunc] Poſtqvam probationes omnes peractæ fuerint, & concluſum in cauſa, nihil reſtat, niſi ut ſententia feratur.

ritè facta diffinitio] Definire ſignificat generaliter aliqvid & ſummatim ſtatuere ſive determinare *l.4.§.1.ff.de hered.inſtit.l.5.§.8.ff.de donat.int.V.& U.* Definitio igitur nihil aliud hîc eſt, qvàm deciſio.

Aut enim interlocutoriæ ſunt] Interlocutoriam alii omninò negant eſſe ſententiam. alii impropriè ita dici volunt. Nobis ita videtur, ſententiam interlocutoriam ferri aut ſuper re controversâ, aut ita, ut controverſia nulla præceſſerit, ſed judex aliqvid proprio motu ex officio partibus imponat. Ultimo hoc modo ſententia admodum impropriè dicitur. At priori modo rectè & propriè dicitur ſententia. Ut maximè enim cauſam principalem non definiat & decidat, decidit tamen partem controverſiæ & cauſam incidentem. Hahn *Obſ.in Weſenb.h.t.n.4.* Atq; hinc qvævis interlocutoria reſpectu illius articuli, qvem definit, poteſt dici definitiva. Carpzov. *lib.1.reſponſ.12.n.5.* Qvin dantur etiam interlocutoriæ mixtæ, qvæ definitivæ vim habent, qvando ſc.per indirectum tangitur articulus ad definitivam ſpectans. Gail. *1. Obſ.130. n.6.* aut qvando non ſperatur alia ſententia. ut ſi judex pronunciet de ſua incompetentiâ, aut præceptum dederit de ſolvendo, aut fidejuſſores idoneos eſſe pronunciet &c. Carpzov. *lib.3. reſponſ.107.n.23.ſeq.* Alvar. Valaſc. *deciſ.47.*

ſuper his qvæ incidunt] Num autem de incidenti qvæſtione neceſſariò judex nominatim pronunciare debeat, diſqvirit Andr. Fachineus *l.1.c.43.* & concludit, neceſſariam non eſſe interlocutoriam, qvando de

incidente qvæſtione agitur,qvæ ipſius qvidem cauſæ merita reſpicit, ſed unâ ſententiâ definiri cum causâ principali poteſt, tùm autem neceſſariam eſſe interlocutoriam, qvando qvæſtio cauſæ merita reſpiciens ad impediendum proceſſum objicitur,aut qvando qvæſtio alia emergit,ut,an dilatio ſit concedenda? an procurator ſit idoneus?an libellus ſit ineptus &c: Add. Menoch.*de A. J. Q. l. 1. q. 37. ſeqq.*

nec in ſcriptis] Vid.Scaccia *de ſentent. & re jud. gloſſ. 12. qv. 1. n. 12.* Rationem reddunt,qvia de interlocutione nullibi cautũ eſt,qvod ea ex ſcripto ferenda ſit Qvæ tamen ratio meo judicio ſolida non eſt. Poſito enim conſtitutum eſſe,ut ſententia de ſcripto feratur,interlocutoria ſententia non erit excipienda, qvia ſcilicet qvicqvid dicitur de genere, dicitur etiam de qvâlibet ejus ſpecie. Et hinc rectè ſcribit Zanger. *p. 1 de except. c. 2. in fin.* tutius eſſe ſententiam ex ſcripto ferre.Add. Menoch. *de arb. jud. qvæſt. lib. 1. qvæſt. 60.*

revocare poterit] etiamſi præceſſerit cauſæ cognitio vel qvia cauſa potuit eſſe non plenè cognita,vel qvia in cognoſcendo labi & falli potuit judex. Bachov. in Treutl. *vol. 2. diſp. 23. th. 1. lit. E.* Dan. Moller. *in ſemeſtr. l. 4. c. 1. n. 12.* Joh. Bapt. Aſinius *de execut. §. 3. c. 150.* Ummius *in proceſſ. diſp. 19. n. 21.* Sicuti enim judex facilis fuit ad faciendum, ita facilis debet eſſe ad perperam factum revocandum, *arg. l. 1. §. 1. ff. ſi mulier ventr. nom.* Jaſon *in l. qvod juſſit n. 32. ff. de re jud.* Achill. Perſonal. *de adipiſc. poſſeſſ. n. 255.*

Diffinitiva ſententia eſt,qvæ condemnando,vel abſolvendo liti finem imponit,nec reqviritur de neceſſitate in ea verbum,condemno,vel abſolvo,ſed ſufficit æqvipollens,h.d.

§. 2. Diffinitiva verò ſententia eſt diffinitio judicialis, qvæ condemnando,vel abſolvendo principali controverſiæ finem imponit. Diffinitiva[a] enim, qvæ nec condemnationem, nec abſolutionem continet,pro nulla habetur: hanc ſimul ac tulerit, retractan-

[a] *can. ei qvi appellat. §. diffinitiva. 2. q. 8.*

Digitized by Google

standi copia judici denegabitur. Non tamen, ùt sententia valeat, condemnandi, vel absolvendi verbum necessariò continere debebit, sed satis erit, qvòd verbum æqvivalens contineat. Unde rescriptum est, ejus diffinitionem, qvi ita se statuere, & præcipere pronunciasset, legitimæ sententiæ obtinere firmitatem. c. *In his. de verb. signif.*

finem imponit] nisi per remedia legitima suspendatur. Finem igitur tantùm imponit qvoad instantiam & ex proposito judicantis qvoad istud judicium.

pro nulla habetur] *l. 3. C. de sentent. & interloc.* Ita si judex in definitivâ sententiâ jusjurandum solummodo præstari præcipiat, non tamen addat, qvid ex recusatione vel præstatione Sacramenti fieri oporteat, hujusmodi sententia nullam vim obtinet *l. 11. C. de sentent.* In causa tamen appellationis sufficit dicere judicem, malè esse appellatum & benè judicatum.

judici denegabitur] functus enim semel est suo officio, sive benè, sive malè judicavit *l. 55. ff. de re jud.* Et licet perperam judicarit, non potest tamen, ne qvidem eodem die, iterum judicare *l. 62. ff. eod.* In continenti tamen sententiam revocari posse, post alios tenet Peregrin. Janninius *de citat. real. l. 2. c. 1. n. 87.*

verbum æqvivalens] e. g. Titium nihil debere, Titium solvere debere &c:

Sententia debet ferri sedendo, & de scripti recitatione, aliàs non valet: & Episcopus facere potest, qvòd alius pro se recitet. h. b.

§. 3. Vocatis igitur partibus, loco & tempore congruis judex ipse sedens [b] sententiam de scripti recitatione proferet: aliàs si non judex, sed alius legerit, vel scriptam b *cap. fin. eod. tit. in 6.*

Digitized by Google

ptam litigatoribus tantùm ediderit, vel ſtando, non ſedendo tulerit, nullius penitùs momenti erit, ut ab ea nec appellare ſit neceſſe. Epiſcopo tamen, qvem tantæ dignitatis apex attollit, inſtar perſonarum illuſtrium, ſententiam per alium recitare permittitur.

Vocatis igitur partibus] Citari ſcilicet debent partes ad audiendam ſententiam, de qvâ re prolixè agit Grævæus ad Gail *lib. 1. conclus. 109.* Scaccia *de ſentent. & re jud. gloſſ. 9. qv. 4.* Ummius *de proceſſ. diſp. 19. num. 37.*

loco] Si judex locum determinatum habet. Si talem non habet, qvod evenire ſolet delegatis â Principe qvandoqve, ſuo arbitrio locum eligere poteſt. Menoch. *de A. J. Q. lib. 1. qv. 64.*

& tempore congruis] Noctis tempus non eſſe congruum, arbitrantur multi. *c. 24. X. de offic. deleg.* Vid. Polydor. Rip. *de nocturn. temp. c. 134.* id tamen parum obſervari notat Menoch. *d. l. qv. 62.* Pariter, diem feriatum non eſſe tempus congruum, qvo feratur ſententia, tenet Scaccia *de judic. l. 2. c. 3. n. 288.* ita tempus inſtantiæ ubi præterlapſum fuit, nulliter ferri ſententiam ſcribit Barnab. Cornazzan. *deciſ. 22. & deciſ. 161.*

ſedens] *c. fin. de ſentent. & re jud. in 6. l. 6. §. fin. ff. de poſtul. Novell. 82. c. 3.* qvando ſcilicet cauſa reqvirit plenam cognitionem, ne ſi ſtans pronunciet judex, cauſam ſuperficialiter aut perfunctoriè cognoviſſe videatur. Si autem de plano agatur & breves admodum atq; exigui momenti fuerint lites, etiam ſtando poterit ſententiam dicere judex. Zoëſ. *ad tit. ff. de re jud. num. 8.*

de ſcripti recitatione] Duo igitur hîc reqviruntur, 1. ut ſcripto concipiatur ſententia, 2. ut ſcripta legatur. Sine ſcripto enim edita ſententia non valet, *l. fin. C. comminationes, epiſtolas* &c: nec valet ſententia ſcripto qvidem edita, non tamen lecta *l. 1. C. de ſentent. ex peric. recit.*

nec appellare ſit neceſſe] Nulla enim ſi eſt ſententia, ſatis tutus eſt ille, adverſus qvem lata eſt, qvia non tranſit in judicatum. Cornazzan. *deciſ. 182. n. 4.*

per

Digitized by Google

per alium recitare permittitur] In omnibus ferè judiciis hodiè receptum est, ut sententiæ per Actuarios præsente tamen judice legantur, qvi deinde earum exempla partibus communicant.

Ex pluribus judicibus sufficit, qvòd unus recitet sententiam usus plurali numero, secus in actu electionis. h. d.

§. 4. Sed [c] & si plures judices sint, vel arbitri, si cæteris præsentibus, ac mandantibus per unum tantùm sententia recitetur, si plurali numero perlegendo usus fuerit, perinde habebitur, ac si ab omnibus recitata fuerit, licet aliud in electione servetur.

[c] *cap. pen. eod. tit. in 6.*

ac mandantibus] Non videtur igitur aliter recitaturo potestas facta, qvàm si ea fuerit mandata ab reliqvis.

aliud in electione servetur] scilicet ut ab uno vice omnium electionis pronunciatio per verba singularis numeri fiat, qvò evidentius unica & communis censeatur electio. At futile profectò hoc est, electioni non ab omnibus probatæ (supra enim *lib. 1. de electione* dixit, canonicè eum electum dici posse, qvem major & sanior pars elegerit) colorem unanimis consensûs inducere. Qvantæ sæpè in capitulis propter electiones excitentur turbæ, norunt illi, qvi in istis agunt. Et credendum nihilominus est, propter verbum singularis numeri, qvod ab recitante profertur, consensum fuisse omnium unanimem.

Si duo judices ordinarii sententias diversas ferant, tenet sententia lata pro reo, nisi actoris causa sit favorabilis: si verò delegati, sententia pendet ex voluntate delegantis: si verò arbitri, neutra tenet: si verò unus tantùm ex pluribus pronunciaverit, nulla erit sententia. h. d.

§. 5. Ex facto [a] dubitatum fuit, duobus judicibus diversas proferentibus sententias, utra sit habenda potior?

[a] *cap. fin. extr. eod. tit.*

tior? in qva ſpecie reſponſum eſt, qvòd ſi ex jurisdictione ordinaria proceſſerunt, tenet pro reo, pro actore lata ſententia, niſi agentis cauſa ſit favorabilis: utputà, libertatis, dotis, matrimonii. Si vero delegata, utraq; ex delegantis pendebit arbitrio. Qvòd ſi ex compromiſſo, utraqve firmitatis robore deſtituetur. Qvòd ſi pluribus [b] judicibus datis unus tantùm ex eis pronunciaſſe proponatur, ad nullas ſententia vires obtinebit, ut nec provocationis remedium neceſſarium ſit futurum.

b *can. ei qui. §. ſi verò. verſ. ſi plures. 2. q. 6.*

tenet pro reo] vid. *l. 38. ff. de re jud.* & ad eam Franciſc. Duarenum.

niſi agentis cauſa ſit favorabilis] Regulariter favorabiliores habentur rei, qvàm actores *l. 125. ff. de R. J.* At qvando ſubeſt cauſa favorabilis, favor perſonæ non attenditur, ſed illa præpollet. Plures autem ſunt cauſæ favorabiles præter hîc allegatas, uti eſt qvoq; cauſa alimentorum, cauſa teſtamenti, cauſa fiſci &c: Ant. Perez *C. de ſent. n. 17.*

ex delegantis] cujus ex voluntate & juſſu judicium inſtitutum fuit.

robore deſtituetur] qvia inter partes, qvæ ex compromiſſo arbitrum adiérunt, non eſt actum vel conventum, cui potius ſit ſtandum, ſi pares fuerint arbitrorum ſententiæ.

nullas ſententia vires obtinebit] qvia omnes judicare non poſſunt, *l. 39. ff. de re jud.* Ita & ſi unus abſit, reliqvi judicare nō poſſunt, videlicet vel ipſius præſentia vel ipſius ſuffragium potuit reliqvos in ſententiam trahere *l. 17. §. ult. ff. de recept. arb.* Sed ſi omnes adſint, etiſi unus dicere ſententiam nolit, aut etiam diſſentiat, poſſunt reliqvi ſententiam pro-

proferre *l. 36. & 39. eod.* qvia ſcilicet judicare ſimpliciter juſſi ſunt, non idem judicare. Hug. Donell. *lib. 27. c. 8.*

Judicare ſecundum leges & conſvetudinem debet qvilibet judex, & ſummus Pontifex, qvi tamen ex cauſa poteſt ab illis recedere. h. d.

§. 6. Sed ſive ordinarius ſit, ſive delegatus judex, inprimis illud obſervare debet, ne contra id judicet, qvod legibus, aut Canonibus proditum ſit, alioqvi ipſo jure ſententia non ſubſiſtet [c]. In cauſis qvoqve, qvæ ſummi Pontificis [d] judicio deciduntur, cùm in ſimilibus cauſis cæteri teneantur judicare, ſimiliter juris ordo, & vigor æqvitatis ſubtiliter obſervandus erit, niſi cùm ille aliqvid causâ neceſſitatis, & utilitatis diſpenſativè duxerit ſtatuendum.

c *cap. 1. extra. eod. tit.*

d *cap. in cauſis. ext. eod. titul.*

qvod legibus aut canonibus] Cavere debet judex, ne aliter judicet, qvàm legibus aut moribus eſt proditum. *pr. Inſt. de offic. jud. l. 13. C. de ſentent. & interloc. Nov. 126. c. 1.* Poteſt qvidem judex, ubi duriora videntur legis verba, eas benignius interpretari, qvò voluntas earum conſervetur *l. 18. ff. de legib.* Ubi autem ex verbis de mente Legislatoris ſatis conſtat, non poteſt judex prætextu æqvitatis diverſum qvid ſtatuere, qvia iſta æqvitas haud rarò eſt cerebrina & capitoſa. Fr. Card. Mantica *l. 1. lucubrat. Vatican. tit. 17. num. 16. ſeq.* Joh. Garſias *de expenſ. & meliorat. c. 1. n. 28. 29.* Ventur. de Valent. *in parthen. litigioſ. l. 1. c. 12. n. 16. & c. 14. n. 17.* Hering. *de fide juſſ. c. 5. n. 115. ſeq.*

ſententia non ſubſiſtet] & ideò nec provocationis auxilium neceſſarium eſt, *l. 19. ff. de appell. l. ... §. 2. ff. qvæ ſent. ſin. app.* Si tamen appellatum fuerit, rectè pronunciat judex ad qvem, nulliter eſſe judicatum, ſuperfluè appellatum, niſi fortè judex ad qvem honori prioris judicis parcere velit, qvod ipſi integrum eſt. Mynſing. *cent. 3. Obſ. 72.* Cæterùm qvotmodis ſententia dicatur nulla, videri poſſunt Oldendorp. *claſſ. 1. act. 12.* Joh. Pelſ.

Pelſ. *in proceſſ. tit. 42.* Petr. de Ferrar. *in pract. tit. de ſentent. definit. n. 11.* Carpzov. *lib. 3. reſponſ. 98.* Anton. Perez *Cod. de ſentent. n. 36.*

qvæ ſummi Pontificis judicio] Legislatoriam Pontificis poteſtatem reſtrinximus aliqvoties ad ſolas illas terras, qvibus Pontifex jure majeſtatis præeſt. Dominium enim totius univerſi, ut & Epiſcopatum univerſalem temerè & per tyrannidem ille hactenus affectat.

in ſimilibus cauſis] Num igitur, qvod Princeps per ſententiam inter partes causâ cognitâ decrevit, vim legis generalis habebit? Ita videtur, ſi de voluntate principis conſtat *l. 3. C. de legib.* de poteſtate enim qvod poſſit ita legem facere, dubium non eſt *l. 1. §. 1. ff. de conſtit. Pr.* At ubi Princeps non decernit animo faciendæ legis, ſed ita pronunciat, ut ultra negocium, qvod tractat, ſententia non extendatur, facilè exinde patet, alios, qvos negocium iſtud non concernit, eo decreto non obligari. Jul. Pac. *cons. 1. ſtatuto Q. n. 17.* Ita etiam ſi Princeps alicui ſine exemplo ſubvenerit, vel ob merita alicui ſpecialiter indulſerit, trahendum id non eſt in exemplum.

ſimiliter juris ordo] Poſſe Papam & principem ex causâ ordinem judiciarium prætermittere, notat Petr. Anton. de Petra *de poteſt. Princip. c. 28. n. 60. ſeq.* Grævem ad Gail *l. 1. concl. 42.* Heig. *1. q. 10. n. 40.* Non autem eodem modo cæteri judices inferiores procedere poſſunt.

diſpenſativè] Diſpenſatio, qvæ causâ neceſſitatis & utilitatis in rebus diſpenſabilibus fit, Principũ propria eſt, & rectè defenditur. Sed qvæ â Pontifice Rom. fieri qvandoqve ſolet, & juri divino & rectæ rationi adverſa eſt, & ab ipſis aliqvibus Pontificiis minus probatur.

Licet ſententia lata contra jus conſtitutionis ſit nulla, ſecus tamen eſt in ſententia lata contra jus litigatoris. Et qvando dicatur lata contra jus conſtitutionis, vel contra jus litigatoris. h. d.

c ſchii inter. h. t.

§. 7. Si tamen ſententia non contra jus conſtitutionis expreſsè à judice lata fuerit, ſed contra jus litigatoris [c], cùm jure qvidem teneat, legitimis mediis retractanda erit. Dicitur autem judex contra jus conſtitutio-

c cap. cauſam qva extra. eod. tit.

tutionis pronunciasse, veluti [f] cùm defunctus, & minor qvatuordecim annis fuisse asseritur, & testamentum jure fecisse pronunciatur. Contra jus verò litigatoris [g], veluti cùm minor qvatuordecim annis annum qvartumdecimum impleviſſe, ac per hoc testamentum jure fecisse asseritur.

f *can. ei qui. §. item si sententia. 2. q. 3.*

g *d. can. ei qui. §. si verò. 2. q. 3.*

Sitamen sententia] Qvamvis judex imperitè & injustè facit, sententia tamen non est ipso jure nulla, nisi adversus jus constitutum lata fuerit. Hoc enim casu non ἀδικῶς tantùm fit sententia, sed etiam παράνομος, de lege ipsâ & contra eam directò lata. Cæterùm contra jus constitutionis seu in statu judiciali dicitur pronunciare judex, qvando in thesi aliqvid de jure definit, qvod non est juris. contra jus partis autem seu in statu conjecturali, qvando pronunciat accommodando jus rebus & personis, de qvibus agitur. Illic sententia ipso jure nulla est ob errorem juris expressum, hic sententia subsistit ob errorem velatum. Franzk. *exerc. 12. q. 10.*

legitimis mediis] sc. per appellationem, supplicationem, leutetationem, revisionem &c. Atq; his mediis si non utatur condemnatus, sententia vires rei judicatæ acqvirit.

veluti cum defunctus] Exemplum hoc extat in *l. 2. C. qvand. provocar. non est nec.* Simile exemplum habetur in *l. 1. §. 2. ff. qvæ sent. sin. appell.*

jure fecisse pronunciatur] Atqvi jus certum est & indubitabile, pupillum testamentum facere non posse.

impleviſſe] Ex probatione ætatis demum intelligitur, utrum testamenti factionem habuerit.

Qvi contra leges, & conscientiam, corruptus judicat, variè punitur. h. d.

§. 8. Is autem [h], qvi in gravamen partis alterius in judicio aliqvid injustè fecerit per gratiam, vel per

h *cap. 1. eod. tit. in 6.*

sordes, sive ordinarius, sive delegatus sit, ab executione officii per annum suspendendus erit, & ad æstimationem litis parti, qvam læserit, nihilo minùs condemnabitur, & si suspensione durante divinis sese ingesserit, irregularitatis qvoq; laqveo innodabitur, à qva non, nisi per summum Pontificem, liberari poterit, aliis qvoqve legum animadversionibus coërcebitur, cùm dignum sit, ùt qvi in multis audet offendere, pœnæ etiam multiplici subdatur.

per gratiam] Subsistit qvidem hoc casu sententia, *l.65. §.2.ff.ad SCt.Trebell.* sed judex ad litis æstimationem tenetur, & insuper infamiâ notatur. *l.2.C.de pœn.jud.malè jud.* Atq; hinc nec in ambiguis qvidem gratiam fieri posse à judice, tenet Anton. Tessaur. *in præfat.ad decis. n. 32.* ubi casus pro Amico, qvos vocant, dicit esse casûs pro Diabolo. Add. Menoch. *de arb. jud.qvæst.part.2.cas.255.* Tiraqvell. *de jur.primogen.qv.17.op.2.*

vel per sordes] Sordes sunt pecuniariæ corruptiones. Et tunc, si judex pecuniâ corruptus judicat, sententia ipso jure nulla est, sive adversus jus constitutionis, sive litigatoris judicaverit *l.7. C.qv.provoc.non est nec.* imò justa etiam sententia hoc casu nulla est. Fern. Vasqv. *lib.5. controv. c.37. n.4.* Et judex litem suam facit *l. 15. §.1. ff. de judic.* & fit infamis *l.2. C. de pœn. jud. malè jud.* & tenetur repetundarum *l.3. ff. de L. Jul. repetund.* Add. Ventur. de Valent. *in parthen.litigios. l.2. c.10.per tot.* Cæterùm generaliter hoc constitutum est, neminem in officio constitutum dono qvid accipere debere, nisi esculentum, potulentumve, qvod intra dies proximos prodigatur, *l.6. §.3. ff. de off. Proconf. l.18. ff. de offic. Præf. Novell. 161. c.1.* in qvo tamen etiamnum peccatur sæpissimè, esculentis tantâ copiâ oblatis, ut iis omnis familia sustentari possit. Jan. Langlæ. *6. semestr.1.*

ab executione officii] sc. Ecclesiastici, qvod gerit. Qvippe qvoad judiciale munus, qvia infamis fit, ab eo prorsus excluditur, cum infamis judex esse neqveat. Marqv. Freher. *de existimat.l.3.c.28.n.6.*

& ad

& ad æstimationem litis] h. e. ad universum litis dispendium, & qvicqvid in judicium deductum est.

irregularitatis] Dicendum hâc de re erit *l. 4. tit. 15.*

aliis qvoq; legum animadversionibus] qvas modò recensui. Illud addo, indignissimos esse rerum censores hodiernos Moralistas, & propudiosè eos docere, non teneri judicem pecuniam acceptam restituere, si secundum injustum litigatorem pronunciet; at si qvis certum jus habeat, & judex secundum eum pronunciet, debere pecuniam restituere. à judice enim deberi justitiam, adeoq; pro eâ pecuniam accipi non posse: non deberi injustitiam, & ideò vendi posse. Vid. Ludov. Montalt. *in epist. provincial. 5.* Qvæ profectò meræ sunt argutiæ & scelestissimæ doctrinæ detestanda fulcimenta.

ut qvi in multis] dum pecuniam accipit, dum injustè pronunciat &c. Aliàs enim propter unicum delictum unica tantùm regulariter decernitur pœna. Carpzov. *p. 2. prax. criminal. qv. 69. n. 4.*

Sententia lata, postqvam per decem dies non fuit appellatum, regulariter retractari non potest. h. d.

§. 9. Lata tamen sententia, nisi per appellationem intra terminum lege constitutum suspensa fuerit, amplius revocari non poterit. Cùm [a] enim post decem dierum spacium sententia in authoritatem rei judicatæ transeat, qvi ad provocationis subsidium intra id temporis spacium non recurrit, ideo appellandi sibi aditum præcludit, qvia per hoc videtur interpretatione juris velle latæ sententiæ obtemperare. Excipiuntur tamen multi casus, in qvibus sententiæ etiam post decem dies rei judicatæ firmitatem sibi ven-

a *cap. qvod ad consultationem. §. taliter. ext. eod. tit.*

b *cap. lator. ext.eod.tit.*

vendicare non valent, veluti cùm de matrimonio[b] est qvæstio, aut servata sententia salus animæ in discrimen adducitur,& alii plures.

revocari non poterit] ne qvidem prætextu novorum instrumentorum *l.4. C. de re jud.* Andr.Fachin. *l.1. contr. 51.* Frid. Prukmann. *p.2.conf.13.* Arumæ. *disp.ad pandect.21.n.7.* Bachov.in Treutler. *vol.2. disp.25. th.5.lit.D.* Hahn in Wesenbec. *tit. de re jud. n.8.* nisi fuerit lata super negocio publico *l.35. ff. de re jud.* aut in defectu probationis post juramentum necessarium. *l.31.ff.de jurejur.* Ant.Perez. *Cod.de re jud. n.23.* Sententia etiam ex falsis instrumentis lata potest retractari, etiam postqvam transiit in rem judicatam, *l.33. ff. de re jud. tot. tit.Cod.si ex falsi. instrum.* Vasq. *l.3. c.36.num.1.*

in autoritatem rei judicatæ] Sententia in rem judicatam transire dicitur, qvando nulli appellationi aut reformationi amplius obnoxia est, & tùm tantæ autoritatis est, ut ei sine contradictione parendum sit. *l.1.C.de rejud.*

interpretatione juris] Qvod si condemnatus statim condemnatione factâ, à judice, qvi condemnavit,dilationem ad solvendum petierit,sententiæ adversus se latæ acqvievisse censetur,ipsaq; tùm statim in rem judicatam transit,nec opus est expectare decem dies elapsos *l.5.C. de re jud.* Multo magis igitur transit in rem judicatam, si victus sententiam adversus se latam vel simul atq; lata fuit, vel post appellationem ab eâ interpositam,expressim approbarit. Ant.Perez *Cod.de re jud.n.1.*

cùm de matrimonio] Distingvit Gailius *l.1. obs. 112.* utrum sententia lata sit contra matrimonium, an pro matrimonio. Primo casu nunqvam transit in rem judicatam. Secundo casu subdistingvit, utrum obstet impedimentum canonicum gradûs prohibiti, & tùm itidem ait non transire sententiam in rem judicatam, an verò nullum tale subsit impedimentum,& tùm res judicata locum habet. Conf.Zanger *ad c.7.X.h.t.* Sed & contra matrimonium sententia lata in rem judicatam transire rectè dicitur, ad id sc. ut executioni mandetur,& judicium sustineatur,nec eluforium fiat,non verò ad id, ut omnem tollat probationem in contrarium.Gail. *d.l. n.11.* Aliàs enim ille, qvi sententiam contra matrimonium obti-

obtinuit, nunqvam posset aliud matrimonium inire. Kitzel. *de matrimon. cap. 10. theor. 31. in fin.*

& alii plures] Ejusmodi casûs 24. recenset Maranta *de sent. n. 130. seq.* sed istos plurimos tales esse, in qvibus sententiæ ipso jure nullæ sint, notat Ilic. Ummius *de proceff. disp. 19. n. 49.*

Res inter alios acta aliis præjudicium regulariter non adfert. h. d.

§. 10. De eo qvoq; admonendi sumus, qvòd & si sententia transierit in rem judicatam, præter eos, inter qvos dicta fuerit, regulariter neminem lædet: si qvis tamen [c], cùm sibi primùm de ea re actio, vel defensio competeret, sustinuit seqventem agere, aut passus est eum, à qvo causam habuit, experiri, ipse qvoqve sentiet ex re judicata præjudicium.

c *cap. pen. ext. eod. tit.*

præter eos] etiamsi alius similem aut connexam causam habeat, tùm qvia non exemplis, sed legibus est judicandum *l. 13. C. de sentent. & interl.* tùm qvia potest in simili, vel etiam in eâdem causâ, alius alio in defendendo, agendo, probando esse instructior atqve paratior. & ut omnia paria sint, potest nanciscì æqviorem & magis religiosum judicem. *l. 17. §. ult. ff. ad L. Jul. de adult.* Ant. Perez. *Cod. qvib. res jud. non noc. n. 3.* Mascard. *conclus. 1267.*

sustinuit seqventem agere] Veluti, si creditor experiri passus sit debitorem de proprietate pignoris, aut maritus socerum vel uxorem de proprietate rei in dotem acceptæ, aut possessor venditorem de proprietate rei emptæ. *l. 63. ff. de re jud.* Qvia enim juris illius defensio seu actio primùm ipsis competiit & tamen alios experiri passi sunt; qvia etiam prohibere potuérunt, qvo minus alii agerent, aut saltem ne aliter qvàm ipsis intervenientibus lis ista perageretur, utiq; eorum voluntate de jure, qvod ex personâ agentis habuerunt, videtur esse judicatum. Perez *d. l. n. 7.*

Digitized by Google

DE EXECUTIONE REI JUDICATÆ,
TITULUS XVI.

Sententia lata in reali actione mandatur executioni statim ; in personali verò post quatuor menses ; qui terminus potest breviari, & prorogari. hoc dicit.

§. 1. Si igitur sententiæ latæ legitima appellatio non occurrerit, intra statuta tempora executioni mandanda erit. Sed multùm intererit, utrùm super reali, an verò super personali actione sententia lata fuerit. Primo enim casu statim : secundo non, nisi post emensa qvatuor mensium spacia executioni mandabitur. Licet autem qvadrimestre[d] tempus in personali actione sit regulariter statutum, ex causa tamen nonnunqvam & arctari, & prorogari potest. Sed qvi ab initio terminum recipit sponte breviorem, sibi id imputare debebit, cùm ex voluntate propria juris beneficium contempsisse videatur. Unde postea non audietur appellans, nisi fortè adversus eum modus executionis Canonicus excedatur, sive ab ordinario, sive à judice delegato, sive etiam ab arbitro res judicata fuerit.

[d] *cap. qvod ad consultationem. §. sed nec. extr. de sent. & re judic.*

executioni mandanda erit] Cessante enim executione sententia videtur esse campana sine pistillo. Coler. *de process. in præfat. n. 4.* Moller. *ad constit. 32. n. 2. part. 1.* Berlich. *part. 1. conclus. 79. n. 2.*

Primo enim casu statim] res enim aliena, qvam qvis pe-

nes

nes se habet, facilius restitui potest, qvàm pecunia explicari. Si tamen possessor neget, in præsenti se restituere posse, & sine frustratione videatur tempus restituendi causâ petere, indulgendum est ei §. 2. *Inst. de offic. jud.* Donell. *l.27.comm.4.* Menoch. *de arb.jud.qvæst. l.2.cas.27.28.*

qvatuor mensium] Lege XII. tabb. triginta tantùm dies concedebantur, postea duo & tandem qvatuor menses sunt præstituti *l.ult.C. de usur.rei jud.*

& arctari] pro ratione circumstantiarum, e.g. si creditor ex longinqvis regionibus venerit; ne cum magno suo dispendio longiùs commorari cogatur. Berlich *part.1.concl.81.n.21.* Imò verò, si actione personali certa species petita sit, veluti actione depositi, vel commodati, cujus & præstandæ facultatem reus habeat, non longior ei terminus concedi debet, qvàm si actione reali actum fuisset. Arn. Vinnius *in §. 2. Inst. de off jud. n.1.*

& prorogari potest] ut, si creditor polleat facultatibus, prematur autem inopiâ debitor. Coler. *de proceff. execut.part.3.c.6.n.12.* Fr. Duaren. *ad l.qui pro tribunali ff.de re jud.*

non audietur appellans] Acqvievit enim sententiæ eo ipso, dum ad solutionem dilationem petiit *l.5. C. de re jud.* & hinc juri suo renunciasse censetur.

excedatur] Igitur ab ipsâ executione appellari neqvit, sed tantùm ab excessu in exeqvendo. *l.4.ff.de appellat.l.5. C. qvor.appell.non recip.* Octavian. Vestr. *in prax.lib.7. c.3. n.9.* Imò potest etiam executori injustè & iniqvè exeqventi armis resisti, Menoch. *de arb.jud. qvæst. lib.2. cas. 378. n.9.* & propter excessum etiam ille, cujus nomine facta est executio, conveniri. Ant.Fab. *Cod. l.4. tit.mandati def.3.* Num autem ipsa executio nulla sit, si excedatur ordo in executione præscriptus, vid. Ant. Gabriel. *l.2.tit.de execut.concluf.2.*

Delegatus à Principe potest propriam sententiam intra annum exeqvi. hoc dicit.

§. 2. Sed[a] si ordinarius ad mandatum judicis à Principe delegati nolit, aut qvibusdam obsistentibus

[a] *cap.significasti nobis. ext. de offic. deleg.*

Digitized by Google

sententiam ab eo latam suo effectui mancipare nequeat, datus ipse judex illam executioni mandare poterit, & resistentes Ecclesiasticâ sententiâ coërcere, & non solùm usq; ad qvadrimestre tempus, qvod ad solvendum debitum à lege reo conceditur, sed usq; ad annum integrum, ad exeqvendam sententiam, jurisdictionem exercere poterit.

c. qværenti. de offic. deleg.

judicis à principe delegati] Delegatus Principis, qvia jurisdictionem habet, ipse per se sententiam suam exeqvi potest, *c. 26. X. de offic. delegat.* Sæpè tamen executionem demandat judici ordinario *c. 28. vers. qvia vero X. eod.* Non ergò verba hæc sunt captanda, qvod tùm demum delegatus Principis executionem facere possit, si nolit, aut non possit ordinarius.

Ecclesiasticâ sententiâ] continente censuras Ecclesiasticas, interdicti, suspensionis, excommunicationis &c. *c. 26. X. de offic. delegat.* Loqvitur autem de delegato Papæ. Secularis enim principis delegatus talem sententiam ferre neqvit.

usq; ad annum integrum] Anno igitur elapso delegatus Papæ nullam amplius habet executionem, sed restituenda ea est & committenda ordinario. Barbos. *ad d. c. 26. X. de offic. deleg.*

Judex deputatus super executione sententiæ admittit exceptionem fraudis seu nullitatis, non ut super ea pronunciet, sed ut negocium ad superiorem, qvi judicavit, transmittat. h. d.

§. 3. Qvòd [b] si Princeps propriam sententiam per alqvem executioni mandari jubeat, & circa negotium fraus interveniisse dicatur, executori de toto negotio cognoscendi facultas non erit, sed ad superiorem qvæstiones, si qvæ inciderint, deferri oportebit.

[b] *cap. de castro. extra. de sent. & re judicat.*

&

& circa negocium] Doctores ita distingvunt, ut si exceptiones, qvæ in executione opponuntur, respiciant merita causæ principalis, aut directè sententiam impugnent propter nullitatem aut falsa instrumenta, & tale vitium evidenter appareat, qvod tunc remittere debeat executor ad judicem priorem. Sin verò exceptiones concernant res, in qvibus executio facienda est, aut ipsam executionem, ut si objiciatur incompetentia aut fidejussori exceptio epistolæ D. Hadriani, aut deniqve impugnent qvidem sententiam, sed manifestè falsæ appareant, potest executor eas discutere & examinare, & sententiam nihilominus pro re natâ exeqvi. Vid. Mynsing. *cent. 3. Obs. 69.* Gail. *1. Obs. 113. n. 8.* Achill. Personal. *de adipisc. poss. n. 98.* Ludov. à Pegvera *p. 2. decis. 182.* Asinius *in prax. §. 31. c. 19.*

Judex ordinarius tenetur exeqvi sententiam delegati à Principe etiam injustam. h. d.

§. 4. Cùm igitur regulariter contingat, qvòd executio sententiæ Ordinario demandetur, qværi poterit, an, si ipsam injustam esse cognoverit, executioni eam mandare debeat, an sit ei subsistendum potius? in qva specie responsum est [c], qvòd, cùm Ordinarius Delegato teneatur obsequi, licet sententiam non esse justam noverit, exeqvi nihilo minùs tenebitur, cùm sibi con cognitio, sed executio tantùm fuerit demandata, nisi à dato judice impetrare valeat, ut ab hoc onere ipsum liberet: nec enim debet judicis delegati mandato violenter resistere [d], sed & apud eundem instare poterit, ut executionē tandiu differri patiatur, donec Principi rei veritas innotescat.

[c] *cap. pastoralis officii. §. qvia verò. extr. de offic. deleg.*

[d] *cap. si qvando. extr. de offic. deleg.*

ordinario demandetur] scilicet à Principe aut delegato Principis. Aliàs enim Ordinarius ipse sententias suas exeqvi potest. Solere tamen etiam Magistratûs non per se ipsos, sed per alios sententias suas exeqvi, tradit Ant. Fab. *5. conjectur. c. 16.*

exeqvi nihilominus tenebitur] Moralistæ hoc admittunt tùm, qvando materialiter injusta est sententia, rectè tamen juxta allegata lata. At qvando formaliter injusta sententia fuerit, seu qvia contra jus lata, seu qvia contra allegata & probata in judicio, non teneri volunt executorem. Paul. Laymann. *theol. moral. lib. 3. tr. 6. c. 2. n. 12.* Add. Maranta *disp. 1. per tot.* Ego verò neutrubi executorem parére debére arbitror, dum tamen manifestè de injustitiâ sententiæ constet, qvia mandatum injustum nunqvam obligat ad parendum. Flamin. Chartar. *de execut. sent. c. fin. n. 352. seq.* Qvin probabile est etiam carnifici, qvi damnatum occisurus est, hactenus, aut qvod qvæstioni & actis interfuerit, aut ex rei confessione cognita esse debere causæ merita, ut satis ei constet, mortem ab eo commeritam. Hugo Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 26. n. 4.*

sed executio tantùm] Sit ita; nec enim per cognitionem, sed aliunde de injustitiâ ipsi constare præsupponimus. Manifestè igitur injusta si est sententia, non carebit peccato, qvi ad mandatum alterius eam exeqvetur.

ipsum liberet] Hoc qvidem prudenter petet. At si liberare eum nolit delegatus, salva adhuc manet thesis, non cooperandum esse iniqvitati, & DEO magis parendum, qvàm hominibus.

violenter resistere] rectè. non tamen ex ejus jussu sunt facienda mala. Nec seqvitur: Subditus Magistratui violenter resistere non debet, Ergo semper ei & in omnibus est parendum.

donec principi] Qvid verò, si & princeps deinde eandem sententiam manifestè injustam exeqvi jusserit? Sine dubio parendum ei dicent Canonistæ, & magis qvàm ejus delegato. Et hùc tendit ista, qvam hodiè profitentur Jesuitæ, obedientia cœca, secundum qvam omnia ea peragere & expedire tenentur, qvæcunqve jusserit eorum superior, non attendendo aut rimando, num justum aut injustum, rationi conforme aut repugnans fuerit. Nos verò obedientiam Principi debitam ita semper temperamus, ne per eam in DEUM peccetur aut conscientiæ onerentur.

Si Pa-

Digitized by Google

Si Papa scienter commisit appellationem interpositam à suo delegato datæ cum clausula, appellatione remotâ. jurisdictio primi delegati est suspensa, quo ad executionem. h.d.

§. 5. Sed quid si cùm à sententia lata authoritate literarum Apostolicarum, in quibus inhibita fuerat appellatio, provocatum fuerit, & literæ post appellationem ad alios judices emanaverint, an ad mandatum posteriorum judicum executio sententiæ à prioribus delegata retardari debeat? & quidem cum Apostolicus aliis judicib. appellationis causam ex certa scientia committit, & appellationem videtur recipere, & simul priorum judicum revocare jurisdictionem. Usque eò igitur sententiæ suspendetur executio, donec appellationis merita pleniùs discussa fuerint. *d.c. pastoralis. Officii § præterea.*

provocatum fuerit] Judex quidem non tenetur hoc casu deferre appellationi; si tamen pars appellaverit ex causâ, uti videtur, legitimâ, potest adire principem, cui liberum est appellationem admittere. Joh. Aloys. Ricc. *decis. 135.*

retardari debeat] Ratio dubitandi est, quia aliàs ubi commissioni inserta fuerit clausula, *appellatione remotâ*, non obstante appellatione, poterit per judicem, à quo appellatum est, sententia executioni mandari, nisi inhibitio facta fuerit à delegante.

ex certâ scientiâ] Non necesse est, ut ista verba literis inserantur, sed Pontifex aut Princeps tùm etiam ex certâ scientiâ dicitur facere, quando facit cum causæ cognitione; atque id interdum colligitur ex rescripto, quando facit mentionem de processu, appellatione & meritis. Aug. Barbos. *clausul. 59. n. 63.*

& ap-

& appellationem videtur recipere] Judex inferior ab executione regulariter non ceſſat, niſi ipſi fuerit inhibitum. At delegati judicis jurisdictio etiam tacitè revocari poteſt, per novi judicis conſtitutionem, qvemadmodum primum mandatum ſemper intelligitur revocatum per ſecundum, ut maximè primus procurator factus de eo certior non fuerit ſpecialiter. Fr. Mantica *Lucubr. Vatic. l. 7 tit. 22. n. 36. 40.*

Poſtulatio reſtitutionis in integrum differt executionem. h. d.

§. 6. Dantur & caſus alii, in qvibus licet ſententia in rem tranſierit judicatam, differenda nihilominùs erit executio: utputà, ſi non protelandi causâ in integrum reſtitutio [a] petita fuerit, & alii plures.

[a] *cap. ſuſcitata. ext. de in integr. reſt.*

in integrum reſtitutio] Variè diſceptatur de hâc qvæſtione. Communiter deciditur, qvod reſtitutio in integrum petita executionem impediat, *l. un. C. de integr. reſt. poſtul.* Mynſing. *1. Obſ. 48. & 6. Obſ. 80.* Wurmſer. *1. tit. 25. qv. 42. & 43.* Juſt. Meyer. *Colleg. Argent. l. 4. tit. 1. n. 36.* niſi ſit præſumptio, malitiosè & protelandi causâ peti reſtitutionem *c. 6. X. de in integr. reſt.* Totum tamen hoc negocium ſæpè arbitrio judicis committi volunt. Vid. Sfort. Odd. *de reſtit. p. 1. q. 43.* Knichen *de Sax. non prov. jur. verb. JUS c. 5. n. 109. ſeq.* Lancellott. *de attentat. p. 2. c. 18.* Petr. Caball. *conſ. 128.* Marchiſell. *qv. 97.* Anton Teſſaur. *deciſ. 181.* Joh. Bapſt. Coſta *de fact. ſcient. cent. 1. diſt. 55.* Carpzov. *2. reſponſ. 94.* Finkelthaus *Obſ. 106.*

& alii plures] qvales ſunt exceptio expenſarum & melioramentorum, Menoch. *remed. recup. poſſeſſ. 11. n. 10.* exceptio compenſationis, exceptio diviſionis ex epiſt. D. Hadriani, exceptio excuſſionis, exceptio ſolutionis, exceptio transactionis &c:

DE APPELLATIONIBUS,

TITULUS XVII.

Qvid ſit appellatio, & qvare inventa. h. d.

§. 1. Ap-

Digitized by Google

§. 1. Appellandi uſus præcipuè judicantium iniqvitatem corrigit, & imperitiam detegit. Eſt autem appellatio jurisdictionis prioris judicis per ſuperioris invocationem legitimè facta ſuſpenſio: vel, Appellatio eſt provocatio ad majorem judicem ratione gravaminis illati, vel inferendi.

detegit] inventa enim eſt appellatio tùm ad iniqvitatem & imperitiam judicis corrigendam, *l. 1. ff. de appellat.* tùm ad ſupplendum id, qvod in primâ inſtantiâ vel per judices vel per advocatos prætermiſſum eſt. *l. 6. §. ſi qvid autem C. eod.* Unde dicitur injuſtæ ſententiæ theriaca. Curt., *conſ. 163. n. 8.*

Eſt autem appellatio] Poteſt etiam ſic definiri, qvod ſit judicis ſuperioris propter gravamen illatum imploratio.

vel inferendi] ſi modò tale ſit, ut juſtè metuatur, & propè immineat, maximè ſi damnum inde exſurgens reparari commodè non poſſit.

Appellatio alia extrajudicialis, alia judicialis. Et de jure Canonico etiam extra judicium appellatur, qvæ appellatio provocatio dicitur. h. d.

§. 2. Appellationum duæ ſunt ſpecies. Aut enim extra judicium appellatur, aut in judicio. Extra judicium appellatur, cùm qvis ante litis ingreſſum[b] ab aliqvo gravamine appellat, utputà[c] ab electionibus, poſtulationibus, proviſionibus, & qvibuslibet extrajudicialibus actibus, ex qvibus ſe gravatum putet. Licet enim ſeculares leges[d] non, niſi in caſibus, ante ſententiam appellationem admittat: ſacri tamen

b *cap. cum ſit. §. ſi verò. extra. eod.*

c *cap. concertationi. eo. tit. in 6.*

d *cap. ſuper eo. el 2. ext. eod.*

Digitized by Google

Canones etiam extra judicium paſſim appellare permittunt : nec ſolent hujusmodi dici propriè appellationes, ſed provocationes[e].

[e] *d. cap. cùm ſit. ext. eod.*

cum qvis ante litis ingreſſum] Hæc verba præſupponere videntur litem inſecuturam. At poteſt extra judicium appellari, ut maximè lis nulla metuatur aut ſperetur, imò etiam in illis cauſis, ubi nemo eſt, qvi litem intentat. Sufficit enim gravatum tantùm eſſe eum, qvi appellat.

ſeculares leges] vid. *l. penult. C. qvor. appell. non recip.*

niſi in caſibus] Ita enim conceditur appellatio á decretis, qvibus qvis ad certa munera vocatur, videlicet, ad ſcribatum aut decurionatum *l. 4. l. 7. C. de appellat.*

ſed provocationes] Vocabulum provocationis latius patet, qvàm appellationis. Sub illo enim omnis invocatio auxilii ſuperioris, qvalis etiam eſt ſupplicatio, continetur. Promiſcuè tamen plerumqve ſumuntur pro eodem. Donell. *l. 28. c. 4.* Imò magis accommodatum verbum provocationis dicit Bachovius in Treutl. *vol. 2. diſp. 33. th. 1. lit. H.*

Appellatio judicialis dividitur in duas ſpecies. h. d.

§. 3. Rurſus in judicio appellatur aut ante diffinitivam ſententiam, aut poſtea. Antea appellatur, ut cùm ab interlocutoria, vel alio gravamine provocatur. Poſtea, ut cùm ab ipſa diffinitiva ſententia appellatur.

cum ab interlocutoriâ] In hoc qvoqve diſſentit jus Canonicum á jure civili, qvod appellationem ante ſententiam definitivam non admittit, niſi gravamen inducatur irreparabile *l. 2. ff. de appell. recip.* Vid. Nicol. Ant. Gravat. ad Octav. Veſtrii praxin *l. 3. c. 10. n. 6.* Et ſanè fecit hæc juris Canonici in appellationibus admittendis facilitas, ut, cum immortales inde ſeqverentur lites, Pontifices iſtam appellandi licentiam reſtringerent, &non

& non hoc tantùm casu, sed aliis etiam pluribus amputarent. Vid. Octavian. Vestr. *de processs. lib. 7. c. 3. n. 2.* In foro etiam Saxonico à qvâcunqve interlocutione & ab omni gravamine, tàm judiciali qvàm extrajudiciali appellare licet. Carpzov. *p. 1. const. 20. def. 12.*

Appellans ab interlocutoria debet in scriptis appellare, & intra triginta dies apostolos petere, & exhibere continentes causam appellationis, aliàs causa censebitur deserta. h. d.

§. 4. Multum autem interest, ab interlocutoria qvis provocet, vel alio gravamine, an à diffinitiva: nam [f] primo casu, & causam appellationis in scriptis assignare, & à judice infra triginta dies instanter petere debet literas dimissorias, & eidem intra dictum temporis spacium debent ab eodem judice exhiberi, continentes & appellationis causam, & cur appellatio non sit admissa, vel si appellationi forsan ex superioris reverentia sit delatum. Alioqvi [g] si eos intra idem tempus appellans petere prætermittat, appellationi suæ renunciasse putabitur, etiam si vadat, aut mittat ad appellationem hujusmodi prosequendam.

f *cap. 1. eod. tit. in 6.*

g *cap. ab eo, eod tit. in 6*

Multum autem interest] Nihil ferè interesse videtur in foro Saxonico, qvippe in qvo appellans causas suæ appellationis reddere indefinitè jubetur. Churf. Sächs. Appellation Ordn tit: Von Appellationen &c;

& causam appellationis] etiamsi ea notoria sit. Notorium enim relevat ab onere probandi, non à modo proponendi & allegandi. Arnold. de Reyger *disp. 10. de process. n. 11.* Causa autem ideò exprimi debet, ut utriqve judici de eâ constet, tùm judici à qvo, qvi fortè adhuc justitiam im-

pertire poteſt, tum judici ad qvem, ut conſtituat, utrum appellatio ſit recipienda, nec ne. Frid. Hiltrop. *de proceſſ. part 4. tit. 4. n. 6. & n. 22. 23.* eò qvod in interlocutoriis appellatio ex iisdem actis verificari debeat.

in ſcriptis] non igitur vivâ voce. Berlich. *p. 1. concluſ. 50. num. 96.* Carpzov. *in proceſſ. tit. 18. art. 3. n. 24.* Sed hæc tamen procedunt, niſi interlocutoria vim habeat definitivæ. qvia tunc in omnibus æqviparatur definitivæ. Reyger *d. l.*

intra triginta dies] qvi incipiunt currere à die latæ ſententiæ, ita ut etiam in eis contineantur decem dies, intra qvos appellatio interponi debet. Berlich. *l. concl. 50. n. 118.*

inſtanter] Idem vult jus civile, ut appellans literas dimiſſorias inſtanter & ſæpiùs petat. *l. un. ff. de libell. dimiſſ.* Sed jus Canonicum decrevit ſufficere, ſi per appellantem ſimul uno contextu apoſtoli inſtanter & ſæpiùs poſtulentur. *Clem. 2. de appellat.* Scaccia *de appellat. qv. 12. n. 26.* Atqve hinc petitio vulgo ita informari ſolet: peto inſtanter, inſtantiùs & inſtantiſſimè, vel ſæpè, ſæpiùs, ſæpiſſimè. Roßbach *in proceſſ. tit. 74. n. 12.* Sed enim parùm videtur attendiſſe Pontifex ad rationem juris antiqvi. Fuit enim iteratio petitionis ideò introducta, ut judex, qvi pluribus occupatus eſt, eò ſæpiùs commoneſiat, neve ejus, qvod petitum fuit, obliviſcatur, & ut exinde de diligentiâ appellantis conſtet. Sed ad hanc rem nihil omninò facit iterata in uno contextu petitio. Qvin imò qvod uno contextu, & uno tempore fit, non poteſt ſæpius factum videri, præſertim ſi iteratio actus temporis aliqvam intercapedinem reqvirit.

literas dimiſſorias] qvæ aliàs dicuntur apoſtoli, it. libelli dimiſſorii, *rubric. ff. de libell. dimiſſ.* qvia per eos dimittitur cauſa ad judicem appellatum, *l. 106. ff. de V. S.*

continentes] Sunt enim Apoſtoli nihil aliud, qvàm libelli à judice à qvo ad judicem ad qvem dati, continentes, qvomodo appellans à ſententia lata provocarit, ſimulq; ſignificantes, num dictum appellantem à jurisdictione ſuâ dimittat judex à qvo, nec ne.

ex ſuperioris reverentiâ] Variæ recenſentur à Doctoribus ſpecies apoſtolorum. Alii enim ſunt dimiſſorii, per qvos judex appellationi defert, & appellantem ex ſua jurisdictione dimittit. alii ſunt reverentiales, qvando judex exiſtimat appellationem non eſſe admittendam, ſed tamen propter reverentiam ſuperioris eam admittit. alii ſunt teſtimoniales, qvi

Digitized by Google

qvi dantur à notario in teſtimonium factæ appellationis, in caſu, qvo vel abſens eſt judex, vel apoſtolos dare recuſat. alii ſunt refutatorii, qvando judex non admittit appellationem, & cauſas in literis reddit, qvibus plerumq; gravamina appellantis refutat & nulla eſſe dicit. alii deniq; conventionales, qvando pars adverſa admittit appellationem & in eam conſentit, ſive in judicio ſive extra judicium, & hi dantur vel ab ipſo appellato vel à notario. Juſtus Meyer *in Colleg. Argent. tit. de libell. dimiſſor. n. 5.* Octav. Veſtrius *in prax. l. 7. c. 3. n. 32.* Roßbach *in proceſſ. tit. 74. n. 3. 4.*

renunciaſſe putabitur] Et hinc deſerta pronunciatur appellatio.

Ponit tres caſus, in qvibus ob non petitos apoſtolos cauſa deſeritur. h. d.

§. 5. Idem juris[a] eſt, ſi judex, à qvo appellatur, certum terminum appellanti ad recipiendos apoſtolos aſſignaverit, & appellans in aſſignato ſibi termino non compareat, nec eos ſibi tradi petat: idem & ſi judex appellanti reſponderit intra juris terminum ſe daturum, nec intra dictum ſpacium congruo loco & tempore inſtanter & ſæpiùs ſaltem uno contextu petierit, vel ſibi oblatos appellans recipere recuſaverit.

[a] *clem. 2. eod. tit. in princ. c. qvamvis rigor. verſ. verum ſi judex.*

certum terminum appellanti] Terminus iſte non debet excedere dies triginta, qvi appellanti ad petendos Apoſtolos præſtituti ſunt, aliàs appellans pro apoſtolis impetrandis comparere amplius non tenetur. Capell. Tholoſan. *qvæſt. 44.* Tempus ergò triginta dierum & parti petenti apoſtolos & judici eos concedenti eſt commune.

non compareat] Etſi enim judex deferat appellationi, & oblatione apoſtolorum etiam prævenire partem debeat *l. 6. §. ult. C. de appellat.* ſi tamen judex ceſſet, partem ipſam petere apoſtolos & inſtare oportebit, niſi appellationem pro deſertâ haberi velit. Carpzov. *p. 1. conſt. 20. def. 8.* Bachov. in Treutler. *vol. 2. diſp. 33. th. 8. lit. G.*

Digitized by Google

intra juris terminum] Vocatur ita, qvia lex ipſa hunc terminum præſcribit, non parti tantùm, ſed etiam judici. Putat autem Octavianus Veſtrius *d.l.n.33.* ſi ſimpliciter terminus juris datus fuerit, cogi appellantem expectare ultimum momentum, nec antea comparendo ſatisfacere termino ſibi aſſignato, & deſertionis periculum ſubire. Qvod non videtur. Eſt enim terminus juris conſtitutus non judici tantùm, ut deliberet de admiſsione appellationis, ſed parti etiam, ut inſtanter petat apoſtolos, & judicem aliis negociis obrutum commonefaciat. Eodem modo non placet aſſertio Gvidonis Pap. *deciſ. 25.* qvi putat, in caſu, qvo judex terminum intra triginta dies aſſignaverit, & appellanti in dicto termino comparenti apoſtolos non dederit, ſed alium terminum aſſignaverit, non teneri appellantem denuò comparére, & ſi hoc fecerit, terminuſq; interim 30. dierum elapſus fuerit, appellationem pro deſertâ habendam. Eum refutat Carpzov. *in proceſſ. tit. 18. art. 3. n. 58. ſeq.*

vel ſibi oblatos] Judex enim etiam non petenti appellanti apoſtolos offerre debet. *l. 6. in f. C. de appellat.*

Taciti & expreſſi eadem eſt virtus. hoc dicit.

§. 6. Qvòd ſi judex [b] in termino per eum præfixo ipſos petenti non dederit, aut ſi, dum peterentur, vel intra juris terminum, vel nullo certo termino præfixo, ſe daturum aſſeruerit, poſtea per appellantem congruo loco, & tempore, ſæpiùs, & inſtanter unico etiam contextu reqviſitus eos exhibere non curaverit, perinde propriam appellationem proſeqvi appellans poterit, ac ſi ei expreſsè fuiſſent apoſtoli denegati. Alia qvoqve agenda erunt, prout ex tenore tam Innocentianæ [c], qvàm aliarum conſtitutionum luculenter apparet.

b *clem. 2. §. fin. eod. tit. c. qvamvis riger. §. fin.*

c *cap. 1. eod. tit. in 6.*

con-

congruo loco & tempore] non qvando judex eſt in balneo, non nocturno tempore, aut qvando ſacris intereſt.

fuiſſent Apoſtoli denegati] Durum hoc eſt in caſu primo, ubi judex terminum anguſtiorem præfixerit. Plurima enim incidere poſſunt, qvæ judicem impediant. Et videtur hoc potius reverentia in judicem exigere, ut redeat appellans intra terminum juris, & apoſtolos urgeat. Nec enim deſerta propterea fit appellatio, uti modò dixi.

tàm Innocentianæ] qvæ extat *in c. 1. de appell. in 6.*

qvàm aliarum] qvæ videri poſſunt in Decretalibus & Clementinis ſub tit. *de appellationibus.*

In appellatione à diffinitiva non eſt neceſſe cauſam inferere. h. d.

§. 7. In appellationibus autem [d] à ſententia diffinitiva interponendis nec cauſam reddere tenetur appellans, nec etiam ſuprà dicta diligens obſervatio per omnia ſibi locum vendicat.

d *cap. 1. verſ. is qui. ubi gloſſ. eod. tit. in 6.*

nec cauſam reddere] Sufficit enim, qvod appellans in genere dicat ſe gravatum. *arg. l. 3. in f. ff. de app.* Socin. *regul. 28.* Et hinc ſufficere putant, ſi appellans velit rem denuò cognoſci ex actis prioris inſtantiæ. Anton. Fab. *Cod. de appellat. defin. 15. & tit. de judic. def. 20.* Tutius tamen exiſtimat Petrus Friderus de proceſſib. *l. 1. c. 7. n. 10. ſeq.* cauſam gravaminis exprimere. In foro noſtro Saxonico indiſtinctè cauſas reddere tenetur appellans. Churf. Sächſ. Appellation Ordn. *tit.* von *Appellationen* &c.

nec etiam ſupra dicta] Hinc nec in ſcriptis qvidem neceſſe eſt ut appelletur, ſed poſt publicationem ſententiæ vivâ voce dici poteſt APPELLO, & hoc ſufficit *l. 2. ff. de appellat.* ſi ſc. in continenti appelletur. At ſi ex intervallo, non poteſt fieri appellatio, niſi ſcripturâ interveniente. *l. 5. §. fin. ff. h. t.* Beſold. *de appell. c. 8. n. 3.*

per omnia] Adhuc enim aliqva ex ſupra dictis etiam in ſententia definitiva locum inveniunt, qvalia ſunt ea, qvæ de apoſtolis petendis & exhibendis dicta ſunt.

In

In appellatione ab interlocutoria debet talis causa allegari, quæ si esset vera, reputaretur legitima. h.d.

c. ut debitus. vers. cum autem. h.t.

§. 8. Cùm autem ex probabili causa ab interlocutoria qvis duxerit appellandum, talem tenetur proponere, qvæ si probata fuisset, deberet legitima reputari, de qvo postea superior cognoscet: nec enim sufficit [c] appellanti probare, qvòd ex causa hujusmodi appellavit, si eam non doceat esse veram, nisi hoc se offerens probaturum non fuisset admissus.

c cap. interposita. in princip. ext. eod.

Cum autem ex probabili causâ] Aliàs dicunt causam rationabilem. Dicitur autem causa rationabilis, qvando judex gravat contra jus scriptum, vel denegat juris beneficium, ut si neget restitutionem spoliato, priusqvam de proprietate cognoscat. Frid. Hiltrop. *in proceſſ. part. 4. tit. 4. num. 3.*

deberet legitima reputari] non tantùm in thesi, sed etiam in hypothesi qvoad casum, de qvo agitur. Potest enim legitima qvidem esse causa, sed qvæ malè & falsò applicatur. & tùm prudenter facit judex à qvo, qvando talem rejicit.

si eam non doceat esse veram] Si enim eam non probat, non potest dici, qvod ex sola non admissione fuerit gravatus.

se offerens probaturum] Qvando qvis opponit non solùm exceptionem, sed offert, se in continenti illam probaturum, nec tamen admittitur, & propter hoc appellat, statim & ipso facto censetur justificata appellatio, ita ut sufficiat coram judice appellationis probare, fuisse propositam legitimam exceptionem, & oblatam probationem, & judicem noluisse admittere. Nec necesse est hoc casu coram judice ad qvem probare exceptionem, qvam rejecit judex à qvo. Operatur tamen talis appellatio tantùm devolutionem negocii ad judicem appellationis & revocationem attentatorum; neqvaqvam autem absolutionem, qvia ad consequendam absolutionem debet appellans probare veritatem exceptionis. Scaccia *de appellat. qvæst. 11. n. 68. 70.* Cæterùm si qvis appellet ab interlocutoriâ, & judex non

non admittat appellationem, tunc nisi ab ista non admissione pariter appelletur, appellatio censetur deserta. Mynsing. *cent. 2. qv. 49.* Carpzov. *3. respons. III.*

Is qvi minùs rationabiliter appellavit, condemnatus in expensis ad inferiorem judicem remittitur, nec potest qvis alias causas prosequi, qvàm expressas. h.d.

§. 9. Qvòd[f] si judex minùs probabiliter appellatum esse compererit, appellantem ad inferiorem judicem remittet, & in expensis alteri parti condemnabit, alioqvi ipse procedet, nec licebit appellanti alias causas prosequi, qvàm qvas in appellatione sua nominatim expresserit.

f *cap. cùm appellationib. eod. tit. in 6. c. cum in Ecclesia. h. t.*

ad inferiorem judicem remittet] Remissionem hanc necessariam non esse volunt eo casu, qvando judex inferior appellationi non detulit; qvando verò detulit appellationi, integrum qvidem esse dicunt judici appellationis, num remittere velit, an non; si tamen remittere voluerit, expressâ remissione opus esse, eò qvod judex inferior appellationi deferendo jurisdictione se abdicaverit. Gail. *l. 1. obs. 131.* Sed hanc distinctionem rem magis involvere, qvàm explicare dicit Carpzovius *part. 1. const. 20. def. 28.* & indefinitè statuit, nullibi opus esse disertâ & expressâ remissione, qvia eo ipso, qvod pronunciatur, malè appellatum, benè judicatum, facultas judicandi de causâ principali ad judicem à qvo revertitur.

& in expensis] qvæ tamen arbitrio judicis minuuntur, vel ejus, ad qvem appellatum fuit, vel inferioris, ad qvem causa remittitur. Carpzov. *3. respons. 123. n. 17. seq.* In Electorali tamen appellationis judicio rarissimè appellanti injungitur refusio expensarum, ut maximè sententia prioris instantiæ confirmetur, teste Carpzov. *3. respons. 122. n. 28. seq.* Qvod tamen hodiè mutatum est, ita ut plerumq; appellans, nisi reformatoriam impetraverit sententiam, in expensas condemnetur.

alioqvi ipse procedet] scil. si rationabiliter appellatum fuerit, tùm enim ipsa causa principalis ejusq; cognitio ad superiorem devolvi-

tur. Carpzov. *in proceſſ. tit. 18. art. 6. n. 41. ſeq.* Imò verò devolvitur eatenùs, qvando ſententia prioris inſtantiæ confirmatur, ſed judex a qvo ſpretæ detulit appellationem ab interlocutoria. Fried. Hiltrop. *de proceſſ. part. 4. tit. 4. num. 29.*

alias cauſas proſeqvi] In hunc enim finem in appellatione ab interlocutoria reqviſita fuit Scriptura, ne deinceps in proſecutione alia nova cauſa inſereretur. Idemq; etiam in appellationibus extrajudicialibus procedere notat Petrus Gregorius *de appellat. lib. 6. c. 1. n. 8.*

Si dicitur ex injuſta cauſa appellatum, judex ad qvem inhibere non poteſt, niſi priùs receptâ appellatione, ut probabili, incipiat cognoſcere de cauſæ veritate. h. d.

g *cap. Romana. §. qvòd ſi objiciatur. eod. tit. in 6.*

§. 10. Qvòd ſi objiciatur g, non ex legitima cauſa ante ſententiam appellationem interpoſitam, & propterea non admittendam eſſe, niſi priùs appellatione receptâ, velut emiſsâ ex cauſa probabili, judex ſuperior cognoſcere incipiat, ne procedatur, inferiori prohibere non poterit.

ante ſententiam] ſc. definitivam. Agit enim adhuc de interlocutoriâ.

prohibere non poterit] Conſtare enim debet prius de veritate allegatorum & gravaminis, qvàm inhibitionem decernat Judex ſuperior; Si enim gravamina juſta aut probabilia non ſint, deficit ejus jurisdictio. Gail. *1. Obſ. 144. n. 4.*

Ceſſante cauſâ ceſſat effectus. hoc dicit.

a *cap. cum ceſſante. extr. eod. tit.*

§. 11. Sed & ſi judex ſàno uſus conſilio a ab ejus executione deſtiterit, qvod comminando, vel interloqvendo in gravamen partis protulit, non obſtante, qvòd

qvòd ab hujusmodi comminatione, vel interlocutione provocatum fuerit, ne processus negotii frivolis occasionibus retardetur, in causæ cognitione libere procedere poterit.

ab ejus executione desiterit] Potest judex à qvo gravamen per interlocutoriam inflictum revocare, & sic cognitionem causæ sibi reservare atqve ulterius in causa procedere, etiam nolente appellante. Frid. Hiltrop. *de process. part. 4. tit. 4. n. 22.*

non obstante] revocato enim gravamine, nihil erit, propter qvod gravatum se dicere qveat appellans.

Judex à qvo compellere non potest appellantem à gravamine ipsius veritatem probare, licet citare possit ad ipsius revocationem audiendam, qva facta in causa procedere poterit, ejus contumaciâ non obstante, ac si nunqvam appellasset. b.d.

§. 12. Sed [b] videamus, an jus dicenti obtemperare tenearis, à qvo propter gravamen, qvod tibi illatum asseris, appellaveris, si tibi is ad docendum de gravamine, & si de ipso liqverit, ad ejusdem revocationem audiendam terminum præfixerit: & sanè cùm id ipsum à judice perspiciendum sit, nec coram eo de gravamine docere, nec etiam tanqvam coram judice (cùm per appellationem ejus suspensa sit jurisdictio) comparêre teneberis. Qvòd si tantùm, ut revocationem audias, te vocandum duxerit, licet non compareas, ipse tamen in termino gravamen revo-

[b] *cap. si à judice. cod. tit. in 6.*

caverit, perinde in causâ procedere poterit, ac si appellatio nunqvam fuisset interposita.

à judice perspiciendum sit] Qvia enim judex jam satis causam cognovit, & in recenti memoriâ habet, qvid inter partes hactenus actum fuerit, non erit ei difficile, de gravaminis rationabilitate & probabilitate judicare.

de gravamine docere] Id enim fieri debet coram judice superiore, qvi nullam adhuc habet causæ cognitionem.

suspensa sit jurisdictio] Atqve ita fit judex incompetens, sive recepta sit appellatio, sive nondum, qvamdiu sc. de receptione deliberatur.

comparere teneberis] Si tamen compareas, propterea dici nequit, qvod renunciaveris appellationi. Aliàs autem si appellans superiorem, compareat coram inferiori super concernentibus ipsam appellationem, videretur renunciare appellationi, etsi contrarium protestetur. Petr. Gregor. *de appell. l. 6. c. 12. n. 11.*

gravamen revocaverit] Revocatio hæc semper intelligenda est de interlocutoriâ; Sententia enim definitiva revocari à judice nequit. Joh. Aloys. Ricc. *decis. 1474.* Stephan. Gratian. *discept. for. c. 155. n. 16.*

Potest appellantem ab interlocutoria pœnitere, & facere, ut prior judex cognoscat, sed appellato sunt reficienda expensæ, quas is fecit ob appellationem. h. d.

§. 13. Ac veluti in potestate judicis gravamen revocantis positum est, non obstante appellatione causam resumere, sic contrà, si is, qvi vocem appellationis emisit [c], cujus adhuc nemini est demandata cognitio, petierit, ut ad judicem, à qvo provocavit, rursus causâ remittatur, id ei alterius partis contradictione

[c] *cap. interposita. §. ille. exe. eod. tit.*

ctione minimè obstante indulgendum erit. Sed hoc ita, ut in legitimis expensis adversario, qvas eum propter hoc feciſſe constiterit, condemnetur.

est demandata cognitio] imò verò etiamsi demandata sit, nihil hoc nocere videtur. Rectè enim concludunt Doctores, renunciationem fieri non posse, etiamsi res non sit integra, tùm qvia appellatus nullum potest prætendere interesse, tùm qvia appellans appellationem suam potest non prosequi & deserere, tùm qvia appellatio in favorem appellantis introducta est. Scaccia *de appell. qvæst. 17. limit. 2. n. 109. seq.* Intelligenda tamen hæc sunt de appellatione ab sententiâ interlocutoriâ, uti expressè restringit Scaccia, & de hâc scilicet verba facit Autor, uti ex initio hujus §. colligere licet.

ut in legitimis expensis] Si tamen intra decendium à die latæ sententiæ renunciatum fuerit interpositæ paulò ante appellationi, nulla fieri debet condemnatio in expensas, etsi victor jam aliqvas fecerit. Ant. Fab. *Cod. lib. 7. tit. 26. def. 35.* Alias exceptiones habet Scaccia *d. l. num. 122. seqq.*

Ponit quàm plures casus, in qvibus appellationi non est deferendum. b. d.

§. 14. Non omnis ergo appellatio indistinctè recipienda erit: nam sive adeò sit vaga, & generalis [d], ut incertitudinem afferat, sive qvòd omisso medio sit interposita, à parte opponatur, causa non devolvetur. Idem juris est, si super notorio crimine [e], vel de qvo qvis in jure confessus fuit, provocetur: nec enim ad defensionem iniqvitatis, sed ad præsidium innocentiæ est appellationis remedium institutum.

d *cap. 2. & cap. consuluit. el 2. extr. eod.*

e *cap. cum sit. §. final. & cap. pervenit. & cap. seq. ext. eo. tit. cap. Romana. §. si aût. eod. tit. in 6. c. 61. h. t.*

vaga & generalis] v. g. si generaliter in omnibus causis, qvæcunq; qvandocunq; coram judice suo intenderentur. Obtinuit tamen, ut valeret appellatio interposita super omni gravamine, qvod in unâ causâ sibi possit inferri *c. consuluit. 18. X. h. t.*

sive qvod omisso medio] Jure civili ad superiorem omisso intermedio appellare per saltum non licet *l. 21. ff. de appellat.* Lusov. à Pergvera *decis. 191.* Nicol. Calvol. *in prax. §. appellatio. conclus. 3.* Jure Canonico autem â qvolibet judice inferiore appellare licet ad summum Pontificem, omissis intermediis, *c. si duobus 7. c. de priore 31. c. ad audiendum 34. c. dilecti 52. X. de appell.* qvod tamen Interpretes aliqvi non admittunt extra territorium Romanæ Ecclesiæ. Cujac. *ad c. dilecti 66. X. h. t.* Plurimi verò generale id asserunt & rationem qværunt in potestate Papæ supereminente; rectius Hilligerus in nimiâ & insatiabili Pontificum tùm ambitione, tùm avaritiâ, *in Donell. enucl. l. 28. c. 7. lit. H.* Petr. de Ferrar. *in prax. tit. 21. n. 2.* Id verò reformatione indigere & omnem disciplinam corrumpere, in ipso Concilio Tridentino ostendit Joh. Gropperus. Vid. Petr. Svav. *hist. Concil. Trid. lib. 4.*

â parte opponatur] Qvid verò, si non opponatur? num subsistet tùm appellatio? Ita putant Petr. Gregor. *de appellat. l. 4. c. 3. n. 1.* Andr. Vallens. *ad tit. X. de appell. §. 6. n. 4.* Anton. Perez. *Cod. de appell. n. 16.* Sed rectius meo judicio negant Scaccia *de appell. qv. 7. n. 16.* Besold. *de appellat. c. 4. n. 13.* Dominic. Arumæ. *in Pand. disp. ult. n. 6. propter l. 21. ff. h. t.* qvæ eò usqve tantùm appellationem sustinet, ut remitti possit ad qvem debuit fieri, scil. si ex errore ad majorem judicem appellatio facta fuerit, *l. 1. §. 3. ff. eod.* Malitiosè ergò si qvis ad superiorem omisso medio appellaverit, intercidere appellationem, & prorsus nō valere verius videtur. Besold. *dict. loc.*

si super notorio crimine] Etiam in criminalibus admittitur appellatio. Petr. Frider. *de proceff. part. 1. c. 9. per tot.* Mynsing. *4. Observat. 41. 42.* Rauchbar *p. 2. qv. 8.* Carpzov. *3. criminal. qv. 139.* Si tamen crimen notorium fuerit, frustra flagitabitur alia & plenior cognitio. Dicitur autem crimen notorium, qvod palam est inspectante populo, vel in conspectu judicis & circumstantis coronæ perpetratum est. Anton. Matthæ. *de crimin. tit. de probat. c. 3. n. 2.*

in jure confessus fuit] in jure hic idem est, qvod apud judicem, imi-

imitatione juris civilis, ubi in jure idem denotat, qvod apud Prætorem. Confessio autem propria non in criminalibus tantùm, sed etiam in civilibus appellationem excludit. Besold. *de appell. c. 6. n. 1.*

Regulares non appellant à correctione sui prælati. Nec à judice seculari sedi Apostolicæ non subdito appellatur ad Papam. Et qvi non defert legitimæ appellationi, punitur. h. d.

§. 15. Et ideo nec regulares [a], cùm pro aliqvo excessu corrigendi fuerint, contra regularem prælati sui, vel capituli disciplinam appellabunt, sed qvòd sibi pro salute injungitur, humiliter suscipient: sed nec tunc appellationi deferendum erit [b], cùm à seculari judice, qvi temporali sedis Apostolicæ jurisdictioni non subjicitur, ad Apostolicum appellatum fuerit: & aliis qvibusdam casibus. Alioqvi is, qvi legitimæ appellationi etiam de minima causa [c] interpositæ non detulit, Canonicis pœnis coërcendus erit [d].

a *cap. ad nostrã. & cap. reprehensibilis. extra. eod. tit.*

b *cap. si duobus. §. fin. ext. eod. tit.*

c *cap. de appellationib. ext. eod. tit.*

d *cap. de priore. ubi gl. ext. d. tit.*

Et ideò nec regulares] Qvi sint regulares, diximus ad *lib. 1. tit. ult.*

corrigendi fuerint] per censuram Ecclesiasticã, qvæ ipsa qvandoqve etiam dicitur correctio. Propriè tamen correctio finis est & correptionis & pœnæ Ecclesiasticæ.

Sed nec tunc appellationi deferendum erit] Mirum hoc est, pontificem sibi has partes non vindicare, qvæ tamen jam olim tributæ fuerunt Episcopis aliis ab Imperatore Constantino vid. *l. 1. Cod. Theodos. de Episcopal. judic.* Nec verò abstinuit hîc sese papalis curia, qvin jam multis abhinc annis sese maximâ cum protervià ingesit, & causas seculares undiqvaqve ad se pertraxit, de qvo conqveruntur in gravaminibus suis principes Germaniæ *gravam. 9. 10. 11. 12.*

&

& aliis qvibusdam casibus] Plures tales causas, in qvibus appellatio non admitt tur, recenset Maranta *tit. de appellat. n. 280. seqq.* Conf. Hillig. *in Donell. enucl. l. 28. c. 6. lit. Ee. seq.* Arnold. de Reyger *disp. 10. th. 35.*

etiam de minimâ causâ] Ita constituit Pontifex in *c. 11. X. h. t.* Idem qvoqve de jure civili dispositum invenitur *in l. 20. C. h. t.* qvanqvam diversum statuat Maranta *tit. de appell. n. 326.* per majores causas ibi intelligens criminales, per minores, civiles. Sed minimas tamen causas etiam de jure civili non esse insuper habendas, apparet ex *Novell. 69. c. 2.* Restringit verò hæc Cujacius *in d. c. 11. X. h. t.* ad appellationes in minimis causis, qvæ ad Episcopum vel Archi-Episcopum deferuntur. Ad Principem enim aut Pontificem Romanum talem appellationem in re minima vix admitti.

coërcendus erit] Pœna videtur esse arbitraria. Jure civili autè constitutum est, ut judex appellationem non recipiens 30. libr. auri puniatur *l. 21. C. h. t.* Excipiendi tamen sunt casûs illi, in qvibus appellatio non admittitur, de qvibus jam ante actum.

Appellans ab Ordinario potest coram eodem super alia causa conveniri. h. d.

c. proposuit. h. t.

c cap. ad hæc. ext. eod. & cap. præter. ea. el 1. eod. tit.

§. 16. Licet autem provocatione canonicè à partibus interjectâ, judicis, à qvo appellatum fuit, officium in illa qvidem causa penitùs conqviescat, si c tamen is, qvi ab Ordinario appellavit, super alia causa coram eodem conveniatur, præsertim pro gravi & manifesto crimine, appellationis obtentu, qvo minùs canonicâ censurâ puniatur, effugere non potest.

in illâ qvidem causâ] Non enim eximitur appellans in totum jurisdictione judicis ordinarii, sed tantùm qvoad illam causam. Atqvi causa limitata limitatum producit effectum. Potest igitur in alia causa

cauſis coram eodem judice ordinario, non obſtante hâc appellatione, conveniri.

prograui & manifeſto crimine] Intereſt enim Reip. ne delicta maneant impunita. Et ſic igitur utraqve cauſa ventilari ſeorſim poteſt, cauſa appellationis coram judice ad qvem; criminalis verò aut civilis alia coram ordinario.

Innovata per judicem poſt diffinitivam ſententiam, à qva appellatum fuit, revocantur ſtatim per judicem Apoſtolicum, etiamſi ante appellationem fuerint innovata. h. d.

§. 17. Interpoſitâ ergo à diffinitiva ſententia appellatione, non ſolùm poſt eam innovata [f] debent per judicem appellationis penitùs & ante omnia revocari: (exceptis tamen caſibus, in qvibus jura poſt ſententiam prohibent appellare) ſed etiam ea omnia, qvæ medio tempore inter ſententiam, & appellationem contigerit innovari, perinde ac ſi poſt appellationem innovata fuiſſent.

[f] *cap. non ſolũ. eod. tit. in 6.*

à definitivâ ſententiâ] Ab interlocutoriâ enim ſi appellatum fuerit, non revocantur attentata, priusqvam de meritis appellationis conſtet, niſi facta fuerit inhibitio, & poſt inhibitionem attentetur. Frid. Hiltrop. *de proceſſ. part. 4. tit. 9. n. 29. 30.* Aliàs enim licet appellatum fuerit ab interlocutoriâ, judex tamen â qvo nihilominus procedere poteſt ad ulteriora, donec ſit inhibitum. Anton. Teſſaur. *deciſ. 49. n. 1.* qvod ſecus eſt in appellatione â definitivâ, qvia talis appellatio omninò ſuſpendit jurisdictionem judicis â qvo, etiamſi â judice poſtea appellatio repudietur. *l. 3. c. de appell.*

poſt eam innovata] dicuntur aliàs communiter attentata vocea apud veteres JCtos & alios probatos autores minimè uſurpatâ, inter pragmaticos tamen paſſim receptâ. Robert. Lancellott. *de attentat. in præfat. n. 9.*

per judicem appellationis] Cum enim non litigantes tantùm, sed ipse etiam judex inferior innovare qvandoq; soleat, potestas revocandi delata fuit judici, ad qvem appellatum fuit.

revocari] qvod fieri à judice potest etiam parte non petente, cùm innovatio ea simul contemtum judicis involvat. Gail. *1. Obs. 146. n. 7.*

prohibent appellare] ubi enim nulla admittitur appellatio, nulla erit innovatio, nulla status mutatio.

inter sententiam & appellationem] uti enim jus alicui auferendum non est, ita nec spes, qvæ pendente tempore ad appellandum à jure indulto concepta est.

Attentata post appellationem ante diffinitivam non revocantur, nisi primò de veritate constiterit, vel nisi post inhibitionem debito modo factam attentata fuerint. h. d.

g d. cap. non solùm. §. illa. eod. tit. in 6.

§. 18. Illa[g] verò, qvæ post appellationem interpositam ante diffinitivam sententiam innovantur, donec appellationis causam veram esse constiterit, revocari non debent, nisi judex appellationis, postqvam sibi constiterit, per appellationem emissam ex causa probabili fore ad se negotium devolutum, inhibeat Canonicè judici, à qvo appellatum fuit, ne procedat: tunc enim, qvid qvid post inhibitionem hujusmodi fuerit innovatum, est per appellationis judicem ante omnia in statum pristinum reducendum, licet eandem causam non esse veram contingat.

ante definitivam sententiam] h. e. ubi ab interlocutoriâ sententiâ appellatum fuit, uti dixi supra.

cau-

causam veram esse constiterit] Innovata ante inhibitionem subsequente demum sententiâ super causâ principali latâ revocantur.

postquam sibi constiterit] priùs enim de veritate gravaminis constare debet, qvàm inhibitionem decernat judex appellationis. Qvamdiu igitur cognoscit, an appellatio sit recipienda, inhibere non debet. Gail. *l. Obs. 144. n. 4.*

post inhibitionem] Obligat inhibitio â die non decretæ, sed insinuatæ inhibitionis, qvæ ante vel intra decretam & insinuatam inhibitionem facta sunt, pro attentatis non habentur, nec ad ea inhibitio pertinet, qvippe qvod tùm nullus subsit contemptus judicis. Frid. Hiltrop. *in proceff. part. 2. tit. 5. n. 19.*

non esse veram contingat] Sufficit enim, pro verâ fuisse habitam & hujus intuitu inhibitionem emissam.

Non refert, qvid ex aqvipollentibus fiat, & facta plus operantur, qvàm verba. h. d.

§. 19. Appellasse autem dicetur non solùm is, qvi vocem appellationis emisit, sed etiam qvi aliqvo indubitato facto provocandi propositū declaraverit. Unde rescriptum [a] est, eum, in qvem post iter ad sedem Apostolicam arreptum excommunicationis sententia ab ordinario promulgata fuerit, excommunicationis vinculo non teneri, qvasi appellatione pendente lata fuerit, cum plus sit facto, qvàm verbo provocare. Idem & in eo responsum est, [b], qvi licet ex simplicitate fortè verbum appellationis

a *cap. dilecti filii. el 2. extra. eod. tit.*

b *cap. ad audientiam. ext. eod. tit.*

non expreſſerit, ſe tamen & Eccleſiam ſuam cùm moleſtaretur, Romani Pontificis protectioni ſubjecit.

poſt iter ad ſedem apoſtolicam] aut etiam minorem ſede apoſtolicâ, ad qvam aliàs appellatio fieri deberet. Neceſſe autem eſt, ut iter appellationis causâ inſtitutum, & judici â qvo aut parti intimatum fuerit. Robert. Lancellott. *de attentat. p. 2. c. 12. ampl. 16.* Alia reqviſita habet Joh. Bapt. Coſta *de remed. ſubſid. c. 60. n. 6.*

qvaſi appellatione pendente] Iter enim ſuſceptum habetur pro appellatione jam factâ, poſt qvam nihil innovari oportet.

protectioni ſubjecit[Aliud qvidem eſt appellare, aliud protectioni ſeu patrocinio ſe ſubjicere; verum eadem vis utriusqve, qvia utroqve jure ordinarius judex eſſe deſinit. Cujacius *ad c. 34. X. h. t.*

Juſtus metus excuſat adeò, qvòd non appellans habetur pro appellante, ſi fuerit proteſtatus, & cauſas appellationis expreſſerit. h. t.

c *cap. fin. ext. eod.*

§. 20. Is qvoqve [c], qvem, qvo minùs appellaret, juſtus metus impedierit, ad appellationis beneficium convolaſſe reputabitur, dummodò infra tempus, qvo licitè provocatur coram judice, à qvo appellaſſe vellet, vel ſi ipſius copiam habere neqviverit, coram probatis viris conteſtatione ſuper hoc propoſitâ cauſas appellationis expreſſerit.

juſtus metus] qvi non præſumitur cauſatus â judice. Juſtus autem metus eſt, ſi judex conſvevit appellantes â ſe in carcerem conjicere, aut violentiam ipſis eorumq; bonis inferre.

infra tempus] ſcilicet decem dierum.

appel-

appellasse vellet] metu autem deterritus fuerit.

contestatione super hoc propositâ] Contestatio ista non tàm ad probandum metum, qvàm ad inducendum effectum appellationis interponitur. Idem disponitur in *l. 2. C. de his qvi propt. med. jud. & l. 7. ff. de appell.*

Sufficit appellare coram majori parte judicum. Et omnium aliorum intimatio parti appellatæ est facienda. h. d.

§. 21. Qvòd [d] si à pluribus judicibus appellandum fuerit, qvia non semper facilè eorum præsentia simul haberi posset, coram majori parte ipsorum appellare, & apostolos separatim petere licebit, valebitq; hæc appellatio perinde, atq; si coram omnibus interposita fuisset: omnium tamen subsecutorum appellato ignoranti intimatio legitimè facienda erit.

[d] *clem. 1. eod. tit.*

coram majori parte ipsorum] Inter plures enim qvod à majori parte fit, ab omnibus factum intelligitur, & sic etiam qvod coram majore parte fit, coram omnibus factum censebitur. In plurimis tamen judiciis sufficit apud actuarium appellationem interpositam (ad judices tamen directam) insinuare.

apostolos separatim petere licebit] Cur verò separatim, cùm aliàs sufficiat ipsi appellationi petitionem apostolorum inferere? König *in proces. c. 130. n. 2. in f.* Videtur hoc speciale esse in hoc casu, ut eò magis innotescat appellatio reliqvis etiam judicibus.

omnium tamen subsecutorum] sc. appellationis interpositæ, delationis & termini præfixi.

legitimè facienda erit] secundum modum præscriptum in *Clementin. 3. de elect.*

Si unus ex pluribus appellet, & obtineat in causa appellationis, prodest victoria consortibus, si sit idem negotium, & causa. h.d.

c cap.pen.ext. eod.tit.

§. 22. Idem ex contrario [c], si plures unâ sententiâ condemnati fuerint, & unus solus ad appellationis beneficium convolaverit, istius victoria cæteris qvoqve suffragabitur, si communi jure juventur, idemqve negotium & eadem causa defensionis existat.

cæteris qvoq; suffragabitur] Dum tamen cæteri intra decendium sciant, appellatum fuisse. Qvando enim ignorant, & sententiæ ipsi non reclamant, tacitè eam agnovisse censentur. Prodest autem unius appellatio cæteris, etsi ille qvi appellavit, ab appellatione desistat, imò etsi expresis verbis testetur, se in commodum alterius non appellare. Hartm. Pistor. *l.1.qv.47.* Carpzov. *p.1.const.20.def.15.*

si communi jure juventur] Qvando enim speciali jure e. g. ætatis aut piæ causæ &c. aliqvis nititur, id reliqvis prodesse neqvit.

idemq; negocium] Causæ communio facit, ut unius appellatio prosit reliqvis, etsi condemnati illi fuerint non in una sed diversâ sententiâ, modo illæ sententiæ ex una eademq; probatione latæ sint. Hartm. Pistor. *d.l. n.6.*

Si per rescriptum committantur plures articuli connexi, & in uno removeatur appellatio, intelligitur remota etiam in aliis. h.d.

f cap.secundò requiritur.ext. eod.tit.

§. 23. Jam dubitari poterit, si ex pluribus articulis [f] unis precibus comprehensis in uno tantùm contingat appellationem vetari, utrùm appellatio teneat, si super aliis provocatum fuerit: & cùm delegantis hæc sit intentio, ut de omnibus articulis, qvi in precibus ponuntur, justitia suum consequatur effectũ,

in omnibus appellatio interdicta intelligetur. Unde nihil interèrit, utrùm appellatio inhibeatur in primo, an in ſecundo: in medio, an in fine. Sed hoc ita intelligi oportet, ſi capitula connexa fuerint: cæterùm [a] qvoties clauſula, per qvam appellationis remedium tollitur, in medio literarum ponitur, ſi ſunt plura negotia ſe minimè contingentia, tantùm præmiſſa complectitur, niſi fortè & in fine literarum prædicta clauſula iteretur.

a *cap. inqviſitioni tuæ. ext. eod. tit.*

Jam dubitari poterit] Agit hic paragr. de vero intellectu factæ delegationis ſub clauſulâ: *appellatione remotâ.* Et dicit attendendum eſſe, utrum capitula cauſæ delegatæ connexa fuerint, an minus. Illic appellationem prohibitam cenſeri in omnibus articulis, ut maximè uni tantùm articulo clauſula iſta adjecta fuerit. Hic prohibitam eſſe appellationem tantùm in iſto articulo, cui clauſula ea adjecta fuerit.

niſi fortè & in fine literarum] In extremo enim reſcripti appoſita ea clauſula refertur ad omnes ſpecies exemplo ſtipulationis ultimo loco ſubjectæ poſt plures conventiones *l. Titia §. f. ff. de V. O.* Cujac. *ad c. 71. X. de appellat.*

Appellari poteſt, ſi locus non tutus partibus aſſignatur, vel ſententia contineat manifeſtam iniqvitatem, etiam ſi ſit reſcriptum appellatione remota. h. d.

§. 24. Interdum etiam non obſtante prohibitione appellari poterit, ut decretum eſt [b] in eo, qvi per delegatos judices in judicium ad locum non tutum vocatus fuerit: niſi enim locum idoneum judices aſſi-

b *cap. ex parte tua. el 1. ext. eod. tit.*

assignent, non erit propterea appellationis remedium intercluſum, qvòd appellatione remota procedi debere mandatum fuerit. Idem etiam obtinet cùm ſententia fertur iniqva: licet enim cauſa appellatione remotâ commiſſa fuerit, ſententiæ tamen ſtari non debet, ſi iniqvitatem contineat manifeſtam.

c. cum paſtoralis. h. t.

appellari poterit] Clauſula enim, *appellatione remotâ*, non removet omne appellationis genus nec omnem appellandi casum. Vid. Petr. Gregor. *de appell. l. 2. c. 20.* Auguſtin. Barboſ. *de clauſul. n. IX.*

ad locum non tutum] Delegans utiqi voluit, ut legitime procedat delegatus, qvod non facit, ſi ad locum non tutum partes citaverit. Non ergò ad hunc caſum, de qvo non cogitavit delegans, trahit poterit clauſula ab eo addita.

ſi iniqvitatem contineat manifeſtam] Si ſententia ipſo jure nulla & contra jus ſcriptum lata eſt, ſtari qvidem ei non debet, non tamen opus erit appellatione *c. 1. X. de ſentent. & rejud.* Nec igitur facere poterit clauſula, *appellatione remotâ*, ut talis ſententia ſubſiſtat.

Lapſo anno, & ex cauſa biennio, appellatio eſt deſerta. h. d.

§. 25. Illud tam judiciali appellationi, qvàm ei, qvæ extra judicium interponitur, commune eſt, qvòd hujusmodi appellantibus annus, & ex juſta cauſa biennium à die appellationis interpoſitæ indulgetur, qvo temporis ſpacio & proſeqvi, & finire appellationis cauſam compellendi erunt: alioqvi ſi per negli-

c. cap. cùm ſit Romana. ext. eod. tit. can. ei qui. 2. q. 6.

gen-

gentiam [d] appellantis hoc temporis ſpacium fluxerit, adeò cauſa deſerta cenſebitur, ut, etiamſi appellans ipſe cum appellato, aut appellatus etiam per ſe, & principaliter proſeqvatur, non propterea minùs in rem judicatam cenſebitur tranſiſſe ſententia, à qva fuerit appellatum. [d] *clem. pen. de appellat.*

& ex juſta cauſa biennium] imò & tertius annus ex juſta cauſa conceditur, *c. ex ratione §. X. h. t.* Non tamen aliter biennium & ſic etiam triennium appellanti concedendum eſſe volunt, niſi in primo anno diligentiam à ſe adhibitam fuiſſe probaverit. Nic. Ant. Gravat. ad Octav. Veſtr. prax. *l. 3. c. 5. n. 7.*

à die appellationis interpoſitæ] ita ut in hoc anno triginta dies, intra qvos Apoſtoli petendi ſunt, & ſimul menſis introducendæ appellationis contineatur. Carpzov. *part. 1. c. 20. def. 10. n. 3.*

proſeqvi & finire appellationis cauſam] idem ſtatuitur de jure civili *Novell. 49. c. 1.*

per negligentiam appellantis] ſecus, qvando per judicem ſteterit, *Novell. 119. c. 4.*

non propterea minus] Appellatione enim deſertâ, judex appellationis ſuper principali cauſâ etiam partium accedente conſenſu, cognoſcere & pronunciare non poteſt: qvia ipſo jure revolvitur jurisdictio ad judicem à qvo. Gail. *l. obſ. 137. n. 1.*

Ponit caſus, qvibus tempus ad proſeqvendum non currit. h. d.

§. 26. Qvamdiu [e] tamen per compromiſſum, vel aliàs de partium expreſſo conſenſu differtur proſecutio, tempus ad proſeqvendam appellationem ab homine, vel à jure præfixum minimè currit appellanti, ni- [e] *clem. qvamdiu. eod. tit.*

Digitized by Google

& aliis qvibusdam casibus] Plures tales causas, in qvibus appellatio non admitt tur, recenset Maranta *tit. de appellat. n. 280. seqq.* Conf. Hillig. *in Donell. enucl. l. 28. c. 6. lit. Ee. seq.* Arnold. de Reyger *disp. 10. th. 15.*

etiam de minimâ causâ] Ita constituit Pontifex in *c. 11. X. h. t.* Idem qvoqve de jure civili dispositum invenitur *in l. 20. C. h. t.* qvanqvam diversum statuat Maranta *tit. de appell. n. 326.* per majores causas ibi intelligens criminales, per minores, civiles. Sed minimas tamen causas etiam de jure civili non esse insuper habendas, apparet ex *Novell. 69. c. 2.* Restringit verò hæc Cujacius *in d. c. 11. X. h. t.* ad appellationes in minimis causis, qvæ ad Episcopum vel Archi-Episcopum deferuntur. Ad Principem enim aut Pontificem Romanum talem appellationem in re minima vix admitti.

coërcendus erit] Pœna videtur esse arbitraria. Jure civili autè constitutum est, ut judex appellationem non recipiens 30. libr. auri puniatur *l. 21. C. h. t.* Excipiendi tamen sunt casûs illi, in qvibus appellatio non admittitur, de qvibus jam ante actum.

Appellans ab Ordinario potest coram eodem super alia causa convenire. h. d.

c. proposuit. h. t.

c. cap. ad hæc. ext. eod. & cap. præterea. el 1. eod. tit.

§. 16. Licet autem provocatione canonicè à partibus interjectâ, judicis, à qvo appellatum fuit, officium in illa qvidem causa penitùs conqviescat, si c tamen is, qvi ab Ordinario appellavit, super alia causa coram eodem conveniatur, præsertim pro gravi & manifesto crimine, appellationis obtentu, qvo minùs canonicâ censurâ puniatur, effugere non potest.

in illâ qvidem causâ] Non enim eximitur appellans in totum jurisdictione judicis ordinarii, sed tantùm qvoad illam causam. Atqvi causa limitata limitatum producit effectum. Potest igitur in aliis causis

cauſis coram eodem judice ordinario, non obſtante hâc appellatione, convoniri.

progravi & manifeſto crimine] Intereſt enim Reip. ne delicta maneant impunita. Et ſic igitur utraqve cauſa ventilari ſeorſim poteſt, cauſa appellationis coram judice ad qvem; criminalis verò aut civilis alia coram ordinario.

Innovam per judicem poſt diffinitivam ſententiam, à qva appellatum fuit, revocantur ſtatim per judicem Apoſtolicum, etiam ſi ante appellationem fuerint innovata. h. d.

§. 17. Interpoſitâ ergo à diffinitiva ſententia appellatione, non ſolùm poſt eam innovata [f] debent per judicem appellationis penitùs & ante omnia revocari: (exceptis tamen caſibus, in qvibus jura poſt ſententiam prohibent appellare) ſed etiam ea omnia, qvæ medio tempore inter ſententiam, & appellationem contigerit innovari, perinde ac ſi poſt appellationem innovata fuiſſent.

[f] *cap. non ſolũ. eod. tit. in 6.*

à definitivâ ſententiâ] Ab interlocutoriâ enim ſi appellatum fuerit, non revocantur attentata, priusqvam de meritis appellationis conſtet, niſi facta fuerit inhibitio, & poſt inhibitionem attentetur. Frid. Hiltrop. *de proceſſ. part. 4. tit. 9. n. 29. 30.* Aliàs enim licet appellatum fuerit ab interlocutoriâ, judex tamen â qvo nihilominus procedere poteſt ad ulteriora, donec ſit inhibitum. Anton. Teſſaur. *deciſ. 49. n. 1.* qvod ſecus eſt in appellatione â definitivâ, qvia talis appellatio omninò ſuſpendit jurisdictionem judicis â qvo, etiamſi â judice poſtea appellatio repudietur. *l. 3. c. de appell.*

poſt eam innovata] dicuntur aliàs communiter attentata voce apud veteres JCtos & alios probatos autores minimè uſurpatâ, inter pragmaticos tamen paſſim receptâ. Robert. Lancellott. *de attentat. in præfat. n. 9.*

per judicem appellationis] Cum enim non litigantes tantùm, sed ipse etiam judex inferior innovare qvandoq; soleat, potestas revocandi delata fuit judici, ad qvem appellatum fuit.

revocari] qvod fieri à judice potest etiam parte non petente, cùm innovatio ea simul contemtum judicis involvat. Gail. *l. Obs. 146. n. 7.*

prohibent appellare] ubi enim nulla admittitur appellatio, nulla erit innovatio, nulla status mutatio.

inter sententiam & appellationem] uti enim jus alicui auferendum non est, ita nec spes, qvæ pendente tempore ad appellandum à jure indulto concepta est.

Attentata post appellationem ante diffinitivam non revocantur, nisi primò de veritate constiterit, vel nisi post inhibitionem debito modo factam attentata fuerint. h. d.

g *d. cap. non solùm. §. illa. eod. tit. in 6.*

§. 18. Illa[g] verò, qvæ post appellationem interpositam ante diffinitivam sententiam innovantur, donec appellationis causam veram esse constiterit, revocari non debent, nisi judex appellationis, postqvam sibi constiterit, per appellationem emissam ex causa probabili fore ad se negotium devolutum, inhibeat Canonicè judici, à qvo appellatum fuit, ne procedat: tunc enim, qvid qvid post inhibitionem hujusmodi fuerit innovatum, est per appellationis judicem ante omnia in statum pristinum reducendum, licet eandem causam non esse veram contingat.

ante definitivam sententiam] h. e. ubi ab interlocutoriâ sententiâ appellatum fuit, uti dixi supra.

cau-

causam veram esse constiterit] Innovata ante inhibitionem subsequente demum sententiâ super causâ principali latâ revocantur.

postquam sibi constiterit] priùs enim de veritate gravaminis constare debet, quàm inhibitionem decernat judex appellationis. Quamdiu igitur cognoscit, an appellatio sit recipienda, inhibere non debet. Gail. *l. Obs. 144. n. 4.*

post inhibitionem] Obligat inhibitio â die non decretæ, sed insinuatæ inhibitionis, quæ ante vel intra decretam & insinuatam inhibitionem facta sunt, pro attentatis non habentur, nec ad ea inhibitio pertinet, quippe quod tùm nullus subsit contemptus judicis. Frid. Hiltrop. *in proceff. part. 2. tit. 5. n. 19.*

non esse veram contingat] Sufficit enim, pro verâ fuisse habitam & hujus intuitu inhibitionem emissam.

Non refert, quid ex æquipollentibus fiat, & facta plus operantur, quàm verba. h. d.

§. 19. Appellasse autem dicetur non solùm is, qui vocem appellationis emisit, sed etiam qui aliquo indubitato facto provocandi propositū declaraverit. Unde rescriptum [a] est, eum, in quem post iter ad sedem Apostolicam arreptum excommunicationis sententia ab ordinario promulgata fuerit, excommunicationis vinculo non teneri, quasi appellatione pendente lata fuerit, cum plus sit facto, quàm verbo provocare. Idem & in eo responsum est, [b], qui licet ex simplicitate fortè verbum appellationis

a *cap. dilecti filii. el 2. extra. eod. tit.*

b *cap. ad audientiam. ext. eod. tit.*

non expreſſerit, ſe tamen & Eccleſiam ſuam cùm moleſtaretur, Romani Pontificis protectioni ſubjecit.

poſt iter ad ſedem apoſtolicam] aut etiam minore apoſtolicâ, ad qvam aliàs appellatio fieri deberet. Neceſſe autem eſt appellationis causâ inſtitutum, & judici à qvo aut parti intimatum [illegible] Robert. Lancellott. *de attentat. p. 2. c. 12. ampl. 16.* Alia reqviſita habet Jo. [illegible] Coſta *de remed. ſubſid. c. 60. n. 6.*

qvaſi appellatione pendente] Iter enim ſuſceptum habetur pro appellatione jam factâ, poſt qvam nihil innovari oportet.

protectioni ſubjecit [Aliud qvidem eſt appellare, aliud protectioni ſeu patrocinio ſe ſubjicere; verum eadem vis utriusqve. qvia utroqve jure ordinarius judex eſſe deſinit. Cujacius *ad c. 34. X. h. t.*

Juſtus metus excuſat adeò, qvòd non appellans habetur pro appellante, ſi fuerit proteſtatus, & cauſas appellationis expreſſerit. h. d.

c *cap. fin. ext. eod.*

§. 20. Is qvoqve [c], qvem, qvo minùs appellaret, juſtus metus impedierit, ad appellationis beneficium convolaſſe reputabitur, dummodò infra tempus, qvo licitè provocatur coram judice, à qvo appellaſſe vellet, vel ſi ipſius copiam habere neqviverit, coram probatis viris contestatione ſuper hoc propoſitâ cauſas appellationis expreſſerit.

juſtus metus] qvi non præſumitur cauſatus à judice. Juſtus autem metus eſt, ſi judex conſvevit appellantes à ſe in carcerem conjicere, violentiam ipſis eorumq; bonis inferre.

infra tempus] ſcilicet decem dierum.

appel-

appellasse vellet] metu autem deterritus fuerit.

contestatione super hoc propositâ] Contestatio ista non tàm ad probandum metum, qvàm ad inducendum effectum appellationis interponitur. Idem disponitur in *l.2. C. de his qvi propt. med. jud. & l.7. ff. de appell.*

Sufficit appellare coram majori parte judicum. Et omnium actorum intimatio parti appellatæ est facienda. h.d.

§ 21. Qvòd [d] si à pluribus judicibus appellandum fuerit, qvia non semper facilè eorum præsentia simul haberi posset, coram majori parte ipsorum appellare, & apostolos separatim petere licebit, valebitq; hæc appellatio perinde, atq; si coram omnibus interposita fuisset: omnium tamen subsecutorum appellato ignoranti intimatio legitimè facienda erit.

[d] *clem. 1. eod. tit.*

coram majori parte ipsorum] Inter plures enim qvod à majori parte fit, ab omnibus factum intelligitur, & sic etiam qvod coram majore parte fit, coram omnibus factum censebitur. In plurimis tamen judiciis sufficit apud actuarium appellationem interpositam (ad judices tamen directam) insinuare.

apostolos separatim petere licebit] Cur verò separatim, cùm aliàs sufficiat ipsi appellationi petitionem apostolorum inserere? König *in process. c. 130. n. 2. in f.* Videtur hoc speciale esse in hoc casu, ut eò magis innotescat appellatio reliqvis etiam judicibus.

omnium tamen subsecutorum] sc. appellationis interpositæ, delationis & termini præfixi.

legitimè facienda erit] secundum modum præscriptum in *Clementin. 3. de elect.*

Si unus ex pluribus appellet, & obtineat in causa appellationis, prodest victoria consortibus, si sit idem negotium, & causa. h.d.

e cap. pen. ext. eod. tit.

§. 22. Idem ex contrario [e], si plures unâ sententiâ condemnati fuerint, & unus solus ad appellationis beneficium convolaverit, istius victoria cæteris quoque suffragabitur, si communi jure juventur, idemque negotium & eadem causa defensionis existat.

cæteris quoq; suffragabitur] Dum tamen cæteri intra decendium sciant, appellatum fuisse. Quando enim ignorant, & sententiæ ipsi non reclamant, tacitè eam agnovisse censentur. Prodest autem unius appellatio cæteris, etsi ille qui appellavit, ab appellatione desistat, imò etsi expressis verbis testetur, se in commodum alterius non appellare. Hartm. Pistor. *l. 1. qu. 47.* Carpzov. *p. 1. const. 20. def. 15.*

si communi jure juventur] Quando enim speciali jure e. g. ætatis aut piæ causæ &c. aliquis nititur, id reliquis prodesse nequit.

idemq; negocium] Causæ communio facit, ut unius appellatio prosit reliquis, etsi condemnati illi fuerint non in una sed diversâ sententiâ, modo illæ sententiæ ex una eademq; probatione latæ sint. Hartm. Pistor. *d. l. n. 6.*

Si per rescriptum committantur plures articuli connexi, & in uno removeatur appellatio, intelligitur remota etiam in aliis. h.d.

f cap. secundò requiris. ext. eod. tit.

§. 23. Jam dubitari poterit, si ex pluribus articulis [f] unis precibus comprehensis in uno tantùm contingat appellationem vetari, utrùm appellatio teneat, si super aliis provocatum fuerit: & cùm delegantis hæc sit intentio, ut de omnibus articulis, qui in precibus ponuntur, justitia suum consequatur effectū,

in omnibus appellatio interdicta intelligetur. Unde nihil intererit, utrùm appellatio inhibeatur in primo, an in ſecundo: in medio, an in fine. Sed hoc ita intelligi oportet, ſi capitula connexa fuerint: cæterùm [a] qvoties clauſula, per qvam appellationis remedium tollitur, in medio literarum ponitur, ſi ſunt plura negotia ſe minimè contingentia, tantùm præmiſſa complectitur, niſi fortè & in fine literarum prædicta clauſula iteretur.

a *cap. inqviſitioni tuæ. ext. eod. tit.*

Jam dubitari poterit] Agit hic paragr. de vero intellectu factæ delegationis ſub clauſulâ: *appellatione remotâ.* Et dicit, attendendum eſſe, utrum capitula cauſæ delegatæ connexa fuerint, an minus. Illic appellationem prohibitam cenſeri in omnibus articulis, ut maximè uni tantùm articulo clauſula iſta adjecta fuerit. Hîc prohibitam eſſe appellationem tantùm in iſto articulo, cui clauſula ea adjecta fuerit.

niſi fortè & in fine literarum] In extremo enim reſcripti appoſita ea clauſula refertur ad omnes ſpecies exemplo ſtipulationis ultimo loco ſubjectæ poſt plures conventiones *l. Titia §. f. ff. de V. O.* Cujac. *ad c. 71. X. de appellat.*

Appellari poteſt, ſi locus non tutus partibus aſſignatur, vel ſententia contineat manifeſtam iniqvitatem, etiam ſi ſit reſcriptum appellatione remota. h. d.

§. 24. Interdum etiam non obſtante prohibitione appellari poterit, ut decretum eſt [b] in eo, qvi per delegatos judices in judicium ad locum non tutum vocatus fuerit: niſi enim locum idoneum judices aſſi-

b *cap. ex parte tua. el 1. ext. eod. tit.*

Digitized by Google

Si unus ex pluribus appellet, & obtineat in causa appellationis, prodest victoria consortibus, si sit idem negotium, & causa. h.d.

c cap.pen.ext. eod.tit.

§. 22. Idem ex contrario [c], si plures unâ sententiâ condemnati fuerint, & unus solus ad appellationis beneficium convolaverit, istius victoria cæteris quoque suffragabitur, si communi jure juventur, idemque negotium & eadem causa defensionis existat.

cæteris quoq; suffragabitur] Dum tamen cæteri intra decendium sciant, appellatum fuisse. Quando enim ignorant, & sententiæ ipsi non reclamant, tacitè eam agnovisse censentur. Prodest autem unius appellatio cæteris, etsi ille qvi appellavit, ab appellatione desistat, imò etsi expressis verbis testetur, se in commodum alterius non appellare. Hartm. Pistor. *l.1.qv.47.* Carpzov. *p.1.const.20.def.15.*

si communi jure juventur] Qvando enim speciali jure e. g. ætatis aut piæ causæ &c. aliqvis nititur, id reliqvis prodesse neqvit.

idemq; negocium] Causæ communio facit, ut unius appellatio prosit reliqvis, etsi condemnati illi fuerint non in una sed diversâ sententiâ, modo illæ sententiæ ex una eademq; probatione latæ sint. Hartm. Pistor. *d.l. n.6.*

Si per rescriptum committantur plures articuli connexi, & in uno removeatur appellatio, intelligitur remota etiam in aliis. h.d.

f cap. secundò requiris. ext. eod.tit.

§. 23. Jam dubitari poterit, si ex pluribus articulis [f] unis precibus comprehensis in uno tantùm contingat appellationem vetari, utrùm appellatio teneat, si super aliis provocatum fuerit: & cùm delegantis hæc sit intentio, ut de omnibus articulis, qvi in precibus ponuntur, justitia suum consequatur effectũ,

in omnibus appellatio interdicta intelligetur. Unde nihil interèrit, utrùm appellatio inhibeatur in primo, an in secundo: in medio, an in fine. Sed hoc ita intelligi oportet, si capitula connexa fuerint: cæterùm [a] qvoties clausula, per qvam appellationis remedium tollitur, in medio literarum ponitur, si sunt plura negotia se minimè contingentia, tantùm præmissa complectitur, nisi fortè & in fine literarum prædicta clausula iteretur.

a *cap. inqvisitioni tuæ. ext. eod. tit.*

Jam dubitari poterit] Agit hic paragr. de vero intellectu factæ delegationis sub clausulâ: *appellatione remotâ.* Et dicit, attendendum esse, utrum capitula causæ delegatæ connexa fuerint, an minus. Illic appellationem prohibitam censeri in omnibus articulis, ut maximè uni tantùm articulo clausula ista adjecta fuerit. Hic prohibitam esse appellationem tantùm in isto articulo, cui clausula ea adjecta fuerit.

nisi fortè & in fine literarum] In extremo enim rescripti apposita ea clausula refertur ad omnes species exemplo stipulationis ultimo loco subjectæ post plures conventiones *l. Titia §. f. ff. de V. O.* Cujac. *ad c. 71. X. de appellat.*

Appellari potest, si locus non tutus partibus assignatur, vel sententia contineat manifestam iniqvitatem, etiam si sit rescriptum appellatione remota. b. d.

§. 24. Interdum etiam non obstante prohibitione appellari poterit, ut decretum est [b] in eo, qvi per delegatos judices in judicium ad locum non tutum vocatus fuerit: nisi enim locum idoneum judices asſi-

b *cap. ex parte tua. el 1. ext. eod. tit.*

assignent, non erit propterea appellationis remedium intercluſum, qvòd appellatione remota procedi debere mandatum fuerit. Idem etiam obtinet cùm ſententia fertur iniqva: licet enim cauſa appellatione remotâ commiſſa fuerit, ſententiæ tamen ſtari non debet, ſi iniqvitatem contineat manifeſtam.

c. cum paſtoralis. h.t.

appellari poterit] Clauſula enim, *appellatione remota*, non removet omne appellationis genus nec omnem appellandi causam. Vid. Petr. Gregor. *de appell. l. 2. c. 20.* Auguſtin. Barboſ. *de clauſul. n. IX.*

ad locum non tutum] Delegans utiq; voluit, ut legitime procedat delegatus, qvod non facit, ſi ad locum non tutum partes citaverit. Non ergò ad hunc caſum, de qvo non cogitavit delegans, trahi poterit clauſula ab eo addita.

ſi iniqvitatem contineat manifeſtam] Si ſententia ipſo jure nulla & contra jus ſcriptum lata eſt, ſtari qvidem ei non debet, non tamen opus erit appellatione *c. 1. X. de ſentent. & rejud.* Nec igitur facere poterit clauſula, *appellatione remotâ*, ut talis ſententia ſubſiſtat.

Lapſo anno, & ex cauſa biennio, appellatio eſt deſerta. h.d.

§. 25. Illud tam judiciali appellationi, qvàm ei, qvæ extra judicium interponitur, commune eſt, qvòd hujusmodi appellantibus annus, & ex juſta cauſa biennium à die appellationis interpoſitæ indulgetur: qvo temporis ſpacio & proſeqvi, & finire appellationis cauſam compellendi erunt: alioqvi ſi per negligen-

c cap. cùm ſit Romana. ext. eod. tit. can. ei qvi. 2. q. 6.

gentiam d appellantis hoc temporis ſpacium fluxerit, adeò cauſa deſerta cenſebitur, ut, etiamſi appellans ipſe cum appellato, aut appellatus etiam per ſe, & principaliter proſeqvatur, non propterea minùs in rem judicatam cenſebitur tranſiſſe ſententia, à qva fuerit appellatum. d *clem. pen. de appellat.*

& ex juſta cauſa biennium] imò & tertius annus ex juſta cauſa conceditur, *c. ex ratione §. X. h. t.* Non tamen aliter biennium & ſic etiam triennium appellanti concedendum eſſe volunt, niſi in primo anno diligentiam à ſe adhibitam fuiſſe probaverit. Nic. Ant. Gravat. ad Octav. Veſtr. prax. *l. 3. c. 5. n. 7.*

à die appellationis interpoſitæ] ita ut in hoc anno triginta dies, intra qvos Apoſtoli petendi ſunt, & ſimul menſis introducendæ appellationis contineatur. Carpzov. *part. 1. c. 20. def. 10. n. 3.*

proſeqvi & finire appellationis cauſam] idem ſtatuitur de jure civili *Novell. 49. c. 1.*

per negligentiam appellantis] ſecus, qvando per judicem ſteterit, *Novell. 119. c. 4.*

non propterea minus] Appellatione enim deſertâ, judex appellationis ſuper principali cauſâ etiam partium accedente conſenſu, cognoſcere & pronunciare non poteſt: qvia ipſo jure revolvitur jurisdictio ad judicem à qvo. Gail. *1. obſ. 137. n. 1.*

Ponit caſus, qvibus tempus ad proſeqvendum non currit. h. d.

§. 26. Qvamdiu e tamen per compromiſſum, vel aliàs de partium expreſſo conſenſu differtur proſecutio, tempus ad proſeqvendam appellationem ab homine, vel à jure præfixum minimè currit appellanti, ni- e *clem. qvamdiu. eod. tit.*

si fortè judex ex dilatione periculum imminere videns, in illa procedi præciperet.

partium expresso consensu] Utrum partes terminum prosequendæ appellationis ultra biennium prorogare possint, multum disceptant Doctores. Aliqvi prorogationem admittunt de jure Canonico, non verò de jure civili. Alii prorogari posse tempora negant, posse tamen cursum eorum suspendi. qvam tamen differentiam alii tantùm verbalem esse dicunt. Alii prorogari expresse non posse contendunt, posse tamen tacitè, puta per compromissum. Vid. Octavian. Vestrius *in prax. l. 7. c. ult. n. 18.* & ad eum Gravatius *n. 42.* Anton. Thesaur. *decis. 244.* Graven ad Gail. *concluf. 140. consid. 1.* Nos cum Tesauro *d. l.* statuimus, prorogari à partibus consentientibus tempus istud posse.

ab homine] posse enim tempus annuum à Lege præscriptum ab judice abbreviari, dicit autor in *§. seq.*

Tempus datum à jure ad prosequendam appellationem, potest breviari per judicem ex causa. h. d.

§. 27. Et licet anni, vel biennii spacium appellantibus indulgeatur, poterit tamen judex à qvo, secundum locorum distantiam [f], personarumq; & negotii qvalitatem brevius tempus moderari, intra qvod si is, qvi appellavit, causam appellationis non fuerit prosecutus, tenebit sententia. Coget ergo judex partes appellatione non admissâ [a], ut vel appellationem interpositam prosequantur, vel coram eo juris pareant æqvitati.

[f] *cap. cum sit Romana ext. eod. tit.*

[a] *cap. ad hæc. el 3. ext. eod.*

poterit tamen judex à qvo] Multum referre volunt Hartmannus Pistor. *Obs. 176.* & Matth. Berlichius *p. 1. concl. 17. n. 109.* à qvo abbreviatio termini proficiscatur. Si enim appellatus instet & breviorem ter-

mi-

minum à judice impetret, appellantem non esse contumacem, si non paruerit, qvia sc. in potestate appellati non est, ut appellantem cogere possit. Sed nec tùm qvidem pro desertâ haberi appellationem volunt, qvando judex ad qvem breviorem terminum constituit, & appellans non paruit. Qvando vero judex à qvo breviorem appellanti terminum statuit, necessariam esse paritionem, aliàs appellationem pro deserta habendam.

brevius tempus moderari] istam moderationem intelligit Stephanus Aufrerius ad Capell. Tholos. *decis. 427.* respectu prosecutionis tantùm, non verò respectu finitionis. Qvod si verum est, non satis cohærent verba autoris, annum aut biennium non prosequendæ tantùm, sed etiam finiendæ appellationi esse præscriptum, sed istud tamen à judice à qvo restringi posse. Utiq, enim si subsistere debet hæc exceptio, non prosequendam tantùm, sed etiam finiendam appellationem respicit.

appellatione non admissâ] Si enim admissa fuerit appellatio, cessant partes judicis à qvo, & sic ejus nulla amplius est potestas διαγνωστική.

Qvando periculum est in mora, debet judex breviare terminum prosequendæ appellationis. h.d.

§. 28. Superior [b] qvoq; judex si ex dilatione viderit imminere periculum, potest & debet neutro appellationem prosequente, ut periculum evitetur, occurrere: putà si à sententia lata super confirmatione alicujus electi provocatum fuerit, & utraq; pars velit etiam ad annum appellationis prosecutionem differre, potest utiq;, imò debet is, ad qvem appellatum fuit, providè terminum moderari, ne diu gregi dominico cura pastoris desit.

b *cap. ablatæ. §. superior. ext. eod.*

Digitized by Google

viderit imminere periculum] Qvoties enim periculum ex morâ extimescendum, toties à regulis juris communis receditur. Loqvitur autem hîc de judice superiore, h. e. eo, ad qvem appellatum est.

puta si à sententia] Ita in simili abbreviare licet terminum, ubi appellatum fuerit à sententia lata super confirmatione prætoris aut administratoris civitatis, ne interim Relp. detrimentum capiat.

Interdum ad prosequendam appellationem datur plus, qvàm biennium. hoc dicit.

§. 29. Accidit tamen aliqvando, ut non per annum, vel biennium, sed etiam ulteriùs causam appellationis alicui prosequi concedatur, utputà si qvem per impotentiam c prosecutionem omisisse constiterit, vel cùm judici ex proprio officio super causâ electionis etiam lapso biennio cognoscere conceditur.

c *cap. ex ratione. extr. eod. e. constitutus. h. t.*

per impotentiam] qvod impeditus fuerit morbo aut aliâ causâ sonticâ, aut qvia per judicem steterit.

omisisse constiterit] debet ergo hoc manifestis probationibus doceri, aliàs appellatio habebitur pro desertâ. *clement. 3. h. t.* Et non admittitur tùm juramentum in supplementum. Berlich. *p. 1. concl. 50. n. 176.* qvod durum est, dicere. Sed est tamen illa sententia communis. Vid. Pacian. *de probat. l. 2. cap. 47. n. 53.* Græven ad Gail. *concl. 143. consid. 1.*

vel cum judici] Hæc non satis capio, qvâ ratione hoc casu appellationem prosequi liceat. Non videtur enim judex à qvo sine causâ talem dilationem concedere posse. Atqvi si facit ex causa, pertinebit hic casus ad speciem priorem jam ab Autore expositam. Utiqi autem per judicem hic intelligitur judex delegatus ab judice appellationis & videtur *capitulum 45. X. de appellat.* ex qvo hæc doctrina desumpta esse debet, casum singularem circa electionis negocium continere, non qvod ibi adhuc liceat appellationem prosequi, sed qvod delegato judici pote-

stas

s data fuerit, omissione prosecutionis non obstante, electionis negoci- examinare, qvod scilicet ea omnino nulla videatur, utpote facta contra nam præscriptam legemve datam Episcopo â qvibusdam electoribus. d. Zanger. *ad. d.c.45.*

Pars potest sibi terminum prosequendæ appellationis breviare, non prorogare. h. d.

30. Pars qvoqve interdum sibi prosequendæ appellationis terminum præfigit. Sed cùm hoc gratiâ litium citiùs expediendarum indultum fuerit, juris terminus à parte præveniri, non prorogari poterit, sicut nec in una causa tertiò provocari licebit. *d.c.oblatæ. h. t.* *c.sua nobis. h.t.*

Pars qvoqve] scilicet appellans. Appellatus enim appellantem ad angustiorem terminum constringere neqvit.

â parte præveniri] h. e. abbreviari poterit. Sic igitur fieri potest abbreviatio termini, tùm â parte ipsâ, tum â judice â qvo, tùm deniq; a judice ad qvem.

tertio provocare licebit] existentibus scilicet jam tribus sententiis conformibus, idq; ita etiam jure civili constitutum est, *l. un. C. ne lic. in una eâd.* qvia scilicet qvi tertio provocat, videtur malam causam sustinuisse & magis ex obstinatâ qvadam pertinaciâ provocare, qvam ex justitiâ causæ, & qvia æqvum non est post tres sententias conformes litem extendi. erez *add. l. un.* Anton. Tessaur. *decis. 122.* Besold. *de appellat. c. 6. n. 3.* Notissimo ta men Imperii jure conformitas trium sententiarum non attenditur. Mynsing. *1. Obs. 15.* Et in foro etiam Saxonico recipitur appellatio contra tres conformes sententias. Carpzov. *1. const. 19. def. 23.* Coler. *p. 1. decis. 140.* erlich *1. concl. 49. n. 10.*

Confirmatio in forma communi non præjudicat appellationi, nec laudum invalidum volenti, aut processum impedit, sed obtenta super re ab aliquo pacifice possessa, facit, ut quis non possit conveniri absque mandato sedis Apostolicæ. h. d.

c.benamemoria,de confirmatione utili vel inutili.

c. examinata. d. tit.

§. 31. Postremò sciendum est, qvòd, si sententiam appellatione suspensam, ante qvàm ipsius appellationis causa commissa fuerit, vel laudum contra juris, vel compromissi formam latum Apostolico rescripto in forma communi confirmari obtentum fuerit, talis confirmatio nec appellationi præjudicium afferet, nec invalidum laudum ullo firmitatis robore muniet. Nam etiam si ante latam sententiam litigiosæ rei confirmationem ab Apostolica sede qvis impetraverit, non propterea minùs de causa poterit judex cognoscere, & eam fine debito terminare. Qvanqvam si rem pacificè qvis possedisset, cùm inde confirmationem obtinuit, non erit licitum judici de qvæstione postmodum exorta absqve mandato sedis Apostolicæ decernere: nisi certum sit, qvòd per falsi suggestionem fuerit elicita.

c.t.d.tit.

d.c.1. vers. sed si rem.

c.2.d.tit.

commissa fuerit] i. e. anteqvam adversarius appellans de eâdem sententiâ infirmandâ rescriptum à Pontifice impetrasset, datis scilicet judicibus, qvi causâ cognitâ sententiam infirmarent.

contra juris] Sunt enim arbitria ad similitudinem judiciorum redacta *l. 1. ff. de recept. arb.* Ergo si contra juris formam conceptum est laudum, est ipso jure nullum, nec confirmari proinde sententiâ aliâ aut rescripto potest. Vincent. Hondod. *vol. 2. consil. 79. n. 39. seq.* Anton. Gabriel. *lib. 2. de arbitr. conclus. 5.*

vel compromissi formam] non enim qvodlibet statuere arbi-

r poterit, nec in qvâ re libet, nisi de qvâ re compromissam est, & qva- compromissum est. *l. 32. §. 15. ff. de recept. arb.*

in forma communi] scilicet sub tali clausula: *sicut sententia provide lata est, & ab utraqve parte recepta, firmamus & probamus &c: c. 7. X. de confirm. util.* qvæ clausula dicitur consveta *cap. 8. X. de confirmat. utili* & conditionem facit, nisi confirmatio facta fuerit ex certâ scientiâ Pontificis. Cujac. *ad d. c. 7. & 8.* Ita etiam communi confirmari aliqvid dicitur, qvando confirmatio simpliciter vel conditionaliter concepta est. Græven *l. 2 conclus. 1. n. 28.*

præjudicium afferet] Rescriptum enim habetur pro obreptitia qvi id impetravit, dolo malo reticuit adversarium interposuisse appellationem, & in altero casu reticuit invalidum esse laudum.

litigiosæ rei] super qvâ lis pendet in judicio, in realibus qvidem post citationem factam, uti volunt, in personalibus autem post litis contestationem.

judex cognoscere] qvia pendente lite nihil debet innovari.

non erit licitum judici] Atqve hoc intelligit Augustinus *ad d. c. 1. X. de confirm. util.* de omnibus confirmationibus, tùm qvæ certâ scientiâ, tùm qvæ in formâ communi. Addit tamen, id extendi non esse ad illa, qvæ de novo emergunt & ab actu confirmato omnino separata.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM,

TITULUS XVIII.

ur & Ecclesia restituuntur adversus sententiam, etiam à sede Apostolica latam. h. d.

Huc autem iis, qvi appellationis remedio destituti sunt, auxilio restitutionis in integrum succurritur,

ritur, sed nec omnibus, nec semper, nec ab omnibus. Minor igitur & Ecclesia[a], si se prolatione sententiæ graviter læsos conqverantur, & appellandi tempora jam fluxerint, restitutionem in integrum implorare poterunt. Qvod qvidem adeò obtinet, ut, etiam si ab Apostolico[b] sententia lata fuerit, non propterea magis in integrum restitutionis petitio impediatur. Nec enim negatur[c] Romanæ sedis sententiam in melius posse commutari, cùm aut surreptum aliqvid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum, & temporum, seu gravium necessitatum aliqvid ordinavit.

a *cap. 1. cap. ex literis & capit. sequ. extr. eod.*

b *cap. tum ex literis. eod. tit. extra.*

c *d. cap. tum. §. nos. vers. præsertim.* c. *sententiam 35. quæst. 9.*

auxilio restitutionis] Per auxilium hoc omnia in pristinum statum restituuntur, & unusqvisqve jus suum recipit. *l. 24. § 4. ff. de minor. l. 10. pr. & l. seq. ff. si qvis caution. l. 38. l. 39. ff. de dol.* Ant. Faber *Cod. lib. 4. tit. 9. def. 6. n.* 5. Si tamen medio tempore jam aliis jus fuerit qvæsitum, id eis per restitutionem auferendum temerè non est. *l. 24. §. 2. ff. de minor.* A. Fab. Cod. *l. 8. tit. 8. def. 5.*

sed nec omnibus] Non enim restituitur, nec videtur captus, qvi id fecit, ad qvod jure communi cogebatur *l. ult. C. de in integr. restit.* ut si servus necessarius heres factus sit. Donell. *l. 7. comm. 1. & l. 21. c. 10.* & ibi Hilliger *lit. C.* aut cui potest imputari cur non fecerit, qvod facere debuerat *l. 20. ff. de min.* Anton. Fab. *Cod. de jur. delib. def. 18. n. 1.*

nec semper] Explicat autor id in *§§. seqq.*

Minor igitur & Ecclesia] Comparatur enim Ecclesia minori, & omnia beneficia de jure communi competentia cum eo habet communia *c. 1. X. de restit. in integr.* Everhard. *in Top. loc. 74.*

prola-

prolatione ſententiæ] Poteſt reſtitui minor etiam contra unam caput ſententiæ, cæteris manentibus ſalvis. *l. 29. §. 1. ff. de minor.* De reſtitutione contra ſententias vid. prolixè Sfort. Odd. *de reſtit. p. 2. qv. 68. ſeq.* Octav. Veſtr. *in prax. l. 8. c. 3.*

graviter læſos] Igitur læſus eſſe debet minor, ut reſtituatur, & graviter qvidem læſus. Ob rem minimam enim non facile datur reſtitutio *l. 2. ff. de reſtitut. in integr.* Vid. tamen Hillig. in Donell. *l. 21. c. 9. lit. L.*

& appellandi tempora jam fluxerint] Durante enim appellandi facultate, non videtur contra ſententiam concedenda reſtitutio, quia ſcilicet per remedium ordinarium excluditur extraordinarium. Bachov. in Treutler *vol. 1. diſp. 11. th. 14. lit. A.*

reſtitutionem in integrum implorare poterunt] Sed ad qvid? Duplex enim hîc habet locum reſtitutio, vel adverſus ipſam ſententiam, vel adverſus lapſum fatalium. Qvi reſtituitur adverſus rem judicatam, ille ad totam cauſam reſtituitur, & ſententia reſcinditur; qvi autem adverſus lapſum fatalium reſtituitur, ille facultatem appellandi, qvam amiſerat, recuperat. Frid. Hiltrop. *in proceſſ. part. 4. tit. 10. n. 63.*

ſi ab Apoſtolico ſententia lata fuerit] Ita etiam reſtitutio datur adverſus ſententiam ejus, qvi vice Principis judicavit *l. 3. C. ſi adverſ. rem jud.*

in melius poſſe commutari] Poteſt ergò errare Papa, ut maximè eum infallibilem faciant ejus paraſiti.

Reſtituitur Eccleſia adverſus qvamlibet læſionem, etiam adverſus aliam Eccleſiam. h. d.

§. 2. Sed & ſi non ſententiâ, ſed vel contractu[d], vel confeſſione[e], vel probationis omiſſione, vel temporis fluxu[f] Eccleſia læſa fuerit, reſtitutio indulgenda erit: nec ſolùm contra privatos homines, ſed etiam adverſus aliam Eccleſiam[g].

d *cap. 1. extr. eod.*
e *cap. 2. eod. tit. in 6.*
f *clem. unic. eod. titul.*
g *cap. auditis. extrav. eod. tit.*

sed vel contractu] Et in hoc qvidem melior adhuc est conditio Ecclesiæ, qvàm minoris. Non enim restituitur minor, si super contractu juraverit. *auth. Sacramenta puberum C. si adverſ. vendit.* Sed prælato contractum cum juramento celebrante, semper potest Ecclesia, si læsa fuerit, petere restitutionem. Sichard. *ad l. 4. C. qvib. ex cauſ. maj.*

vel confessione] ad exemplum minoris *l. 6. §. penult. ff. de confeſſ.* Sed hîc tamen semper notandum est, læsionem interveniſſe oportere. Nec restitutio datur, si Ecclesia aut minor veritatem fassi sunt, sed tum demum, si per errorem, ignorantiam, imprudentiam juvenilem aut aliam causam bonâ fide absq; dolo confessio facta fuerit. Sfort. Odd. *de reſtitut. qv. 64. art. 7.* Augustin. Barbos. *ad c. 2. de reſtit. in 6.*

vel probationis omisſione] Nec opus tùm est, ut aliam læsionem probet, cum ex effluxu termini probatorii satis de læsione constet. Berlich. *p. 1. concl. 38. n. 60.*

vel temporis fluxu] Videtur & hîc melior esse conditio Ecclesiæ, qvàm minoris. Minor enim adversus lapsum temporis in subsidium demum videtur restitui posse, si videlicet à Tutore, propter cujus negligentiam tempus prætermissum fuit, indemnitatem consequi nequeat *l. 13. §. ult. C. de judic.* Anton. Fab. *Cod. l. 2. tit. 23. def. 1. & 2.* Sed Ecclesia directò restitutionem petere potest. *Clement. un. de reſtitut. in integr.*

sed etiam adversus aliam Ecclesiam] Aliàs axioma est: *Privilegiatus contra privilegiatum non utitur privilegio.* Qvod tamen fallit, si alter de damno vitando, alter de lucro captando certet. Trentacinqv. *l. 1. tit. de præscript. resolut. 1. n. 6.* Atqve hinc universitas contra universitatem, Ecclesia contra Ecclesiam restitui potest. *arg. l. fin. ff. ex qvib. cauſ. maj.* Cephal. *consil. 7. part. 1.*

Beneficium reſtitutionis in integrum non indulgetur, niſi intra qvatuor annos, ſi non ſubſit alia rationabilis cauſa, ut dictum ſpacium prorogetur. h. d.

h *cap. 1. eod. tit. in 6.*

§. 3. Sed[h] sive sententiâ, sive contractu, vel aliter se læsam prætendat Ecclesia, & propterea se ad beneficium

um

n reſtitutionis in integrum admitti poſtulet, ſi
adriennii ſpacium à die læſionis lapſum fuerit,
mplius reſtituenda non erit, niſi prævaricationis,
l manifeſtæ fraudis probetur ſuper hoc interve-
ſſe commentum, aut alia cauſa ſubſit, qvæ judicem
hoc beneficium concedendum movere debeat. i *elem.un.eod. titul.*
ſi tempore læſa aſſeratur, non fiet reſtitutio, niſi
tantum temporis, in qvantum ſe læſam eſſe, le-
imè probaverit.

ſi qvadriennii ſpacium] Si Eccleſia utitur jure minorum, ei largiendũ videtur, qvod qvadriennio præſcribatur tantùm contra dos & ſubſiſtẽtes, actus verò per ſe nõ ſubſiſtentes qvinqvẽnali demũ convalidentur, per *l. fin. C. ſi maj. fact. alienat. fact.* Carpz. *l. 5. reſponſ. 76.* ufficit autem, intra qvadriennium, aut qvinqvennium poſtulaſſe rem, etſi deinceps lis ultra protrahatur. Hillig. in Donell. *l. 21. c. 10.* X. Et ſingulariter notandum eſt, qvod hoc qvadriennium non currente vitâ Rectoris aut prælati malè alienantis, ſed incipit demum tempore ſucceſſoris, ut primùm ſcivit illicitam alienationem. Joh. ſta *de fact. ſcient. aut ignor. cent. 1. diſt. 78.*

à die læſionis] Ita etiam de minoribus ſentit Bachovius ad *vol. 1. diſp. 11. th. 3. lit. B.* Communis tamen eſt ſententia Doctod qvadriennium iſtud incipiat currere demum à die ſcientiæ. Vid. Fab. *Cod. l. 2. tit. 32. def. 3. & lib. 5. tit. 39. def. 2. n. 3.* Hillig. in Do. *10 lit. T.*

aut alia cauſa ſubſit] Vulgaris eſt Doctorum ſententia, rationabili, & inprimis ſi eminentiſſimum damnum appareat, dari nem etiam poſt qvadriennium. Joh. Bapt. Coſta *de ſubſidiar. re-. n. 7. & c. 47. n. 11.* Carpzov. *l. 2. reſponſ. 96.* Poſſe etiam Princiex deneget, ex plenitudine poteſtatis poſt qvadriennium ob juam reſtituere, docet Anton. Fab. *Cod. l. 2. tit. 32. def. 2.* Illud obi-

ter noto, restitutionem, si per modum exceptionis petatur, etiam longissimi temporis præscriptione non excludi. Carpzov. *d. l. 2. resp. 96. n. 1. 2.*

nisi ad tantum temporis] Ergò si in unâ tantùm die læso consistit, una tantùm dies dabitur ad restitutionem petendam. De hoc tamen disqvirunt Doctores, utrum etiam petenda sit restitutio intra tantum tempus, qvanto qvis fuit læsus. Et hoc communiter affirmant Legistæ, propter *l. 15. §. 3. l. 26. §. 8. l. 28. §. 3. ff. ex qvib. caus. maj.* qvibus adstipulatur Reichs Absch. zu Speyer de ann. 1600. §. Alß auch &c: *fol. m. 767.* Conf. Schvvanmann. *in proc. ff. l. 1. c. 74.* Hiltrop. *in proceff. p. 4. tit. 10. n. 67.* Bachov. in Treutl. *vol. 1. aiſp. 11. th. 3. in fin.* Exceptionem tamen faciunt in restitutione, qvæ datur Ecclesiæ, qvippe cui indifferenter qvadriennium integrum datur. Sfort. Odd. *de restit. q. 19. art. 4. n. 47.*

Restitutio in integrum semel negata non conceditur amplius, etiam in alio judicio, nisi duobus casibus hic contentis. h. d.

k *cap. fin. eod. tit. extr.*

§. 4. Qvòd si semel [k] restitutio in integrum in alio judicio denegata fuerit, præterqvàm ad appellationem omissam, non erit eidem amplius concedenda, nisi novis defensionibus ad hujusmodi beneficium admittenda fuerit.

præterqvam ad appellationem omissam] Sensus hic est, Denegata restitutio frustra amplius petitur, à sententiâ tamen, qvâ restitutio denegata est, appellari, & si minor appellationem omiserit, ad eam interponendam restitui potest. Vid. Arumæ. *in pandect. disp. 6. n. 19.* Sic etiam si restitutio semel facta fuerit, & per negligentiam denuò læsus fuerit restiturus, restitutio nova rectè denegatur, qvemadmodum nec restitutio contra restitutionem locum invenit. Carpzov. *l. 2. respons. 97.*

Ponit, qvi & qvando possunt de restitutione in integrum cognoscere. h. d.

l *cap. pen. ext. eod. tit.*

§. 5. Hujusmodi [l] verò restitutionum causæ solùm coram judicibus ordinariis administrationem habentibus, vel delegatis ab eis tractari poterunt, & termi-

nari

ri: ſive hoc ipſis delegatis ſpecialiter demanda-
m fuerit, ſive commiſſo eis negotio, hujusmodi
væſtionem incidere contingat. Delegati verò ab
rdinariis, qvi adminiſtrationem non habent, ſed
ntummodò judicandi facultatem, ſive arbitri de
s cauſis cognoſcere neqveunt, niſi coram eis inci-
nter moræ fuerint.

Hujusmodi verò] Æmulatur hîc jus Pontificium conſtitutio-
peratoriam in *l.3. C. ubi & apud qvem.* qvam tamen non videtur ſa-
itum. Vid. Longovall. *in repet.l.3.ff.de jurisdict.part.3.c.7.n.16.* Go-
. *de jurisdict. n.35.*

adminiſtrationem habentibus] Invertitur hoc in *d.l.3.*
ap.qvem. & dicitur: *qvi vel certæ adminiſtrationi, cui*
risdictio adhæret. Et forte hoc rectius eſt.

incidere contingat] per viam exceptionis & contradictionis,
n cognoſcit de reſtitutione judex, qvi aliàs de tali causâ cognoſcere
ſet. Ant.Fab. *Cod.lib.2.tit.28.def.1.n.4.5.*

qvi adminiſtrationem non habent] in *d.l.3.* dicitur:
ropriam jurisdictionem non habent, ſed tantum-
judicandi facultatem &c. Et loqvitur ibi Imperator de ar-
i à talibus judicibus propriam jurisdictionem non habentibus dan-
i ſunt autem illi judices? Noviſſimè explicavit hæc verba Dn. Joh.
is JCtus ſolidiſſimus, de judicibus pedaneis Zenonianis, qvi ſc. cui-
unali aſſignati & proprii erant, qvibusq; magiſtratus cauſarum co-
n delegabant. *diſſertat. 3. in qvinqvag. deciſ. Juſtiniani c. 3.* Hîc vo-
ex in ſuos uſus verba conſtitutionis trahit, & per judicem ordina-
niſtrationem non habentem intelligit talem, qvi habet jurisdi-
ne territorio, ut eſt Doctor, qvi habet jurisdictionem in ſcholares
niſtratione territorii aut bonorum. Panormitan. *in c.pen.X.h.t.*

sive arbitri] Qvia excedit hoc potestatem arbitrorum, ut contractum jure civili validum rescindant, neq; etiam ex sententia arbitri restitutionis plenarius effectus consequi potest.

nisi coram eis incidenter] De jure civili hoc negat Treutlerus *vol. 1. disp. 11. th. 1. lit. C.* refutatus Bachovio *ibid.* Et generaliter notant Doctores, judicem delegatum non solùm de causa sibi nominatim commissa, sed & de alia, qvæ incidenter occurrit, cognoscere posse. Andr. Tiraqvellus *tr. res inter alios, verf. eaq; procedunt, pag. m. 95.*

Per qverelam & supplicationem retractatur sententia. Et sub qva forma supplicatio porrigatur. h. d.

a *gloss. in verf. supplicavit, cap. ex literis. extrav. eod. tit.*

§. 6. Per supplicationem[a] qvoq; Principi porrectam, aut per qverelam appellationis remedio destitutis subveniri solet. Erit autem supplicatio intra decem dies post sententiam offerenda: qvo subsecuto, sententia non aliter executioni mandabitur, qvàm si victrix pars idoneam fidejussionem præbuerit, tantum restituendi cum legitimis augmentis, qvantum fuerit in condemnatione, si legitimâ retractatione sententia resolvatur. Et nisi sub hac forma supplicatio porrigatur, executio sententiæ sine fidejussione procedet, retractationis jure illi servando, qvi se gravatum putaverit, ut intra biennium supplicare valeat.

Per supplicationem qvoq;] Supplicatio est remedium extraordinarium ex mera benignitate & gratiâ Principis concessum, nec aliàs locum habet, nisi ubi sententia est inappellabilis propter qvalitatem judicis aut prohibitionem principis. Differt ab appellatione inprimis in eo, qvod

in appellationis instantia liceat non deducta deducere, supplicatio ... satisdatis fit justificanda. Bachov. *in Treutl. vol. 2. disp. 33. th. 3. in f.* ... differentias habet Robertus Maranta *in specul. aur. p. m. 577.* Cæs. Con- ... *momentan. possess. qu. 8.* Ant. Perez. *Cod. de sentent. præf. prætor.* Ber- ... *t. 1. conc. 60.*

aut per querelam] Querela locum habet tùm, quando quis ... rem dies non appellavit, sed sententia, quâ gravatur, talis est, ut non ... (nisi quoad instantiam) in rem judicatam, veluti contingit in causis ... nialibus, item in sententiis, quæ secundum judicium peritorum la- ... it. in iis, quæ ex privilegiatis probationibus pronunciatæ sunt. At- ... gravatus potest querelam interponere & quidem coram eodem ju- ... sententiam tulit. Vid. latius Frid. Hiltrop. *in process. part. 4. tit. 15.*

intra decem dies] si quidem obtinere id supplicans velit, ... idoneum fidejussorem de restituendo in casum sententiæ retracta- ... eat. Si autem talis satisdatio non multum curatur, potest etiam ... endium intra biennium supplicatio interponi.

executio sententiæ] Utrobiq; sententia executioni manda- ... no tamen casu, si intra decendium supplicatio interposita est, satis- ... ab victrice parte exigi potest, posteriore casu satisdatio exigi ne- ... it. Utilis autem est satisdatio, quia tùm securior est supplicans in casu, quo cum dilapidatore ipsi contendendum est.

FINIS
LIBRI TERTII.

IN-

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI

LIBER QVARTUS.

De ACCUSATIONIBUS, DENUNTIATIONIBUS, ET INQVISITIONIBUS,

TITULUS I.

Criminalia Judicia non habent aliqvid ſimile cum Civilibus. Inſtituuntur per Accuſationem, Denuntiationem, & Inqviſitionem. Accuſationem inſcriptio, denuntiationem charitativa monitio praecedere debet. h.d.

CRiminalia Judicia nihil fermè ſimile habent cum cæteris Judiciis, de qvibus proximè locuti ſumus: magna quoque diverſitas eorum eſt, & in inſtituendis, & in exercendis. Inſtituuntur autem aut per Accuſationem, aut per Denuntiationem, aut per Inqviſitionem. Per Accuſationem, cùm ſolemni præcedente inſcriptione [a] per Accuſatorem Rei crimen ad Judicem defertur. Per Denunciationem, cùm nullâ præcedente inſcriptione, ſed tantùm charitativâ monitione ad Judicis notitiam crimen delicitur. Ideo autem, cùm in modum Accuſa-

c. licet Heli. de Simonia.

a can. qvi crimen. 2. q. 8. & cap. ſuper his, in princ. extra. eod.

ien objicitur, eſt inſcriptio neceſſaria, non cùm in lum Denunciationis: qvoniam ad depoſitionem tuitur accuſatio, ſed ad correctionem eſt denuno facienda.

Criminalia judicia] Criminalia judicia, uti hodiè accipro illis, qvibus pœna corporis afflictiva decernitur, apud Canoniſtas non ſunt. Nec enim admittunt illi, ut judicio ſangvinis interſit Cle. *Clericis 5. X. ne cleric. vel monach.* & ipſos etiam Clericos, ſi rei fuerint s criminis, talibus judiciis exemérunt. Ut maximè igitur perſona Ecica latrocinium, blasphemiam, homicidium, furtum &c. commiſerit, tione tantùm punitur, nullâ aliâ graviore pœnâ. Si tamen in hærederit clericus, aut crimen falſi commiſerit circa literas papales, aut riâ vel contumeliâ proſciderit proprium Epiſcopum, non aliâ ratiomà corporali affici eum volunt, qvàm factâ primum degradatione, uti icetur plenius. Ex qvo vix eſt, ut talia in jure Canonico intelligamus criminalia, qvæ pœnam corporis afflictivam poſt ſe trahant. Canom in degradatione ultimatò ſubſiſtunt, & pœnas reliqvas tùm qvoad iam, tùm qvoad illationem Magiſtratibus civilibus committunt. Et itur, qvia in graviſſimis delictis oppidò leves pœnæ jure Canonico untur, plurimi characterem ordinis ideò tantùm ſuſcipiunt, ut, qvia ſſimi ſunt & corruptiſſimi, iſto veluti antidoto adverſus leges & jublica ſe muniant. Vid. Joh. Papon. *l. 1. tit. 5. areſt. 34.*

nihil fermè ſimile habent] Accuſationes multa habent ſi- Offerendus eſt libellus, facienda eſt litis conteſtatio, formandi arinſtituendæ probationes &c.

præcedente inſcriptione] Etiam hoc ex jure civili, uti alia , deſumpſit jus Canonicum. Accuſator enim olim in crimen ſubſcri.e. interprete Ulpiano *l. 3. §. 2. ff. de accuſat.* libello ſubſcribebat, ſe ſum eſſe, & hæc ſubſcriptio ſimilitudine ſupplicii eum obſtringebat, *de accuſat. l. ult. C. de calumniat.*

ad judicem defertur] per oblationem ſcil. libelli, qvi qvomonari debeat, vid. apud Carpzov. *in prax. crim. lib. 3. qv. 106. n. 5. 6.* Reuſ*t. 3. deciſ. 18.* Scaccia *de judic. lib. 1. c. 51.*

Per denunciationem] Hæc propriè non constituit peculiarem speciem, nec alium effectum habet, qvàm ut inqvisitio instituatur. Denunciare enim nihil aliud est, qvàm crimen deferre ad magistratum, qui postea desuper cognoscat & inqvirat. Nullum igitur constituit specialem processum, sed processum antecedit. Vid. Bachov. in Treutl. *vol. 2. disp. 41. th. 1. lit. D.* Canonistæ aliàs qvadruplicem faciunt denunciationem. Evangelicam, judicialem, Canonicam, & regularem, de qvibus videri potest Greg. Sayrus *in clav. reg. lib. 12. c. 10. n. 2.* Hic sine dubio intelligenda est judicialis, qvam introductam ait idem Sayrus *cap. 14. n. 5.* qvod accusationes propter inscriptionis necessitatem intermitterentur, constitutos igitur esse procuratores fiscales, qvi ex officio obligantur ad judicem crimina deferre, & hinc receptum esse, ut privati solâ denunciatione verbali procuratoribus illis crimina significent, illi verò ea accipiant & porrigant Notario, Notarius porrò judici.

charitativâ monitione] Hæc ex mente Canonistarum necessariò præcedere debet, & si acqvieverit delinqvens monitioni, atq; cesset à delicto, denunciatione opus non erit. Aliàs à denunciatione repellitur is, qvi non præmonuit. *c. 2. X. de accusat.* Add. Thom. Hurtad. *tr. 4. cap. 6. §. 1. n. 84.* Qvod tamen de denunciatione Evangelicâ intelligit Gregor. Sayrus *d. c. 10. n. 6.* Ad judicialem enim denunciationem, qvia in locum accusationis successit, negat esse necessarium, ut præcedat monitio.

sed ad correctionem] Intentio deferentis non potest mutare processum, neq; propter denunciationem intermittere debet judex inqvisitionem. Et ipsæ qvoq; pœnæ scopum habet hunc, ut corrigatur delinqvens. Alias differentias accusationis & denunciationis suggerit Greg. Sayrus *d. c. 10. n. 5.* inter qvas illa non exigua est, qvod denuncians non teneatur probare crimen.

Accusator non probans objectum crimen tenetur ad pœnam talionis, nisi suam innocentiam purgaverit, & interim, dum purgat, est suspendendus. hoc dicit.

§. 2. Accusator igitur, si legitimis destitutus sit probationibus, eam pœnam [b] debet incurrere, qvam si probasset, reus substinere debebat. Denuncians verò li-

[b] *can. qui non probare. 2. q. 3. & can. qui crimen. 2. q. 8.*

rò licet ad talionem non teneatur, ſi tamen [c] in probatione deficiat, donec ſuam purgaverit innocentiam, ab officio & beneficio ſuſpendendus erit: ut cæteri ſimili pœnâ perterriti, ad aliorum infamiam facilè non proſiliant.

c *cap.2.extr. de calumn.*

eam pœnam debet incurrere] Inſcriptio & pœna talionis diè pasim à foro recesit. Gothofr. *ad l.fin.C.de accuſ.*

in probatione deficiat] At ſi verum eſt, qvod denuncians crien probare non teneatur, uti ſtatuit Sayrus *d.l. & cap.14. n.11.* nulla ei menda & infligenda propter defectum probationis erit pœna.

purgaverit innocentiam] ſcil. qvod non calumniandi ani ad hujusmodi crimina proponenda procesit. *c.2. X.de calumniator.*

ſuſpendendus erit] Durius igitur in proportione punitur deciator, qvam accuſator, ſicubi in probatione defecerit. Accuſator e ad ſimilem pœnam tenetur: denuncians ad graviorem. Imò verò deians planè non intendit pœnam, ſed correctionem tantùm, & emendaem vitæ, uti ſupra dixit autor.

Pœnit, qvando procedendum ſit per inqviſitionem. h.d.

3. Per Inqviſitionem Criminale Judicium inſtiitur, cùm præcedente diffamatione [d], ac qvaſi denunciante famâ, de crimine Judex inqvirit. Conſtitum eſt enim, ne criminum facilis nimis ſit objeio: ut ſicut ad accuſationem legitima præcedere bet inſcriptio: & [e] denunciationem charitativa nitio: ita & inqviſitionem clamoroſa inſinuatio [f] cedere debeat.

d *cap. qvaliter, & qvando. el 2. extr. eod. & c.31. de Simon.*

e *cap.2.extr. eod.*

f *cap. inqviſitionis.§. tertia.verſ. ad hæc.ext. eod.*

Per inqvisitionem] Salubriter processus hic receptus est, ne deficiente accusatore delicta manerent impunita, cum interst Reip. ut provincia aut civitas malis hominibus purgetur *l. 13. ff. de offic. præsid.* Et ex hoc debet judex ex officio ad inqvisitionem procedere, idqve si non fecerit, crimine non levi se obstringit. Paris de put. *de syndicat. in verb. negligentia, vers. infra n. 8. 9.*

denunciante fama] Non semper fama publica expectanda est, sed sufficiunt qvandoqve alia indicia, ut si præcesserit denunciatio partis læsæ, aut confessio socii criminis &c: Petr. Heig. *part. 1. qvæst. 39. n. 32. seqq.* Utiqve enim tunc ulterius inqvirere tenetur judex, h. e. qværere alias informationes, & indicia propria, ut de delicto & ejus autore constet. Et concedunt Canonistæ, inqvisitionem generalem fieri posse absqve famâ præcedente. Andr. Vallens. *tit. de accusat. §. 4. n. 6.* Qvò & facit glosla *Extravag. 1. de præbend. & dign. §. ult. his verbis: Nota, qvod inqvisitio, qvæ fit ex mero judicis officio, fieri potest etiam publicâ infamiâ non præcedente, & per hoc tolerari posse videntur Inqvisitiones, qvæ fiunt per judices moderni temporis tam Ecclesiasticos, qvàm temporales.*

clamorosa insinuatio] h. e. fama communis. Atqve hanc ad specialem inqvisitionem tàm necessariam volunt Canonistæ, ut non sufficere dicant, qvod duo pluresve etiam juratò affirment, aliqvem crimen aliqvod se videntibus commisisse, nisi clamosa simul præcesserit insinuatio, per *c. inqvisitionis 21. §. tertiæ X. de accusat.* Reqvisitum enim hoc eis est necessarium, ut rumor & fama ad majorem congregationis partem pervenerit. Lossius *l. 2. de justit. c. 29. dub. 15.* Farinac. *in pmix. p. 1. l. 1. q. 9. n. 1. seq.* Sed istud in foro nostro receptum non est, neqve recipi debet, cum interst Reip. ne delicta, undecûq; judici cognita, maneant impunita. Atq; ideò id, qvod de duobus testibus dixi, limitant Dd. qvod accipiendum sit de inqvisitione tanqvam præparatoriâ judicii ordinarii. Vid. Valentin. Volzius *de inqvisit. n. 60. in not.* Sed & in terris pontificiis à dispositione juris Canonici sæpissimè receditur, ubi si constet de corpore delicti, & sint duo vel tres testes, qvi viderint, potest judex specialiter inqvirere adversus delinqventem. Bonacin. *disp. 20. q. 2. punct. 5. n. 12.* Nec enim aliàs inter se conveniunt Canonistæ, qvi hominum numerus reqviratur ad infamiam, uti notat Greg. Sayr. *clav. reg. lib. 12. c. 10. n. 13.*

Con-

Confessus crimina coram inqvisitore, non poterit confessionem suam eo prætextu revocare, qvòd non præcesserit fama inqvisitionem. h. d.

Si qvis [a] tamen, postqvam coram eo, qvi contra ...sum super certis criminibus inqvisitor deputatus ...erat, eadem crimina confessus fuerit, frustra post...odum eo prætextu confessionem suam impugna... contendet, qvòd super eisdem criminibus non fu...it antea diffamatus.

[a] *c. 1. eod. tit. in 6.*

... confessus fuerit] Si qvis enim in judicio interrogatus fatea... convicto habetur, *l. 5. ff. de custod. reor.* dum tamen de crimine ...sso revera constet. Ant. Matthæ. *de criminib. tit. de qvæstionib. c. 1. n.* ...eoqꝫ frustra excipiet deinde confessus, nullam de se ante inqvisitio... ...tisse famam.

Si judex processerit non excipiente inqvisito de non diffamatione, processus tenebit. h. d.

Idem etiam erit [b], si is, cui contra te commissa su... certis criminibus fuerit inqvisitio, te præsente, ... qvicqvam super hoc excipiente, infamiæ inqvi...ione omissâ, ad veritatem eorundem criminum ...qvirendam processerit. Nec enim processum hu...modi, eo qvòd non fuit de infamia primitùs in...situm, ulteriùs impugnare poteris.

[b] *cap. fin. eod. tit. in 6.*

Idem etiam erit] Qvi defensiones reorum instruunt, inter a... am præviam negare jubent; sic enim judicem teneri probare istius... mam. Est autem ista exceptio præjudicialis, qvam si omiserit re...

ius, & inqvisitio continuata fuerit, non poterit ea deinceps ex hoc capite qvod nulla præcesserit fama, impugnari.

Si crimen opponatur excipiendo, non est necessaria inscriptio. h. d.

§. 6. Accidit autem interdum, ut alicui nec accusando, nec denunciando, nec inqvirendo, sed excipiendo crimen opponatur, utputà[c], cùm qvid objicitur, ut qvis ab accusatione, vel testificatione repellatur: qvo casu non erit inscriptio necessaria.

[c] *capit. super his. §. cùm autem. ext. eod. tit.*

vel testificatione repellatur] Bifariam potest exceptio criminis objici (1) ad impediendum criminale, qvod institutum est, judicium, petendo videlicet, non ut accusatori pœna aliqva irrogetur, sed ut ab accusatione institutâ repellatur. Et tunc nulla potest seqvi condemnatio ejus, adversus qvem exceptum est, nisi nova seqvatur accusatio vel alia causæ cognitio. Poterit enim tùm judex criminaliter procedere contra delinqventem. (2) non solùm ad impediendum criminale judicium, sed etiam ad pœnam accusatori infligendam, qvo casu, probato crimine, etiam condemnari & puniri potest accusator. Et tùm omnia ea, qvæ servãtur in judicio accusationis, servanda sunt etiã in judicio hoc exceptionis criminalis. Jul. Clar. *in pract. crim. qvæst. 19. n. 3.* Valent. Volzius *ad l. 2. §. 5. ff. ad L. Jul. de adult. n. 19. seq.* Et hinc igitur hoc secundo casu necessaria etiam videtur fuisse inscriptio. Notant verò Moralistæ, Lessius, Sotus & alii, tùm demum exceptionem criminis adversus testem admitti (1) qvando crimen objectum testi, conducit reo ad sui defensionem, si enim non conducit, non defensionem esse, sed aggressionem & vindictam. (2) qvando reus aliter defendi neqvit, nisi crimen objiciendo, idqve crimen non debere esse testi damnosius, qvam est reo testimonium, aliàs contra justitiam peccari. Stateram hic mihi optarem, qvâ crimina adpendi & ad se invicem librari possent. Semper enim verendum est, ne sibi minus prosit, alteri magis noceat Reus, cùm rarò in eodem delicti genere conveniant Reus & testis. Imò verò longius adhuc progrediuntur alii, qvi qvodammodo excusant reum testi falsum planè crimen objicientem. Sic enim Diana *p. 3. tract. 5. miscell. resol. 4. Imò Bannez*, inqvit, *& Ledesma cum Orellanâ probabiliter sentiunt, esse solum mendacium* ueni-

*ale objicere teſti aliqvod crimen falsū ſecluſo perjurio in objiciente & teſti-
ad hoc inducendis.* Et addit ipſe Diana, qvod dato, qvod reus & teſtes
e objectione falſa jurarent, peccarent contra charitatem & religionem,
ero contra juſtitiam.

Non eſt neceſſaria inſcriptio, ſi crimen objiciatur, ut qvis ab officii vel beneficii aſſecutione excludatur: qvo tamen caſu ſi poſt confirmationem opponatur, deficiens in probatione punitur pœna extraordinaria. b. d.

. Sed [d] an, ſi propterea crimen opponatur, ut qvis promotione officii, vel beneficii aſſecutione excludatur, neceſſaria tunc ſit inſcriptio? Et proditum t, ſi ante confirmationem objiciatur, non cogi venqvam inſcribere: qvia crimen hoc modo proatum promovendum qvidem impedit, non tamen m promotum dejicit. Poſt confirmationem verò, m ſcilicet ordinandus fuerit aliqvis, aut etiam nſecrandus, qvia & ab obtinendo repellit, & ab otento dejicit, ad extraordinariam pœnam ſecunm arbitrium judicis citra vinculum inſcriptios, ſi defecerit in probando, eſt excipiens adſtrindus.

d *d. cap. ſuper his. §. cùm autē. extens. eod. tit.*

Sed an] Intelligendus eſt hic caſus adhuc de objectione crimodum exceptionis.

non tamen promotum dejicit] qvia ſcilicet promotus m eſt, uti in caſu ſeqvente.

Poſt confirmationem verò] Adverſativa hic nihil agit.

Neu-

Neutrubi enim inſcriptione opus eſt, qvod poſteriore [illegible]
citra vinculum inſcriptionis. Atqve hunc [illegible]
ſummario *c. 10. X. h. t.* qvod excipiens hoc poſteriore [illegible]
nam extraordinariam. Sed nec priore caſu impune eſſe debet [illegible]
laceſſere, & proinde illic qvoqve arbitrium judicis in pœnâ [illegible]
decernendâ videtur locum habere, ut adeò præter neceſſitatem [illegible]
gat Pontifex.

DE DUPLICI PURGATIONE,

TITULUS II.

Qvid ſit purgatio, & qvotuplex. Et qvòd vulgaris purgatio [illegible] probata. h. d.

§. 1. Contingit etiam interdum, ut, licet adverſus [illegible] minoſum nec accuſator conſiſtat, neqve teſtibus aut propriâ ſit confeſſione convictus, ita tamen alicujus criminis, vel maculæ publicâ laborat infamiâ, qvòd ſuper manifeſta ferè nota eidem purgatio [illegible] indicenda. Eſt autem purgatio, demonſtratio innocentiæ ſuper objecto crimine. Purgationis duæ ſunt ſpecies [a], Vulgaris ſcilicet & Canonica. Vulgaris purgatio eſt, qvam vulgus vel invenit, vel [illegible] qvitur: ut, cùm aqvæ frigidæ, vel candentis ferri, vel ſingularis certaminis qvis ſubit judicium: qvæ [illegible] Deus in ea tentari videatur, meritò juſſa eſt [illegible] nonibus exulare: licet enim qvosdam ſingu[illegible]

a *gloſſa rub. ext. de pur. vulgari.*
b *can. mennã. 2. q. 4. & per tot. tit. de purg. vulg.*

certamen iniviſſe [c] divina prodat hiſtoria, nunqvam tamen ut id pro lege teneatur, divina ſanxit authoritas.

c *can. monmachiam. 2. q. 4.*

purgatio ſit indicenda] Ea fit per juramentum, qvod exinde dicitur purgatorium, ideò ſcilicet qvia per illud reus famam & ſuſpiciones elidendo, conſcientiam ſuam purgat. Franzk. *comment. ad ff. tit. de jurejur. n. 66.*

Eſt autem purgatio] Ita in genere definit; & ſub hâc definitione comprehendi poſſunt omnes in univerſum probationes, qvæ ad defenſionem rei faciunt.

Purgationis duæ ſunt ſpecies] Cum altera', qvæ vulgaris dicitur, per canones rejiciatur, optimo jure ea potuiſſet omitti.

cum aqvæ frigidæ] Fuit etiam proba ſive purgatio per immiſſionem manûs in aqvam fervent*em*, ſi ſine noxâ uſtionis educeret qvid ex fundo. Aliàs autem totus homo in aqvam frigidam injiciebatur, ut conſtaret ſcilicet, num mergeretur. Modus conjurandi hominem injiciendum extat in conſtitut. Ludovici Pii apud Goldaſt. *tom. 3. conſtitut. Imperial. pag. 254.* Ubi iſta ſubjiciuntur: *Hoc judicium petente Domino Ludovico Imperatore conſtituit B. Eugenius, præcipiens ut omnes Epiſcopi, Comites, Abbates, omnisqve populus Chriſtianus, qvi infra ejus imperium eſt, hoc judicio defendant innocentes, & examinent nocentes, ne perjuri ſuper reliqvias Sanctorum perdant ſuas animas malum conſentientes.* Manſit autem probatio per aqvam frigidam potiſſimum in ſagis, qvæ adhuc hodiè multis in locis, ſed perperam, uſurpatur, nec audiri hâc in re debet Jacobus Rickius, qvi eam peculiari tractatu propugnat. Vid. prolixè Petr. Heig. *p. 2. qv. 39.*

vel candentis ferri] Probæ hujus in Galliâ non tantum praxin ſed & Legem eſſe antiqviſſimam oſtendit Jſacius Pontanus *lib. 6. orig. Francic. c. 17.* Eam ex collectione Legum Epiſcopi Anſegiſi probat Stephanus Paſchaſius *l. 4. Recherces, c. 2.* ubi caſtigat Gratianum & Ivonem aliosqve, qvi â Gregorio Magno & Alexandro III. probas has prohibitas putant, cum demum abrogatæ ſint in concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Conf. de ritu hoc Jacob. Durant. Caſellius *l. 2. var. c. 1.* Franciſc. Juret. *ad Epiſt. Yvonis Carnut. 74.* Aventin. *l. 4. annal. Bojor.* Quàm antiqvus autem iſte ri-

tus sit, docet locus Sophoclis in Antigone. Apud veteres Saxones, ac Britones istiusmodi genus purgationis Ordalium appellabatur, qvo scilicet insimulatus criminis probabatur aut nudâ manu ferrum ignitum ad 9. pedum mensuram gestando, aut pedibus nudis ignitos premendo vomeres; factiqve jam â Sacerdote adjuratione his verbis conceptâ: *Sit tibi hic ignis in probationem hodiè, si reus es intentati criminis, manus vel pes tuus comburatur, si verò insons, lasus permaneas, cui accusatus respondebat, amen.* post sub sigillo triduum munichatur, & si cauterium â ferro impressum apparerer, noxius illius putabatur sceleris; sin ejus nullum extaret vestigium, insons absolvebatur. Vid. Joh. Selden *in analect. Anglo-Britann. l. 2. c. 8.*

vel singularis certaminis] De hoc genere multa passim prostant apud autores. Vid. imprimis Feudistæ *ad 2. F. 27.* Dn. Tabor *de legit. armor. usu c. 2. n. 3.* Et deplorandum est, ne hodiè qvidem in Orbe Christiano barbarum istum ad arma provocandi morem omninò sublatum atqve extinctum esse. Nec profectò toleranda est hodiernorum Jesuitarum doctrina, qvi certamen tale singulare multis casibus licitum faciunt, & adversus antiqvos canones strenuè defendunt. Unicum hic audiamus Sanctium ex Sum. *l. 2. c. 39. n. 7. Melius alii dicunt*, inqvit, *licere innocenti duellum accepture, & offerre ad vitam, honorem & res familiares in notabili qvantitate tuendâ. qvando constat, omninò injustè & per calumniam actorem procedere, & certum est, omninò fore, ut hac innocens amittat, nec aliud sibi evadendi remedium suppetat: atq; optimè Bannes ait, licere innocenti in his casibus accepture & offerre duellum, imò & non provocando ad duellum, occidere occultè actorem illum calumniosum* &c: Meliora hîc docet Gregorius Sayrus *in clav. reg. lib. 7. c. 13. n. 13.* qvi tamen *num. 15.* & ipse perperam statuit, acceptari posse duellum, ut evitetur falsa accusatoris delatio, & hinc metuendum mortis supplicium.

divina prodat historia] ut est exemplum Goliathi & Davidis, sed qvod optimè exponit Dn. Tabor *d. l. n. 4.*

Qvæ sit Canonica purgatio. Et, qvales esse debent compurgatores. b. d.

d *cap. qvoniens. extr. de purg. can. & d. can. mennam.*

§. 2. Canonica purgatio dicitur, qvæ sacris Canonibus est comprobata: ut cùm d de crimine infamatus, jurat se non esse tali crimine, vel maculâ inqvinatum,

&

& certa compurgatorũ manus eundẽ à crimine immunẽ, & verum credere illũ juraſſe, ipſa qvoq; jurejurando firmat[e]. Erunt autẽ compurgatores[f] hujusmodi honeſtatis & opinionis, ut veriſimile ſit, eos amore, vel odio, vel obtentu pecuniæ non dejerare: neceſſe etiam eſt, ut ejus, qvem purgare intendunt, vitam & mores notos habeant.

[e] *cap. de teſtibus. extra. de purgat. Can.*
[f] *cap. cùm lex. ext. de purg. Canon.*

Canonica purgatio dicitur] Purgatio hæc eſt remedium ſubſidiarium, & non habet locum, ubi aliter crimen poteſt probari, vel qvia adeſt accuſator, vel qvia extat indicium ad torturam. Joh. Bapt. Coſta *de remed. ſubſid. c. 15. n. 2. ubi n. 4.* poſt Julium Clarum, dicit, extra crimen hæreſis aut illius ſuſpicionem, in deſvetudinem abiiſſe purgationem Canonicam.

jurat] Scilicet reus tactis ſacroſanctis Evangeliis, jurat ſe crimen objectum non perpetraſſe, nec per ſe, nec per alium, nec aliqvem ſuo nomine ſe ſciente commiſiſſe, *c. 5. X. h. t.*

& certa compurgatorum manus] Deducit hunc ritum Camillus Borellus *in deciſ. tit. 53.* ex jure Moſaico, qvod habetur *Exod. XXII. v. 8. & 9.* ſed nullo planè argumento. Nec enim judices ſeu dii, ad qvos adducendus eſt dominus domus, ſimul jurant, uti qvidem à compurgatoribus reqvirit jus Canonicum. Cæterùm de numero compurgatorum nihil certi definitum eſt per canones, ſed id arbitrio judicis relictum, qvi interdum duodecim, interdum ſeptem, interdum pauciores pluresve adhibere jubet *c. 8. & 10. h. t.* Receptum tamen eſt, ut pro Epiſcopo duodecim, pro Sacerdote ſex ejusdem ordinis & dignitatis, cujus eſt reus, adhibeantur compurgatores. Joh. Bapt. Coſta *d. l. n. 5.* Si tamen qvis habere neqveat ſuæ ſortis compurgatores, etiam laici, imò etiam fœminæ admitti poſſunt, qvandoq; etiam ſoli juramento rei ſtandum erit. Gloſſ. *in c. 10. X. de accuſat.*

& verum credere] Jurant ergò compurgatores tantùm de credulitate. In noſtro foro tales compurgatores non adhibentur, ne nimiùm multiplicentur juramenta.

& opinionis] Debent saltem de nullo crimine condemnati vel suspecti esse *c.9. X.h.t.*

Deficiens in purgatione habetur pro convicto. Et super notorio non est indicenda purgatio. h.d.

g *d.cap. cùm lex. ubi gloss. & cap. inter solicitudines. extra de purgat. Canon.*

h *cap.pen.ext. d. tit.*

§. 3. Qvicunq; g verò in Canonica purgatione defecerint, perinde puniendi sunt, atq; si de crimine, de qvo diffamati fuerint, legitimè convicti, vel confessi fuissent: nisi tamen aliud judicantis æqvitas statuendum duxerit. Planè super notorio h nulli erit indicenda purgatio, sed tantùm condemnationis promulganda sententia: cùm patrati sceleris evidentia neq; accusatoris clamore indigeat.

c.evidentia.de Accusation.

perinde puniendi sunt] Vulgatum enim hoc est, qvod pro confesso habeatur, qvi jurare detrectat. Petr. Heig. *p.1. qv.40. n.36.* Carpzov. *in prax.crim.qvæst.116. n.80.* Monet tamen Jacobus Menochius, Clericum deficientem in purgatione canonicâ & curiæ seculari traditum, non posse puniri pœnâ ordinariâ. *de arb.jud.qvæst.casu.274.n.5.*

Planè super notorio] Notoria non indigent accusatore, nec probatione, Mascard. *de probat. concl.1107.& 1108.* Aliqvando tamen notorietatem tantùm criminis, non ipsum crimen probandum esse, censet Gvido Pap. *qvæst.221. in addit.* Sed hoc admitti fortè non debet, qvod in hanc rem cœca adhibeantur testimonia, & præter famam nihil probetur amplius. Cœca autem testimonia dicebantur, qvando laudabatur multitudo testis, aut civitas, aut provincia tota. Ita etsi repetundarum crimen ita manifestum esset, ut tota provincia qvasi unâ voce qvereretur, tamen si reus id Romæ negaret, testes è provinciâ erant accersendi, & reus condemnari aliter non potuit, nisi instructâ accusatione & legitimè convictis reis. Vid. Qvintil. *5. Inst. Orat. 7.* Val. Max. *lib.8.c.1.* Nec satis explicant Doctores, qvid sit crimen notorium, ut animadvertit Antonius Matthæus *de criminib.tit.de probat.n.2.* ubi concludit, aut nullum esse crimen

men verè notorium, aut si qvod est, non aliud esse, nisi qvod palam & inspectante populo vel in conspectu judicis & circumstantis coronæ perpetratum est. Conf. Anton. Gomez. *tom. 3. resol. c. 1. n. 41. seqq.* Jacob. Menoch. *de arb. judic. qvæst. cas. 166.*

Criminum qvædam solum Deum lædunt, qvædam etiam homines. h. d.

§. 4. Criminum autem qvædam divinæ majestatis læsionem continent: qvædam verò & hominibus damnum irrogant. Qvæ Deum principaliter lædunt, hæc fermè habentur, simonia, hæresis, schisma, apostasia, sortilegium, maledicentia, sacrilegium. Hominibus verò læsionem inferunt, homicidium, adulterium, stuprum, rapina, furtum, usura, falsum, injuriæ: de qvibus distinctiùs, sed tamen breviter videamus.

divinæ majestatis læsionem continent] sc. solitariè & principaliter. Aliàs enim omnia in universum peccata, qvantulacunq; ea fuerint, justitiam lædunt divinam; aliqva tamen ita lædunt, ut simul etiam proximum lædant.

DE SIMONIA,

TITULUS III.

SImoniæ vitium omni ferè tempore, etiam in illa prisci seculi integritate, Ecclesiam miserè dehonestavit. Cui & canonibus & legibus etsi qvam sæpissimè medicina parata fuerit, recruduit tamen istud identidem, & opprobriis expositum per non unum exemplum fidem Christianam. Sidonius Apollinaris, qvi vixit seculo V. de istiusmodi sordibus hæc scribit verba *l. 7. ep. 5. ad Agrestium: Et nisi me immeritò qveri judicaveritis, dicere auderem, tam præcipitis animi esse plerosq;, tamq; periculosi, ut sacrosanctam sedem & dignitatem q; affectare precio oblato non reformident, & rem*

jamdudum in mundinam mitti auctionem, potuisse, si qvàm paratus inveniretur emptor, venditor tam desperatus inveniretur. Pari modo Franciscus Petrarcha *de remed. utr. fort. dial. 107.* non simplices tantum Episcopatus, sed Pontificatum etiam maximum Simoniacis artibus impetrari conqveritur. Verba ejus hæc sunt: *Solebant primi ex hoc statu ad martyrium petere. Nunc ad delitias vocari credunt, ideoq; certatim hic locus appetitur, & huc omnium fermè mortalium vota suspirant. Qvis autem vel Romanum vel qvemcunq; pontificatum aliam cupit ob causam, nisi qvo potentior ac ditior sit? Contra justitiæ præceptum præcesse qværitur, non prodesse, qvodq; sacrilegum pudendumq; vel dictu est, magnis sæpè muneribus, qvin & pactis & sponsoribus spes emitur sacerdotii pinguioris. O vertigo morum pessima! Ad qvod olim consveverant & deberent cogi homines, inde nunc retrahi non possunt, & eam præceps fervet ambitio, ut non Christianus pudor ac modestia videatur, sed ardor & pervicacia paganorum.* &c. Plura in hanc rem afferri possent, nisi turpe esset, vitia, qvæ occulta plerumq; sunt, manifestari. Et posset verò in hoc qvoq; genere morum emendatio expectari, nisi depravatis canonum explicationibus & propudiosissimis commentis crimen istud in plerisq; actibus excularent Moralistæ, uti in seqventibus ostendam.

Qvid sit simonia, & unde dicta. h. d.

a *gloss. t. in sum. 1. q. 1.*

§. 1. Simonia[a] nihil aliud est, qvàm studiosa voluntas, sive cupiditas emendi, vel vendendi spiritualia, vel spiritualibus annexa. Vel, simonia est rei spiritualis, vel spiritualibus annexæ, cum aliqvo temporali facta commutatio. Appellata est autem à Simone mago, qvi primus hujus detestandi sceleris author fuit.

qvam studiosa voluntas] Definitionem hanc soli competere simoniæ mentali tradit Gvilielmus Redoanus *part. 1. de Simon. c. 2.* & hanc qvidem ab Ecclesia non puniri, nec, qvi tali cupiditate fertur, pro Simoniaco haberi contendit, eò qvod nuda voluntas, nisi effectus dationis seqvatur, peccatum qvidem faciat, non autem Simoniam.

emen-

emendi vel vendendi] vocabula hæc pro qvovis commercii genere accipienda ſunt.

vel ſpiritualibus annexa] Qvæ ſpiritualia ſint, qvæ ſpiritualibus annexa, & qvotupliciter ea accipiantur, prolixè exponit Redoanus *de Simoniâ p.art. t.c. 4.* Inter ſpiritualia referuntur Sacramenta, & dona Spiritûs S. Inter annexa ſpiritualibus jus patronatus, fructus Eccleſiæ,& beneficia Eccleſiaſtica,it: decimæ,& alia.

facta commutatio] etiam hoc vocabulum generaliter pro qvovis commercii genere eſt accipiendum.

à Simone Mago] cujus mentio fit *Actor. VIII, 20.* isq; per artes magicas tempore Claudii Imperatoris Romæ adeò inclaruit, ut pro DEO haberetur, & ſtatua ei poneretur; Sed precibus tamen Petri & Pauli effectum eſt,ut,dum volare tentat, præceps decideret & periret. Arnob. *l.2. adverſus gent.* Sulpit. Sever. *l. 2. hiſtor.* Philaſtr. *l.3. de hæreſ.* Epiphan. *hæreſ.21.*

Simonia aut eſt ſimplex conventionalis, aut realis. Et realis ſubdividitur in realem conventionalem, & realem mentalem.h.d.

§. 2. Simoniæ duplex eſt ſpecies. Nam aut eſt conventionalis, aut mentalis. Conventionalis eſt,cùm aut aliqvid datum eſt,vel de dando in poſterum tractatus interceſſerit,& conventio. Mentalis eſt, cùm nullum qvidem intercesſit factum [b], ſed ſola prava dantis, aut recipientis mens & intentio concurrit: & propterea rudi, ſed congruenti vocabulo mentalis appellatur.

b *extra.com. 2.eod.tit.*

Simoniæ duplex eſt ſpecies] Triplicem facit Gvilielmus Redoanus,mentalem,conventionalem & realem. Realem autem vocat ipſam collationem vel acceptionem ſpiritualium actualem non gratuitam. Et hanc ſub conventionali hic autor comprehendit.

Con-

Conventionalis] conventionalis nuda dicitur Redoano, qvando fuit facta inter aliqvos conventio super spiritualibus simoniaca, nullâ tamen secutâ aut interveniente rei traditione. Præter hanc tamen faciunt alii conventionalem mixtam, qvando sc. una pars dedit precium, & altera nondum tradidit rem spiritualem, vel contra. Andr. Vallens. *tr. de Simonia §. 3. n. 2.* Conventionalem nudam, sive promissionem absq; animo tradendi vel se obligandi ad rem ipsam tradendam, non esse verè simoniam, sed fictam tantùm, contendit Escobarius *tr. 6. ex. 2. n. 14.* Hâc ratione faciunt Jesuitæ, ut, dum simonia fraude cumulatur, sine simoniâ tamen & pecuniâ sacerdotium acqviratur.

cum nullum qvidem intercesſit factum] Hanc non esse propriè Simoniam jure Ecclesiastico prohibitam dicit Redoanus *part. 1. c. 2.* sed tantùm peccatum in DEUM. Itaq; Simoniam mentalem ita definit, qvod sit studiosa voluntas emendi vel vendendi spiritualia aut spiritualibus annexa opere subsecuto. Conf. eund. *c. 3. n. 6.* Didac. Spino à Caceres *in spec. testamentor. gloss. 7. n. 4. seq.* Et in hâc sententiâ etiam videtur esse autor, dum ait: *sed sola prava dantis aut recipientis mens & intentio concurrit*, sc. cum ipso opere subsecuto. Et hâc ratione in verbis antecedentibus pro vocabulo FACTUM legendum esse videtur, PACTUM, ut contradistingvatur Simoniæ conventionali.

Cujuscunq; muneris receptione simonia contrahitur. Et appellatione pecuniæ continetur, qvidqvid homines habent in terra. h. d.

c *gloss. 1. in sum. 1. q. 1. c. sunt nonnullis 1. qvæst. 1.*

§. 3. Contrahitur[c] autem simonia, non modò cùm pecunia ipsa pro re sacra datur, aut recipitur, vel de danda & recipienda tacitè, vel expressè conventum fuerit: verùm etiam cùm dans à lingva, vel obsequio recipientis munus exigit. Cùm enim spiritualia tribuens, manus ab omni munere excutere debeat, id tunc facere intelligitur, cùm pro divinis rebus non

solùm

ſolùm pecuniam nullam, ſed nec humanum obſequium, aut gratiam aliqvam reqvirit. Et ſicut pro manus impoſitione non debet Epiſcopus [d], ita nec miniſter, nec notarius, in ordinatione, pro voce, vel calamo, pecuniam recipere. Pecuniam verò hoc loco accipiemus, qvidqvid homines habent: hoc enim nomine ideò omnia continentur, qvia antiqvi, qvidqvid fermè habebant, in pecoribus habebant. Contrahitur ergo ſimonia, cùm qvis ſacra qvodam modo in commercium deducit.

[d] *cap. 1. extra. eod. tit.*

c. totum. 1. q. 3.

non modo cum pecunia ipſa] Utuntur hîc Canoniſtæ generali vocabulo precii, idq; triplex faciunt, qvod ſcilicet conſiſtat iſtud in munere vel à manu, vel ab obſeqvio, vel à lingvâ. Sub munere à manu comprehendunt omnes res temporales precio æſtimabiles, etiam remiſſionem debiti.

à lingva] qvò pertinent, laus, vituperatio, patrocinium advocati, intercesſio & commendatio apud principem, ſi talia promiſſa fuerint.

vel obſeqvio] ſc. ut miniſterium aliqvod in rebus temporalibus præſtetur, imò etiam ſi convenit, ut præſtetur in ſpiritualibus. Vid. H. Zoeſ. *tit. de Simon. n. 77.*

pro voce vel calamo] Ita qvidem conſtitutum legitur in canonibus antiqvis, ut ſc. Epiſcopus gratis manum imponat, miniſter gratis evangelicam lectionem legat, notarius gratis epiſtolam confirmationis ſcribat. *c. nullus abbas 1. q. 2.* Sed jam ſuo tempore de Eccleſiâ Romanâ conqveritur Ivo Carnutenſis *epiſt. 133.* qvod cubicularii & miniſtri ſacri palatii multa exigant à conſecratis Epiſcopis vel Abbatibus, & qvod nec calamus nec charta ibi gratis habeatur. Seqventibus temporibus papæ ipſimet ex Notariorum lucro auſi fuerunt participare. Notariatûs enim dum magno vendunt precio, id inprimis cauſantur, ut Notarii exactiones faciant ampliores.

Promoti igitur & ordinati & Notario mercedem ſolvunt, & collatorem pro ipsâ collatione non exigui emolumenti faciunt participem. Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib.9. c.9.* Fuit tamen jam tùm ætate Juſtiniani introductum, ut Epiſcopi, Metropolitani, & ipſi etiam Patriarchæ Ordinatoris Archipresbytero ſive archiDiacono certam pecuniæ ſummam darent, qvi partem ejus Epiſcopo Ordinatori, partem Clericis miniſtrantibus & Notariis diſtribuebat, eamq; pecuniam Juſtinianus ad certam ſummam & legitimum modum coërcuit. *Novell. 123. c.3.* Qvâ de re eruditè diſſerit Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib.8.c.13.n.8.*

Pecuniam verò] Ita etiam qvandoq; accipitur in jure civili *l.2. C. de conſtitut. pecun.* Vid. Pinell. *ad rubric. Cod. de reſcind. vend. part.1.c.5. n.10.* Joh. Gœdd. *ad l.4.n.7.ff. de V.S.*

in commercium deducit] Etiam de jure civili res ſacræ extra commercium eſſe jubentur. *§.7. Inſt. de rer. diviſ.* Sed ipſi tamen inter ſe diſſentiunt adhuc Pontificii, qvatenus accipere pecuniam liceat ob rem ſpiritualem. In Concilio Tridentino tres invaluérunt ſententiæ, referente Petr. Svav. *lib.5.* Una fuit Epiſcopi Feltrenſis, qvi tenuit, non eſſe incommodum accipere pecuniam propter uſum poteſtatis ſpiritualis, modo non ſit loco precii, ſed ob alium aliqvem reſpectum. Altera Epiſcopi Setinenſis, id nullo modo, neq; ullâ conditione licere, & tàm dare pecuniam, qvàm accipere deteſtandam eſſe Simoniam. Tertia Epiſcopi Senogallienſis, media inter utramq;, eſſe qvidem licitum, ſed certis tantùm temporibus & certis conditionibus. Seqventibus temporibus ſtrenuè laborárunt Moraliſtæ, ut in genere licitorum ponerent talem rerum ſpiritualium nundinationem. *Dupliciter*, inqvit Gregorius de Valentia *tom.3.diſp.6.qv.16.p.3.p.2044. poteſt qvis conferre ſpirituale propter temporale principaliter & tanqvam propter finem. Uno modo, ſi temporale æſtimet pluris, qvam ipſum ſpirituale, & tunc omninò committit talis ſimoniam. Altero modo poteſt qvis conferre ſpirituale propter temporale principaliter tanqvam propter finem, ita ut temporale apud eum non ſit finis ipſius rei ſpiritualis. Qvaſi temporale pluris ab eo, qvàm ſpirituale æſtimetur; ſed tantummodo voluntatis ſive applicationis animi ad actum conferendi ſpirituale: & hoc non eſt ſimoniæ.* Et paulò poſt: *Cum petitur temporale pro ſpirituali non tanqvam precium debitum ex juſtitiâ, ſed tanqvam finis applicationis animi ad conferendum ſpirituale, minimè erit Simonia, etiamſi principaliter intendatur & expectetur.* Eadem eſt ſententia Tanneri Jeſuitæ: *Qvando*, inqvit ille, *datur ſpirituale propter temporale vel contra,*

ra, ſolùm tanqvam propter motivum aut ſolùm ex gratitudine, & per aliqvam compenſationem gratuitam, non accidit ſimonia, ſaltem in foro conſcientiæ, atq; id procedere ait, *tametſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, qvàm res ſpiritualis.* Plura jam non adduco, qvæ tamen videri poſſunt apud Ludovic. Montalt. *epiſt. provincial. 12.* Atqve hinc diverſimode phraſin iſtam, *propter pecuniam* vel *ob pecuniam* interpretantur, ita ut aliqvando pretium ſimoniacum innuat, aliqvando nullam planè ſimoniam denotet, qvando ſcil. pecunia nec datur nec petitur, ut precium, ſed tantùm intervenit, ut motivum ſuperandi difficultates, qvæ aliàs præſto ſunt. Renat. à Valle *in Hipparch. num. 139.* Patet autem ex his, qvam faciles hodiè ſint Moraliſtæ in refigendis legibus tùm divinis, tùm Eccleſiaſticis; nec prohibitum qvid tàm ſeverè eſſe, qvod non ſub futili aliqvâ reſtrictione licitum faciant morum formatores hodierni.

Ponit plura capita, ex qvibus committitur ſimonia. h. d.

§. 4. Sed[c] & tunc qvoqve ſimonia committi dicitur, cùm qvid pro perſonis Eccleſiaſticis deducendis in ſedem, vel ſacerdotibus inſtituendis, aut ſepeliendis mortuis, ſeu pro nubentium benedictionibus, accipitur. Is qvoqve, qvi pro electione præmia largitur, qvia per electionem pervenitur ad conſecrationem, perinde ſimoniacus habebitur, ac ſi pro conſecratione munera dediſſet.

[c] *cap. nõ ſatis. & cap. ſeq. extr. eod. tit.*

vel ſacerdotibus inſtituendis] Antiqva hæc eſt Eccleſiæ corruptela, qvam etiam ſuo ſeculo peculiari conſtitutione notavit Imperator Juſtinianus *Novell. 123. cap. 16.* permittens tamen nonnihil ordinantium miniſtrantibus. Sed nec hodiè qvidam Simoniacam ſuam avaritiam excuſare poteſt Eccleſia Romana, præſertim ubi de redemptione pallii, exactione annatarum, & aliis ejusmodi pluribus rationes reddere debet. De annatis vid. Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 9. c. 9. n. 65. ſeq.* imprimis verò Petrus de Marca *lib. 6. de concord. ſacerd. & imp. c. 12.* qvi, dum

accuratè omnia examinat, in hâc materiâ non invenit, ubi subsistat firmitet & animum dubium convincat. Præmittit, duo esse genera Simoniæ, alterum jure divino vetitum esse, idqve in eo consistere, si qvis aliqvod precium temporale recipiat pro re qvâpiam sacrâ; alterum verò jure Ecclesiastico introductum esse, qvando scilicet res DEI ministerio consecratæ aut pro sustentatione Presbyterorum dedicatæ venduntur. *Priscis*, inqvit, *temporibus, qvando videlicet ordinationis vocabulo comprehendebantur impositio manuum & provisio beneficii, inutilis erat illa distinctio, qvia is, qvi Simoniam committebat, in veræ Simoniæ crimen* (h. e. primum genus) *incidebat.* Jam pergit: *Si ratio habeatur prisci moris & autoritatis antiqvorum Patrum, pura est Simonia, si qvis, etiam post ordinationem, pecuniam recipiat; at si novi juris ratio habeatur, Annatæ liberari possunt â suspicione Simoniæ.* Seqvitur ergò ex his verbis, jure novo Ecclesiastico licitum fieri posse qvod jure divino illicitum est, & sic peccatum jure divino prohibitum ex Pontificis interpretatione committi posse sine ullo reatu. Audiamus, ut excusari possit: *Secundum jus novum*, inqvit, *qvod auctoritatem addidit tributis, qvæ beneficiorum possessoribus imperantur pro necessitatibus Ecclesiæ Romanæ & sustentatione Cardinalium, annatæ ab Episcopatibus exactæ liberari qvidem possunt â crimine Simoniæ, sed non â vitio avaritiæ.* (istud avaritiæ vitium, ut in seqventibus audiemus, consistit in modo exigendi, sed qvem ex consvetudine excusat) *Nam post conditum illud jus Curia Romana novo prætextu usa est ad exigendas annatas, impositionis videlicet & subsidii; cum antea id non soleret, nondum videlicet evulgato Ecclesiæ Romanæ arcano, posse eam tributa imperare singulis Ecclesiis. -- Tanti autem ponderis visa est hæc ratio Johanni Gersoni, ut coactus sit excogitare distinctionem qvandam, qvæ in ejus operibus extat, qvæ concederet, annatas qvidem legitimè solvi posse, sed modum eas exigendi non posse tolerari. Annatas tolerat titulo subventionis; sed eas Simoniæ suspicione laborare ait, si possessio aut exercitium beneficii impediatur, donec pecunia fuerit persoluta. --- Qvare paulo audacior Gersone censeo, æqvum non esse, ut priscam severitatem mordicus teneamus* (severitatem istam antea ex Scripturâ & Doctorum Ecclesiæ sententiis deduxerat, atqve eam nunc seponit) *qvoad annatas, qvas Episcopi solvunt, cum eæ obnoxiæ sint interpretationi, qvæ ipsas liberat â vitio Simoniæ, titulo videlicet subventionis.* (Qvis verò nunc Sedi Romanæ Simoniæ crimen imputare velit, cùm nihil non titulo subventionis exigere valeat? adeò ut, num perpetrari â Papâ tale crimen unqvam possit, meritò dubitare liceat) *Modus qvippe adigendi ad earum solutionem, retentis videlicet bullis* (qvem unicum reprehenderat Gerson) *qvi erat la-*

pis

Digitized by Google

In scandali tempore Conciliorum Constantiensis & Basileensis, in consvetudinem versus est absqve ullâ conqvestione Prælatorum, aut Principum, qvi solutioni huic consenserunt sub titulo subventionis. Eâ videlicet ratione tollitur omnis suspicio Simoniæ, qvandoqvidem alio titulo reali & legitimo solvuntur, cujus natura mutari non potest ob modum, qvi observatur in solutione. - - Immanis qvippe & horrenda confusio turbaret Ecclesiam, si omnes istæ promotiones essent Simoniacæ. Papa qvippe esset irregularis, & Episcopis omnibus interdictum esset functionibus sui ministerii. Neq; opponi posset Papam conferendo beneficia dispensare ab hoc vitio, qvia Simonia hæc, si ulla in eo esset, juri divino, super qvo dispensari non potest, repugnaret, & præterea Papa non posset dispensare super crimine, qvod ipse committeret. Hactenus Marca, qvi mihi videtur, si liceret, fateri velle, exactiones istas Paparum non fieri sine crimine Simoniæ. Tam tortuosus enim utitur anfractibus, & tàm molliter incedit, ut Romanam sedem sæpè haud leviter perstringat, apertius facturus, si per religionem, qvam profitetur, non prohiberetur.

aut sepeliendis mortuis] Vid. qvæ dixi supr. *ad tit. 24. lib. 2. sub fin.*

seu pro nubentium benedictionibus] Sed in his talibus multas admittunt limitationes Doctores Pontificii. E. g. si ministro sumptus desint, permittunt ei, ut aliqvid pro ministratione spiritualium exigat, nec tamen attendi volunt, si Sacerdos aliunde habeat, qvo ali possit, qvia scilicet nemo suis stipendiis militare teneatur. Neqve committi Simoniam dicunt, qvando accipitur aliqvid pro obligatione manendi in tali loco, celebrandi tali horâ & similibus, aut etiam qvando consvetudo invaluit, ut aliqvid detur. Vid. Augustin Barbos. *ad c. 29. X. de Simoniâ.* Hâc igitur ratione oppidò facile erit, excogitare rationem, qvâ qvis motus pecuniam accipere licitè poterit, qvâqve se ab Simoniæ vitio purgabit. Non tamen negamus, Clericos stipendium, ut sustententur, recipere non prohiberi, Dominic. Soto *de just. & jur. lib. 9. qv. 6. art. 7.* Ad sustentationem autem pertinet non tantùm cibus & potus, sed qvicqvid ad victum & vestitum necessarium est. Cajetan. *in 2. 2. qv. 100. art 2.*

Is qvoqve] Erit igitur electio Simoniaca, non tantùm qvando pecunia datur pro suffragiis, sed etiam qvando Electores conveniunt, ut alter suffragetur uni in unâ electione, qvia alter suffragabitur alteri in aliâ. it: si electores accipiant pecuniam, ne indignum eligant, ut hâc ratione.

ne ille,qvi ſolus dignus videtur,eligatur, it: ſi dignus offerat digniori pecuniam, ut ab oppoſitione aut petitione ſuâ deſiſtat. de qvibus vid. Aug. Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib. 1. c. 19. n. 256. ſeq.* Hoc autem paragrapho occurrere voluit autor pravæ illorum interpretationi, qvi ſolam ordinationem aut conſecrationem Simoniæ vitio affici,electionem verò per acceptum precium neqvaqvam Simoniacam fieri contendebant. Planè utramqve partem & electionis & ordinationis ſimoniæ crimini obnoxiam eſſe docent Leonis Imp. verba in *l. 31. Cod. de Epiſc. & Cler.* qvæ hæc ſunt: *ſi qvis hanc ſanctam & venerandam antiſtitis ſedem pecuniæ interventu ſubiiſſe, aut ſi qvis,ut alterum ordinaret vel eligeret, aliqvid accepiſſe detegitur,ad inſtar publici criminis & læſæ majeſtatis accuſatione propoſitâ â gradu Sacerdotii retrahatur &c.*

pervenitur ad conſecrationem] Si tamen ſimonia commiſſa fuerit in conſecratione,propter qvam ea irrita exiſtat, qværitur,num ex hoc irrita etiam fiat electio. Barboſ. *d. l. n. 266.* negat. Sed ex verbis Leonis modo adductis conſtat,etiam eum qvi ordinatus eſt tantùm ſimoniacè â gradu Sacerdotii retrahi, & hoc honore privari, & perpetuæ infamiæ damnari debere. Et antiqvitus χειροτονίας vocabulum non conſecrationem tantùm,ſed etiam electionem comprehendebat.

Simoniacè dicitur qvis electus,etiamſi qvid ignorante eo datum fuerit, vel promiſſum. h. d.

f c. ap. nobis fuit, ext. eod. tit.

§. 5. Nec diſtingvemus[f],ſciente,an ignorante eo, qvi promiſſionis, vel dationis alicujus interventu poſtmodum electus fuit,promiſſum qvid, vel datum fuerit: qvamvis enim electus tempore dationis, vel promiſſionis conſcius non fuerit,non propterea minùs electio reprobanda erit.

reprobanda erit] Etſi enim extra culpam ſit electus, electio tamen ex vitio eligentis ſit vitioſa,ita ſcilicet, ut electus privetur ipſo jure,& teneatur cedere beneficio, qvàm primum ſciverit, fructusqve non conſumptos reddere. Add. Joh. Bapt. Coſta *de fact. ſcient. & ignor. cent. 2. diſt. 11. n. 25. 26.*

Epi-

Episcopus non potest dispensare cum electo simoniacè, licet ignoranter, sed benè super asservatione beneficii simplicis, praviâ tamen resignatione. b.d.

§. 6. Sed videamus, an post reprobatam electionem cum eo super prælatione, ad qvam qvis sic electus fuerit, possit episcopus dispensare, & constitutum est, non posse: qvamvis[a] circa eum, qvi per simoniacam pravitatem simplex beneficium recipit, post liberam resignationem Episcopi dispensatio toleretur.

[a] *cap. pen. ex. de electione.*

possit Episcopus dispensare] Dispensatio hodiè vel non necessaria est, qvod actum vitiosum hodiè ab omni vitio purgare admodum subtiliter didicerint Moralistæ, vel facilè potest impetrari, qvod tam rigidi hodiè nec Pontifices sint, nec Episcopi. *Papa non dicitur committere Simoniam*, inqvit Jod. Damhouder *in pmx. rer. crim. c. 61. n. 67. si confert beneficia vel dignitates acceptâ pecuniâ, qvia Papatus est apostolatus & aut sanctum facit, aut sanctū recipit, & licitum est Papæ æqvare qvadratum rotundis.* Pudeat verò Pontificios harum assertionum. Sic enim vitia ex Papæ arbitrio in virtutū censum referentur, & qvod omnibus hominibus lege divinâ prohibitum est, Papæ licitum erit, Dei scilicet vicario. Qvid porrò de dispensationibus ejusmodi sentiendum sit, alibi dixi, eas scilicet contra legem divinam planè impias esse & nullius momenti.

simplex beneficium] qvod scilicet non habet populum, vel clerum, vel curam animarum, & tale vel merè simplex est, vel servitorium. Vid. Ilephons. Perez de Lara *de anniversar. lib. 2. c. 7. n. 8. 9.* Ubi etiam id noto, admodum restringi in hâc materiâ ab hodiernis Doctoribus vocabulum *beneficii*. *Qvæsierim*, inqvit Escobarius *tr. 6. ex. 2. n. 44. Si vocales cujusdam religionis conveniant inter se: elige me in provincialem aut Generalem, & te eligam in Abbatem aut Priorem, simoniæ sint rei? aliqui asserunt, putantes, prælaturas beneficiorum nomine afferri. At Sanchez negat, prælaturas esse beneficia in eo rigore, ut nomine beneficii in lege hâc panali comprehendi consen-*

Digitized by Google

sensenda sint. En verò qvàm artificiosum hoc est inventum, ut simoniæ vitio purgetur talis conventio.

post liberam resignationem] Qvod si electio ipso jure est nulla, uti antea dixi, non erit libera resignatio, sed nec resignatione qvidem opus erit.

Datum in dispendium eligendi, vel illo etiam reclamante, non facit electionem simoniacam. h. d.

§. 7. Planè si constet eos, qvi qvid dederint, vel promiserint[b], qvòd per fraudem in dispendium eligēdi dolo malo id fecerint, aut electo ipso non modò ignorante, sed etiam reclamante, nec aliqvando ratum habente, secuta electio minimè reprobanda erit: alioqvin contingeret, qvòd factum insidias inimico parantis innocenti damnosum existeret, & vir malus de fraude sua commodum reportaret.

b *cap. nobis fuit. extr. eod. titul.*

c, *sicut. h.t.*

sed etiam reclamante] Non satis inter se hæc cohærent. Qvomodo enim reclamare poterit, qvi ignorat? Deinde, si ex eligentis persona vitium capit electio, qvomodo ex eo, qvod reclamaverit electus, caveri poterit, qvo minùs eligens sit Simoniacus? Et numqvid plus facit reclamatio, qvàm ignorantia, qvod propter hanc reprobanda sit electio, propter illam minimè? At qvæ tùm culpa imputari poterit ignoranti? Sed nec eo qvidem casu vitio simoniæ carebit electio, si ex fraudulentâ machinatione in dispendium eligendi data fuerit pecunia. Sufficit enim electorem esse corruptum.

Simoniacè ordinans cum suo ordinato & Clerico mediatore est deponendus, laicus verò mediator excommunicatur. h. d.

§. 8. Ac veluti variis modis simoniaca labes committitur, sic etiam variis pœnis simoniacos percelli, admonen-

Digitized by Google

monendi sumus. Nam si qvis, ut ordinetur, pecuniam Episcopo obtulerit[c], & qvi turpissimi lucri commodo sancti Spiritus gratiam[d] tentaverit, amissionis proprii gradus periculo subjacebit: & qvi ordinatus est, à dignitate, qvam pecuniis acqvisivit, erit prorsus alienus. Si qvis verò[e] tam turpibus & nefandis datis, vel acceptis mediator extiterit, si qvidem Clericus, erit à proprio gradu dejiciendus: si verò Laicus, anathematizandus erit.

c. de cætero. 1. q. 1.

c can. si qvis. 1. q. 1.

d can. qvando Episcopus. §. qvòd si aliter. 24. distinctio.

e can. si qvis episcopus. 1. q. 1. c. reperiuntur. in fin. 1. qvæst. 1.

Nam si qvis ut ordinetur] Id non aliter admittunt hodiè Jesuitæ, nisi id, qvod datur, detur per modum pretii æqvivalentis. Et ipsimet Canonistæ variè restringunt dationem istam, uti apparet ex §. *sciendum.* h. t.

amissionis proprii gradus] Dogmata Jesuitarum, qvi theologiam ad mores hominum & ingenium seculi fabricant, admodum rarò pœnæ hujus executionem admittent, cùm non deesse possit color, qvi Simoniæ labem abstergere qveat.

anathematizandus erit] Inter canones, qvi Apostolorum dicuntur, trigesimus & ordinato & ordinatori pœnam excommunicationis indicit: κληρικὸς ἐκκοπτέσθω, inqvit, τῆς κοινωνίας παντάπασιν, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου. & à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus à Petro. (Verba ὑπ' ἐμοῦ ab interpolatore addita esse, ut canones illi pro verè apostolicis haberentur, notat Jacobus Usserius Archiepiscopus Armachanus *in annot. ad Ignat. epist. cap. 6.*) Simonem tamen majore excommunicatione punitum fuisse non satis constat.

Ordinatus à simoniaco non simoniacè, & simoniacè non simoniacus ordinem conferens, non sunt deponendi. h. d.

§. 9. Hæc tamen de illis intelligere nos oportet, qvos

c. statuimus. vers. hoc autem de illis. 1. qv. 1.

nec ignorantia, nec attractionis excusat violentia, sed simoniaci simoniacè ordinati vel ordinatores existūt. Cæterùm si qvis à simoniaco qvidē, non tamen simoniacè, ordinem susceperit, aut simoniacè non simoniacus ordinem contulerit, misericorditer in Ecclesia subsistinendi erunt : hos enim facit simoniacos non reatus criminis, sed ordinatio, vel susceptio simoniaci.

c. si qvi à simoniaco. ibid. c. simoniaco. h. t.

qvos nec ignorantia] At supra de electione dixit, ignorantiam non excusare, qvo minus electio irrita habeatur, neqve tùm dispensationem locum habere. Facilius ergo dispensant Pontifices in ordinatione, qvàm in electione.

excusat violentia] qvod sc. inviti & repugnantes ab hæreticis ordinati sint, *c. constat. 1. qv. 1.*

aut simoniacè non simoniacus] Hunc sustineri vult in Ecclesia. Sed contrarium, ni fallor, extat in *c. statuimus 1. qv. 1.* ubi dicitur : *Simoniaci qvoq; simoniacè à non simoniacis ordinati similiter ab officio malè accepto removeantur.* Ut maximè enim verba concepta sint de ordinatis, & autor loqvatur de ordinatoribus; Utrobiqve tamen eadem militat ratio, & textus allegatus, uti ex ejus principio apparet, tàm de ordinatis qvàm ordinatoribus est intelligendus. Dicitur autem simoniacè ordinari, qvando ipse actus ordinationis, qvi peragitur, labe simoniæ infectus est, ita ut propter ordinationem pecunia data vel promissa sit. Qvidam ergo simoniaci non sunt, sed simoniacè tamen sunt ordinati, puta qvando eis ignorantibus ordinatori pecunia data fuit per amicum. Ita & ordinator potest esse non simoniacus, & tamen ordinatus simoniacè ordinari, qvando scilicet pecunia data aut promissa est non ipsi ordinatori, sed ejus amico.

Beneficium consecutus simoniacè per accusationem convictus privatur beneficio, & deponitur : per inqvisitionem verò privatur qvidem beneficio, sed post peractam pœnitentiam in suo ordine permittitur ministrare. h. d.

§. 10.

§. 10. Qvod [a] ſi non ordinem qvis, ſed beneficium Eccleſiaſticum data pecunia conſecutus fuerit, multum intereſt, per accuſationem, an per inqviſitionem qvis convictus fuerit. Primo enim caſu non ſolùm Eccleſia privandus, verùm etiam honore ſacerdotii presbyter ſpoliandus erit: poſteriore verò, poſtqvam ab Eccleſia, qvam ſibi per pecuniam comparaverat, amotus fuerit, & injunctam pœnitentiam egerit, in ſuſceptis ordinibus miniſtrare permittendus erit.

a *cap. dilectus, ubi etiã gloſ. in ver. amotos. eod. tit. extra.*

Qvod ſi non ordinem qvis] Poteſt enim ordinem qvis habere abſqve Simoniæ labe accipere, & tamen non ſine vitio deinceps Eccleſiæ ſpeciali admoveri.

multum intereſt] Canoniſtæ volunt, pœnam leniendam eſſe reo, qvoties non per viam accuſationis, ſed inqviſitionis convictus eſt. *c. inqviſitionis 21. X. de accuſat.* Sed jus civile hanc mitigationis cauſam ignorat. Anton. Matthæus *de criminib. tit. de pœn. c. 5. n. 1.* Et certè ſive per inqviſitionem, ſive per accuſationem facinus innotuerit, nulla hinc mitigationis petenda erit ratio, qvod nec delictum ipſum nec perſona delinqvens propter proceſſum favorem mereatur.

eccleſiâ privandus] h.e. removendus eſt ab officio aut beneficio.

ſpoliandus erit] h.e. degradandus eſt, & in ſtatum Laicorum reponendus.

Cum parvulis, qvi cupiditate parentum Eccleſias ſunt conſecuti, poſt liberam reſignationem poteſt diſpenſari. b. d.

§. 11. Qvinimo [b] qvi parvuli parentum cupiditate Eccleſias

b *c. ſicut tuis. §. qvamvis. extra. eod.*

c.1.1.qu.5. c.ex insinuatione. h.tit.

clesias per pecuniam sunt consecuti, ob paternum factum non modò à sacris ordinibus non sun emovendi: verùm etiam postqvam eas omnino dimiserint, si Canonicè in eisdem vivere voluerint, pro magna misericordia substineri poterunt.

Qvin imò qvi parvuli] Parvulos præfici Ecclesiis, ad qvas gubernandas maturum judicii reqviritur, monstrosum est. Et tamen hoc fieri permittunt Canonistæ, saltem ut interim certæ Ecclesiæ adscribantur parvuli, suo tempore ei præficiendi, cum tamen attendi qvam maximè in his rebus debeat personæ industria, qvæ in parvulis adhuc nulla est.

verum etiam] Hoc vult, parvulos ita adultos non modo non exuendos esse sacris ordinibus seu degradandos, sed etiam in ipsis illis Ecclesiis, qvas ita ex parentum cupiditate consecuti sunt, tolerandos esse.

postqvam eas omninò dimiserint] Ergo necesse est, ut præcedat dimissio seu renunciatio, ut scilicet appareat, qvantum ei displiceat parentum hæc simonia.

Idem juris est de accessorio, qvod de principali. h.d.

§. 12. Nec objiciat qvis, non consecrationes emisse se, sed qvæ ex consecratione proveniant. Nam sicut anima sine corpore corporaliter vivere non potest, sic corporalis ecclesia, vel dignitas, & ordo Ecclesiasticus sine rebus corporalibus parum proficiet. Qvisqvis igitur eorum alterum vendit, sine qvo alterum haberi non contingit, neutrum invenditum reliqvisse intelligitur.

c. si qvis objecerit 3. qu.3.

sed

sed qvæ ex consecratione proveniunt] h. e. reditûs & proventûs ecclesiasticos, & jus eos percipiendi.

corporaliter vivere] qvatenus sc. corpori conjuncta est. Aliàs enim vivit sine corpore, qvando separata est.

sine rebus corporalibus] id negavimus supra ad init. *tit. 27. lib. 2.* Et opimi isti reditûs si annexi non essent beneficiis Ecclesiasticis, exigua horum apud plerosq; hodiè esset cupido.

Qvilibet admittitur ad accusandum simoniacum. Et solus simoniacus inter peccatores missam non celebrat. h. d.

§. 13. Hujus autem criminis tanta est labes [c], ut etiam servi adversus dominos, & qvilibet criminosi admittantur ad accusationem. Item omnis peccator missam celebrare potest, præterqvàm simoniacus: qvem adeò qvilibet, ut ab ordine malè accepto removeatur, accusare potest, ut nec meretrix excludatur.

[c] *cap. tanta. ext. eod. tit.*

ut etiam servi] Etiam de jure civili sub capitis supplicio prohibentur servi accusare dominos, nisi in casibus qvibusdam exceptis *l. pen. & ult. C. de accusat.* Anton. Matthæ *de criminib. tit. de accusat. c. 1. n. 4.*

& qvilibet criminosi] Non potest aliàs accusare alium, qvi ipse in reatu est, donec aut absolutus fuerit, aut damnatus qvidem, sed salvâ libertate, civitate, existimatione, *l. 4. ff. de accus. l. 19. C. qui accus. non poss. l. 5. ff. de publ. judic.*

præterqvam simoniacus] Inter specialia criminis Simoniæ referunt, qvod officium simoniacorum audiri non debeat, licet non sit contra eos lata sententia condemnatoria, & in hoc differat simoniacus ab aliis criminosis, qvippe qvorum officium audiri possit, usq; qvo fant condemnati. Innocent. *in c. tanta 7. X. h. t.* Ratio autem, qvod simo-

niacus missam celebrare neqveat, est, qvia est ipso jure ab officio suspensus eâ suspensione, qvæ ipsum efficit irregularem, si divinis se immiscuerit. Didac. Covarruv. *in Clem. si furiosus, part. 1. §. 1. n. 7.* Didacus Spino à Caceres *in specul. testam. gloss. 7. n. 24.*

ut nec meretrix excludatur] In genere mulier non facilè admittitur ad accusandum, nisi suam suorumve injuriam prosequatur, *l. 1. & 2. ff. de accus. l. 4. 5. 9. C. qui accus. non possunt.* aut nisi fuerit crimen majestatis, annonæ fraudatæ & similia *l. 8. ff. ad L. Jul. majest. l. 13. ff. de accusat.* Tale hîc est crimen simoniæ, in qvo etiam ea admittitur, qvæ palam qvæstum facit.

Oblatum sponte, vel datum gratia redimendæ molestiæ super jure qvæsito indebitè illatæ non inducit simoniam. h. d.

c. 18. etsi qvæstiones. h. t. & cap. tua nos. §. si verò. ext. eod. tit.

§. 14. Sciendum tamen est, non datione qvalibet, aut receptione simoniam contrahi: nam si qvid sponte, purè[d], sine pacto, & conventione, & taxatione qvalibet fuerit gratis oblatum, id sine scrupulo simoniacæ pravitatis recipi poterit. Idem obtinet ex contrario, si qvid non sponte qvis dederit, sed ut indebitè illatam molestationem super qvæsito jure redimat, dare coactus fuerit.

c. dilectis 1. h. t.

Sciendum tamen est] Id qvidem certum est, non omnem datione esse Simoniacam; sæpè tamen in Simoniam degenerare solet, qvod ita permittitur; & ex levibus utplurimùm atq; exiguis initiis enormia propullulare consvevérunt crimina. Qvamàn rem faciunt verba Petri Svavis in *histor. Concil. Trid. libr. 6.* qvæ hîc integra adscribo: *In Christianæ religionis*, inqvit, *cunabulis abundante charitate, populus, qvi à Christi ministris spiritualia accipiebat, non modo juxta Dei præceptum à D. Paulo explicatum paria faciebat, qvæ ad victum necessaria essent, suppeditando, sed adeò copiosè ministrando, ut ad pauperes sublevandos etiam superesset: sic tamen, ut nullius subiret mentem ea cogitatio, temporale qvod dabatur pretium esse doni spiritualis. Sed postqvam temporale, qvod in communi asservabatur &*

possi-

possidebatur, captum est dividi, & reditus certus, appellatione beneficii, titulis applicari, cum hucusq; distincta non esset ordinatio à collatione tituli, ac proinde beneficii titulo annexi, sed unà darentur & acciperentur, tunc primum visum est ordinatoribus, propter emolumenta, quæ ordinatis inde proveniunt, præter spirituale, etiam temporale aliquid dari, cujus intuitu in remunerationem temporale quiddam sumi possit. Cui vero propositum erat beneficium impetrare, is sese ad voluntatem dantis accommodare necesse habebat. Inde secuta negociatio aperta, quæ in orientali Ecclesia ne multis quidem canonibus ac censuris emendari unquam potuit, utcunq; præpotens DEI manus, emolumentorum magnâ parte Saracenorum flagello sublata, eam valdè imminuerit. In occidentali item, bonis licet frementibus, eadem alibi magis, alibi minus obtinuit ad usque annum salutis millesimum, quo tempore facta inter ordinationem & collationem beneficii distinctione, ordinatio cœpit gratuito concedi, sed in collatione precium exigi manifestius. Ex eo semper crevit abusus, variis impositis denominationibus, utpote annatarum, minutorum servitiorum, scripturæ, sigilli, & ejusmodi tegumentorum, quibus coopertus grassatur per Ecclesiam, exigua spe ejus aliquando tollendi, quoad Christus ipse aliâ vice nummulariorum mensas evertat, & flagello nundinatores istos è templo ejiciat. Verum ordinationi, quæ à collatione beneficii separata gratis administrabatur, non diuturnum fuit id gaudium. Episcopi enim spretâ ea tanquam abjecta & infructuosa, ad alteram solam, unde emolumentum percipiebant, erant attenti. Unde à veris Episcopis in solo temporali administrando occupatis relicta pedetentim ordinationum administratione, instituti Episcopi titulares, qui ministeria Episcoporum Ecclesiastica obirent. His quod reditus nullos possiderent, necessum erat è functionibus, quas obibant, sibi victum parare: iiq; vicissim, quos ad ordines admittebant, his aliquid conferre cogebantur, primum eleemosynæ nomine sive oblationis, dein honoritiore titulo donationis, ac denique cum debitum esset, omitteretur, impositio nomine mercedis, non quæ Episcopo ordinanti, sed famulis ejus aut tabellioni, aut aliis inter ordinandum ministrantibus cederet. &c.

recipi poterit] Exemplum dat Pontifex *c. etsi 18. X. h. t.* de eo, qui ordinatori vel consecratori suo offert electuarium, aut de vino, sive de aliis hujusmodi, quæ modici precii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare vel movere non debeant. Sed fragilis tamen est natura humana, & facilè corrumpi potest etiam exiguo dono animus hominis, ut donanti magis faveat, quam alii alicui æquè digno aut etiam digniori. Potest etiam ille qui donat, illud intendere, ut sibi benevolum reddat collatorem; ut ita ab utraq; parte animus periculo exponatur,

Quæ

Qvocirca satius erit, circa actum electionis aut ordinationis, omnibus in universum largitionibus abstinere. Tantum abest, ut concedi debeat Pontificiis hodiernis, nullam esse Simoniam, si qvis dederit pecuniam non tanqvam beneficii precium, sed tanqvam motivum ad conferendum.

super qvæsito jure] Tradunt Doctores, licitum esse circa beneficium aut aliud jus spirituale plenè qvæsitum & possessum vexationem redimere, aliud vero obtinere, qvando de jure adhuc qværendo agitur. De qvo tamen videri potest Augustinus Barbosa *in c. Matthæus 23. X. h.t.* Rem exactè ponderanti nec de jure qvidem qvæsito vexationis redemtio licita videri potest. Aut enim qvis canonicè ordinatus est, aut minus. Si illud, nec opus erit redemtione, nec, si facta hæc fuerit, suspicione carebit electio aut ordinatio, & ita semper vitium erit præsumtum. Si hoc, vitiosam suam ordinationem per largitiones magis contaminabit, & sic vix evitare poterit, qvo minus inter Simoniacos habeatur. Ut jam taceam, non de privatâ cujusqi re per contradictionem ejusmodi agi, sed imò de tali, de qvâ interest universæ Ecclesiæ, ut habeat Sacerdotem Simoniæ crimine purum.

Puniuntur prælati committentes vices suas sub annuo censu. h.d.

§. 15. Demum sciendum est, tam Lateranensi, qvàm Turonensi Concilio statuente Canonicæ districtioni prælatos eos subjacere, qvi vices suas [a], vel Ecclesias sub annuo censu concedunt: qvia dum sacerdotium sub hujusmodi mercede venale disponitur, ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur.

a *cap. 1. 2. & seq. extr. ne prælat. vic. suas. c. qvoniam. d. t.*

qvi vices suas] Hæc verba communiter explicantur de jurisdictione etiam fori externi, qvippe qvam & ipsam spiritualem faciunt, & Simoniæ vitio materiam aptam reddunt Canonistæ. Sed enim sub initium libri III. ostendi, talem jurisdictionem Ecclesiæ propriè non competere, sed esse eam partem potestatis politicæ, qvæ Ecclesiæ ab magistra-

gistratu civili impertitur. Hanc autem spiritualem esse nemo sanus dixerit.

vel Ecclesiæs] Sacerdotium alii alicui sub certo censu relinqvi neqvit. Potest tamen minister Ecclesiæ morbo, ætate, aut aliàs impeditus alii vices suas committere, & ut habeat, unde vivat, cum eo convenire de certâ parte redituum.

consideratio non habetur] Hæc in papatu admodum rarò habetur, & ipsimet maximè periclitantur Pontifices Romani. Hadrianum conqvestum memorat Petrus Svavis *lib. 1.* miseram esse Pontificum conditionem, ut qvibus rectè faciendi facultas desit, etiam cùm maximè velint, & in id operam ac diligentiam impendant. Et agnoscunt alii, tàm corruptis temporibus vix fieri posse, ut Pontifex ad æternam cum DEO tranqvillitatem & gloriam perveniat. Ipse Marcellus II. Pontifex, non video, dixit, qvomodo, qvi locum hunc altissimum tenet, salvari possit, ut refert Onuphr. Panvin. *in ejus vitâ.* Et exhinc Joh. Marius Belga Episcopus id ferè credit, tantùm triginta duos Pontifices beatos factos, reliqvos omnes à diabolo in rete ambitionis & divitiarum inductos, *lib. de schismat. & concil.*

Puniuntur aliqvid recipientes pro concedenda docendi licentia. h. d.

§. 16. Pro docendi [b] qvoq; licentia concedenda nullus cujuscunq; consvetudinis obtentu aliqvid exigere debet, & qvi secùs fecerit, ab Ecclesiastico beneficio fiet alienus: dignum enim videtur, ut in Ecclesia fructus sui laboris non habeat, qvi cupiditate animi, dum vendit docendi licentiam, Ecclesiasticum profectum nititur impedire.

[b] *cap. 1. 2. & per totum titul. extr. de magistr.*

Pro docendi qvoq; licentiâ] Primi Francicæ stirpis Cæsares multa Canonicorum collegia constituérunt, & simul passim locorum iis injunxérunt scholarum habendarum negocium. Ab illo instituto est, qvod hodieq; plerisq; Canonicorum claustris scholæ habendæ locus adjunctus sit, qvodq; uni Canonicorum etiamnum Scholastici appellatio

maneat. Vid. Conring *de antiq. Academ. differt. 3.* Magistri igitur illi loco salarii, beneficium habebant. Et in unaqvaq; Ecclesiâ cathedrali unus magister constitui jubetur *c. 1. X. de magistr.* ne scil. in otio suo & veterno turbentur reliqvi, si omnibus hæc cura committeretur. Voluérunt ergo Pontifices, ut, si qvis pro licentiâ docendi precium exigat vel promittat, exactum restituatur & promissum remittatur, & officio deniq; aut beneficio priventur *c. 1. 2. 3. X. de magistr.* verius tamen esse, inqvit Andr. Vallens. *ad istum tit. n. 2.* non tantùm licere pro labore in tradendis disciplinis suscepto accipere precium, verùm etiam extra simoniam esse pecuniam accipere pro licentiâ docendi dandâ; esse enim usum jurisdictionis non spiritualem, sed politicum. Sic igitur in faciem Pontifici contradicit Vallensis.

ecclesiasticum profectum] id enim docebatur juventus, ut Ecclesiæ aliqvando idonei essent. Et in ejusmodi scholis aliqvando vix alii, qvàm clericæ vitæ addicti auscultárunt. Hunc igitur proficiendi modum, qvi ex avaritiâ impedirent, & licentiam docendi non aliàs darent, nisi acceptâ pecuniâ, illos beneficio suo privari voluérunt Canones.

DE HÆRETICIS, ET SCHISMATICIS, ET APOSTATIS,

TITULUS IV.

Qvi sint hæretici, & qvi schismatici, & qvomodo differant. h. d.

c. hæretici 24. qv. 3. ex Aug. & ex Hier. c. inter hæresin. ib.

§. 1. Hæretici sunt, qvi vanæ gloriæ principatusq; sui causa falsas opiniones gignunt, vel seqvuntur. Schismatici sunt, qvi se ab unitate Ecclesiæ per inobedientiam separant. Licet autem inter hos à principio qvædam videatur esse diversitas, nullum tamen est schisma, qvod sibi aliqvam tandem hæresim non confingat, ut ab Ecclesia rectè recessisse videatur.

Hæret-

Hæretici ſunt] Definitionem hanc nemini melius convenire, qvàm papiſtis, oſtendit Vergerius *in ſcholiis ſup. lit. Papæ ad Senator. Regn. Polon.* Aliàs autem nimis anguſta videtur. Et oppidò difficile eſt, uti & Auguſtinus fatetur, definire, qvis ſit hæreticus. Reqviruntur verò inprimis hæc qvinq; 1. ut ſit membrum Eccleſiæ, 2. ut erret in fide, & qvidem 3. in ipſo ejus fundamento, 4. ut errori conjuncta ſit malitia & pertinacia nulli admonitioni ſuccumbens, 5. ut diſſenſiones & ſcandala in Eccleſia excitet, ejusq; unitatem ſcindat. Gerhard. *loc. de miniſter. Eccleſ. n. 371.* Add. Didac. Spino à Caceres *in ſpecul. teſtam. gloſſ. rubr. part. 12. n. 6. 7. 8. ſeqq.*

Schiſmatici ſunt] Schiſmatum nomine notantur animorum & voluntatum diſtractiones, qvibus Eccleſiæ corpus qvaſi violatur. Hæreſes autem ſunt opiniones atq; ſententiæ non à DEO revelatæ, ſed electæ ab hominibus adverſus veritatem orthodoxæ fidei, & ſacrum catholicæ pietatis canonem. *Rainold. prælect. 1. Hæretici*, inqvit Auguſtinus *de fid. & ſymb. c. 10. de DEO falſa ſentiendo ipſam fidem violant: Schismatici autem diſſenſionibus iniqvis à fraterna charitate diſſiliunt, qvamvis ea credant, qvæ credimus.* Add. *c. inter 24. qv. 3.* Hæreſis igitur & ſchiſma etſi in eo conveniant, qvod ex utroq; unitas & communio Eccleſiæ violetur, origine tamen inter ſe differunt. Hæreſis enim lædit regulam fidei, ipſaq; Chriſtianæ profeſſionis fundamenta evertit; Schiſma verò diſciplinam Eccleſiaſticam labefactare & Epiſcopalem autoritatem concutere nititur. Sed ea tamen eſt ſchiſmatis indoles, ut ſi inveteratum fuerit, in hæreſin deſinat. Et nullum ſchiſma non ſibi aliqvam confingit hæreſin, ut rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur. Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 4. c. 8. n. 3.*

receſſiſſe videatur] neqve qvisqvam ferè diſcedit à fidei ſinceritate, qvin, ſi aſſeclas inveniat, etiam ab Eccleſia veritatis columnâ ſeceſſionem faciat. Conf. Rainold. *d. l.* Ex mente Optati Milevitani *lib. 1. adv. Parmen.* hæ ferè ſunt ſchiſmatum cauſæ: Iracundia, livor, æmulatio, ambitio, avaritia &c.

Schiſmatici excommunicatione, depoſitione, bonorum confiſcatione, & à ſe geſtorum annullatione puniuntur. h. d.

§. 2. Utrumq;[c] verò crimen atrocisſimis pœnis Eccleſiaſtica diſciplina proſeqvitur: nam ſchiſmati-

[c] *cap. 1. & per totum tit. de ſchiſm. in 6.*

Digitized by Google

cos excommunicationis ſententiâ Canones inſectantur: & ſi nec ſic reſipuerint, ab omni miniſterio Eccleſiaſtico deponentur, adhibito etiam, ſi neceſſe fuerit, brachii ſecularis auxilio, ad illorum inſolentiam coërcendam, cum omnium etiam bonorum confiſcatione. Ordinationes qvoq; ab his factas, & dignitatum ſive beneficiorum concesſiones, alienationes rerum Eccleſiaſticarum, omni penitùs firmitate carere voluêrunt.

t. de Liguribus 23. qvæſt. 5.

atrociſſimis pœnis] Practica hæc eſt Pontificiorum vulgatiſſima, ut, qvisqvis non facit cum Romana Eccleſiâ, atrociſſimis ſuppliciis ſubjiciatur, & morte ſua animi ſenſa expiet. Cum tamen ante omnia hùc maximè annitendum ſit, ut in gremium Eccleſiæ reducantur, qvi diverſum ſtatuunt, & ex ſacris literis rectiùs informentur, placidè ſimul admoneantur, & nihil omittatur, qvod ad reſtitutionem facere poſſit. *Reſpicuatis*, inqvit Maximilianus II. Imperator in literis ad Lazar. à Schwendi, *gladio non vult dijudicari, neq; tractari:* nec enormius peccatum dari poteſt, ejusdem Maximiliani judicio, qvàm in conſcientias imperium exercere velle. Certe, ut credas, intellectus principaliter debet erudiri & induci. Utcunq; enim voluntas promptam & paratam ſe oſtenderit, niſi tamē intellectus ante perſvaſus fuerit, aut nulla aut hypocritica elicietur fides. At ſolis mandatis, nullâ accedente doctrinâ fidem exigere eſt velle imperare intellectui, qvi leges non audit. *Qvis enim mihi imponat neceſſitatem*, inqvit Lactantius *l. 5. c. 19. vel credendi qvod nolim, vel qvod velim, non credendi; nihil tàm voluntarium, qvàm religio, in qva ſi animus averſus, jam ſublata, jam nulla eſt*, &c. Et qvanqvam præceſſerit inſtitutio, ad credendum tamen id, qvod ita propoſitum eſt, per ſupplicia cogere non licet. Objectum enim, qvod proponitur ratihabendum, & paritio, i. e. ratihabitio cujuscunq; veritatis ſupernaturalis ſive theologicæ, non per naturam, in qvam ſolam magiſtratui imperium eſt, ſed per ſolam ſupernaturalem gratiam cognoſci & præſtari poteſt. Non poteſt igitur Magiſtratus pœnis propoſitis adigere ſubditos, ut aliter cre-

credant; poteſt tamen prohibere, ne ſententiam diverſam in vulgus proferant, & Eccleſiæ ſcandalum præbeant, additâ etiam pœnâ, ſi qvid adverſum commiſerint, *c. reſecanda 24. qv. 3. l. 1. C. de SS. Trin.* Eâdem ratione poteſt prohibere princeps, ne ſeditiosè aut turbulentè vel oppugnetur verum vel defendatur, cum actûs hi omnes ſint voluntatis opus & ab arbitrio humano pendeant, atqve ideò imperio ſubjaceant. Qvin poteſt Princeps etiam ultimum ſupplicium decernere, ſicubi fuerint hæretici, qvi ſeditiosè dogmata ſua ſpargant, aut blasphemè divino numini inſultent; non qvidem propter hæreſin, ſed propter blasphemiam aut excitatam ſeditionem. Carpz. *in pr. crim. p. 1. qv. 44. n. 41.* Extra hos caſus vix erit, ut capitis ſupplicium inferre liceat hæreticis. Imò verò, ut loqvitur Maximilianus II. Imp. *d. l.* ipſis rerum argumentis & eventu ipſo expertum eſt, ſuppliciorum crudelitate, ſectionibus & uſtionibus non poſſe hanc rem confici. Add. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 20. n. 50.*

Ordinationes qvoqve] imò firmitate ſuâ non carent, ſi modo aliqva DEO colligatur Eccleſia, & retineantur ſubſtantialia ac fundamentalia doctrinæ Chriſtianæ, ut maximè miniſterium non ſit ab omnibus erroribus liberum. Gerhard. *loc. de miniſter. Eccleſ. n. 155. ſeq.* Et ne qvidem olim pro irritis habebantur ordinationes ab Arianis factæ. Refert Luitprandus *l. 1. c. 8.* ordinatos à Formoſo Papâ ab Sergio depoſitos & iterum ordinatos fuiſſe. *Qvod qvam malè egerit*, inqvit, *pater ſanctiſſime, animadvertere poteris, qvoniam & hi, qvi à Juda Domini noſtri Jeſu Chriſti proditore ante proditionem ſalutem ſ. benedictionem apoſtolicam perceperunt, eâ poſt proditionem propriique corporis ſuſpenſionem minimè ſunt privati, niſi qvos improba fortè defœdarant flagitia. Benedictio ſiqvidem, qvæ miniſtris Chriſti impenditur, non per eum, qvi videtur, ſacerdotem infunditur nec, enim qvi rigat eſt aliqvid, &c.* Add. Chriſt. Juſtell. *Cod. can. Eccleſ. univerſ. p. 143.*

Hæretici, niſi hæreſin abjuraverint, omni Eccleſiaſtica prærogativa nudati, traduntur ſeculari curiæ puniendi. h. d.

§. 3. In hæreſi[d] autem deprehenſi, præter perpetui vinculum anathematis, ſi clerici ſint, vel religioſi, totius ordinis Eccleſiaſtici prærogativâ ſpoliandi erunt, & omni officio, & beneficio nudati, ſecularis

d *cap. ad abolendam. & cap. excommunicamus. §. 1. ext. eod. tit. de hæret.*

relinqventur arbitrio poteſtatis animadverſione debitâ puniendi, niſi continuò poſt deprehenſionem erroris ad fidei Catholicæ unitatem recurrere, & errorem ſuum publicè abjurare, & congruam ſatisfactionem exhibere conſenſerint. Laici verò, niſi (prout dictum eſt) abjuratâ hæreſi, & ſatisfactione exhibitâ, ad fidem redierint orthodoxam, ſecularis judicis arbitrio relinqventur, debitam pro qvalitate facinoris ultionem recepturi.

In hæreſi autem deprehenſi] Chriſtus non alium agendi eum hæreticis modum præſcripſit, qvàm ut ab illis caveamus *Matth. VII. 15.* ut â fermento ſeu falsâ doctrinâ ipſorum caveamus *Matth. XVI, 6. 12.* ut eos, qvi ſemel atqve iterum commoniti Eccleſiam non audiunt, pro Ethnicis & publicanis habeamus *Matth. XVIII, 17.* Non igitur debet hæreticorum qvà talium pœna ad capitale ſupplicium extendi, ſed ſpiritualibus potius armis confodi debent, & extirpatio eorum ſoli DEO, Domino vineæ, committenda eſt, præſertim cùm nec alius modus in primitivâ Eccleſiâ obſervatus fuerit.

ſpoliandi erunt] Degradatio ex mente Canoniſtarum ideò præcedere debet, ne in Clericum extendatur jurisdictio Magiſtratûs ſecularis.

arbitrio poteſtatis] Secularis autem judex cauſam de novo examinare debet. *Novell. 123. c. 21.* qvanqvam id communiter negent Canoniſtæ, qvibus Magiſtratûs civiles tantùm executores ſunt, & veluti miniſtri poteſtatis Eccleſiaſticæ.

publicè abjurare] Manifeſtum hæreticum publicè abjurare debere, non manifeſtum autem aut ſuſpectum tantùm, coram tribus aut qvatuor teſtibus, tenet Jacobus Menoch. *de arb. jud. qvæſt. caſ. 372.* Abjurationis talis exemplum extat in *c. Ego Berengarius 42. de conſecrat. diſt. 2.*

Digitized by Google

& congruam satisfactionem] tolerari poterit illa, si meriti absit opinio. Utiq; enim faciet tùm ad eluendum coram Ecclesiâ scandalum. Vid. qvæ dixi *lib. 2. tit. de pœnitent.*

Laici verò] Nullam hîc inter Clericos & Laicos facit autor differentiam aliam, qvàm qvod Clerici prius debeant officiis & dignitatibus exui, atq; omninò degradari, qvàm seculari judici tradantur.

Bona hæreticorum post latam sententiam confiscantur. h. d.

§. 4. Bona qvoqve[a] damnatorum propter hæresim ipso jure, & omni spe potiundæ hæreditatis filiis adempta, confiscata intelligentur: aut si Clerici fuerint, Ecclesiis, à qvibus stipendia receperunt, applicabuntur. Confiscationis tamen hujusmodi executio, vel bonorum occupatio, facienda non erit, ante qvàm super crimine sententia fuerit promulgata.

[a] *cap. cùm secundum. eod. tit. in 6.*

c. excommunicamus. §. damnati. h. t.

ipso jure] Hâc ratione dominium immediatè ad fiscum â tempore commissi delicti transit, & cum illo fructus omnes jure accessionis tanqvam malâ fide â delinqvente percepti. Vid. Franzk. *exerc. 14. qv. 7. num. 30. 31.*

filiis adempta] Jure civili non filii tantùm, sed etiâ deficientibus illis agnati orthodoxi admittebantur ad hæreticorum successiones. *l. 19. C. de hæret.* qvod tamen mutatum qvidam putant per rescriptum Friderici in *auth. Gazaros*, *C. eod.* Verum istud rescriptum dubiæ autoritatis esse dicit Antonius Matthæus *de criminib. tit. de pœn. c. 2. n. 6.* ubi simul jura hæc Pontificia sollicitat, eâ inprimis ratione, qvod confiscationes bonorum ad Pontificem nullatenus spectent, cùm Servator noster iis adeò se non immiscuerit, ut ne arbitri qvidem officio fungi & dividere inter fratres hereditatem voluerit.

si

Digitized by Google

si clerici fuerint] Confiscatio hæc intelligi debet de bonis Clerici patrimonialibus, non de bonis Ecclesiæ, cui inserviit ille. Tiber. Decian. *tract. crim. lib. 5. c. 44. n. 2.*

Ecclesiis] Non ubiq; hoc observatur; sed variè plerumq; distribuuntur bona, ita ut pars nonnunqvam cedat Ecclesiæ, pars inqvisitoribus, pars Episcopo. Atq; alibi id aliter usu venit. Vid. Sebast. Gvazzin. *de confiscat. bon. concluf. 21. n. 14. seqq.*

sententia fuerit promulgata] tùm demum scilicet licitum est apprehendere possessionem. Et hic illicò post sententiam latam poterit judex secularis etiam invito judice Ecclesiastico & cunctante bona condemnati publicare, eò qvod jam ante ipso jure confiscata intelligantur. Tib. Decian. *d. l. n. 9.*

Ob hæresim maritorum dotes uxorum non sunt confiscandæ, nisi scienter contraxerint matrimonium cum hæretico. h. d.

§. 5. Sed & cùm alteri per alterum iniqva conditio inferri non debeat, propter hæresim maritorum, uxorum Catholicarum dotes [b] confiscari non debent, nisi fortè cum viris matrimonia contraxerint, qvos hæreticos esse sciebant.

b *cap. decrevit. de hær. in 6.*

Uxorum catholicarum] Catholici titulum sibi soli tribui vult Ecclesia Romana, & ab reliqvis omnibus hâc notâ distingvi. Sed enim non alio respectu dicitur Ecclesia catholica, qvam propter fidem & consensum cum tota Ecclesia seu cœtu omnium verè credentium per totum terrarum orbem diffuso. Jam certum est, in qvamplurimis dogmatibus, qvæ Pontificii magno numero doctrinæ de invocatione, pœnitentiâ, Eucharistiâ, & præsertim de pontifice suo, superaddidérunt, nullum inveniri consensum reliqvarum Ecclesiarum, & hoc respectu neqve catholicismum iis tribui posse, sive is capiatur respectu temporum, sive respectu locorum. Imò verò, dum negant illos esse catholicos, qvi alia dogmata non admittunt, maximam Christianorum partem ingente injuriâ afficiunt, cùm plures longè

gè sint, qvi dogmata illa ignorent aut improbent, qvàm qvi profiteantur vel approbent.

dotes confiscari non debent] Manſit enim mulier dotis domina *l. 4. ff. de collat. bon. l. 3. §. 5. de minor. l. 16. ff. de religioſ. l. 20. ff. de jur. dot. l. 7. l. 17. l. 10. ff. eod. l. 24. §. 5. ff. ſol. matr.* & qvanqvam tale dominium in effectibus qvibusdam conſtante matrimonio qvieverit, plenè tamen illud reviviscit, ubi vel ſolutum fuerit matrimonium vel maritus ad inopiam redactus fuerit, vel bona ejus fisco applicentur. Add. *l. 2. C. ne ux. pro marit.*

qvos hæreticos eſſe ſciebant] Videtur enim tùm mores mariti approbaſſe. Qvemadmodum in ſimili ex nonnullorum ſententiâ perdit privilegium prælationis in concurſu mulier, qvæ ſciens Viro jam ante obærato nupſit. Carpzov. *l. conſt. 28. def. 84.*

Etiam poſt mortem bona hæreticorum confiſcantur. h. d.

§. 6. Poſt mortem [c] qvoq; ob ſceleris immanitatem hæreticos pœna proſeqvitur: ideoqve & ſi criminoſo vivente nihil fuerit ſuper bonorũ confiscatione declaratum, nihilo minùs ad eam etiam ipſo mortuo procedendum erit.

c *cap. accuſatus. §. pen. eod. tit. in 6. c. finali. 24. q. 2.*

Poſt mortem qvoqve] Qvanqvam mors delinqventis non aboleat confiscationem, qvæ aliàs crimini debetur; tamen cum ipſa confiscatio non ſatis videatur convenire hæreſi, qvæ in intellectu conſiſtit, multo minùs conveniens erit tùm, qvando intellectûs actiones in hac vita edere ampliùs neqvit delinqvens, & qvando jam in proprium hujus rei judicium, ad tribunal ſcilicet divinum, translatus eſt.

Hæretici non poſſunt tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Et tumulantes eos excommunicantur, nec antè abſolvuntur, qvàm propriis manibus exhumaverint. h. d.

§. 7. Eccleſiaſtica [d] qvoqve ſepultura usqveadeo carere debent, ut, ſiqvi eosdem credentes aut fautores

d *cap. 2. in pr. eod. tit. in 6.*

Digitized by Google

si clerici fuerint] Confiscatio hæc intelligi debet de bonis Clerici patrimonialibus, non de bonis Ecclesiæ, cui inserviit ille. Tiber. Decian. *tract. crim. lib. 5. c. 44. n. 2.*

Ecclesiis] Non ubiq; hoc observatur; sed variè plerumq; distribuuntur bona, ita ut pars nonnunqvam cedat Ecclesiæ, pars inqvisitoribus, pars Episcopo. Atq; alibi id aliter usu venit. Vid. Sebast. Gvazzin. *de confiscat. bon. conclus. 21. n. 14. seqq.*

sententia fuerit promulgata] tùm demum scilicet licitum est apprehendere possessionem. Et hic illicò post sententiam latam poterit judex secularis etiam invito judice Ecclesiastico & cunctante bona condemnati publicare, eò qvod jam ante ipso jure confiscata intelligantur. Tib. Decian. *d. l. n. 9.*

Ob hæresim maritorum dotes uxorum non sunt confiscandæ, nisi scienter contraxerint matrimonium cum hæretico. h. d.

§. 5. Sed & cùm alteri per alterum iniqva conditio inferri non debeat, propter hæresim maritorum, uxorum Catholicarum dotes [b] confiscari non debent, nisi fortè cum viris matrimonia contraxerint, qvos hæreticos esse sciebant.

b *cap. decrevit. de hær. in 6.*

Uxorum catholicarum] Catholici titulum sibi soli tribui vult Ecclesia Romana, & ab reliqvis omnibus hâc notâ distingvi. Sed enim non alio respectu dicitur Ecclesia catholica, qvam propter fidem & consensum cum tota Ecclesia seu cœtu omnium verè credentium per totum terrarum orbem diffuso. Jam certum est, in qvamplurimis dogmatibus, qvæ Pontificii magno numero doctrinæ de invocatione, pœnitentiâ, Eucharistiâ, & præsertim de pontifice suo, superaddidérunt, nullum inveniri consensum reliqvarum Ecclesiarum, & hoc respectu neqve catholicismum iis tribui posse, sive is capiatur respectu temporum, sive respectu locorum. Imò verò, dum negant illos esse catholicos, qvi alia dogmata non admittunt, maximam Christianorum partem ingente injuriâ afficiunt, cùm plures longè

Digitized by Google

gè sint, qvi dogmata illa ignorent aut improbent, qvàm qvi profiteantur vel approbent.

dotes confiscari non debent] Manſit enim mulier dotis domina *l. 4. ff. de collat. bon. l. 3. §. 5. de minor. l. 16. ff. de religioſ. l. 20. ff. de jur. dot. l. 7. l. 17. l. 10. ff. eod. l. 24. §. 5. ff. ſol. matr.* & qvanqvam tale dominium in effectibus qvibusdam conſtante matrimonio qvieverit, plenè tamen illud reviviscit, ubi vel ſolutum fuerit matrimonium vel maritus ad inopiam redactus fuerit, vel bona ejus fisco applicentur. Add. *l. 2. C. ne ux. pro marit.*

qvos hæreticos eſſe ſciebant] Videtur enim tùm mores mariti approbaſſe. Qvemadmodum in ſimili ex nonnullorum ſententiâ perdit privilegium prælationis in concurſu mulier, qvæ ſciens Viro jam ante obærato nupſit. Carpzov. *1. conſt. 28. def. 84.*

Etiam poſt mortem bona hæreticorum confiſcantur. h. d.

§. 6. Poſt mortem [c] qvoq; ob ſceleris immanitatem hæreticos pœna proſeqvitur: ideoqve & ſi criminoſo vivente nihil fuerit ſuper bonorũ confiscatione declaratum, nihilo minùs ad eam etiam ipſo mortuo procedendum erit.

c *cap. accuſatus. §. pen. eod. tit. in 6. c. finali. 24. q. 2.*

Poſt mortem qvoqve] Qvanqvam mors delinqventis non aboleat confiscationem, qvæ aliàs crimini debetur; tamen cum ipſa confiscatio non ſatis videatur convenire hæreſi, qvæ in intellectu conſiſtit, multo minùs conveniens erit tùm, qvando intellectûs actiones in hac vita edere ampliùs neqvit delinqvens, & qvando jam ſin proprium hujus rei judicium, ad tribunal ſcilicet divinum, translatus eſt.

Hæretici non poſſunt tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Et tumulantes eos excommunicantur, nec antè abſolvuntur, qvàm propriis manibus exhumaverint. h. d.

§. 7. Eccleſiaſtica [d] qvoqve ſepultura usqveadeo carere debent, ut, ſiqvi eosdem credentes aut fautores

d *cap. 2. in pr. eod. tit. in 6.*

eorum ſcienter Eccleſiaſticæ ſepultur
fuerint, excommunicationis ſenten
debeant, nec antea abſolutionis me
cium, qvàm propriis manibus hujusmod
extumulent & projiciant: locus autem ille
carebit ſepulturâ.

Eccleſiaſtica qvoq; ſepultura] Dixi aliqva ad
non tamen.

credentes] Credentes hæreticorum dicuntur, qv
roribus contra fidem aſſentiuntur, & implicitè credunt, qvod
credunt. Fautores verò eorum dicuntur, qvi illis opem præſtant
cis miniſtris comprehendantur, aut comprehenſi puniantur
modo illis favent in hæreſi tuendâ aut docendà, celando ſcilicet,
do &c: Auguſtin. Barboſ. *ad c. 13. X. de hæret. n. 20. 23.*

qvàm propriis manibus] Solus tamen id
ficiet, nec levabit cadaver ſuâ unius manu. Sufficiet ergo, ſi manum
admoverit.

extumulent] Hoc tùm demum admittit gloſſa, ſi oſſa
poſſunt ab oſſibus aliorum diſcerni.

& projiciant] Durum hoc eſt & dirum nimis atq.
uti omnia, qvæ in causâ hæreſeos conſtituit jus Pontificium. Multo
tur humanitati, qvæ non debentur homini; nec defraudandus eſt
inde ortum habet. Maximè autem faciunt hæ conſtitutiones ad ex
id, qvod à Stephano VI. & Sergio III. Pontificibus adverſus Formo
commiſſum eſt. Vid. Luitprand. *l. 1. c. 8.*

carebit ſepulturâ] qvaſi verò hæreticâ pravitate, qvæ
qve intellectum tantùm hominis occupat, contaminari poſſet re
tuendum ſit, ne aliud cadaver ibi reponendum inficiatur? Eccur
ædes & habitationes hæreticorum diruuntur, ne futuri inhabi
neno hæreſeos corripiantur?

Descendentes ab hæretico usque ad secundum gradum, ab hæretica usque ad primum non possunt habere beneficium Ecclesiasticum, nisi pater aut mater decesserint emendati. h. d.

§. 8. Sed[c] & eorundem filii ad beneficia Ecclesiastica, seu publica officia admittendi non erunt: qvod qvidem per paternam lineam usqve ad secundum gradum, per maternam verò usqve ad primum tantùm extenditur. Cùm enim secundum legitimas sanctiones reis læsæ majestatis capite punitis, & bonis confiscatis eorum filiis vita solummodò ex misericordia conservetur, qvantò magis, qvi aberrantes in fide Deum offendunt, muneribus, bonis honoribus debent spoliari? cùm longè sit gravius, æternam, qvàm temporalem lædere Majestatem. Hoc[a] tamen intelligendum est de filiis & posteris eorum, qvi tales esse, vel etiam decessisse probantur: non autem illorum, qvos emendatos & Ecclesiæ unitati reincorporatos esse constiterit.

c *cap. statutũ. eod. tit. in 6.*

c. *vergentis. vers. cum enim. h. t.*

a *d. cap. statutum. §. hoc.*

Sed & eorundẽ filii] Durum & hoc est, qvod in filiis puniatur iniqvitas parentum, si qvidem ipsi innocentes fuerint & â crimine liberi.

per maternam verò] Sed qvid est, qvod mitiget pœnam in descendentibus ex lineâ maternâ? nisi fortè dicamus, hæresin infirmiores agere radices in fœminis, qvàm in masculis, & hinc minus metuendam ejus progerminationem in posteris. Sed enim ad innocentes etiam liberos & hæreseos crimine non infectos hanc pœnam porrigit jus Canonicum.

vita solummodo ex misericordiâ conservetur]

Abstinere potuisset autor exemplo isto, quod plerique [illegible] JCti. Constitutio enim Imperatorum in *l. 5. Cod. a. t.* [illegible] innuit autor, semper credita fuit esse inhumana, sanguinaria [illegible] qva contra naturalem rationem, contra juris etiam divini & [illegible] sitionem. Andr. Knichen *de Sax. non prov. jur. verb. DUCHAM* [illegible] qvanqvam sint, qvi eam non omninò iniqvam esse contendant: [illegible] men satis diluuntur ea, qvæ ex adverso disputat Hugo Grotius *de jur. pac. l. 2 c. 21. n. 13.* Tantum abest, ut probari ea debeat ab divini & [illegible] juris interprete.

cum longè sit gravius] Et tamen gravius punitur [illegible] sæ majestatis humanæ, qvàm divinæ. Anton. Gomez *tom. 3. resol. c. 2. n.* [illegible]

qvos emendatos] Sive condemnati ante emendationem [illegible] sive sponte ante condemnationem ad Ecclesiam redierint, imò etiam [illegible] actam pœnitentiam obierint & saltem parati fuerint ad eam recipien[illegible] Augustin. Barbos. *ad c. 15. de hæret. in 6.* Qvod ultimum tamen ad ab[illegible] nem ab crimine hæreseos sufficere neqvit, qvia scilicet nondum pœ[illegible] tantùm paratus est pœnitere. Et qvanqvam pœnitentiæ vocabulum [illegible] factione & pœnâ impositâ accipiatur, adjunctam tamen ea tùm habe[illegible] nionem meriti, per qvam ipsa contritio miserè corrumpitur.

Qvi receperunt pœnitentiam Ecclesiæ, vel recipere sunt parati, sunt non corporandi: post abjurationem verò relapsi non sunt amplius reincorporandi, sed traduntur Curiæ seculari: eis tamen non negatur Sacramentum pœnitentiæ. h. d.

§. 9. Sed videamus, qvi, & qvando incorporari debeant: & constat eos, qvi pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam acceptaverint, eamq. vel perfecerint, vel humiliter prosecutioni ejus insistant, recipiendos esse. Idem juris est, si pœnitentia nec peracta sit, nec imposita, dum tamen crimine obnoxii ad eam recipiendam parati fuerint. Qui

si q

si qvi post [b] abjurationem erroris, vel postqvam se proprii Antistitis examinatione purgaverint, in abjuratam hæresim reincidisse deprehensi fuerint, seculari judicio sine ulla penitùs audientia relinqvendi erunt, licet si postmodum pœniteant, & pœnitentiæ signa in eis apparuerint manifesta, neqvaqvam sint relapsis humiliter petita Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ deneganda.

[b] *cap. super eo. eod. tit. in 6.*

pœnitentiam acceptaverint] Anteverti jam dicere, talem pœnitentiam in papatu infici opinione meriti. Absq; qvâ si esset, non contemni posset disciplina externa, qvæ summâ cum pietate observata fuit in Ecclesiâ antiqvâ. Vid. Chemnit. *in Exam. concil. Trid. part. 4. pag. 724.*

recipiendos esse] Recipiebantur olim utplurimum per manus impositionem, atq; sic eis post exomologesin pax dabatur. Vid. *can. 57. in cod. Eccles. African.*

post abjurationem] qvæ interdum scripto aut libello fiebat, in qva simul professionem fidei suæ exponebant. Christoph. Justell. *ad cod. can. Eccles. univers. p. 144.*

sine ullâ penitus audientiâ] Id nimium est, sine causæ cognitione reum pro convicto habere, cùm tamen multa sint, qvæ à crimine intentato possint excusare.

& Eucharistiæ deneganda] reincorporandi autem non sunt, uti habet rubrica hujus paragraphi. At hâc ratione seqvetur, sacramenta dari illis, qvi sunt extra corpus Ecclesiæ. Et qvidni verò incorporari debeant? cum, si veram & seriam pœnitentiam egerint, gratiæ divinæ restituantur & viva sint membra Ecclesiæ. De pœnitentiâ verò supervacuum erit hic denuò monere, eam sacramentum non esse.

Qvando qvis dicatur relapsus. h. d.

§. 10. Relapsi autem intelligendi sunt, non solùm ii, qvo-

qvorum ante abjurationem crimen [illegible] tum fuerit, verùm etiam [illegible] ii, qvi poſtqu[illegible] vel vehementer ſuſpecti ſemel hæreſim [illegible] abjuraverint, & poſtmodum in eandem [illegible] incidunt. Planè ſi ex modica & levi ſuſpicione [illegible] qvis abjuraverit, reincidens, qvanqvam ex [illegible] graviùs puniendus, non tamen debet in hæreſ[illegible] lapſorum pœna puniri.

c *cap. Accuſatus. in princ. eod. tit. in 6.*

vel vehementer ſuſpecti] Tales non poſſu[illegible] lapſi, cùm convicti non fuerint de prima hæreſi, ſed dicun[illegible] ris propter præſumptionem vehementem primæ hæreſeos, [illegible] eâdem hæreſi inveniuntur. Maſcard. *de probat. concluſ.* 805.

& levi ſuſpicione] Qvæ ſit ſuſpicio levis aut [illegible] arbitrio judicis relinqvendum eſt. Videndum autem, ne [illegible] excedat jus pontificium, qvod nudam ſuſpicionem licet [illegible] putet ad id, ut relapſus qvis dici & gravius puniri qveat, [illegible] demnationem reqvirantur probationes luce meridiana [illegible] huc integer tractatus de delictis generantibus ſuſpicionem [illegible] prolixè & operosè exponit Thomas Hurtado *in reſolut.* [illegible]

Qui abjuraverit in uno articulo, ſi poſt ſit hæreticus in [illegible] ipſus. hoc dicit.

d *d. cap. Accuſatus. §. 1. eod. tit. in 6.*

§. 11. Is verò [d], qvi in una hæreſis ſpecie, vel ſecta [illegible] miſit, aut in uno fidei articulo, ſeu Eccleſiæ [illegible] mento erravit, & poſtmodum hæreſim ſim[illegible] vel generaliter abjuravit, ſi deinde in alia[illegible] hæreſis ſpeciem, ſive ſectam, aut alio artic[illegible]

eramento committat, ut relapsus in hæresim, judicandus erit.

simpliciter vel generaliter] Si enim illum tantùm, qvem erravit, errorem abjuravit, non integram sectam aut hæresin, & postea in alium ejusdem sectæ errorem inciderit, non relapsus, sed lapsus tantùm dicetur. Mascard. *d. concl. §63. n. 5.*

Suspecti de hæresi, nisi se purgent, sunt excommunicandi, & excommunicati si in excommunicatione inseruerint, condemnantur tanqvam hæretici. hoc dicit.

§. 12. Qvi [a] verò inventi fuerint sola suspicione notabiles, ob eam qvantumvis vehementem de tam gravi crimine condemnandi non erunt, sed nisi juxta considerationem suspicionis, qvalitatemq; personæ propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio sese feriendos exponunt, & usq; ad satisfactionem ab omnibus evitabuntur, & si per annum in excommunicatione perstiterint, velut hæretici condemnabuntur.

[a] *cap. cum cõtumacia. eod. tit. in 6.*

c. excommunicavimus. §. qvi autem inventi. h. tit.

anathematis gladio] Excommunicatio in tali casu non habet locum, nisi præcesserit contumacia *c. cum contumacia 7. de hæret. in 6.* qvando se vel contumaciter emanet reus, vel parére subterfugit, & ab suspicione se non liberat. Est tamen observandum, non malè statui à qvibusdam, hæresim purè mentalem non esse excommunicatum, neq; Ecclesiam habere potestatem in actus interiores, si per se considerentur, sine ullâ relatione ad actus externos, per consequens, ut excommunicatio locum habere possit, requiri actum aliqvem exteriorem qvantumvis occultum. Greg. Sayr. *in clav. reg. lib. 3. c. 6. n. 15.*

Plura

Plura specialiter inducta sunt in causis haereticorum eos. hoc dicit.

b *d. c. accusatus in 6. & c. 1. Clem. h.t.*

§. 13. Plura[b] qvoq; ad hoc atrocissimum crimen dicendum specialiter & præter ordinarias juris regulas inducta sunt, tam circa judicium & processum instituendum, & testium depositiones, & carcerem custodiam, & immurationis pœnam: qvàm etiam contra fautores, receptatores & defensores eorum, ut clarè ex lectione sacrarum constitutionum patere potest.

specialiter & præter ordinarias juris regulas

Sed illa pleraq; γνωρίσματα sunt AntiChristi, & specimina tyrannidis pontificiæ. Inter proprietates enim AntiChristi recensetur sanguinis persecutio & trucidatio dissentientium. *Apoc. IX, 11. c. XIII, 15. c. XVI. c. XVIII, 24.* Qvæ profectò non ab aliis magis exercetur, qvàm Romanis. Eorum enim tot sangvinaria prostant edicta, tot cruentantur persecutiones, ut non sit absr ratione dictum à Paulo IV. teste Panvinio, inqvisitionis officio uno apostolicæ sedis autoritatem tueatur ejusdem Pauli IV. imperiosa bulla, tùm & ejus successorum similes aliæ *lib. VII. Decretal. tit. de haret.* qvibus infrunitâ qvàdam audacia in Ecclesiasticas tantùm personas, sed ipsos etiam Principes seculares, Barones, Marchiones, Duces, Reges, Imperatorem denique ipsum resin inciderint, pro lubitu statuunt, regnis & imperiis exuunt, & aliis tradunt, & suam strenuè ostentant tyrannidem. Qvibus omnibus aliud jam reponimus, qvàm dictum Apostoli: *Servum domini non oportet litigare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, sustinentem cum lenitate erudientem eos, qui contrario sunt animo affecti, si forte DEUS detur illis resipiscentiam ad agnitionem veritatis.* Cæterum de singularia, qvæ præter ordinarias juris regulas inducta sint, ex constitutionibus pontificiis discere licet, & ex praxi hujus & ejus regni colligi eâ de re inprimis poterit Ernesti Eremundi Historia Belgica tuum. Singulare inprimis hoc est, qvod acculator numero

tur, *c. in omni negocio X. de teſtib.* item, qvod hæreticus poſt latam ſententiam non liberetur à pœna, ſi vel maximè ab errore diſcedat *c. ad abolendum X. de hæret.* cum tamen is, qvi ad fidem revertitur, hæreticus eſſe deſinat. Ita & refert Dominicus Bannes *ſup. 2. 2. qv. 11. art. 2.* inqviſitores hæreticæ pravitatis procedere ex præſumptione, & teneri punire ut hæreticum eum, qvi ex dictis vel factis convincitur eſſe hæreticus, etiamſi non ſit revera hæreticus. Exemplum tale refert H. Corn. Agripp. *l. 2. epiſt. 38. 39. 40.* Singulare & hoc eſt, qvod in inqviſitione non fiat reo teſtium copia, ut contra illos excipiat aut eorum teſtimonium invalidet. Th. Hurtad. *tr. 4. append. 2. n. 966.* & qvod ætas non excuſet in crimine hæreſeos, & qvod criminoſus criminoſum accuſare poſſit. Didac. Spino à Caceres *in ſpec. teſt. gloſſ. rubr. part. 12. n. 25.* ubi in ſeqventibus adhuc alia recenſet ſingularia. Alii etiam hoc addunt, qvod ſufficiant teſtes ſingulares ad probandum aliqvem eſſe hæreticum, ut ſi unus de una, alius de alia hæreſi atteſtetur, eò qvod generalis inde concluſio probetur, aliqvem eſſe hæreticum. Sed id meritò rejicit Gregorius Sayrus *in clav. reg. lib. 12. c. 21. n. 16.*

fautores, receptatores] Fautores dicuntur Canoniſtis, qvi verbis favent & patrocinantur hæreticis, & qvi omittunt facere contra hæreticos id, qvod jure tenebantur facere. Receptatores, qvi recipiunt hæreticos & occultant eos, ne à judicibus capiantur. Defenſores, qvi opere, verbis, & potentiâ defendunt hæreticum, ne ob illud crimen caſtigetur. Hos omnes ipſo jure eſſe excommunicatos dicit Didacus Spino à Caceres *in ſpec. teſtam. gloſſ. rubr. part. 12. n. 24.* ubi *n. 23.* docet nec conſangvinitatem qvidem excuſare receptatorem.

Apoſtatæ qvi ſint, & qvotuplex apoſtaſia, & qva pœnâ puniantur apoſtatæ. h. d.

Et hæc eſt tertia pars principalis hujus Tituli.

§. 14. Apoſtatæ ſunt, qvi à ſtatu fidei, obedientiæ, vel religionis, qvam ſe tenere profeſſi ſunt, temerariè recedunt. Apoſtaſiæ [c] triplex eſt ſpecies: alia enim eſt perfidiæ, alia inobedientiæ, alia irregularitatis. Apoſtaſia perfidiæ eſt, cùm qvi à fide recedunt: utputà,

[c] *gloſſ. 1. cap. 1. extra de apoſtat.*

Digitized by Google

cùm Christiani effecti in Christi fide prævaricantur[d],& ad Judaicos,vel alios detestabiles ritus se convertunt. Apostasia inobedientiæ est[e] , cùm qvis præceptum superioris sui sponte transgreditur,sive patrum regulis,vel constitutionibus non obtemperat. Irregularitatis Apostasia est , cùm qvis ab ordine suo[f] , sive assumptæ religionis recedit. Apostatas autem sacri Canones tam inter infames[g] deputant , qvàm etiam excommunicationis & aliarum pœnarum vinculis innodandos esse præcipiunt.

d *can.non potest. 2.q.7.*

e *cap. 2. & c. illud.extra. de major. & obed.*

f *can.fin.dist. 50. & cap. 1.extra.de apostat.*

g *can.infames 6.q. 1.gloss. in cap. 1.de temp.ordin. in 6.*

c. *ut periculosa.ne Cler. vel Monachi. in 6.*

Apostatæ sunt] Propriè apostatæ sunt , qvi discedunt à vera fide,qvam professi sunt.

alia irregularitatis] Apostasin ordinis vocant ; sed eam planè ignorárunt veteres. Moralistæ tamen hodierni tàm operosi circa eam sunt,ut perlegisse illorum tractatûs & pigeat & pœniteat. Nos duplicem tantùm statuimus apostasiam , ita ut alia fidei qvæ creditur,alia obedientiæ respectu sic dicatur. Prior ex Ecclesia vel facit cœtum,qvi planè non est Ecclesia , vel hæreticum reddit , propter posteriorem autem impia dicitur Ecclesia.

Apostasia perfidiæ est] Hæc,uti dixi , vicisim duplex est ; alia enim fidem planè abnegat , qvando qvis à nominis & fidei Christianæ professione ad paganismum transit , alia fidem agnitam corrumpit , & tùm vel totaliter,qvando initiatorii Sacramenti atqve aliorum articulorum fundamentalium essentia destruitur,non nisi nomine Christianismi retento,vel partialiter , qvando salvâ manente initiatorii Sacramenti essentiâ puritas fidei & necessariorum ejus consectariorum vel addendo,vel detrahendo,vel invertendo violatur.

Apostasia inobedientiæ] Rectius dicitur aversio à DEO fidem in Christum & sanctificationem reqvirente. Estqve vel simplex

simplex vel conjuncta cum hæresi. Illa est, qvando fiducia deseritur, & vita ipsa à professione degenerat. Hæc oritur immediatè ex dogmatibus falsis verum cultum DEI, vel generalem dilectionem Ecclesiarum reliqvarum, vel statum Ecclesiæ violantibus.

præceptum superioris sui] Sic igitur Pontificii principaliter ex præceptis superiorum metiuntur inobedientiam, non ex præceptis divinis, qvorum tamen maxima semper debet esse cura.

sive assumptæ religionis] Differunt ex sententiâ Canonistarum apostasia ab ordine & ea qvæ fit â religione. Illa dicitur, cum qvis à perfectiore statu clericali, qvem in manu Episcopi, edito etiam continentiæ voto, assumpserat, ad statum conjugii vel Laicæ conversationis, dimisso suo habitu, propriâ temeritate se transfert. Apostasia â religione definitur ipsis criminosa & mortifera recessio â religiosi ordinis instituto, sine revertendi proposito. Unde si qvis revertendi animum retineat, vagaturus ad tempus, non apostatam eum dicunt, sed fugitivum.

tàm inter infames deputant] Pœna hæc civilis est, non Ecclesiastica, & exhinc dubitare licet, utrum Pontificibus, qvà talibus, istiusmodi pœnam statuere conveniat. Christiani autem veteres apostatas ita plectebant, ut è congregationibus suis expulsos hostium numero haberent. Qvorum in numero erant non tantùm, qvi ob id, qvod metu suppliciorum idolis sacrificassent, sacrificati, vel qvod thus incendissent, thurificati dicebantur, sed etiam, qvi per libellos idololatriæ subscribebant, qvos libellaticos vocabant. His non nisi exoratâ pace redire licitum erat. Ut autem reciperentur in Ecclesiam, solebant â martyribus & Confessoribus in carcere constitutis libellum extorqvere deprecatorium, per qvem in fidelium cœtum admitterentur. Vid. Crispin *in l. 3. C. de apostat.* Cæterùm duplex genus libellaticorum observat Gabriel Albaspinæus *l. 1. Obs. 21.* alterum eorum, qvi in carcere constituti pœnas, qvæ de Christianis sumebantur, qvoqvo modo effugere, qvàm subire malebant, & ut id conseqverentur, libello affirmabant, se neqve esse, neqve Christianos fuisse. Eorum alterum, qvi, ubi pecuniâ judicis animum tentari atq; commoveri posse sentiebant, mox Christianos se esse non dubitabant fateri, & ob hanc causam sibi non licere idolis sacrificare, rogare, ne vi neve tormentis ad id faciendum inducerentur, pecuniam, ut libel-

lum obtinerent,qvo ſeſe impoſterùm in libertatem vendicarent,libenter offerre,&c: Sed hæc obiter.

DE SORTILEGIS,MALEDICIS ET SACRILEGIS,

TITULUS V.

Inqviſitor hæreticæ pravitatis non poteſt procedere contra ſortilegos, niſi ſortilegium expreſsè contineat hæreſin. h. d.

c.accuſatus.§. ſane. de hæret.in 6.

§. 1. Sciendum eſt,hæreticæ peſtis Inqviſitores de divinationibus & ſortilegiis,niſi hæreſim ſaperent manifeſtè,ſeſe intromittere non debere, nec talia exercentes poſſe punire,ſed eos ſuis debere judicibus puniendos relinqvere,cùm negotium fidei,qvod ſummè privilegiatum eſſe convenit,per occupationes alias non debeat impediri.

hæreticæ peſtis inqviſitores] Inqviſitio Hispanica magis tortoribus,lictoribus & carnificibus, qvam Eccleſiæ Doctoribus convenit, & propterea plerisqve gentibus maximè execranda viſa fuit. Ab initio qvidemEpiſcopis & diœceſanis id muneris competebat,ut Eccleſias ſuas ab hæreſium labe cuſtodirent,& ſi qvis fortè infectus eſſet, de eo per audientiam inqvirerent. Sed primus Innocentius III. Papa delegatæ inqviſitionis officium inſtituit,ad Epiſcoporum ſcilicet nolentium aliis negociis præferre fidei negocia,ſupplendam negligentiam. Conſtituit enim ab initio Rainerium qvendam & Gvidonem ſuos Commiſſarios,ad capiendos eos, qvi Romanæ Eccleſiæ refugiebant magiſterium. Poſtea id officium in Galliis Dominico fuit commiſſum, cumqve haëtenus nullus certus ordo fuiſſet,cui propoſitum principaliter foret hæreticos profligare, Dominicus adverſus hos ordinem ſuum conſtituit,cui foret præcipua cura illos retundere & perdere. Acceſsérunt deinceps Fratres minores ab Franciſco familiam ducentes,qvibus ſimiliter à Pontifice data fuit provincia, ut in hæreticorum oppugnationem ubiqve locorum omni cogitatione curaqve incumberent. Vid. Jacob.

Digitized by Google

Jacob. Usserius *de Christianar. Eccles. success. & stat. c. 9.* Sic igitur institutum à Pontificibus, & multis privilegiis exornatum fuit peculiare, ut vocant, officium inqvisitionis, bonis omnibus, qvi religionis naturam & indolem perspexérunt, tremendum; & ut eò magis terror incuti posset, concessum fuit Inqvisitoribus tàm ad defensionem propriæ personæ & familiæ, qvàm ad hæreticos capiendos & continendos in officio, habere ministros armatos. Aug. Barbos. *de jur. Eccles. lib. 1. c. 39. §. 3. n. 27.* In qvibusdam territoriis soli de delictis fidem & religionem concernentibus cognoscunt, exclusо ordinario loci, cujus respectu illi privativè concessam habent jurisdictionem. Thom. Hurtad. *tr. 4. resol. 10. n. 98. seq.*

nisi hæresin saperent manifestè] Ita hæreticale sortilegiũ dicunt, si qvis invocet dæmones, aut etiam sine adoratione & exhibitione honoris eos consulat, item si qvis rebaptizet puerum &c: Hodiè autem longius progrediuntur Inqvisitores, & non ea tantùm sortilegia ad suum tribunal trahunt, qvæ manifestè hæresin sapiunt, sed etiam, qvæ tantùm suspicionem aliqvam præbent. Hinc enim admodum freqvens in foro pontificio est disputatio de delictis generantibus suspicionem in fide, qvam prolixè tradit Thomas Hurtado *toto tract. 5.*

intromittere non debere] nec tùm qvidem, ut cognoscant, an sortilegium sapiat hæresin manifestè. Tiber. Decian. *tr. crim. l. 5. cap. 23. num. 9.*

non debeat impediri] Interest enim Ecclesiæ Romanæ, ut vi & tyrannide papatus conservetur, qvi facilè concideret, si remissior foret inqvisitorum crudelitas.

Qvi sint sortilegi & qvòd ab Ecclesia sunt omninò ejiciendi. h. d.

§. 2. Sunt autem [a] sortilegi, qvi prætextu religionis per qvasdam sortes divinationis scientiam profitentur, aut qvarumcunq; scripturarũ inspectione factâ, futura promittunt. Ariolorum [b] igitur, aruspicum, incantatorum, & omnium sortilegorum artes, cùm

a *can. 1. 26. q. 1. Isidorus. c. unico. 25. qvæst. 1.*

b *ext. de sortileg. & 26. q. 1. 2. 3. 4. & 5.*

Digitized by Google

sint ex qvadam pestifera societate dæmonum atqve hominum qvasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitùs sunt ab Ecclesia eliminandæ, & superstitiosi artifices, nisi per pœnitentiam resipiscant, perpetuo anathemate feriendi: &, si Clerici sint, degradandi.

Sunt autem sortilegi] Si vocabulum hoc generaliter sumatur, omnes illi eo comprehenduntur, qvi aliqvid occultum inqvirunt, sive per protractionem punctorum, sive per considerationem figurarum, qvæ proveniunt ex plumbo liqvefacto in aqvâ projecto, sive ex qvibusdam schedulis scriptis vel non scriptis in occulto repositis, vel etiam ex festucis inæqvalibus propositis, qvis majorem vel minorē accipiat, vel taxillorum projectione, qvis plura puncta projiciat, vel etiam dū consideratur, qvid aperienti librum occurrat. Petr. Binsfeld *in l. 3. C. de malef. & mathem. qv. 3.* Greg. Sayr. *in clav. reg. lib. 4. c. 5. n. 14.*

qvarumcunqve scripturarum inspectione] Habebant olim tasellas seu folia aut paginas taleolasve ligneas, certis qvibusdam sententiis obscuris notatas, qvarum qvædam felicitatem, qvædam calamitatem prænunciabant, educebantur verò è sitella vel urnâ. Marcell. Donat. *ad Liv. lib. 21.* Seculis Christianis ad paginas Evangelicas & alias Scripturas S. magno abusu id translatum est *c. hi qvi. 26. qv. 2.* qvemadmodum scilicet, jam olim aperto Virgilii Codice, qvi primi visui occurrissent versus, in oraculi omen assumpti fuérunt. Unde sortes Virgilianæ dictæ, de qvibus Peucet. *de divinat. tit. de sortib. circa fin.*

Ariolorum igitur] Ariolum exponit glossa *in l. neme C. de malef. & mathem.* qvod sit ille, qvi aris vel altaribus & sacrificiis dæmonum deservit.

Aruspicum] qvi â victimis in arâ inspiciendis, ut futura prædicerent, dicebantur.

Incantatorum] Incantatores apud Italos dicuntur, qvi cum dæmo-

dæmone expreſſum habent commercium, eoqve auxiliante penè miracula edere poſſunt. Anton. di Torqvemada *in giardino di fiori curioſi p. 95.*

qvaſi pacta] Pactum cum dæmone initum vel expreſſum eſt vel tacitum. Et dignoſcitur tale 1. ſi effectus ſuperet naturæ vires, 2. ſi adhibeantur vitioſæ circumſtantiæ & ceremoniæ. Prolixè id exponit Thomas Hurtado *tr. 5. c. 4. reſolut. 10. 11. ſeq.*

infidelis & doloſæ amicitiæ] Verè infidelis ea eſt & doloſa, qvod norunt ii, qvi de ſagis ſententias ferre jubentur, qvàm dolosè cum his amicitiam contrahant dæmones.

ab Eccleſiâ eliminandæ] De ſortibus tamen disqviritur, an omninò illæ damnandæ & rejiciendæ ſint. Et celebre eſt dictum Auguſtini, qvod etiam primo loco *c. 26. q. 2.* juri Canonico inſeruit Gratianus: *Sors*, inqvit, *non eſt aliqvid mali, ſed res in humanâ dubietate divinam indicans voluntatem.* Et exhinc, ut ſortes admittantur, piè & religiosè eas vult tractari Thomas *in 2. 2. qv. 95. art. 8.* & ex eo Sixtus Senenſ. *bibl. l. 5. ann. 166.* Gregor. Sayr. *in clav. reg. lib. 4. c. 5. n. 19. 20.* obſervatis ſcilicet qvinqve his conditionibus. 1. ut rei propoſitæ diviſio vel conſultatio & prænotio â ſolo DEO ſortium directore expectetur. 2. ut non niſi compellente neceſsitate ſortes exqvirantur, 3. ut non niſi præmiſſis ad DEUM precibus tententur. 4. ne divinis oraculis ad ſortium inqviſitionem abutamur. 5. ne ſortibus utamur in electionibus Eccleſiaſticis. &c:

ſuperſtitioſi artifices] De ſuperſtitione & qvot modis ea committatur, vid. Petr. Binsfeld. *de confeſſ. malef. pag. 130. ſeq.*

perpetuo anathemate feriendi] Hæ qvidem pœnæ ſunt Eccleſiaſticæ. Civiles verò non minùs acerbæ ſunt, huic tamen delicto maximè convenientes. Vid. Carpzov. *pr. crim. part. 1. q. 48. ſeq.*

Si blaſphemus injunctam ſibi pœnitentiam peragere recuſet, & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arcebitur, & mortuus Eccleſiaſtica carebit ſepultura. h. d.

§. 3. Diverſa eſt pœna maledicorum [e]: nam ſi qvis in Deum vel aliqvem ſanctorum lingvam in blaſphemiam

[e] *cap. 2. extra de maledic.*

miam publicè relaxare ausus fuerit, pœnæ, juxta Gregorianæ constitutionis tenorem, subdendus erit: qvam si recipere, & pœnitentiam peragere recusaverit, & Ecclesiæ eidem interdicetur ingressus, & in obitu Ecclesiasticâ carebit sepulturâ.

vel aliqvem sanctorum] Commune hoc est Pontificiorum assertum, blasphemiam æqvè in sanctos ac in ipsum DEUM committi, qvod qvidem eo nititur principio, qvod sanctos religiosâ adoratione coli debere doceant. Sed enim blasphemiam illi dum punire & amoliri studeant, ipsimet DEUM atrociter offendunt & blasphemant, honorem scilicet soli DEO debitum aliis qvoqve attribuentes. Non negamus tamen, contumeliosa in sanctos verba non debere esse impunita, nec tamen puniri debere aliter, qvam pœnâ arbitrariâ. Vid. Carpzov. *pr. crim. p. 1. qv. 45. n. 71.* Nec igitur probare possumus, qvod statuit Gregorius Sayrus *in clav. reg. lib. 6. c. 13. n. 4.* blasphemiam in Deum & in sanctos non differre specie, sed solùm gravitate & levitate materiæ subjectæ, neqve Confessorem teneri inqvirere, an blasphemia in DEUM aut in sanctos conjecta fuerit, sed solùm in gravitatem qvoad materiam. Utiqve enim cultus, qvi DEO debetur, specie differt ab reverentiâ, qvæ debetur sanctis, specie igitur different peccata, qvæ cultum istum & reverentiam violant.

lingvam in blasphemiam] Non verbis tantùm, sed factis etiam blasphemiam committi, & hanc severiùs qvàm illam puniri debere, docet Johan. Bapt. Costa *de fact. scient. & ignor. inspect. 17.* e. g. si crucem, aut imagines sanctorum conspurcet, aut in terram projiciat. Sed nec tùm qvidem pœnam blasphemiæ ordinariam, sed extraordinariam & arbitrariam locum habere, verius est. Carpzov. *d. l. n. 96. 97.*

publicè relaxare] Ut id publicè factum præsupponatur, necesse non est, cùm etiam intra privatos parietes & in paucorum præsentiâ blasphemia committi qveat.

juxta Gregorianæ constitutionis] qvæ habetur *c. 2. X. de maled.* & vult, ut septem diebus dominicis, præ foribus Ecclesiæ in mani-

manifesto, dum aguntur missarum solennia, blasphemus existens, ultimo illorum die Dominico pallium & calceamenta non habeat: ligatus corrigiâ circa collum, septemqve præcedentibus sextis feriis in pane jejunet & aqvâ, Ecclesiam nullatenus ingressurus &c: qvæ omnia tamen externa tantùm sunt; DEUS autem magis interna respicit, contritionem, & cor hominis pœnitentis. Interim non nego, multum facere ad externam disciplinam stabiliendã, ad scandalum publicum avertendum, si ejusmodi exerceantur pœnitentiæ ritus publici, dum tamen omne hinc removeatur meritum. Nec malè igitur decretum est in Concilio Lateranensi, blasphemiæ reum absqve gravissimâ pœnitentiâ severi Confessoris arbitrio injunctâ absolvi non debere. Id verò, etsi tùm veteri disciplinæ Ecclesiasticæ, tùm constitutionibus Pontificiis maximè conformè sit, negant tamen hodierni Jesuitæ, decretum id usu esse receptum & hodiè obligare. Vid. Wilhelmus Wendrock *ad Ludov. Montalt. epist. 6. sect. 2. §. 2.* Idem non tantùm de Gregorianâ & Lateranensi, sed etiam de Julii III. & Pii V. constitutionibus tenet Gregorius Sayrus *in clav. reg. lib. 6. cap. 13. n. 18.* Qvo asserto num qvid constitutionibus pontificiis magis exitiosum esse qveat, meritò licet dubitare.

interdicetur ingressus] Jure civili blasphemi ultimis subjiciuntur suppliciis *Novell. 77.* Hodiè distingvitur, num immediatè in DEUM eructata fuerit blasphemia, an mediatè, ut illic pœna capitalis, hîc alia aliqva arbitraria decernenda sit. Vid. Coler. *decis. 172.* Herman. Lather. *de cens. lib. 2. c. 4.*

Sacrilegi variis pœnis puniuntur h. d.

§. 4. Similibus, interdumqve acrioribus urgentur pœnis, qvi in sacrilegii crimen incidunt, & Ecclesias incendere & violare minimè verentur: nam pro modo sceleris admissi facinorisq; perpetrati, nisi plenè satisfecerint, cum de satisfaciendo plenam securitatẽ exhibuerint, nunc pœnitentiæ beneficium sacrilego penitus denegatur, nunc anathemate vincîtur, *c. 2. de empto, incendiariis & c. c. conqvesti. de sententia excommun.*

nunc perpetuâ damnatus infamiâ carceri traditur, aut exilio perpetuæ deportationis,& depositionis animadversione coërcetur:aliqvando etiam pecuniriâ pœnâ mulctabitur.

c. attendendū 17. qv. 1. c. si quis contumax & c. seq. in fine ibid.

qvi in sacrilegii crimen] Nimis extendunt hoc crimen Canonistæ,uti dicemus infr. *ad §. Sacrilegium.*

ecclesias incendere] Ex ordinatione Carolinâ criminali & constitutione Electorali Saxonicâ dolosi incendiarii ignis & flammarum supplicio afficiuntur. Andr.Rauchbar. *p. 2. qv. 10.* Qvæ pœna multo magis locum habebit in eo,qvi templa & ædificia sacra combusserit.

& violare] qvod etiam in hostibus reprehenditur. Hostium enim castella,portus,urbes,villas,naves,fruges devastari, aliaqve his similia,qvibus illorum vires atterantur,nostræ confirmentur,leges ac jura belli permittunt; ea verò destruere,qvi nec propriis rebus emolumenti qvicqvam afferunt,nec hostibus detrimenti,ut sunt templa,porticus, statuæ aliaqve hujusmodi, rabiosi hominis est, ac planè furentis. Polyb. *lib. 5.*

nisi plenè satisfecerint] Ut maximè satisfecerint, non tamen omnem evitabunt pœnam. Et imò nec ordinariam qvidem effugiet pœnam incendiarius,licet damnum datum refarcire velit. Carpzov. *pr. crim. p. 1. qv. 38. n. 44.*

nunc pœnitentiæ beneficium] intelligit publicum pœnitentiæ exercitium in oculos incurrens,qvod â Sacerdote imponitur, aut etiam ipsam absolutionem , siqvidem formam pœnitentiæ constituunt Pontificii in istis verbis : *Ego te absolvo &c.* vid. qvæ dixi *l. 2. tit. 5.* Aliàs enim veræ pœnitentiæ beneficiū â DEO originem habet,nec in Ecclesiæ manibꝰ est, sed DEUS est, qvi convertit corda hominum. Confundit autem in seqventibus autor pœnas Ecclesiasticas & civiles, cum tamen civiles ad Ecclesiasticum forum non pertineant. Et in delictis mixti fori contingere solet,ut punitus à judice Ecclesiastico ob idem delictum gravius adhuc à judice Laico puniatur. Absolutus etiam in foro pœnitentiali, sive conscientiæ,potest propter idem delictum accusari in foro contentioso.

Gail.

Gail. l. 2. de pac. publ. c. 11. n. 25. 26. ubi tamen id n. 27. limitat, & excipit illum casum, si pœnitentia sacerdotalis sit publica, qvia tunc surrogetur pœnitentiæ litigiosæ. Sed enim limitatio illa ideò non videtur admitti debere, qvia Ecclesia nunqvam præjudicare, nec vim facere debet politiæ, & qvia forum civile planè est separatum ab foro Ecclesiastico. Cæterùm in foro Saxonico sacrilegi rotæ supplicio afficiuntur. Carpzov. *pr. crim. p. 2. qu. 89. n. 18.*

Consentientes sacrilegis, & sacerdotes ipsis pœnitentiam dantes, vel sepulturæ eorum intervenientes, vel ab eis eleëmosynas recipientes, pari pœnâ cum eis puniuntur. b. d.

§. 5. Nec solùm talibus pœnis illi plectendi erunt, qvi sacrilegium admiserint, sed etiam consentientes eis. Presbyteri qvoqve, vel Clerici, qvi in vita, vel morte sacrilegis pœnitentias dare, aut sepulturæ interesse, vel eorum eleëmosynas accipere ausi fuerint, sive rapinæ participes inventi fuerint, Ecclesiastico beneficio privati ordinis sui damnum irrecuperabiliter patientur. *d. c. 2. in fin.*

sed etiam consentientes eis] Qvi cooperantur, dubium non est, qvin iisdem pœnis affici debeant; sed qvi crimine jam perpetrato res sacras ablatas vendunt, aut alio modo occultant, aut etiam de iisdem participant, non prorsus iisdem pœnis puniendi sunt, qvibus puniuntur sacrilegi ipsi, sed aliis mitioribus & extraordinariis. Carpzov. *d. n. 56.*

pœnitentias dare] Videtur autor verbis his Eugenii III, qvæ extant *c. 2. X. de nupt.* intelligere aliqvam pœnitentiæ impositionem, aut etiam, uti supra dixi, sacerdotis absolutionem, & per hanc sacrilegorum pœnitentium receptionem in Ecclesiam. Qvam qvidem, si verè pœnitentes fuerint, iniqvum erit iis denegare, ut maximè solennia pœniten-

tiæ externa absolvere neqveant. Aliàs autem per phrasin istam *pœnitentias dare*, præsertim si de mortis articulo locutio fuerit, Gabriel Albaspinæus intelligit donum aliqvod singulare per benedictionem pœnitentiæ collatum & infusum, qvo, si qvis ægrotantibus spiritus aut mentis usus superesset, adjuti fuerint ad dolendum de peccatis suis & veniam à DEO facilius impetrandam. & si superstites essent, etiam ad exsorbendas difficultates & exhauriendos labores, qvos per diuturnitatem solennis pœnitentiæ devorare necessum fuerat; qvod si mortui fuissent illicò post talem pœnitentiæ benedictionem, profuisse istud donum ad id, ut eximerentur vinculo excommunicationis, non tamen per eam concessam fuisse absolutionem, aut jus communionis &c: *l. 2. Obs. 3.* Sed de tali dono obscura sunt omnia, qvæ adducit, & solis videntur niti conjecturis.

vel eorum eleemosynas] Inter conditiones eleemosynarum hæc est, ut fiant cum justitiâ, non ex alieno vel ex rapinâ. Atqve hinc sacrilegus, anteqvam ablata aut damna restituerit, de suo non censetur fecisse eleemosynas. Clericus igitur, qvi sciens eas accipit, consentire qvodammodo videtur, aut saltem blandiri sacrilegio perpetrato.

Sacrilegium committitur tam intuitu rerum, qvàm personarum. Et, qvaliter intuitu rerum. h. d.

d can. qvisqvis. §. sacrilegium. 17. q. 4.

§. 6. Sacrilegium autem admitti dicitur tàm ratione rerum, qvàm personarum. Rerum[d], ut cùm qvis sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro aufert. Sed & si non de sacro aliqvid ablatum fuerit, sed intra certos passus, qvi in circuitu Ecclesiæ sunt, adhuc sacrilegium committi dicitur.

c. sicut antiqvitus. can. definivit. ibid.

tàm ratione rerum] Sacrilegium propriè rerum tantùm est, & definitur furtum rei sacræ è loco sacro, vel religiosæ ex loco religioso. Sed Canonistæ, ut major esset securitas Clericorum, etiam ad personas id extendérunt,

derunt, ut criminis atrocitate ab offensione taliũ personarum eò magis abstinerent homines. imò etiam ad vestes, gloss. *in c. si quis suadente 17. q. 4.*

cum qvis sacrum de sacro] Hæc species sola jure civili sacrilegium constituit *l. 5. ff. ad L. Jul. peculat.* Et hæc sola etiam in foro Saxonico pœnâ rotæ ordinariâ punitur. Reliqvæ enim pœnâ furti coërcentur. Carpzov. *pr. crim. p. 2. qv. 89.* Lud. â Pegvera *decis. 24.*

vel sacrum de non sacro] Etiam in hâc specie de jure civili sacrilegium propriè dictum committi contendit Antonius Matthæus *de criminib. tit. de sacrileg. n. 3.* & ante eum Cujacius *l. 13. Obs. 19. in fin.* sed negant alii. Foro certè nostro pœnâ sacrilegii ordinariâ non coërcetur.

vel non sacrum de sacro] Etiam hoc casu non alia qvam furti pœna locum habet. Carpzov. *d. l. n. 76.* Et qvidem pleriqve Doctores hanc speciem sacrilegii nomine jure civili venisse negant. Affirmat tamen Petrus Gregorius *syntagm. jur. l. 33. c. 14. n. 8.*

sed intra certos passûs] triginta scilicet; id enim spacium Ecclesiæ reverentiâ defendi debere, dixit autor supra *lib. 2. tit. 20. §. nec ab atrio.* Fortè etiam ille sacrilegium committit, qvi ex domo Episcopi aliqvid suffuratur. Concessum enim est isti domui jus ἀσυλίας, perinde ut Ecclesiæ. Tàm amplè scilicet fimbrias suas dilatárunt personæ Ecclesiasticæ.

Ratione personarum committitur sacrilegium, cùm qvis Clericum percutit: vel cum Moniali rem habet. h. d.

§. 7. Personarum ratione sacrilegium perpetratur, cùm qvis in Clericum, vel Monachum violentas & impias manus [a] injicit: vel cùm personæ Deo dicatæ per coitum appetuntur: de qvibus infrà suo loco latiùs dicturi sumus.

a *can. si qvis contumax. §. sacrilegium. 17. q. 4.*

violentas & impias manus injicit] Injuriæ nomine id apud nos venit, & atrocioris qvidem. malè enim, qvod in rebus tantùm committitur crimen, ad personas extenditur. Solent verò Canonistæ etiam alias sacrilegii species sibi effingere. Ita statuit Cajetanus & cum eo

gitized by Google

JCti Dilligenſes *in compoſ. pac.* ſacrilegium committere eum eamqve, qvi vel qvæ monaſterium, cui ſe voto obſtrinxit, relinqvit, & ad vota matrimonialia tranſit, poſſeq; ſummo jure ab Epiſcopo, Abbate, vel ordinario repeti, ubicunq; in imperio fuerit. Tranſire enim ejusmodi perſonam per votum religionis in poteſtatem monaſterii, cui proceſſu judiciario perſeqvi eam jure licet. Conſentit Alexander ab Ales *part. 2. q. 170.* qvæ ſacrilegii ſpecies ſacris literis & naturæ religionis Chriſtianæ, imò praxi pontificiorum, qvi ſæpè ob bonum temporale, Cardinalium, Epiſcoporum, & monachorum vota laxant, & ad conjugium non impediendum ſolvunt, repugnat. Conf. Paludan. *in 4. ſentent. diſt. 38. q. 4. art. 4. concluſ. 10. & 11.* Richard. de Mediavilla *4. ſent. D. 38. art. 9. q. 1. p. 240.* Sed & Sacrilegium committi dicunt, qvando locus ſacer copulâ carnali dehoneſtatur, etiamſi id fiat à conjugibus. Gregorius Sayr. *in clav. reg. lib. 8. c. 5. n. 21.* ubi tamen coitum conjugalem in loco ſacro excuſatum habet, ſi fiat ad vitandam carnis incontinentiam à conjugibus ibi incluſis, non habet excuſatum, ſi fiat propter liberorum procreationem; finem ſcilicet matrimonii ſecundarium præfert primario.

DE FURTIS,

TITULUS VI.

Furti nomine omnis illicita uſurpatio continetur, & fures promoveri non poſſunt, imò promoti deponuntur, & ſi ſint incorrigibiles, debent excommunicari, & ſi occiſi fuerint in furto, non eſt pro eis orandum, niſi ante mortem ſint confeſſi. h. d.

c. penale. 14. qv. 5.

§. 1. Furti qvidem nomine omnis illicita uſurpatio alienæ rei concluditur: ſed nunc de iis tantùm agimus, qvæ ſpeciali nomine deſtituta generali furti appellatione continentur. Fures autem non ſolùm ſeculares leges, verùm etiam Canones acriter inſectantur: nam nec ad ſacros ordines promoveri, niſi ſecundum ea, qvæ ſuprà primo libro diximus, & pro-

promoti ab iisdem dejici, & si depositi incorrigibiles fuerint, excommmunicari, & demum potestati seculari tradi debent. Et si [b], dum furtum committitur, occîsi fuerint, pro eis minimè orandum erit: qvanqvam, si comprehensi, aut vulnerati confessi fuerint, communio eis non sit deneganda.

[b] *cap. 2. extr. eod. & c. 13. q. 2.*

omnis illicita usurpatio rei alienæ] *Sub furti appellatione*, inqvit Salmasius *de fœn. trapezit. p. 105. omnes fraudes, qvæ ad proximum circumscribendum adhibentur, & eum despoliandum pauperandumve qvocunqve modo vel vi vel clam, contineri puto. Verbi gratiâ, si qvid publicanus extra constitutum extorqvet, species furti est, & qvicqvid sit, qvo fraudetur proximus ac suo spolietur. Abigei, raptores, sepulchrorum violatores, parietum perfossores, debitorum inficiatores, depositi abnegatores & id genus omne fraudatores pro furibus ad octavum præceptum decalogi pertinent. &c:* Ita etiam de jure civili, si Creditor pignore, aut is, apud qvem res deposita est, eâ re utatur, aut is, qvi rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, qvàm cujus gratiâ ei data est, furtum committit. *§. 6. Inst. de obl. qvæ ex del. nasc.*

generali furti appellatione] Si rectè se habere debet adversativa, dicere debuisset, se agere velle de furto specialiter dicto. Præmisit enim, furti generali acceptione omnem illicitam usurpationem concludi.

acriter infectantur] Contra Canones igitur & jura statuunt noviores moralistæ, posse ei, qvi paratus est furari à paupere, persvaderi ut furetur à divite tali determinatè, qvi non esset rationabiliter invitus respectu svadentis, posito, qvod fur à furto pauperis aliter non posset absterreri, ap. Escobar *Tr. 5. exam. 5. n. 120.* Contra canones etiam docet Bauniu⁹ Jesuita *in Summ. p. 213. 214.* posse famulos occultè heris suis surripere, & ex bonis domini sibi clam corradere, ad compensandam operam suam, qvam majorem judicant salario, qvod recipiunt.

libro primo diximus] Videlicet sub *tit. 25. qvi promov. non poss. 5. de furt. &c:*

mini-

minimè orandum erit] Pontificii orationes pro defunctis ita interpretantur, ut ipsis dicantur satisfactiones pro peccatis mortuorum, & redemptiones animarum ex igne purgatorii. Non ergò ajunt esse orandum pro eo, qvi in flagranti delicto reperitur & occiditur, tanqvam pro obstinato & excommunicato. Sed enim in antiqvâ Ecclesiâ ignoratus fuit iste talium precum usus. Erant enim tùm orationes pro defunctis publicæ celebrationes, applicationes & obsignationes promissionum divinarum, de remissione peccatorum, reqvie & salute piè defunctorum, fuérunt institutiones & exhortationes viventium, fuérunt consolationes & confirmationes lugentium, & fuérunt declarationes piarum affectionum animi erga defunctos. Et istæ orationes non sunt ex Apostolicâ doctrinâ aut mandato divino, sed sunt primùm per humanam traditionem liberâ & variâ consvetudine introductæ, & tandem superstitiosâ observatione roboratæ, præsertim postqvam purgatorii figmentum accessisset. Vid. Chemnit. *in Exam. Concil. Trid. part 3. p. 536. seq.*

confessi fuerint] Presbytero vel Diacono *c. 2. X. de furt.* de qvâ re, & qvid Diaconus hîc possit, cum absolvere neqveat, multa est Doctorum sollicitudo. Aliqvi hæc verba restringunt ad ministrationem Sacramentorum Ecclesiasticorum, qvam permittunt, deficiente Sacerdote, Diacono, ue maximè absolvere neqveat. Joh. Bapt. Costa *de remed. subsid. c. 127. n. 31.* Alii per communionem hîc intelligunt, non communionem Eucharistiæ, sed communionem Ecclesiasticam, juxta qvam & oretur pro mortuis & offeratur sacrificium, adeoq; dicunt presbyterum & diaconum hîc nominari, non tanqvam absolutionem impendentes, & confessionem excipientes, sed tanqvam testes signorum pœnitentiæ, ob qvæ sola furi decedenti velit Ecclesia non negari communionem Ecclesiasticam. Augustin. Barbos. *ad d. c. 2. X. de furt. in fin.* Et qvanqvam subtiliter ista disputentur, simplicissimè tamen statuendum est, furi pœnitenti non negandam esse communionem Eucharistiæ, nedum Ecclesiasticam, & Eucharistiæ sacramentum administrari posse etiam à qvovis Diacono, de qvâ re plura diximus *lib. 2.*

Furtum committentes ob necessitatem mitiùs puniuntur, & pœnâ furum puniuntur partientes cum eis, & qvi furtorum sunt conscii. h. d.

§. 2. Sed hæc de illis intelligere nos oportet, qvi nullâ necessitate adacti furtum commiserunt. Cæterùm si qvis

si qvis propter necessitatem[c], cibaria, vestem, vel pecus furatus fuerit, longè mitiori pœnâ puniendus erit. Nec fures solùm suprà dictis pœnis tenentur, sed ij qvoqve[d], qvi aut cum furibus partiuntur, aut qvi furtorum conscii fures qværentibus possessoribus non indicant.

c *cap. si qvis. propter. extra. eod.*

c. discipulos. de conf. dist. 5.

d *cap. qvi cum fure. eod. tit. extra.*

longè mitiori pœnâ] Agnoscit ergò id Autor esse delictum, sed recentiores Moralistæ id non volunt. Disertè Lessius *lib. 2. c. 12. n. 12.* probabile esse, ait, non solùm in extremâ, sed etiam in gravi necessitate morbi, famis, nuditatis, posse te clanculùm surripere ab opulentis, si aliter grave illud malum avertere neqveas. Alii verò extremam reqvirunt necessitatem, ut talis surreptio excusari qveat. Gregor. Sayr. *in clav. reg. lib. 9. c. 14. n. 17. seq.* In eâdem sententiâ est Antonius Perez *God. de furt. n. 10.* & Hugo Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 2. n. 6.* Sed verius videtur, revera committi furtum, cùm nulla hâc in parte legis inveniatur dispensatio. Nec est, qvod fraude talem & lucri faciendi animo carere dicas. Non enim abesse potest dolus, ubi qvis invito Domino nec prævio Magistratûs decreto rem alterius contrectat, qvem sanè necessitatis prætextus purgare neqvit, cùm nulla tanta Viro bono vis inferri qveat, ut sciens turpitudine aliqvâ se contaminet, nec tàm prohibitum est lege mori fame, qvàm prohibitum est furari. Lucri autem probatio est in promptu, cùm ipsum illum cibum ab eo lucri fieri certũ sit. Vid. Anton. Matthæ. *de criminib. tit. de furt. c. 1. n. 7.* Tabor *in mœmat. criminal. pag. 112. seq. & 547. seq.* Intelligitur autem hîc non pœna civilis, sed Ecclesiastica, uti patet ex inscriptione *c. 3. X. h. t.* qvæ desumptum istud capitulum dicit ex pœnitentiali Theodori. Qvanqvam & in foro civili hoc casu mitior sit decernenda pœna. Vid. Carpzov. *p. 2. prax. crim. qv. 83. num. 50.*

sed ii qvoqve] Auxiliatores, qvi ad ipsum furtum cooperantur, pœnâ furti ordinariâ puniendi sunt, qvibus in foro Saxonico pares habentur ii, qvi aliis furtum committentibus in excubiis steterunt. Sed qvi post furtum commissum aliqvid cooperantur, veluti opem præbendo ad evadendum & fugam arripiendam, aut viam monstrando, ut ex manibus judicis persequentis fur aufugere possit vel occultando eum, ne deprehendatur, vel

Digitized by Google

etiam res furto ablatas occultando & vendendo, &c: pœnâ tantùm extraordinariâ pro judicis arbitrio puniendi sunt. Carpzov. *pr. crim. p. 2. qv. 87.*

DE USURIS,

TITULUS VII.

Usura qvid sit, & unde dicta, & habens possessionem in pignus, receptâ propriâ pecuniâ, si recusset fructus in sortem computare, usuras committit. h. d.

v. 14. qvæst. 3.

§. 1. Usura est, qvicqvid ultra sortem mutuatam percipitur: dicta ab usu, qvia scilicet pro usu pecuniæ recipitur. Unde [e] & si qvis pignoris obtentu rei alicujus nactus fuerit possessionem, si sortem suam deductis expensis de fructibus jam perceperit, si eandem debitori restituere recusset, & perceptos fructus in sortem computare, procul dubio usurarum committitur crimen.

e *cap. 1. 2. & cap. conqvestus. extrav. eod. tit.*

Usura est] Canonistæ usuras tàm absolutè damnant, ut etiam mentalem includant. Mentalem autem usuram dicunt, qvando qvis mutuat eo animo, & intentione ut lucrum ex mutuo accipiat, citra conventionem expressam vel tacitam. Qvæ tamen sententia ita deinceps temperata ab aliqvibus fuit, ut tùm demum mentalis intentio & spes lucri usurarium facere crederetur, qvando est principalis & primaria, non qvando minus principaliter & in qvandam consequentiam lucrum speratur. Augustin. Barbos. *in c. consuluit. 10. X. de usur.* Henr. Canis. *de usur. c. 1. n. 5.* Videntur autem Canonistæ usuras damnare odio ferè solius nominis, & si in causâ mutui excessivum qvid sine ullo justi velamine recipiatur. Usuræ enim vitium in contractu mutui propriè, non aliis contractibus, committi docent Fern. Vasqv. *lib. 6. controv. c. 60. n. 8.* Qvod si in cæteris qvoq; tale qvid excessivum accipiatur, degenerare illum ajunt in mutuum. H. Canis. *de usur. c. 1. n. 14. & c. 3. n. 2.* Gars. Mastrill. *decis. 106. n. 2. seq.* idqve mutuum interpretativum, palliatum & reductivum dicunt, P. Gregor. Tholos. *l. 1. de usur. c. 3 n. 1.*

Digitized by Google

n. 1. Læl. Zoch. *de uſur. c. 1. n. 3.* Sig. Scaecia *de commerc. §. 1. q. 7. p. 1. n. 25.* In ipſo contractu mutui prohibitas volunt uſuras tantùm lucratorias, non compenſatorias, ſed his tamen tàm prolixum largiuntur ambitum, ut nemo lucratorias ſe percipere uſuras, confiteri neceſſe habeat, omnes compenſatorias ſe ſtipulatos eſſe, tutò aſſeverare poſſint. Ita ſtatuit Paulus Laymannus *theol. moral. lib. 3. tr. 4. c. 16. n. 9.* probabile periculum damni, cui mutuator ſe exponit, ſi homini non induſtrio & pluribus debitis obſtricto mutuo det, æſtimari, & idcircò interveniente pacto aliqvid exigi poſſe, qvia qvivis prudens mallet decem florenos v. g. donare, qvàm centum tali homini credere aut mutuo dare, & eſſe hîc contractum innominatum ſuapte naturâ juſtum: *Subjiciam me periculo in tui gratiam, ſi dederis mihi decem florenos.* Ecce verò, qvis porrò tàm rudis erit inter uſurarios, qvi non aliqvod cauſari poſſet periculum? qvid non finget ſibi, patente hâc uſuras velandi ratione? Sed nec omnes adhærere jus canonicum uſuras, patet ex perceptione annuorum redituum omnibus Canoniſtis probatâ, qvam ut maximè emptionis & venditionis contractu interveniente licitam fieri contendant, iſtos tamen annuos reditûs in vicem uſurarum & fraudem legis primum inventos fuiſſe, eruditè tradit G. Franzkius *l. 1. reſolut. 1. n. 56.*

ultra ſortem mutuatam] Hodiernis Caſuiſtis non ſemper eſt uſura, qvod ultra ſortem mutuatam percipitur. Reperta enim eſt Stephano Baunio ratio pecuniæ non minus augendæ, qvam augetur fœnore. *Is*, inqvit, *â qvo mutuo petitur pecunia, ſic reſpondebit: Non eſt mihi pecunia, qvam mutuo dem, eſt tamen, qvam licitâ ratione collocem, ut ex eâ legitimum mihi redeat lucrum, qvamobrem ſi pecuniam eâ conditione velis accipere, ut ex eâ in commune negocieris, fortaſſe adduci poſſum, ut iſto pacto dem; veruntamen, qvia de lucro faciendo difficile convenitur, ſi tu mihi certum aliqvid aſſignare volueris, facilius inter nos contrahemus, ac tibi ſtatim pecuniam numerabo. Iſtâ viâ, niſi fallor, plerique ſeculares, qvi fœnoribus juſtam in ſe DEI indignationem inſtigant, cum ſalute animæ ſuæ pulchrè, honeſtè, licitè pecuniam qværere poſſunt.* Alii, inter qvos Eſcobarius, docent methodum dirigendæ intentionis, per qvam evitetur iſtud crimen. Ita enim docet ille *Tr. 3. exam. 5. n. 4. Intenditur, ut de uſurâ mentali ordiamur, lucrum ex mutuo, tanqvã debitum ex juſtitiâ, eſtne uſura? Im planè. At ſi tantùm ex benevolẽtiâ? neqvaqvã. Porrò ex mutuo lucrũ immediatè intẽdere nõ licet, nec principaliter, nec minùs principaliter; at verò lucrum intentum mediante benevolentiâ, non eſt uſura. Et num. 33. Non eſt uſura, niſi expectetur aliqvid ex vi mutui, & cum civili obligatione. Unde ſpectare per mutuum aliqvod donum ex gratitudine mutuatarii, non eſt uſuram mentalis;*

nec tale donum ex tali obligatione exigere, eſt uſura realis. Et huc pertinet peracuta methodus, qvæ fit per contractum Mohatra dictum.

pro uſu pecuniæ] Uſus pecuniæ conſiſtit in abuſu & conſumptione. Dici ergò neqvit, dari uſuram pro uſu pecuniæ, qvæ conſumpta periit utenti.

de fructibus jam perceperit] Pactum antichreſeos illicitum eſſe & uſurarium pleriqve volunt Canoniſtæ & per conſeqvens absqve peccato exerceri non poſſe; ſed fructûs perceptos cum iis qvi percipi potuérunt ex pignore, & damno in pignore dato, in extenuationem ſortis imputari oportere, & ſi qvid fortè his ſubductis ſupererit, reſtituendum eſſe debitori, ſalvis tamen & ipſi creditori expenſis in rem factis, & ſi qvid aliud ipſi aberit ratione intereſſe. Ut autem evitetur pactum ejusmodi uſurarium & nihilominus creditori qvoad perceptionem fructuum conſulatur, conſulit Dominic. Soto *de juſt. & jur. lib. 6. qv. 1. art. 2. inf.* ut Creditor rem, qvam alioqvi debitor pignori deſtinaverat, certo precio emat cum pacto retrovendendi, hâc enim ratione fructûs aliasqve obventiones luero emptoris cedere. Ita ſcilicet ſemper datur evadendi occaſio, ne in leges impingere dicamur.

& perceptos fructûs in ſortem computare] Non ſolùm percepti fructus, ſed etiam qvi culpâ Creditoris percepti non fuérunt, unà cum damno dato in ſortem imputari debent. *l. 2. al. 3. C. de pign. act.* Qværitur tamen, annon iniqva ſit particularis hæc ex annuâ fructuum perceptione ſolutio? Et reſpondet Caniſius *de uſur. c. 5. n. 25.* ſibi imputare debere creditorem, qvod cum nullo jure cogeretur ad mutuandum (imò verò cogitur ille jure naturæ, ut proximo ſubveniat) hanc ſibi neceſſitatem impoſuerit, ut ex fructibus rei pignoratæ velit ſortem ſuam colligere.

Pœna uſurariorum ſunt: Infamia, excommunicatio beneficiorum & officiorum & Eccleſiaſticæ ſepulturæ amiſſio. h. d.

§. 2. Multiplicibus autem pœnis ſacri Canones uſurarios inſeqvuntur: nã præter inuſtam infamiam, nec ad *(ſepultuam)* Chriſtianam, nec ad communionem[a] admittuntur

[a] *cap. qvia in. extra. eod.*

tur altaris, nec qvisqvam de manu eorum oblationes accipiet. Et si Clerici fuerint [b], tam officii, qvàm beneficii Ecclesiastici periculum patientur. Nullus qvoqve sub pœnis Gregorianâ [c] constitutione comprehensis, manifestis Usurariis aut locabit domus, aut conductas habere permittet: sed & si in hoc scelere decesserint, Ecclesiasticâ carebunt sepulturâ.

[b] *cap. praterea. eod. tit. extra.*

[c] *cap. 1. & seq. eod. tit. in 6.*

nam præter inustam infamiam] Etiam de jure civili infames fiunt improbi fœneratores *l. 20. C. ex qvib. caus. infam. irr.* ubi improbum fœnus vocatur, qvod est ultra modum præscriptum *l. 26. §. 1. C. de usur.* Istam tamen constitutionem extendit Bachovius ad jura recentiora, qvibus omnes omninò usuræ prohibentur, in Treutl. *vol. 2. disp. 3. th. 5. circa fin.*

nec ad Christianam] Communio Christiana consistit in unione Ecclesiæ tanqvam corporis cum Christo capite, & membrorum ejus inter se. Atqve idcircò avulsus veluti est & abscissus ab hoc corpore, qvi non communicat cum Christo aut cum reliqvis membris. Tales dicit autor esse usurarios, qvippe qvos excommunicari jubet *c. 7. X. h. t.*

oblationes accipiet] Oblationes dicuntur res illæ, qvæ instituitu religionis immediatè DEO ab hominibus absqve immolatione exhibentur, ut scilicet vel in usum Ecclesiæ vel in usum ministrorum cedant. Earum faciunt tres species; prima dicitur donatio rei inter vivos facta DEO & Ecclesiæ; secunda dicitur donatio causâ mortis, qvæ fit pro animæ redemptione; tertia dicitur usualis, & est illa, qvam faciunt fideles, dum offerunt ad altare, vel ad manum sacerdotis. Aug. Barbos. *de jur. Eccles. lib. 3. c. 23. n. 2. 3.* Apud veteres Christianos oblationes fiebant à communicantibus, nec à non communicantibus olim oblationes recipiebantur, & consistebant istæ oblationes in pane, vino, aliisq; similibus, qvæ esui erant, it. in pecuniâ aut aliâ re mobili. Vid. Dorsch. *ad diatypos. Concil. Nican. sect. 2. n. 21. 22.*

periculum patientur] non qvidem ipſo jure, ſed per ſententiam judicis. Caniſ. *de uſur. c. 8. n. 1.*

Gregorianâ conſtitutione] qvæ habetur in *c. 1. de uſur. in 6.* qvâ ipsâ non qvidem diſertè exilio puniebantur uſurarii, ſed per indirectum tamen cedere loco cogebantur, perinde ut illi, qvibus aqvâ & igni olim interdicebatur.

manifeſtis uſurariis] Manifeſtos uſurarios dicunt, qvi vel fœnus palam exercent, vel id in judicio confeſsi ſunt, vel de eo condemnati ſunt ſententiâ judicis. Caniſ. *de uſur. c. 7. n. 3.* Jul. Clar. *ſentent. lib. 5. §. Uſura. n. 15.* Qvod verò putant aliqvi, ad probandum uſurarium manifeſtum ſufficere teſtes ſingulares, id rectè negat & refutat Gregorius Sayrus *in clav. reg. lib. 12. c. 21. n. 17.*

eccleſiaſticâ carebunt ſepulturâ] qvia ſcilicet per excommunicationem, qvâ notantur, privantur omni Eccleſiæ commercio, usqve dum pœnitentiam egerint. Et huc facit mandatum ſereniſs. Elect. Saxon. *de anno 1625.* ibi: daß ſie nach ihrem Tode mit Chriſtlichen und gebräuchlichen ceremonien nicht beſtattet werden.

Licet qvis de uſuris ſatisfieri mandet per hæredem, non tamen eſt tradendus Eccleſiaſticæ ſepulturæ, donec fuerit ſatisfactum, & contrà faciens incurrit pœnas eorundem, & teſtamenta uſurariorum non valent. h. d.

d *cap. 2. eod. tit. in 6.*

§. 3. Et id adeò obtinet, ut d etiam ſi morituri in ultima voluntate de uſuris ſatisfieri expreſsâ qvantitate, vel indiſtinctè mandaverint, donec ſecundum Gregorianæ conſtitutionis tenorem ſatisfactum fuerit, Eccleſiaſticâ ſepulturâ carêre debeant. Qvicunqve verò manifeſtos Uſurarios contra prædictæ ſanctionis formam tumulare auſi fuerint, pœnæ Lateranenſis

sis concilii contra usurarios promulgatæ subjiciendi erunt. Testamenta [c] qvoq; ab eisdem facta, aliter qvàm secundum dictæ Constitutionis formam non valebunt, sed ipso Jure erunt irrita.

[c] *d. cap. 2. in fin.*

satisfactum fuerit] aut saltem de restitutione facienda fuerit cautum *c. 2. de usur. in 6.*

pœnæ Lateranensis concilii] qvæ est, ut, qvi tales usurarios sepelire ausi fuerint, ab officii sui maneant executione suspensi, donec ad arbitrium Episcopi satisfaciant. *c. 3. X. de usur.* Noviori jure etiam ipso facto sunt excommunicati *c. 1. de sepultur. in Clementin.*

sed ipso jure erunt irrita] Qvod extendunt etiam ad donationes, qvæ fiunt causâ mortis, Joh. Dilect. *de art. testand. cautel. 7. n. 2.* uti & ad codicillos. Canis. *de usur. cap. 8. n. 7.* Ei autem, qvi ab usurario manifesto heres est institutus nullâ præstitâ cautione, consulit Joh. Dilectus *d. l. n. 4.* ut transigat ratione usurarum cum summo Pontifice aut Episcopo loci, & sic hereditatem impetret, qvod tamen meræ videtur esse gratiæ.

Non debemus facere malum, ut postea faciamus bonum, & si non sint, qvibus restitui possint usura, erogandæ sunt in pauperes, & paupertas excusat à restitutione. h. d.

§. 4. Nec qvicqvam [f] proficiet, qvòd qvis pro captivis redimendis, vel eleëmosynis dandis sese usuras exercuisse alleget: nec enim propterea magis cum usurario dispensari poterit, cùm pro vita alterius nec mentiri [g] qvidem, nedum rapere liceat. Planè [h] si nec ij, à qvibus qvis usuras extorserit, nec illorum sint hæredes superstites, non solùm pauperibus usurarum

[f] *c. super eod. ubi gloss. extra. eod.*

[g] *can. ne qvis 22. q. 2.*

[h] *cap. cùm tu. extra. eod. tit.*

gitized by Google

rum nomine acceptum erogare poterit, verùm etiam compellendus erit: nisi eum nota paupertas evidenter excuset.

vel eleemosynis dandis] secundum vulgatum illud: non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona. Atqve hinc rectè dicitur in *c. non est 1. qv. 1.* non esse putandam eleemosynam, si pauperibus dispensetur, qvod ex illicitis rebus acqviritur, qvia qvi hâc intentione mala accipit, ut benè dispenset, gravetur potius qvàm juvetur.

pro vitâ alterius nec mentiri qvidem] Dissentit Hugo Grotius *lib. 3. de jur. bell. & pac. c. 1. n. 16.* cujus sententia hactenus probari potest, qvod in tali casu non propriè committatur mendacium, sed tantùm occultatio veri. Aliud autem est, non dicere veritatem, aliud, mentiri, cum in mendacio dolus sit, qvi non semper adest, ubi qvis veritatem non dicit. Nec proinde omnis veritatis dissimulatio dolum continet, & pro mendacio est habenda.

non solùm pauperibus] Ad pauperes, vel etiam ad Ecclesiam tùm demum devenitur, qvando debitores, à qvibus usuræ exactæ sunt, aut eorum heredes non supersunt, vel inveniri non possunt. Et per consequens, si in vivis fuerit debitor aut ejus heredes, non excusatur usurarius, si id, qvod ex usuris percepit, in ecclesiam vel pauperes contulisse dixerit.

evidenter excuset] illa excusatio non prorsus liberat, sed interim ei prodest, donec ad pingviorem fortunam pervenerit. Canis. *de usur. c. 7. n. 5.* De qvo tamen valde dubito, cum ita non restituatur ablatum, aut propter qvod locupletior usurarius factus fuit, sed aliud aliqvid, & qvod bono titulo acqviritur.

Non solùm fœneratores, sed etiam illorum hæredes debent usuras restituere, nullâ obstante appellatione. h. d.

§. 5. Nec istantùm Ecclesiasticâ districtione extortas usuras restituere cogendus erit, qvi fœneratus est, verùm etiam [i] filij, & qvicunqve extranei hæredes, qvi

cap. tua nos. extr. eodtit.

omnes

omnes ſuper uſuris conventi nullius appellationis remedio reſtitutionem ſubterfugere permittendi erunt.

extortas uſuras reſtituere] Docent Theologi ſcholaſtici, qvod uſurarius, qvi ex pecuniâ uſurariâ multa acqviſivit, non teneatur ea reſtituere, ſed tantùm pecuniam, & id in qvo alios damnificavit. apud Carol. Molinæum *tr. de uſur. n. 628.* qvò facit *l. 6. C. de R. V.*

& qvicunqve extranei heredes] qvos compelli ad reſtitutionem debere volunt Canoniſtæ, etiamſi nihil ad eos pervenerit, ut ſaltem hoc modo expietur peccatum defuncti. Caniſ. *d. c. 7. n. 4.* ſed id nititur pravâ Pontificiorum opinione de ſtatu animarum in purgatorio, item de ſatisfactione, qvæ etiam defunctis prodeſt, & ejusmodi aliis.

Judex fœneratori poteſt præcipere ſub pœna excommunicationis, tàm ne uſuras exigat, qvàm ut exactas reſtituat, non obſtante juramento præſtito de non repetendis uſuris. h. d.

§. 6. Sed & ſi qvis ſub uſuris pecuniam acceperit, & de eis nunqvam repetendis fœneratori juraverit[a], adhuc Judex uſurarios per cenſuram Eccleſiaſticam compellere poterit, tam ut ab earum deſiſtant exactione, & juramentum remittant, qvàm etiam, ut exactas reſtituant, ne de dolo & fraude qvenqvam contingat commodum reportare.

[a] *cap. tua dudum. extra. eod.*

fœneratori juraverit] Dupliciter à debitore propter uſuras jurari poteſt, 1. qvod uſuras ſolvere velit. 2. qvod uſuras ſolutas repetere, aut etiam ab hoc juramento abſolutionem petere nolit. De priore caſu ita concludunt Canoniſtæ, jurantem à Creditore cogi poſſe, ut ſolvat uſuras, ſed poſtqvam ſolvit, facultatem eum habere ſolutum repetendi & creditorem ad reſtitutionem per cenſuras Eccleſiaſticas com-

compellendi *c. debitores 6. X. de jurejur.* Rationem reddunt, qvod juramenta hujusmodi ex parte jurantis licitum sit & servandum, ex parte verò Creditoris illicitum. Sigm. Scaccia *de commerc. §. 1. qu. 1. n. 403. seq.* Sed enim actio aliqva ut Creditori inde competat, fortè concedendum non est. Esset enim illa vel ex contractu ipso, qvi tamen ex mente Canonistarum juramento non confirmatur, vel ex juramento adjecto, qvod tamen ex parte Creditoris illicitum est. Qvod cum vidisset Didacus Covarruvias in *c. qvamvis part. 2. §. 3. n. 4. de pact. in 6.* confugit ille ad subtilitates juris civilis, & actionem qvidem DEO principaliter acqviri contendit, in utilitatem tamen creditoris, atqve hunc ut adjectum solutioni considerari oportere, eum idcircò DEI nomine agere, & remittere qvoqve posse obligationem. At verò si illicitum est juramentum ex parte Creditoris, illicitè etiam solutioni adjicietur, & sic neqve propter juramentum DEO præstitum agere poterit. Deinde secundum explicationem Canonistarum juramentum non revera, sed dicis tantùm causâ servatur & DEO graviter illuditur, dum ita solvuntur usuræ, non ut irrevocabiliter fiant accipientis, sed ut illicò recipiantur. Ajunt etiam Canonistæ, posse jurantem petere à judice, ut compellat creditorem ad relaxationem juramenti, eâqve obtentâ nihil omninò teneri solvere. Sed profectò, dum jurans relaxationem petit, in effectu se firmiter obligatum esse negat, cùm aliàs perjurii notam effugere vix *posset*, qvia juramentum ex suâ parte licitum est & subsistit. Et *omninò seriò rem* promittere, & postea facto suo promissis contravenire contraria sunt, qvæ à Canonistis conciliari nunqvam possunt. Posteriore casu volunt, ad repetitionem usurarum præmittendam esse absolutionem à juramento, & ut turius res agatur, posse absolutionem peti etiam ab eo juramento, qvo de non petendâ absolutione juratum fuit, Covarruv. *d. l. n. 3.* Sed enim conscientiæ suæ non satis consulit, qvi contra juramentum suum agit, & alterum invitum ad restitutionem adigit. Supra enim dixi, juramenti hanc esse intentionem, ut res irrevocabiliter fiat accipientis. qvæ intentio non retrahi potest ex eo, qvod vitium aliqvod ex parte Creditoris subsit. Nec verò simpliciter verum est, qvod ubiqve ponunt Canonistæ, usurarum præstationem suâ naturâ esse rem turpem & illicitam, directoqve honestati naturali contrariam, hoc enim posito, uterqve peccaret, non tantùm qvi accipit, sed etiam qvi promittit solvitqve usuras; cum tamen mediæ potius sint naturæ, & propter circumstantias demum illicitæ fiant. Neqve negamus posse Magistratum fœneratores justâ ex causâ vel ad juramenti remissionem condemnare & gravi insuper pœnâ afficere, vel etiam rectà jurantem à vinculo

culo juramenti habitâ diligenti circumſtantiarum conſideratione abſolvere, qvod tamen tùm ferè contingit, ubi aut à pauperioribus aut contra leges publicas uſuræ acceptæ fuerint.

Judæi ſatisfacere debent de immoderato gravamine Chriſtianis, aliàs excommunicantur modo qvo poſſunt .h. d.

§. 7. Judæi [b] qvoqve, ſi à Chriſtianis qvocunqve prætextu graves immoderatasve uſuras extorſerint, & per ſeculares principes & poteſtates illas remittere ſunt compellendi: & donec de immoderato gravamine competenter ſatisfecerint, ab univerſis Chriſti fidelibus tam in mercimoniis, qvàm in aliis per excommunicationis ſententiam eis omnimoda communio denegabitur.

[b] *cap. poſt miſerabilem. cũ ſeq. extr. eod. tit.*

Judæi qvoqve] Judæi ſemper fuérunt ſtrenui fœneratores, ita ut etiam proverbium fecerint, ut inter Chriſtianos Judæi dicerentur, qvi uſuris nimium fuerint dediti.

graves immoderatasve uſuras] Epitheta iſta non habentur in matrice, qvæ eſt in *c. poſt miſerabilem 12. X. h. t.* Et credibile eſt, inſerta ea fuiſſe ab autore ideò, qvod Judæis uſuras tùm à Pontifice Rom. tùm ab aliis Principibus hodiè permittantur. Extant duo in eam rem conſilia apud Anton. Teſſaur. *deciſ. 57.* & in fine additum eſt Sixti V. Pontif. diploma, qvo Judæis in Sabaudiâ annuatim octodecim pro qvolibet centenario permittit. Ea ſanè annon gravis fuerit & immoderata uſura, judicent illi, qvi rerum harum aliqvam habent notitiam. Et tamen qvia hæc à Pontificibus conceſſa eſt, non habenda erit pro uſura, cùm hæc Canoniſtarum conſtans ſit ſententia, qvod poſſit Pontifex contractum aliàs uſurarium declarare non uſurarium, uti habetur in conſilio primo, qvod eſt Amedei præſidis apud Teſſaurum *d. l.* Qvid igitur eſt, qvod ita abhorreant Canoniſtæ uſuras, & naturâ illicitas faciant?

per excommunicationis ſententiam] At qvi non eſt

in communione, qvi est extra Ecclesiam & extra corpus fidelium, excommunicari non potest.

Ponuntur plures casus, qvibus quis fructus in sortem computare non tenetur. hoc dicit.

c.1.in fin.h.t. §. 8. Sunt tamen casus, in qvibus aliqvid ultra sortem absq; vitio usurarum licitè recipitur: utputà, si Clericus Ecclesiasticum beneficium aliter redimere nõ valens, prætextu pignoris de manu laici illud acceperit: nec enim hîc in sortem fructus tenebitur computare. Idem, si terra non sit beneficii alicujus Ecclesiastici, sed ad accipientem in pignus jure dominii directi pertinere noscatur. Idem [c], si possessiones pro non numerata dote genero à socero pignori obligatæ fuerint: cùm enim freqventer dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda, pignoratarum possessionum fructus in sortem computandi non erunt.

[c] *cap. salubriter. extr. eod.*

Sunt tamen casus] Plures adhuc recensent Glossa *c. qvod autem 14. qv. 3. lit. L.* ubi dicit, qvod ultra sortem aliqvid accipere his sex casibus licitum sit. 1. favore Ecclesiæ. At si ex se injustæ sunt usuræ, qvî licitæ fieri possunt favore Ecclesiæ? 2. si fidejussor solverit usuras, qvod tùm repetere eas possit. 3. qvando pœna petitur præter sortem. 4. cùm usura tanqvam interesse petitur. Sed his tribus casibus agitur de damno vitando. Et istud interesse sæpè ita explicant Canonistæ, ut & lucrum cessans & damnum emergens contineant, in qvo profecto nomen tantum usuræ rejiciunt, rem ipsam admittunt. 5. cùm recipitur aliqvid pro re, qvæ non consistit in pondere, numero vel mensurâ, uti in locatione. Sed qvare non idem liceat in rebus pondere, numero & mensurâ constantibus? Nummus utiq; est mensura omnium

mnium æstimabilium, mensurat igitur etiam id qvod interest creditoris, qvi mutuavit res pondere, numero & mensura constantes. 6. ratione incertitudinis, de qvâ re mox in §. *Ille qvoq;*.

fructus tenebitur computare] qvia scil. tùm nullum facit lucrum clericus, sed potiùs hâc viâ recipit id, qvod ad se legitimè spectabat. Sed ratio hæc non satis stringit. Utiq; enim ut pignus in aliqvâ re accipiam, necesse est, ut supponam rem istam esse alienam. At ex aliena re si fructus percipio, utiq; tum lucrum facio. Posito igitur ex mente Canonistarum, antichresin illicitam esse prorsus & non permittendam, non erit excusandus clericus, qvi ita ex re alienâ lucrum facit.

jure dominii directi pertinere] Atq; id tam in laico, qvam in clerico locum habere volunt. In ratione tamen reddendâ non satis conveniunt Dd. Aliqvi dicunt, id fieri propter naturam & conditionem feudi, cujus dominium utile qvodammodo consolidetur cum directo dominio. Sed id non placet Didaco Covarruviæ, qvi *lib. 3. var. resol. c. 1. n. 4.* falsum putat, per dationem pignoris consolidari utile dominium cum directo. Et rectè, cum pignoris constitutio nunqvam ullum transferat dominium. Sed qvod Covarruvias istam deinde confingit rationem, qvia fructus rei feudalis ejusdem sint æstimationis cum servitiis, in eo non satisfacit Henrico Canisio *de usur. c. 6. n. 4.* Hic tamen dum ad priorem confugit rationem, & objectionem tamen Covarruviæ non diluit, eo ipso dubium relinqvit Lectorem & abunde prodit, nullâ firmâ ratione niti hoc jus papale.

in sortem computandi non erunt] Hîc iterum in ratione reddendâ admodum variant & disputant Canonistæ, uti videre licet apud Canisium *d. l. n. 6. seq.* Pleriq; dicunt, subesse hic aliqvam specialitatem, eamq; consistere in subintellecto pacto liberali percipiendi fructûs, non tàm ex dotis favore, qvam causâ emergentis damni, vel loco satisfactionis pro oneribus matrimonii. H. Zoël. *ad Digest. tit. de usur. n. 16.* Sed enim cum etiam absq; dote subsistere possit matrimonium, & hoc casu nihilominus ejus onera maritus ferre teneatur, nulla subest causa, qvare ob dotem promissam fructus ex pignoribus percepti in sortem computari non debeant. Ut maximè igitur damnent Pontifices pactum antichreticum, tales tamen admittunt exceptiones, qvarum rationes nec ipsi norunt, nec aliis explicare possunt.

Non est usurarius rem emens minùs justo pretio, si tunc verisimiliter dubitetur, an tempore solutionis plus vel minus est res valitura, vel aliter dubius eventus usurarium suspicionem removet. h. d.

d *cap. fi. §. ille. extr. eod. tit.*

§. 9. Ille [d] qvoq; , qvi dat decem ſolidos, ut alio tempore totidem ſibi grani, vini, vel olei menſuræ reddantur, ex hoc uſurarius cenſeri non debet: qvia licet tunc plus valeant, utrùm plus vel minus ſolutionis tempore fuerint valituræ, veriſimiliter dubitatur.

uſurarius cenſeri non debet] Id qvidem verum eſt, ſi de præſenti tempore, qvo ita convenitur, ſermo fuerit. At qvando deinceps apparet, tempore eo, qvo danda merx fuerit, pluris eam valere, utiq; lucrum tùm facit; qvi pecuniam dedit. omne autem lucrum, qvod ultra ſortem percipitur, uſurarium facit contractum ſecundum Canoniſtas. Nec obſtat, qvod etiam minoris valere & ſic in damno conſtitui potuiſſet ille, qvi pecuniam dedit; qvia ſc. tùm qvoq; alter ille, qvi pecuniam accepit, qvod exceſſivum fuerit, reſtituere deberet. Nec ſuſtinere poterit contractum iſtum incertitudo, qvandoqvidem certum deinceps fit, qvod ab initio erat incertum. Et imò potius conditio aliqva ſubeſſe videtur conventioni: Do tibi decem, ut mihi alio tempore totidem menſuras vini reddas, *ſi ſcil. ſingulæ* menſuræ valuerint unius. Hæc enim debet eſſe intentio contrahentium, qvalis ſi non fuerit, & alteruter lucrum intendat, non poteſt excuſari ille ab uſurâ mentali.

Uſurarius eſt, qvi à debitore recipit aliqvid ultra ſortem, etiam ſi ſuſcipiat in ſe periculum. h.d.

§. 10. Aliud tamen juris eſt, ſi qvis naviganti [e], vel ad nundinas eunti certam pecuniæ qvantitatem mutuatur, & ex eo, qvòd in ſe mutuans periculum ſuſcipit, aliqvid ultra ſortem ut recipiat, convenit: nam hic uſurarius reputandus erit.

nam hic uſurarius reputandus erit] Hodierni Canoniſtæ ita limitant hoc capitulum, ſi ſc. creditor non aliàs mutuum dare vo-

lue-

Digitized by Google

luerit transmarinum, qvàm in se susceptopericulo, hanc enim rem gravem esse posse debitori, qvi maluisset ipse subire periculum non ita præsens, & hoc casu sc. creditorem esse in labe usurariâ. Aliàs communiter admittunt ejusmodi fœnus nauticum, ut licitum, siqvidem non tàm ratione mutui aliqvid capiatur ultra sortem, qvam nomine justi periculi pecuniâ æstimabilis. Vid. Zoës. *ad tit. ff. de naut. fœnor. n. 3.* Anton Perez *Cod. eod. n. 6.* ubi verba Pontificis explicat de tali casu, qvando prætexitur periculum, ubi nullum est, vel majus qvam subest, sic ut lucrum sit majus ipso periculo.

DE ADULTERIIS, ET ALIIS CONJUNCTIONIBUS ILLICITIS,

TITULUS VIII.

OBiter noto, inter leviora aut minora crimina referri adulterium, *c. 4. X. de judic.* qvod tamen Ulpianus inter graviora refert *tit. de dotibus §. 9.* ut & Clemens *in c. qvid in omnibus 32. qv. 7.* & Imperatores qvoqve inter sæviora connumerant *l. 7. C. Theodos. de indulg. crim.*

Adulterii appellatio est generalis: propriè tamen in nuptam committitur, & qva sit adulterii pœna. h. d.

§. 1. Adulterii generalis est appellatio: continet enim non modò alieni thori [a] violationem, sed omnem propè illicitam fornicationem. Propriè tamen adulterium in nuptam committitur. Pœna [b] in laico, excommunicatio: in Clerico, depositio: vel in utroqve, certæ pœnitentiæ impositio.

[a] *can. 2. §. adulterium. 36. q. 1. c. nemo 32. q. 4.*

[b] *cap. clerici. extr. de excess. prælat.*

generalis est appellatio] Adulterii vocabulum in jure civili tam latè patere, ut etiam stuprum comprehenderet, negant nonnulli. Arnold. Vinnius *in §. 4. Inst. de publ. jud. & tract. de transact. c. 7. n. 20.* qvibus tamen repugnare videtur *l. 29. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult.* Ant. Matth. *de criminib. h. t. c. 1. n. 3.* Joh. Gœdd. *ad l. 101. ff. de V. S. n. 3.*

fornicationem] Vocabulum hoc generaliter hîc usurpatur & plu-

Digitized by Google

plures ſub ſe continet impudicæ commixtionis ſpecies, *c. qvemadmodum. & c. non ſolùm 32. q. 7.* Jac. Menoch. *de arb. jud. qvæſt. caſ. 289.* qvandoqve tamen ſpecialiter accipitur pro concubitu illicito ſoluti cum ſolutâ.

in nuptam committitur] Stricta nimis eſt hæc deſcriptio, & totam adulterii materiam non exhaurit, ſed ſpeciem tantùm aliqvam explicat, cùm tamen etiam in ſponſa alterius committatur adulterium, imò etiam in ſoluta, ſi cum eâ conſveverit maritus. Rectius igitur deſcribitur, qvod ſit fidei matrimonialis per fornicationem violatio.

in clerico, depoſitio] Graviùs omninò peccat Clericus adulter, qvàm Laicus, & mitiùs tamen punitur. Qvod num proportionem juſtè obſervet, meritò licet dubitare. Obſervo tamen, jam olim in perſonis delinqventibus invaluiſſe iſtud pœnarum diſcrimen. Freqvens eſt in Canonibus, qvi apoſtolici dicuntur, pœna clericorum καθαίρεσθαι, deponi, gradu moveri, laicorum verò ἀφορίζεσθαι, ſegregari, vel communione eccleſiaſticâ privari, uti videre licet ex *can. 25.* it. *can. 31.* Ob graviora autem & magis exoſa nonnulla crimina clericus non ſaltem deponitur, ſed etiam excommunicatur, uti videre eſt canonibus *28. 29. 30. 62.*

Arbitraria eſt pœna inceſtus, Sodomiæ, & rei habitæ cum brutis. h. d.

§. 2. Eadem, vel etiam pro judicis arbitrio major, aut minor, eos manet pœna, qvi inceſtum commiſerunt: utputà, cùm, qvi contra naturam humanæ ſocietatis parentibus, vel liberis, vel aliis ejusmodi perſonis impudicè adhærent: aut ſi cum illa, qvam qvis de ſacro fonte ſuſceperit, aut qvam ante Epiſcopum tenuerit, cùm ſacro Chriſmate inungeretur, fornicationis ſcelus perpetraverit: aut cùm relicto naturali uſu contra naturam [c] more Sodomitico fornicabitur: aut humani generis naturam transgreſſus, ſeſe brutis commiſcuerit.

[c] *cap. clerici. extr. de exceſſ. pralat.*

qvi

qvi inceſtum commiſérunt] Inceſtus eſt conſangvineorum aut affinium conjungi prohibitorum fornicatio. Gloſſ. *in rubr. C. de inceſt. nupt.*

parentibus vel liberis] Inceſtus hic in ſpecie ſolet dici nefarius, qvod ipſum jus naturæ violet; & talem bruta etiam animantia plerumq; abhorrent. Vid. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 5. n. 12.*

vel aliis ejusmodi perſonis] committitur enim inceſtus etiam inter fratrem & ſororem, de qvâ tamen conjunctione num juri naturæ adverſa ſit, multis adhuc diſputant Doctores. Committitur etiam inceſtus ratione affinitatis tàm in affinitate perfectâ inter vitricum & privignam, novercam & privignum, ſocerum & nurum, ſocrum & generum, qvam in imperfecta inter filium & concubinam patris.

qvam qvis de ſacro fonte ſuſceperit] Omnem eam cognationem & hinc deductum inceſtum, merum eſſe inventum Canoniſtarum dixi *lib. 2. tit. 13.*

contra naturam] Inter delicta carnis ſola Sodomia eſt contra naturam humanam. Habet enim pro fine non prolis generationem, cujus tamen gratiâ membra genitalia homini data ſunt, ſed merum deteſtandamq; libidinem, naturæ humanæ prorſus contrariam. Et mirandum hinc eſt, reperiri potuiſſe inter Chriſtianos, qvi laudem Sodomitici hujus peccati ſcripsérunt, Johannem de la Caſa, Petrum Aretinum & alios. Nec profectò excuſari poſſunt hodierni Moraliſtæ, qvi antiqvas Eccleſiæ conſtitutiones, & ipſorum Pontificum Romanorum decreta inſulſis & multùm detortis explicationibus ludificantur. Conſtituerat Pius V. Pontifex, Clericos Sodomitas omni privilegio clericali, omniq; officio, dignitate & beneficio Eccleſiaſtico privari debere. Hanc conſtitutionem examinat Eſcobarius *Tr. 1. Exam. 8. n. 102.* & qværit, num bulla Pii V. contra clericos Sodomitas obliget in foro conſcientiæ? Ad hanc qvæſtionem ita reſpondet: *Henriqvez ſentit, uſu non eſſe receptam probabiliter, nec in conſcientiæ foro obligare. Qvod ſi uſu recepta ſit, clericus fœminam in indebito ſubigens vaſe, non committit propriè ſodomiam, qvia licet non ſervet debitum vas, ſervat tamen ſexum. Nec incurrit ex Suario pœnas bullæ, intra vas maſculi ſemen non immittens, qvia delictum non eſt conſummatum. Nec ex eodem, qvi non niſi bis aut ter in Sodomiam ſunt lapſi, qvia Pontifex has pœnas clericis exercentibus ſodomiam infligit. Nec (adhuc ex Suario) ante judicis ſententiam declaratoriam pœnas bullæ in foro*

conſcientiæ incurrunt: qvia nulla lex pœnalis obligat homines ad ſe prodendum. Colligo, Clericum exercentem ſodomiam, ſi ſit contritus, etiam retento beneficio, officio, & dignitate, omninò eſſe abſolvendum. &c. Talia plura leguntur apud Thom. Hurtad. *tr. 1. reſol. 31. ſeqq.*

brutis commiſcuerit] Superat homo hâc in parte malitiâ ſuâ bruta animalia, cùm, teſte Platone *in politico*, aſinorum & eqvorum tantùm promiſcua fit commixtio, reliqva vero animalia ſine alienâ commixtione ex propria procreent ſpecie. Rectè igitur Impp. Conſtantius & Conſtans jubent inſurgere leges & armari jura gladio ultore, ut exqviſitis pœnis ſubdantur hujusmodi malitioſi homines.

Qvæ pœna ſit ſtuprantis mulierem & honeſtè viventem, & virginem defloruntis. hoc dicit.

§. 3. Qvòd ſi qvis ſtuprum admiſerit, multum intererit, utrùm cum muliere honeſtè vivente rem habuerit, an virginem defloraverit. Primo enim caſu ſtuprator pœnitentiæ ſubditus, pecuniariâ etiam pœnâ coërcendus erit: poſteriore verò [d] dotatâ virgine eandem patre conſentiente habebit uxorem: ſi verò pater virginis dare noluerit, aut ſtuprator eam uxorem habere legibus impediatur, reddet pecuniam juxta modum dotis, qvam virgines accipere conſveverunt. Qvòd ſi conſentiente patre ſtuprator ipſe corruptam virginem in uxorem ducere renuerit, corporaliter caſtigatus excommunicatusq;, in monaſterium ad agendam pœnitentiam retrudatur, de qvo nulla erit ei egrediendi ſine judicis permiſſione licentia.

[d] *cap. 1. & ſeqq. ext. eod. tit.*

Qvòd

Qvod si qvis stuprum] Stuprum est concubitus illicitus cum virgine aut viduâ honestâ. Qvanqvam enim Filliucius *tr.36. c.3.n.99.* in viduam propriè dictum stuprum committi neget, & in eam sententiam etiam inclinet Gratianus *in c. hæc lex 36. qv. 1.* nulla tamen dari ratio solida potest, propter qvam vocabulum istud commixtioni cum viduâ honestâ (de tali enim sermo est) convenire nequit. Nam qvod de virginitatis signaculo adducit Filliucius, nihil omninò facit, cùm signaculum istud etiam sine carnali commixtione amitti qveat; & imò in qvamplurimis non dari ejusmodi signaculum, ostendit Paul. Zachias *in qvæst. medico-legal. l.3.tit.2.q.1.*

multum interierit] Imò nihil interest, viduam qvis stupraverit, an virginem. Qvanqvam enim statuat Antonius Faber *in Cod.lib.9. tit. 7.def.5.* impunitum planè esse tale stuprum cum viduâ commissum; convenit tamen honestati naturali, ut utrobiq;, sive virgo fuerit stuprata sive vidua, idem jus observetur. Atq; id facit constitutio Sereniss. Elect. Sax. 27. *p.4.* qvæ nullum planè facit discrimen. Nec video, cur non æqvè duci in Uxorem debeat Vidua, atq; virgo, nisi fortè autor cum iis faciat, qvi secundas nuptias, ut minus honestas damnárunt.

dotatâ virgine] Generali consvetudine receptum est, ut stuprator aut ducat aut dotet stupratam. Qvanqvam enim sint, qvi alternativè id intellectum nolint, sed verba textuum Canonicorum copulativè accipiant; in qva sententia etiam hîc videtur esse autor, propter textum *Exod. XXII, 16.* Legislatorem tamen disjunctivè id jubere posse, docet Antonius Matthæus *tit.de adult. & stupr. c.7.n.17.* & Rabbinos qvoq; præceptum divinum ita intellexisse, ut nihilominus integrum sit vel stupratori ipsi, vel puellæ, vel puellæ patri, in matrimonium non consentire, notat Joh. Seldenus *de Uxor. Hebr.lib.1.c.16.*

si verò pater virginis dare noluerit] Qvid verò, si ipsa nolit virgo? adhuc dotari eam debere nonnulli statuunt, argumentantes: si patre dissentiente, cujus de conjunctione principaliter non agitur, dos danda est, qvanto magis danda erit dissentiente ipsâ, cujus de conjunctione agitur. Sed enim à patre ad filiam non satis firmum ducitur argumentum. Filia enim qvæ nubere renuit, ipsamet sibi irritum reddit hoc dotationis debitum; at pater si renuit, non imputandum id est filiæ. Qvia enim filia cum consensu patris nubere debet, facile patet, priorem partem alternativæ, qvâ aut ducere aut dotare jubetur stuprator, in casu, qvando stuprata habet patrem,

trem, reddi conditionalem, hoc modo; ut aut ducat, si pater puellæ velit, aut dotet. Conditione igitur deficiente, tota expirat legis in eâ parte dispositio; sed alteram tamen partem ut tùm impleat stuprator, necesse est, cujus vi ad dotationem obligatur.

legibus impediatur] qvod intelligendum etiam est de eo, qvi Uxorem jam habet. Modestin. Pistor. *qvæst. 127. n. 16.* Berlich. *part. 5. concl. 38. n. 35.*

juxta modum dotis] Imò verò dos constituenda est à stupratore major eâ, qvâ aliàs non defforata elocari potuisset. Qvia enim per defforationem conditio illius mulieris longè deterior facta est, non ita facilè maritum sibi æqvalem invenire poterit, si dotaretur tantùm secundum facultates paternas. Vid. Schneidew. *ad §. in duplum. n. 12. Inst. de actionib.*

Uxorem ducere renuerit] Ex hoc paragrapho, qvi desumptus est ex *c. 2. X. h. t.* infertur, non habere stupratorem licentiam, alterutrum præstandi, h. e. vel ducendi stupratam, vel dotandi tantùm. Pœnæ enim acerbitas, qvæ hîc proponitur, sensum alternativum non admittit. Si enim alternativè sensus concipiendus esset, stuprator præstatione dotis liberaretur, & ad ducendum vitiatam compelli præcisè non posset, nec, si hoc recularet, pœnâ corporali affligi, aut in monasterium trudi. Gregor. de Valentia *tom. 3. disp. 9. qv. 3. punct. 3. vers. secundò qvi virginem &c.*

corporaliter castigatus] qvæ pœna arbitrio judicis relinqvitur. Anton. Tessaur. *decis. 3. n. 3.*

excommunicatusq;] excommunicatione minore, qvæ fit à participatione Sacramentorum.

in monasterium] Qvasi vero illic deleri possent flammæ libidinis, aut per hanc intrusionem prospectum esset stupratæ. Notat autem Henricus Zoesius *ad Digest. tit. ad L. Jul. de adulter. n. 60.* pœnam hanc non esse in usu, sed condemnari stupratorem ad qvid dandum puellæ ratione damni, ex arbitrio judicis, attentâ qvalitate virginis. Et sic igitur deventum ad alternativam illam, de qvâ supra dixi, qvod aut ducere aut dotare stupratam teneatur stuprator.

Rapto-

Raptorum pœna excommunicatio, depositio, & servitus, cum facultate tamen seipsum redimendi. h.d.

§. 4. Major [e] legum severitas raptores cohibet: nam præter secularium sanctionum pœnas, anathemate cum suis adjutoribus feriri, aut si Clerici sint, proprii ordinis & honoris amissionem substinere debent.

[e] *can.1.36.q.2.*

præter sanctionum secularium pœnas] Leges civiles raptorem mulieris honestæ, sive nupta ea fuerit, sive innupta, capitis supplicio & bonorum ademptione persequuntur, *l.un. C. de rapt.virg. Novell. 143. & 150.* Vid. Jacob. Menoch. *de arb.jud.quæst.l.2.cas.291.* Ludov. à Pegvera *decis.43.* Pœna tamen mortis non semper est eadem specie, sed variis de causis augeri potest, vel propter modum illatæ violentiæ, vel propter qvalitatem personæ vi raptæ & abductæ. *arg.d.l.un.§.fin.*

cum suis adjutoribus] Jure civili, qvi ipsi rapiendi actui interfuérunt, pariter cum raptore ultimo afficiuntur supplicio. Reliqvi vero, qvi vel raptorem post invasionem in domum recepérunt, vel ut raptam tutò ad locum destinatum deduceret, opem tulérunt, capitali qvidem pœnæ subjiciuntur, sed non mortis naturalis *d.l. un. verb. cæteros autem omnes*, ibi: *pœnâ tantummodo capitali.*

In propria sponsa non cadit raptus, & raptus per consensum purgari potest. hoc dicit.

§. 5. Raptus [a] autem tunc committi dicitur, cùm illa, de cujus nuptiis nihil actum fuerit antea, abducitur. Unde qvi sibi desponsatam, vel parentibus reclamantibus, abduxerit, in crimen raptus, & in pœnas minimè incidit. Rapta qvoqve puella legitimè cum raptore matrimonium contrahet, si prior dissensio

[a] *cap.pen. & fin.extr.de raptor.*

Digitized by Google

in consensum transeat. Raptor enim & rapta nomina sunt vitiorum, non personarum : vitia autem cùm purgata fuerint, eorum etiam nomina abolentur.

d. caus. & qu. part. 2. §. his auctorit

abducitur] Abductio hic non intelligenda est qualiscunq;, sed per concubitum, ad quem ultimatè terminatur, completa. Filliuc. *tract. 30. c. 8. n. 111.* Unde si concubitus non fuerit secutus, mitiùs & extraordinariè punitur delinquens, nisi rapuerit virginem Deo consecratam, *l. 5. C. de Episcop. & Cler.* Diss. Anton. Matthæus *de criminib. tit. de vi publ. & priv. c. 2. n. 6.* Sed ad primum & præcipuum argumentum suum distingvere ille debuisset inter publicam magistratûs & privatam parentum & cognatorum vindictam. Non enim qvod privatæ vindictæ & justo dolori propter acerbissimam injuriam concessum est, ut qvasi stante pede & in continenti, dum raptorem inveniunt cognati, occidere liceat, id etiam magistratui, qvi omnes circumstantias exactissimè examinare debet, permissum est.

Unde qvi sibi desponsatam] Jure civili is qvoqve tenetur, qvi sponsam suam rapit *d. l. un.* verb. *qvibus connumeramus C. de rapt. virg.* qvia scilicet sponsa ideò adhuc mea non est, qvia conditioni renunciari potest, potest autem conditioni renunciari donec domum ducta fuerit. *l. 1. C. de sponsal.* & sponsalia jure civili semper intelliguntur esse de futuro. Hodiè igitur, qvia sponsalia de præsenti verum sunt matrimonium, mitius erit agendum cum eo, qvi sponsam de præsenti rapuit, qvoniam scilicet renunciare illa conditioni neqvit. Et licet sponsus violentiam inferendo peccet, à raptu tamen excusatur. Thomas *2. 2. qv. 154. art. 7.*

cum raptore matrimonium contrahet] De jure civili id non licet, *l. un. §. 10. C. h. t.* Sed jure Canonico, si rapta libero in loco constituta postmodum in matrimonium consensit, licita fiet conjunctio *c. ult. X. h. t.* Per hoc tamen matrimonium raptor non evitat pœnas raptûs, cùm per matrimonium tantùm satisfiat honori raptæ, non etiam Reip. læsæ. Vid. Pegvera *decis. 42.* Pœnam autem hoc casu esse perpetuam relegationem, decrevit. Collegium juridicum Helmstadiense apud Hahn. Obs. in Wesenbec. *ad L. Jul. de adult. n. 21.*

non

Digitized by Google

non personarum] imò verò personarum vitium committentium. Nunqvam enim crimen raptûs dicetur raptor aut rapta.

Obiter noto in hâc controversiâ, num raptor & rapta matrimonio jungi possint, ipsis verbis Gratiani ostendi posse, tantam non esse autoritatem Conciliorum etiam probatissimorum, ut non aliqvando errasse dici qveant. Postqvam enim Gratianus canones Concilii Meldensis & Aqvisgranensis, qvo utroqve ejusmodi nuptiæ prohibentur, protulisset *c. si autem & c. placuit 36. q. 2.* sic tandem concludit: *Hæc auctoritas non præjudicat auctoritati Hieronymi, maximè cum illa testimonio divinæ legis nitatur. Legitimè igitur post pœnitentiam peractam raptor sibi poterit copulare, qvam rapuit, &c.* Agnoscit ergò Gratianus utrumqve concilium Meldense & Aqvisgranense errasse, & contra divinam legem statuisse. Qvid noviter constitutum fuerit in Concilio Tridentino, explicat Gregorius Sayrus *in clav. reg. lib. 8. cap. 5. num. 2.*

Raptus Monialis purgari non potest. h.d.

§. 6. Sed hæc de illis intelligenda sunt, qvi mulierum laicarum consensum habuerunt: nam si qvis Deo dicatas virgines[b] vel rapuerit, vel volentes matrimonio sibi sociare tentaverit, tanqvam sacrilegium admittens, pro tâ nephandi criminis atrocitate plectendus erit, nullâ[c] prorsus voluntatis sacrarum virginum habitâ ratione.

b *can. 2, 36. q. 2. cum seq.*

c *gloss. t. d. can. 2.*

matrimonio sibi sociare tentaverit] Intendit id, qvod edixit Imp. Jovianus in *l. 5. C. de Episc. & Cler.* postqvam imperante antecessore suo Juliano multi impudici & perditi homines Christianis ægrè facerent, virgines istiusmodi seduxerant, uti notat Sozomen. *histor. lib. 6. c. 3.* Non arbitror, votum castitatis, qvale hodiè apud Pontificios freqventatur, jam eo tempore in usu fuisse, aut si fuit, meritò id habetur inter fundamenta, super qvibus extructum fuit regnum Anti-Christi. Testatur utiqve Balæus, fuisse in Germaniâ etiam seqventibus temporibus cœnobia monialium nobilium,

Digitized by Google

bilium, unde exire & honestè nubere poterant, exceptâ Abbatissâ. Quicqvid sit, non tamen hoc dicit Imperator, capitis supplicio puniri debere, qvi matrimonii jungendi causa moniales attentare ausus fuisset; sed hoc potius, & raptum & attentationem sive conatum raptus monialium matrimonii causa factum capitali pœnâ plectendum esse, ut ita tota constitutio de raptu tantùm & conatu ejus intelligi debeat. Vid. Augustin. Barbos. *in d. l. 5.* In Codice Theodosiano *l. 2. de rapt.* ita habent verba: *Si qvis non dicam rapere sed vel attentare matrimonii jungendi causâ sacras virgines vel invitas ausus fuerit &c:* Mendum hîc subesse arbitror, & pro verbis vel *invitas* legendum, *vel viduas.* Qvod si retineri debet lectio vulgata, non erit supplicio afficiendus, qvi volentem rapere attentaverit. Sed plerumqve tamen Pontificii istam constitutionem contra intentionem Imperatoris accipiunt de matrimonio cum moniali sine raptu. Vid. Claud. Espencæus *de vot. continent. lib. 4. p. 807.*

tanqvam sacrilegium] propter personam, qvæ virginitatem DEO vovit, ritibusqve sacris est initiata, seu publicè consecrata. Atq; hoc sacrilegiũ vel simplex faciũt vel duplex, ad instar adulterii simplicis aut duplicis. Simplex dicunt, qvando una persona tantùm, duplex qvando utraq; DEO est consecrata. Nos tale sacrilegium non agnoscimus; de votis a monasticis qvid vera sentiat Ecclesia, *l. 1. tit. ult.* abundè dictum fuit. Dubitare autem licet, num & Cœlestinus III. Papa sacrilegium commiserit, dum ægrè ferens Tancredũ regno Siciliæ potiri, Constantiam Rege Rogerio natam occultè è monasterio Panormitano eduxit, eamq; licet Deo dicatam Henrico VI. Friderici Barbarosſæ Filio in matrimonium collocavit, hâc conditione, ut regnum Siciliæ dotis nomine repeteret, uti refert Platina *in ipsius vitâ.* Utiqve si sacrilegium est, monialem sibi matrimonio sociare, sacrilegium etiam committit Pontifex, qvi jungit, aut privilegium ostendat, per qvod crimen committere ipsi impunè liceat.

c. meretrices & c. dicat. 32. qv. 4.

Pœna simplicis fornicationis est arbitraria. h. d.

§. 7. Demum si qvis cum muliere soluta & impùdica simpliciter fornicatus fuerit, tam pœnitentiæ modus, qvàm etiam alia pœna in Judicis potissimùm repo-

reponetur arbitrio, qvi ex qvalitatibus variis minorem, vel majorem pœnam ſtatuet.

cum muliere ſolutâ] Soluta hîc dicitur non tantùm ea qvæ vinculô matrimoniali libera eſt, ſed etiam qvæ nullâ neceſſitudine juncta eſt fornicatori. Qvotiescunq; enim horum aliqvod accedit, fornicatio ſimplex non manet, ſed in aliam tranſit delicti ſpeciem.

& impudicâ] ſive meretrice. Hoc enim maximè proprium eſt fornicationis, qvanqvam diſſentiant Gregorius de Valentia *comment. theol. tom. 3. diſp. 9. qv. 3. punct. 3. lit. C.* Paulus Layman. *theol. moral. lib. 3. tr. 3. part. 3. c. 13. n. 1.* & alii, contendentes, etiam cum virgine in illegitimos complexûs conſentiente committi fornicationem. Dicitur autem meretrix, qvæ palàm vel paſim ſe proſtituit *l. 43. §. Octavenus ff. de rit. nupt.* ſive id gratis faciat, ſive qvæſtûs causâ. Opera enim iſta ita diſtingvebantur, ut ſi fierent gratis, ac ſine precio, merè contumelioſa ac ſolâ ὕβρει cenſerentur; ſin autem dato precio, ab hâc potius parte æſtimarentur, eſſetqve minor contumelia, ad qvam meretrix ſe auctoraſſet. Deſid. Herald. ad Tertull. apolog. *l. 1. digreſſ. 9.* Cæterùm utrum autor ſua hæc verba etiam de concubina intellecta velit, dicere non auſim, præſertim cùm adhuc diſputent inter ſe Doctores, annon licitus ſit jure canonum concubinatus, propter *c. in qvi diſt. 34. c. Chriſtiano diſt. eâdem.* ubi tamen pleriqve per concubinam intelligunt talem mulierem, qvæ vera qvidem Uxor eſt, ſed non legitima, verùm talis, qvæ alicui ſine ſolennitatibus Eccleſiaſticis eſt ſociata. Vid. Jac. Menoch. *de arb. jud. qvæſt. caſ. 418. n. 19.* Didac. Covarruv. *tom. 1. part. 1. cap. 4. num 9.*

judicis potiſſimum reponetur arbitrio] etiam in foro civili. Modo enim relegatione, modo carcere, modo etiam mulctâ pecuniariâ tale delictum coercetur. Vid. Carpzov. *pr. crim. p. 2. qv. 70. n. 43. ſeq.*

DE CRIMINE FALSI,

TITULUS IX.

Qvi per ſe, vel per alios literas Papæ falſant, excommunicati ſunt cum ſuis fautoribus, & Clerici officiis & beneficiis privantur, & degradati traduntur Curiæ ſeculari. h. d.

§. 1. Adversus eos qvoqve, qvi falsi crimen commiserunt, variè statutum reperitur: illos tamen cæteris acriùs Canones insectantur, qvi literis Apostolicis falsis usi fuerint. Talium enim literarum falsarij [d] cum fautoribus & defensoribus suis anathemate feriuntur: &, si Clerici fuerint, omnibus officiis & beneficiis Ecclesiasticis perpetuò privabuntur, ita, ut, qvi per se falsitatis vitium exercuerint, postqvam per Ecclesiasticum Judicem degradati fuerint, seculari potestati tradendi sint secundum legitimas constitutiones puniendi: per qvam & laici, qvi fuerint de falsitate convicti, legitimè punientur.

[d] *cap. ad falsariorũ. extra. eod. tit.*

variè statutum reperitur] Ita qvi falsum commisit in literis Regis Franciæ, charactere notabatur *c. 3. X. b. t.* qvod post glossam ita intelligit Claudius Espencæus *in ep. 1. ad Tim. digress. l. 2. c. 7.* ut cutis tantùm superficies deformetur, non verò ad sangvinis effusionem procedatur, aut ita profundè ferrum sive character infigatur, ut sangvinem eliciat. Ita aliàs Clericus falsi reus depositus in monasterium detruditur. *c. si Episcopus dist. 50.* Variè autem committitur hoc crimen, potissimùm vel circa personas, vel circa res. Circa personas est crimen suppositi partûs, mutatio nominis, falsum & corruptum testimonium: Circa res committitur, qvando qvis testimonium vel aliud instrumentum falsum scripsit, signavit, recitavit, subjecit &c: alienas literas resignavit, monetam adulterinam cudit, aut veram rasit, pondera aut mensuras falsavit &c: Et hinc etiam aliæ aliæqve pœnæ pro atrocitate delicti locum inveniunt.

qvi literis apostolicis falsis] hoc est, literis pontificiis ex sede Romanâ commentitiis. Et hoc delictum graviùs punitur apud Canonistas,

noniſtas, qvàm vel homicidium vel adulterium. Nec unqvam tantis pœnis ſubjiciuntur, qvi ipſorum Apoſtolorum nomine ſcripta divulgant, iisqve utuntur.

uſi fuerint] Tria reqviruntur à Doctoribus, ut falſitas commiſſa puniri qveat, 1. dolus, 2. mutatio veritatis. 3. qvod alteri nocitum fuerit. Ventur. de Valent. *in Parthen. litigioſ. l. 1. c. 10. n. 8.* Qvoad tertium tamen, inprimis in Reſcriptis regiis commentitiis, ſufficere putant nonnulli, qvod nocere falſitas commiſſa potuerit, etſi actu nondum nocuerit. poſt Franciſcum Marcum Ludovicus à Pegvera *deciſ. 80.*

qvi per ſe falſitatis vitium exercuerint] h. e. qvi ipſi falſas literas confecerint. Diſtingvit enim ab his illos, qvi non ipſi confecérunt, ſed ab aliis confectas uſurparunt. Cæterùm non præſumitur qvis falſum commiſiſſe, ſi literæ Apoſtolicæ fuerint de ſimplici juſtitiâ, qvia ſcilicet tales facilè poſſunt iteratò impetrari. *c. penult. X. h. t.* Gvid. Pap. *qvæſt. 454.*

ſecundum legitimas conſtitutiones puniendi] ſecundum qvas aliàs puniuntur Laici. Et plurimi volunt, Laicum literas Regias corrumpentem & falſantem ultimo debere affici ſupplicio. Ludov. à Pegvera *dict. deciſ. 80.* Nicol. Boër. *deciſ. 82.* cui conſentit, qvod notant Doctores, clerico curiæ ſeculari tradito pœnam imponi debere ultimi ſupplicii.

Qvi falſis literis utitur, ſi Clericus eſt, officiis & beneficiis privatur: ſi laicus, excommunicatur. h. d.

§. 2. Mitiùs e cum illis agitur, qvi licet his utantur, tamen ipſi non falſificaverunt: ſi enim Clerici fuerint, officiis & beneficiis Eccleſiaſticis ſpoliandi erunt; ſi laici, tamdiu excommunicationi ſubjicientur, qvamdiu competenter ſatisfecerint. In utrisq; tamen malitia graviùs, qvàm negligentia punietur:

e *d. capit. ad falſarios. §. qvi verò. ext. eod. tit.*

qvod & de his, qvi falſas literas impetrant, obſervabitur.

Mitiùs cum illis agitur] qvia ſcilicet non tàm graviter creduntur peccaſſe. Alibi tamen æqvè graviter puniuntur, qvi uſi fuêrunt falſis reſcriptis, & qvi eas fabricarunt. Jacob. Menoch. *de arb. jud. qvæſt. caſ. 315.*

tandiu excommunicationi ſubjicientur] Si tamen modicum aliqvid immutatum & correctum fuerit, nec ſubſtantiæ aliqvid detrahatur, nolunt excommunicationis pœnam locum habere. Aug. Barboſ. *ad c. 7. X. h. t.* Cæterùm etiam ille, qvi literas falſas ſciens apud ſe detinet, easq; intra viginti dies, à tempore, qvo falſas eſſe cognovit, non deſtruit aut reſignat, excommunicationi ſubjicitur *c. 4. §. adjicientes X. h. t.*

qvàm negligentia] Non video, qvî locum in priore caſu, qvando ſcilicet qvis ipſe falſas literas confecit, locum habere qveat negligentia. Utiqve ille ſemper verſatur in dolo, & non poterit niſi ex malitiâ tales literas conficere.

DE HOMICIDIO,

TITULUS X.

Aſſaſinium, ſicuti omnium homicidiorum eſt atrocisſimum, ita etiam atrocisſimè punitur. h. d.

a. ſicut dignũ. h. tit.

§. 1. Cum non ad opera tantùm ſit reſpiciendum, ſed tempus, cauſa, voluntas, perſonarum differentia, & omnia, qvæ operibus accidunt, ſint perveſtiganda, ſeqvitur, ut non ſit omnium homicidiorum eadem conditio. Cunctorum verò illud atrocisſimum [a] videtur, qvod *Aſſaſinium* vulgo nuncupant. Unde non ſolùm aſſaſini ipſi, ſed etiam receptatores, occu-

[a] *cap. 1. eod. tit. in 6.*

Digitized by Google

occultatores, consultatores & defensores eorum, & qvi per eosdem qvenqvam interfici fecerit, aut mandaverit, dignitatibus, honoribus, officiis, beneficiis, omnibusq; bonis nudatus, excommunicationis & depositionis incurret ipso jure sententiam, & tanqvam Christianæ religionis hostis à toto Christiano populo perpetuò diffidatus erit.

sed tempus, causa] Multum faciunt circumstantiæ temporis, loci, personarum ad aggravandum delictum & augendam pœnam. Anton. Matthæ. *de criminib. lib. de pœn. c. 4. n. 12. seq.*

eadem conditio] Et hinc distingvuntur homicidia in dolosa, culposa & casualia. Dolosum dicitur, qvando homo à sciente & volente occiditur. Culposum verò, qvando occidens non qvidem habet animum dolosum occidendi vel vulnerandi, culpâ tamen interveniente vel præcedente aliqvem occidit. Casuale deniq; dicitur, qvod casu inopinato propter principium aliqvod extrinsecum committitur. Et hæ circumstantiæ faciunt, ut pro ratione delicti variet pœna.

qvod assassinium vulgò nuncupant] qvando qvis occidit aliqvem ad instantiam alterius corruptus precio vel pecuniâ. Cur ita dicatur, ex Paulo Æmilio optimè exponunt Franciscus Duarenus *lib. 2. disp. anniv. cap. 12.* & Tiberius Decianus *in tr. crim. lib. 9. c. 30.* Assasini enim è Perside profecti & Mahumedis persvasione imbuti, hostes religionis suæ ut interficerent, clam se iis miscebant, ex eorum numero se esse simulantes, donec cædem ab Arsacida sive Principe suo mandatam perficerent, vitæ suæ admodum prodigi, & hinc difficulter caveri poterant.

Unde non solùm Assassini ipsi] Communiter Assassini nomine venit tùm mandans, tùm mandatarius, licet à qvibusdam mandans Assassinator, mandatarius autem in specie Assassinus dicatur.

aut mandaverit] qvando scilicet vel mors ipsa secuta fuit, vel actus aliqvis ad mortem inferendam proximè directus. Habet enim

etiam tùm pœna assasinii tùm in mandante, tùm in mandatario locum. Carpzov. *prax.crim. part.1. qv.19.n 58.59.* Decian. *d.l.n.13.*

& depositionis] Notat hîc Barbosa, non intelligi talem depositionem, qvæ ordinatur ad actualem degradationem, ut talis Clericus curiæ seculari tradatur, sed potius hîc irregularitatem denotari. Sedè contrario statuit Tiberius Decianus *d. l. 9. c.30. n.11.* posse Clericum assassinum per judicem secularem morte puniri, absq; solenni depositione & degradatione.

ipso jure] in textu originali *c.1. de homicid. in 6.* habetur: *ipso facto.* Sed haberi ista pro synonymis, & utroq; denotari canonem latæ sententiæ notat Augustinus Barbosa *in dict. usufreqv. n.178.* Necesse tamen nihilominus est, ut feratur sententia declaratoria.

perpetuò diffidatus erit] Et ex hoc ab omnibus impunè occidi potest. Paria enim habentur, qvando statutum aliqvem facit diffidatum & qvando mandat eum occidi. Tiber. Decian. *tr. crim. lib. 4. c.9. n.78.* Cæterùm in foro civili admodum variat pœna assasinii, pro more scil. & consvetudine cujusqve populi. Qvandoq; enim ultra pœnam gladii etiam rotâ tunduntur assasini, qvandoq; ustulatio additur per forcipes ignitos, qvandoq; in frusta scinduntur. In Electoratu Saxonico assasinatoris gladio puniti cadaver rotæ imponitur, Assasinus verò rotæ supplicio afficitur. Carpzov. *d.l.n.15. & 19.*

Interficiens per industriam similis est Assasino. h. d.

b *cap.1.extr. eod.tit.*

§. 2. Non[b] absimilis eum tenet pœna, qvi licet non per assasinium, per insidias tamen & industriam hominem interfecerit.

per insidias tamen] Longè improbiores sunt insidiæ vi apertâ. Vim enim vi repellere possumus, insidias autem nisi præmoniti vitare non possumus. Et ut maximè præmoniti simus, semper inimicus insidiari potest, nos non semper cavere.

& industriam] h. e. destinato & deliberato animo. Sunt enim homicidæ qvandoq; tàm vecordes, ut animum occidendi clarè ostentent, & vel factis vel verbis eum explicent. Non tamen ubiq; tales, perin-

Digitized by Google

perinde ut assassini, puniuntur, qvod turpius & atrocius videatur, vitam hominis in commercio habere, & de eâ certo preeio pacisci.

Interficiens latronem non ex necessitate, punitur: secus, si ex necessitate. hoc dicit.

§. 3. Qvòd si [c] qvis latronem, vel furem peremerit, videamus, an sit puniendus: & si qvidem furem absq; occisione comprehendere potuit, certa adversus eum statuta pœnitentia reperitur: qvod si non potuit, nulla occisori erit ex necessitate injungenda pœna. [c] *cap. 2. extr. eod. tit.*

absq; occisione comprehendere potuit] Rem enim meam qvocunq; modo, etiam vi, retinere, aut occupatam extorqvere, aut furem capere mihi licet, ita ut etiam τριβόλους seu murices ferreos ad lædendos & irretiendos fures in terram defodere aut alia offendicula ponere liceat. Menoch. *de arb. jud. qq. l. 2. cas. 324. n. 7.* Polydor. Ripa *de noct. temp. c. 32.*

certa adversus eum] Etiam jus civile nullam hâc in parte concedit impunitatem *l. 9. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Et disertè Ulpianus: *Si qvis furem metu occiderit, non dubitamus, qvin L. Aqvilia non teneatur. Sin autem, cum posset apprehendere, maluit occidere, magis est, ut injuriam fecisse videatur.* Ergò etiam L. Corneliâ tenebitur, apud Cujac. *ad l. 3. ff. de just. & jur.*

qvod si non potuit] Vis, de qvâ dixi, rerum suarum retentiva, in tantum extendi non debet, ut extra vitæ discrimen constituto furem occidere liceat. Ita etiam Lex Mosaica *Exod. XXII, 2.* eum qvidem, qvi furem nocturnum occiderat, non judicabat reum sanguinis, qvod in dubio erat, utrum furti an cædis causa ædes nocte effringeret, sed si orto Sole eum occiderat, tam benignè non absolvebat, qvia sc. de furto solùm tunc erat præsumendum, qvod mulctâ non cæde ex lege compensabatur. Selden. *de ann. civil. vet. Judæor. c. 15. in fin.* Et huic conforme est, qvod ab Ulpiano in emendationem Legis XII. tabb. proditum est *d. l. 9. ff. ad L. Cornel.*

nel.de ſicar Occiſorem furis nocturni tùm demum impune id ferre, qvando parcere ei ſine periculo ſuo non potuit. Eſt igitur præſumtio pro eo, qvi furem noctu occidit; ſed ſi forte teſtes adfuerint, ex qvibus conſtet, non fuiſſe eum, qvi furem occidit, adductum in vitæ ſuæ periculum, jam præſumptio iſta ceſſabit, ac proinde is, qvi occidit, homicidii tenebitur. Hugo Grot. *de jur. bell. & pac. l.2.c.1.n.12.* Hinc vero judicium fieri poteſt de doctrinâ Leonhardi Leſſii, qvam proponit *l.2.c.9.n.66. Ex Scriptura*, inqvit, *Exod.22. non eſt reus ſangvinis, qvi furem nocturnum occiderit, ſed qvi diurnum. Hinc qvi furem diurnum non ſe telo defendentem interficeret, non excuſaretur ab homicidio in foro externo; in foro tamen conſcientiæ excuſaretur, ſi non erat probabilis ſpes recuperandi, vel ſi recuperatio non erat certa, ſed dubia, ut Sotus ait, qviæ non tenetur res ſuas perdere aut probabili periculo exponere, ut fur ſalvus ſit.* &c. Ergone igitur, qvos Lex Moſis plectit, eosdem abſolvet Evangelium Chriſti? Ergone Legem deſtruit Chriſtus, qvam adimplere debuit? Dura hæc eſt Leſſii doctrina, & ab omni ratione aliena. Qvocirca nec facere poſſum cum autore, ſi hanc gerit mentem, licere furem occidere, qvando apprehendi ille non poteſt. Utiq; enim non aliter occidere licet, qvam ſi qvis per eum in vitæ diſcrimen conjiciatur. Periculum qvippe perſonæ juſtam facit furis occiſionem, non periculum rerum.

Non punitur homicidium fortuitum, ſi nulla culpæ caſum præceſſit. h.d.

c.Johannes. h.t. d can.ſæpè cõtingit.50.diſt.

§. 4. Idem etiam obtinebit, ſi caſu perpetratum fuerit homicidium, utputà, ſi qvis [d] neceſſario inſiſtens operi, arborem inciderit, & aliqvis ſubtùs tranſiens opprimatur: nam ſi neq; voluntate, nec ullâ incidentis culpâ factum fuerit, ut pertranſiens opprimeretur, arborem incîdens homicidii pœnis obnoxius non erit.

nec ullâ incidentis culpâ] Culpa committi poteſt, ſi non proclamet, ut prætereuntes caveant. qvod tamen reſtringunt jura civilia ad eum caſum, qvando putatio fit in loco, ubi iter publicum vel privatum fuerit, ut tùm clamor ſit neceſſarius, & omiſſo eo putator in culpâ con-

Digitized by Google

conſtituatur. Qvod ſi nullum iter ſit, tum nullam ab eo eſſe exigendam culpam *l.31. ff. ad L. Aqvil. l.7. ff. ad L. Cornel. de ſicar.* Add. Carpzov. *pnax. crim. p.1. qv.27. n.13. 19.* In genere autem circa homicidium caſuale differentiam faciunt moraliſtæ, utrum qvis operam dederit rei illicitæ, an licitæ. Priori caſu, ſi homo inde occiſus fuerit, reum eum dicunt homicidii, dum tamen actus ipſe periculum occidendi continuerit. Secundo caſu abſolvunt operantem ab homicidio, ſi modo debitam adhibuerit diligentiam, etſi mors ex ipsâ actione ſeqvatur. Vid. Greg. Sayr. *clav.reg. lib.7.c.14.*

Pœnitentia certorum annorum eſt injungenda parentibus opprimentibus filios. hoc dicit.

§. 5. Alia [e] ratio eſt eorum, qvi proprios filios oppreſſiſſe reperiuntur. Cùm enim hos graviter deliqviſſe non ſit dubium, certorum annorum erit illis injungenda pœnitentia.

e *cap.fin.extr. de his qvi fili. diſtrun.*

cum enim hos graviter deliqviſſe] Scil. ſi conſtat, parentes interfectores eſſe, uti habetur *in c.fin. X. de his qvi fil. occid.* Si non conſtet, non qvidem omni pœnâ immunes erunt parentes, ſed eſſe tamen tùm conſiderationem pietatis habendam, definitur *d.c.fin.* & nullam hoc caſu inſtitui accuſationem dicit Anton. Gomez *tom.3.var.reſol.c.3.n.19.*

certorum annorum] trium ſcilicet, *d.c.fin.* ita ut unus peragatur in pane & aqvâ. In foro civili pœna eſt vel carceris vel relegationis pro qvalitate delicti & culpæ. Carpzov. *pr. crim. part. 1. qvæſt. 15. num.33. ſeq.*

Filius à patre, vel ab alio, patre ſciente, expoſitus, liberatur à patria poteſtate: & expoſitum ſuſcipiens nullum in eo habet jus. h.d.

§. 6. Qvòd ſi [a] filius à patre, vel ab alio, patre ſciente, fuerit expoſitus, aut eidem alimenta denegata fuerint, hoc ipſo à poteſtate patria liberabitur. Nec tamen

a *cap.un.extr. de infant. langv. & expoſit.*

men propterea, qvi expoſitos ſuſceperit, aliqvod in eis jus vendicare poterit.

patre ſciente] ignorante enim eo ſi ab alio expoſitus fuerit infans, pater jus ſalvum retinet, modo educatori reſtituat alimenta *l.1.C. de infantib.expoſ.*

fuerit expoſitus] Communiter diſtingvitur, qvod expoſitio infantis fiat aut in locum ſolitarium & è conſpectu hominum remotum, aut in locum non ſolitarium, & qvotidiè à multis præteriri ſolitum. Priore caſu vel mors ſecuta eſt vel non. Si prius, locum habet pœna ordinaria. Si poſterius, pœna extraordinaria & arbitraria infligi debet. Poſteriore caſu itidem vel moritur expoſititius vel non. Si illud, pœna fuſtigationis decernitur; Si hoc, relegatio vel temporalis vel perpetua, aut etiam pœna carceris tantùm. Vid. Finkelthaus *Obſ.86.* Carpzov. *part.4. conſt.4.def.8. & 9.*

aut eidem alimenta denegata fuerint] Liberos enim alere patri neceſſe eſt propter ipſam naturam *l. fin. §. ipſum C. de bon. qvæ lib.* & ipſe naturalis ſtimulus, i. e. στοργὴ parentes ad liberorum ſuorum educationem hortatur *l. un. §. taceat C. de R.U.A.* Add. Grot. *l.2.de jur.bell. & pac.c.7.n.4.*

poteſtate patriâ liberabitur] idem diſponitur in *l.2. C.de infant. expoſ.* Nec enim ſuum qvis dicere poterit, qvem pereuntem contempſit.

jus vendicare poterit] idem habetur in *l.3. C. de infant. expoſ.* Igitur nec jus domini conſeqvitur ille, nec patris. Non domini: nam etſi pro ſervo ſublatum habuerit, adſertio tamen non denegatur ei, qvi ex hujusmodi causâ in libertatem vindicatur, neq; ipſa libertas redimitur precio alimentorum. Non patris, neq; enim ea res pro adoptione cedit, etſi filii loco ſublatum aluerit. Anton. Matthæ. *de criminib. tit. de expoſ. infant. n.2.*

Impediens conceptionem, vel abortum procurans, punitur ut homicida: ſecus, ſi id caſu fieri contingat. h.d.

§.7. Is

§. 7. Is[b] qvoqve, qvi vel causâ explendæ libidinis, vel odii meditatione viro aut mulieri aliqvid fecerit, vel potandum dederit, qvò minùs possit generare, vel concipere, vel nasci soboles, ut homicida puniendus erit. Qvanqvam aliàs, si conceptus nondum vivificatus fuerit, nec ut abigeretur, qvisqvam dolo malo fecerit, qvi abortui[c] occasionem tradidit, puniendus non erit.

b *cap. si aliqvis. ext. eodem. tit.*

c *cap. sicut ex literis. extra. eo. t. qvod verò. c. Moyses 32. qv. 2.*

qvi vel causâ explendæ libidinis] Primarius fœminæ usus est, ut ex eâ procreentur liberi, non solùm ut lîbido expleatur. Unde etiam Spartianus laudat Pescennium Nigrum, qvod rei venereæ, nisi ad creandos liberos, prorsus fuerit ignarus. *Non ad voluptatis usum, sed ad propagationem sobolis hanc mihi adjungere constitui*, inqvit Thyamis apud Heliodor. *l. 1. Æthiop. p. 40.* Et Josephus Judæos hunc tantùm ob finem cum Uxoribus congredi ait, *lib. 2. contr. Appion.* Qvisqvis ergò finem hunc intervertit, & libidinis tantùm explendæ causâ, muliere utitur, atq; in eum finem sterilitatem procurat, ipsum naturæ ordinem impetit & turbat.

vel odii meditatione] ne heres nascatur, qvi successionem speratam impediat, aut si uxor ipsa post divortium vim inferat visceribus suis, ne inimico marito filium procreet, qvod exemplum est in *l. 39. ff. de pœn.*

aliqvid fecerit] per incantationes. Qvemadmodum Ferdinandus Rex Neapolitanus fecit, ut Johannes Galeacius Sforcia aliqvot mensibus impotens esset, qvo sc. Sponsam ejus Isabellam Alfonsi Ducis Calabriæ filiam Ludovico Sfortiæ nuptum dare posset. Fr. Guicciardin. *hist. Ital. lib. 1.*

vel concipere] Dicunt tamen nonnulli, sterilitatem tùm demum fœminis procurare licere, qvando probabiliter constat, mulierem in partu vitæ discrimen subituram, vel qvia nimis arcta, vel præ uteri angustiâ fœtum ferre neqveat, ap. Barbos. *ad c. 5. X. de homicid.* Malè omninò, cum

non liceat facere mala, ut inde eveniant bona, & propter incertum puerperii eventum, impium est impedire, ne nascatur homo.

vel nasci soboles] ubi jam concepit fœmina. Aliæ enim (ut ait Hieronymus *ad Eustoch. de custod. virgin.*) sterilitatem præbibunt, & nec dum sati homicidium faciunt. Nonnullæ, cum se senserint concepisse de scelere, abortii venena medicantur.

ut homicida puniendus erit] Optimè Tertullianus *in apologet. c. 9. Nobis homicidio semper interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci. Nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est & qui est futurus.* &c. Sic & Synodus VI. in Trullo habita *can. 91. Eas quæ dant medicamenta partum abigentia, & quæ fatûs necantia venena accipiunt, homicidii pœnæ subjicimus.* Cæterùm quod impotentiam aut sterilitatem procuratam concernit, negant Doctores, pro vero homicida haberi eum debere, & proinde nec ordinariam pœnam locum habere, sed mitiorem aliquam, relegationem videlicet vel fustigationem. Berlich. *part. 4. conclus. 8. n. 89.* Circa pœnam autem abacti partûs ita distingvunt Doctores, ut si abactus fuerit fœtus, qui jam est animal, *παιδίον ἐξεικονισμένον*, utero sc. jam verminante, tùm capitale sit crimen; Sin verò nondum fuerit animal, tùm minor pœna infligatur, veluti si in primis mensibus *intra* 40. aut 90. diem abortus procuratus fuerit. Cujac. *lib. 19. Obs. 9.* Paul Zachias *qvæst. Medico-legal tit. 2. qv. 9.* Valentin. Voltzius *in append. ad L. Corn. de sicar. n. 99. seq.* In constitutione Electorali Saxon. *4. part. 4.* tum demum mortis supplicio afficiuntur abigentes partum, qvando partus jam fuerit in utero vitalis, h. e. qvando dimidium temporis jam superavit, qvo aliàs in utero esse solent infantes. Sed enim, ut maximè pœnarum gradûs statui & decerni qveant, ita ut gravius puniatur ille, qvi *παιδίον*, qvam qvi *ἔμβρυον*, & gravius, qvi *ἔμβρυον*, qvam qvi *κύημα* aut *γονὴν* abigit, in omnibus tamen his vitam illicò post conceptionem adesse, dubitare nos hodiè non sinunt Physici & Medici, qvi docent, semen, qvod in utero benè dispositio mistum & suscitatum est, illico post talem mistionem, animatum & vitale esse. Nec tamen hinc faciendum arbitror cum Antonio Thesauro, qvi qvanqvam & ipse distinctionem eam inter fœtum jam animatum & nondum animatum non admittat, nunqvam tamen locum esse vult supplicio mortis. *decis. 12.*

nondum vivificatus fuerit] Jam dixi, & animam & vitam illicò post conceptionem esse in fœtu.

qui-

qvisqvam dolo malo fecerit] Posset admitti hæc sententia, si ita intelligeretur, qvod non puniri debeat, qvi præter intentionem & planè imprudens occasionem dedit abortui. Sed enim longius hic progrediuntur Canonistæ, & statuunt, licitè posse abortionis poculum præberi, qvando evidens periculum ex partu apparet, qvod scilicet puerpera soleat ad extremum deduci, aut nimis arcta sit, aut fama ejus lædatur, aut aliter discrimen existimationis metuatur. Barbos. *adc. 5. X. h. t. n. 2.* Nihil horum sufficiens est, ut abortionis poculum licitum reddi qveat. Vid. Danhauer. *disp. decalog. 11. §. 15.*

Qvi sibi mortem inferunt, habentur similes illis, qvi impœnitentes moriuntur. h. d.

§. 8. Novissimè sciendum est pro his, qvi qvocunqve prætextu voluntariè ferro, vel veneno, vel suspendio, vel qvolibet modo sibi mortem inferunt, nullam in oblatione faciendam esse commemorationem, & ecclesiasticâ eos debere carere sepulturâ, non aliter, atq; illos, qvi pro suis sceleribus impœnitentes moriuntur. *c. placuit 23. qvæst. 5.*

& ecclesiasticâ eos carere debere sepulturâ] Si qvis tamen, cujus de vitâ benè actâ constat, sine animo doloso ex furore, melancholiâ vel aliâ animi impotentiâ manûs sibi intulerit, honestâ dignari poterit sepulturâ; non minus tamen id etiam tùm honestum erit, ut remittatur aliqvid de ceremoniis solitis, & differentia observetur inter eos, qvi laudabilem vitæ exitum faciunt, & qvi alienati qvasi à se ex hâc vitâ migrant. Carpzov. *in Jp. Consistor. lib. 2. def. 377.*

DE INJURIIS, ET DAMNO DATO,

Inferens injuriam & damnum, debet damnum passo satisfacere, nec illum excusat ignorantia. h. d.

§. 1. Mitiùs [d] cum his agitur, qvi in pugna, vel rixa aliqvē lapide, vel pugno percusserint. Si enim ille mortuus non fuerit, sed in lecto jacuerit, vel operas exercere fuerit impeditus, qvi percusserit, & opera ejus, & impensas *[*] immodicas restituet. Et generaliter, si culpâ [e] tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, vel aliis irrogantibus opem tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ, sive negligentiâ evenerunt, jure te super his satisfacere oportebit, nec te excusabit ignorantia, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.

d *cap. 1. ext. eod. tit.*

*in medicos, melius.

e *cap. fin. extra eod. tit.*

sed in lecto jacuerit] atqve hinc impeditus fuerit operas suas exercere. Qvi enim in lecto decumbit, ab operis suis desistere eum oportet. Sive ergo decumbat percussus, sive non, dum laborem solitum peragere impeditur, damnum istud resarcire tenetur percutiens.

restituet] Judex enim æstimationem faciet impensarum in curationem factarum, & operarum amissarum, qvasqi amissurus esset inutilis factus *l. 3. ff. si quadrup. paup.* Æstimatio autem operum ita fieri debet, ut delinqvens teneatur annuatim solvere certam summam & qvantitatem qvolibet anno, qvo vixerit. Petr. Binsfeld *cap. 1. de injur. & damn. dat. q. 3. concl. 4.* ubi porrò adserit, etiam Uxori, marito, parentibus, aut liberis satisfaciendum esse à percussore, si illis à mutilato alimenta præstita fuerint, & præstari amplius neqveant.

Generaliter, si culpâ tuâ] Pertinet huc totus tractatus JCtorum

JCtorum de L. Aqviliâ. Ejusqve tàm generalis in juris civilis libris habetur consideratio, ut non modo dolum, verum etiam omnes culpæ species, latam scilicet, levem & levissimam sub se complectatur, *l. 44. ff. ad L. Aqvil.* Nam L. Aqvilia non tantùm verum delictum, qvod semper ex dolo est, coercet, sed etiam qvasi delictum. Imò verò nec ea qvidem culpa excluditur, qvæ in omittendo seu negligendo consistit, si modo negligentia circa factum aliqvod antecedens causam damni præbuit. Arnold. Vinn. *ad §. 2. Inst. de leg. Aqvil.*

opem tulisti] Singuli enim hîc ex suo facto obligantur, & pro eodem actori satisfacere tenentur. Et hinc igitur qvod alius præstitit, alium non relevat, cum sit pœna, *l. 11. §. 2. ff. ad L. Aqvil.*

aut hæc imperitiâ tuâ] In hâc materiâ etiam imperitia & infirmitas culpæ annumeratur *l. 132. ff. de reg. jur. §. 6. 7. 8. Inst. h. t. l. 7. §. 1. l. 8. ff. eod.* Nec movet, qvod omnia scire superet humanum captum, & qvod propter naturalem naturæ infirmitatem neqveamus robustiores esse. Ipsa enim imperitia & infirmitas in se spectata culpa non est, sed in reatum culpæ incidit, negocium, qvod humeris suis impar est, in se suscipere, cum affectare qvis non debeat, in qvo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem suam alii periculosam futuram. *l. 8. ff. ad L. Aqvil.*

neqve te excusabit ignorantia] e. g. in putatione arboris, ut maximè ignores aliqvem præterire, qvia tamen scire debuisti, ex dejectione rami damnum dari posse, proclamare debuisti, idqve si non feceris, teneris, *§. 5. Inst. de leg. Aqvil.*

Si tuum animal damnum dedit, potes liberari illud dedendo, nisi sit ferum animal & nocere solitum, & non fuerit adhibita debita diligentia. h. d.

§. 2. Qvòd si[f] animalia tua nocuisse proponantur, nihilo minùs ad satisfactionem teneberis, nisi ea pro noxa dando damnum pasis, te ipsum velis liberari: qvod tamen ad liberationem non sufficit, si fera fuissent animalia, & qvæ nocere consveverant, &, qvam

[f] *cap. fin. §. qvod. extr. eod. tit.*

qvam debueras, diligentiam non adhibuisti. Diversum statuitur in eo, qvi, ut damnum non contingeret, nihil omisit.

Qvod si animalia tua] Pertinet huc totus titulus *ff. si qvadrup. paup. fec. dic.* Intelliguntur autem hîc animalia mansveta, qvæ contra naturalem mansvetudinem omnium ejus generis animalium, & qvasi ex contracto qvodam vitio damnum dant, ut est eqvus calcitrosus & bos cornu petere solitus *pr. Inst. si qvadr. paup.* Qvod si fera bestia, qvam qvis habet, nocuit, de pauperie qvidem directa actio non datur *l. 1. §. 10. ff. si qvadr. paup.* sed datur tamen utilis, dummodo adhuc sit in potestate ejusmodi fera, *§. 2. Inst. eod.*

nisi ea pro noxâ dando] Non igitur obligatus est dominus animalis præcisè, ut damnum omne resarciat, sed in libero ejus est arbitrio, vel damnum resarcire, vel dare animal, qvod damnum dedit, *l. 1. ff. h. t.* Ex causâ tamen gravius coërceri poterit dominus, si sciens vitium animalis, passus est id vagari sine custode. Jure Saxonico dominus animalis electionem hanc amittit, si post damnum datum, animal in possessionem suam recipiat, tùm enim de integra damni æstimatione tenetur, & qvandoq; etiam arbitrariè carcere aut mulctâ pecuniariâ punitur. Carpzov. *pr. crim. p. 3. q. 131. n. 19. seqq.*

si fera fuissent animalia] Tùm enim damno ab eis dato, dominus ad æstimationem tenetur, nec liberatur, si animal istud habere amplius nolit. Carpz. *d. l. n. 23.* Cæterùm si hujusmodi feræ à dominis ita effugiunt, ut non amplius in ejus dominio esse intelligantur, non potest qvondam dominus convenire. *§. 1. Inst. si qvadrup. paup.*

nihil omisit] Qvi tales feras habet & alit, tenetur omnem curam adhibere, ne qvem lædant.

Injuriæ inferuntur re, verbis, literis, & pœna est arbitraria. h. d.

§. 3. Inferuntur[a] autem injuriæ tribus modis: Re, Verbis, & Literis. Re, ut cùm manus inferuntur. Verbis, ut cùm convicium dicitur. Literis, ut cùm in alterius

[a] *gloss. in ver. injuria. cap. fin. ext. eod.*

terius vituperationem carmen, aut famosus libellus conscribitur: qvibus omnibus casibus pro qvalitatibus admissi & atrocitate, prudens judex pœnas irrogabit.

tribus modis] imò duobus tantùm, re & verbis. Injuria enim qvæ literis aut scriptis fieri dicitur, non aliter fieri potest qvàm verbis *l. 1. §. 1. ff. de injur.* Et ut Paulus ait, non figurâ literarum, sed oratione, qvam exprimunt literæ, obligatur. *l. 38. ff. de O. & A.*

cum manus inferuntur] *d. l. 1. §. 1. ff. de injur.* & his verbis continetur omne illud, qvod ab aliqvo non voce, sed facto duntaxat admittitur. idqve vel in corpus infertur, vel citra corporis læsionem. Ad priorem speciem pertinent verbera sive manu, sive fustibus, aut flagris, aut lapidibus illata *l. 5. §. 1. ff. eod.* item, qvando qvis alterius vestimenta injuriosè tangit, pileumve convellit *l. 9. pr. ff. eod.* vel simo corrupto aliqvem perfundit, luto conspurcat *l. 1. §. 1. ff. de extraord. crim.* vel in vicini domum aut fundum stercora, simum, sordes, aliosve fœtores injuriæ faciendæ causa effundit, immittit vel projicit *l. pen. ff. h. t.* Ad posteriorem speciem referuntur, qvando qvis in alicujus contemptum lugubri aut squalidâ veste utitur, *l. 15. §. 27. & l. 39. ff. h.* in ejus contumeliam lingvam exerit, oculos distorqvet, faciem deformat, barbam capillosve demittit, elevatâ manu verbera minatur *l. 15. §. 1. & 27. h.* item, qvi matremfamilias aut prætextatum prætextatamve adsectatus fuerit, vel appellaverit *§. 1. Inst. h. t.* & ejusmodi alia.

cum convitium dicitur] Convitium dicitur qvasi convocium *l. 15. §. 4. ff. de injur.* Et propriè denotat, qvod à pluribus & cum qvâdam vociferatione dictum est. Sed postea ejus significatio ampliari cœpit, & ad omne id extensa est, qvod cum vociferatione dicitur, sive unus, sive plures dixerint *d. l. 15. §. 11. ff. eod.* & deniqve ad omne maledictum tracta est, qvod extra cœtum fit. De ipso vocabulo vid. Alciat. *l. 4. de V. S.* Sed & citra convitium injuria verbis fieri potest, e. g. si qvis non debitorem qvasi debitorem appellaverit *d. l. 15. §. 33. ff. eod.* aut si qvis puellam blandis verbis sollicitet ad stuprum *d. l. 15. §. 20.*

conſcribitur] Fit iſtud vel ſcripto claro vel figurato. & vel cum, vel ſine infamiâ. Ad ſpecies ſcripturæ figuratæ refertur etiam picturа famoſa. De hoc tamen diſqviritur, utrum pro libello famoſo habendus ſit ille, cujus autor nomen ſuum ſubſcripſit. Negat poſt alios Finkelthaus *Obſ. 38.* Sed rectius meo judicio alii, qvos refert & ſeqvitur Henr. Hahn. *Obſ. in Weſenbec. n. 19.* propter *l. 5. §. 9. ff. de injur.* Colleg. Argent. *b. t. n. 41.*

pro qvalitatibus admiſſi & atrocitate] Atrocitas iſta æſtimatur ex qvalitate facti, loci, temporis vel perſonæ. Atrox enim injuria habetur, ſi qvis fuſtibus cæſus fuerit *l. 7. §. ult. ff. h.* ſi qvis in loco ſacro aut in theatro injuriâ affectus fuerit *l. 9. §. 2. ff. eod.* item, ſi in convivio, in ludis, aut eo tempore, qvo qvis in ſacerdotio eſt, illata fuerit injuria *l. 7. §. f. ff. eod.* aut ſi magiſtratus à ſubdito contumeliosè lacesſitus fuerit *d l. 7. §. ult. l. 17. §. 3. ff. eod.*

pœnas irrogabit] qvæ ſunt carceris, mulctæ pecuniariæ, fuſtigationis, relegationis, & qvandoqve etiam ultimi ſupplicii. *E. g.* qvalitas objecti per ſcripturam criminis diverſitatem pœnæ inducit. *Si enim* contumeliæ tantùm causâ qvis aliqvem claudum, luscum, &c. appellet, injuria tantùm ſcripta dicitur & extra ordinem punitur; at ſi crimen aliqvod ei objiciat, & tale qvidem, qvod pœnam mortis meretur, pœna capitalis locum habet. Talis ſcriptura, qvâ crimen objicitur, in ſpecie libellus famoſus appellatur. Vid. Franzk. *ad §. 1. Inſt. de injur.*

Conficiens famoſum libellum, & manifeſtans, pari pœnâ puniuntur. b. d.

§. 4. Eo amplius ſi qvis famoſum libellum invenerit, & non ſtatim corruperit, vel combuſſerit, ſed ejus tenorem dolosè manifeſtaverit, qvaſi author, plectendus erit.

Eo amplius] Conſtitutum ita eſt in *l. un. C. de famoſ. libell.* & conferri hic poſſunt, qvæ eleganter traduntur ab Ludovico à Pegvera *deciſ. 77.* & in Colleg. Argent. *b. t. n. 41.* Scribit tamen Menochius, ex facto qvæſitum ſe reſpondiſſe, eum, qvi ab alio ex curioſitate hujusmodi libellum accepit,

perit, ut inde exemplum retinendi non divulgandi animo sumeret, extra noxiam esse, *de arb. jud. quæst. cas. 263. n. 48.*

DE ECCLESIASTICIS CENSURIS,

TITULUS XII.

Ponit continuationem præcedentium, & subsequentium. h. d.

§. 1. Postqvam tàm primo libro personarum, qvàm secundo rerum Ecclesiasticarum tractatum cũ his, qvæ annexa sunt, summatim complexi fuimus, subinde ad reliqvos venientes, judiciorum tam Civilium, qvàm Criminalium materiam & seriem explanavimus, delictorum & naturam & pœnas breviter perstringentes: cùm tam ratione contumaciæ, qvàm etiam aliorum excessuum Ecclesiasticis censuris interdũ aliqvos innodari variis locis admonuerimus, supereſt nunc, ut operi finem imponentes, de ipsis censuris fusiùs & distinctiùs disseramus.

Postqvam] Brevem hîc autor præmittit ἀνακεφαλαίωσιν omnium eorum, qvæ hactenus per singulos libros pertractavit. Cumqve identidem censurarum Ecclesiasticarum fecerit mentionem, (per has enim præcipuè monarchia papalis hodiè sustinetur) earum vim plenius explicare nunc intendit.

Qvid veniat appellatione censuræ Ecclesiasticæ, qvid sit excommunicatio, qvid interdictum, qvid suspensio. h. d.

§. 2. Ecclesiasticæ censuræ nuncupatio tria regulariter complectitur: scilicet, Excommunicationis, interdi-

cti, & suspensionis sententiam. Excommunicatio, est à communione exclusio. Interdictum Ecclesiasticum, est à certis sacramentis, & omnibus divinis officiis & sepultura Ecclesiastica facta prohibitio. Suspensio, est inhabilitas qvædam ordinum, vel officiorum executionem impediens. Sed ne de omnibus simul tractantes, legentibus difficultatem ingeramus, distinctè de singulis disseramus, ac primùm de Excommunicatione.

Ecclesiasticæ censuræ nuncupatio] Distingvit Marcus Antonius de Dominis *lib. 5. de Rep. Eccles. c. 9. n. 6.* censuram à pœnâ, & censuram vocat eam, qvæ potestate clavium exercetur, & ita peccatum ligat in terris, ut etiam in cœlis sit ligatum. Ubi vero tale vinculum aut ligamen coram Deo non nectitur, neq; animâ attingit, ineptè vocari dicit censuram, & esse tantùm pœnam aliqvam externam Ecclesiasticam. Et hinc porrò negat, interdictum veram esse censuram, *n. 38.* idem sine dubio diceret de suspensione. Canonistæ tamen communiter definiunt censuram, qvod sit sententia privans bono aliqvo spirituali per Ecclesiasticam potestatem prolata principaliter ad subditi correctionem. Aug. Barbos. *in c. qværenti 20. X. de V. S.* Et certè nihil prohibet censuram appellare, qvando Ecclesia censet de fratris statu & conditione, qvam habuit hactenus in communione fidelium, & de eo statu dejicit aut seqvestrat eum, vel omninò, vel ad partem. Sed in hoc tamen non facio cum Canonistis, qvod ad forum tantum externum censuras suas restringant, uti videre licet ap. Martin. ab Azpilcuet. Navarr. *in manual. c. 27. n. 1.* cum utiq; ipsas etiam conscientias afficiat excommunicatio, neq; effectum hunc negare possit Navarrus, *seq. num 3.*

tria regulariter complectitur] Barbosa *d. l.* præter ista tria nulla admittit alia, & si qva dentur, reduci ad illa debere contendit. Conf. H. Zoes. *tit. de sentent. excommun. n. 28.* Sanè plures recensentur in antiqvis Ecclesiæ monumentis pœnarum species, ut est communio laica, item communio peregrina; Sed qvia utraq; hæc solos clericos attinuit, illa depositionis,

nis, hæc suspensionis ab officio fuit effectus, & hinc ad causas suas erunt referendæ. Vid. Calixtus *de commun. sub unâ §.134. seq. it. §.141. seq.*

Excommunicatio est à communione exclusio] Nimis generalis est hæc definitio, qvippe qvæ simpliciter de omni societate, etiam merè civili, intelligi posset. Rectius describitur, qvod sit censura Ecclesiastica, per qvam cujusvis particularis Ecclesiæ membrum, ob scandalosum crimen in vitâ, aut falsam & scandalosam professionem in fide suspenditur, vel etiam planè exeluditur à communione, tùm internâ, gratiæ spiritualis, tùm externâ, verbi & sacramentorum, nec non conversationis fraternæ, qvæ Christianis tanqvam fratribus etiam extra cœtûs sacros intercedit. Hülseman. *de corrept. fratern. §.18. n.131.* Perperam igitur etiam hîc statuunt Canonistæ, qvod excommunicatio nihil operetur qvoad Ecclesiam triumphantem & qvoad DEUM. Navarr. *d.l.n.2.*

Interdictum Ecclesiasticum] De interdicto & suspensione dicemus infra specialibus titulis, & nunc seqvemur autorem κατὰ πόδα.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS,

TITULUS XIII.

Minor excommunicatio à perceptione sacramentorum, Major etiam à fidelium communione separat. h.d.

§. 1. Excommunicationum duæ sunt species, minor scilicet, & major. Minor est, per qvam qvis à sacramentorum participatione conscientiâ, vel sententiâ arcetur. Major est, per qvam qvis non solùm à sacramentorum excluditur perceptione, verùm etiam à communione fidelium, qvæ ab omni actu legitimo separat ac dividit: & hæc alio nomine [a] *Anathema* appellatur.

c. si qvem. h. tit. c. à nobis, de Except.

a can. fin. 3. qv. 4. c. præsenti 5. q. 2.

Excommunicationum duæ sunt species] Marcus Antonius de Dominis addit tertiam, qvæ solo consortio excludit, non etiam perceptione Sacramentorum, *l.5. de Rep. Eccles. c.9. n.12.* qvando scilicet Ecclesia aliqva negat suam communionem alii Ecclesiæ; & talem excommunicationem negat esse propriè dictam censuram, sed vel nudam pœnam, vel cautelam aut præservativum aliqvod. Sed enim, uti ante dixi, non satis apparet, cur censuræ nomine venire non debeat judicium Ecclesiæ de membri alicujus, aut etiam integræ alterius Ecclesiæ statu & conditione. Deinde si particularis aliqva Ecclesia negat suam communionem alteri Ecclesiæ, negabit etiam Ecclesiæ illius membris sacramentorum apud se perceptionem. Et hæc tamen subtractio communis Christianorum beneficii non est qvædam inter majorem & minorem excommunicatio media, uti etiam Ethius putavit *in comm. ad 1. Cor. 5, & 2. Thess. 3.* sed revera videtur pertinere ad minorem excommunicationem. Qvanqvam enim per subtractionem meæ Ecclesiæ nulla videatur propriè fieri excommunicatio, qvippe qvæ potestatem aliqvam præsupponit, qvam non habet Ecclesia in Ecclesiam; Qvia tamen excommunicatio nihil aliud est, qvam privatio communionis, qvam aliqvis habuit sive jure solo, sive jure & exercitio simul, nihil interest, ab utra parte rumpatur illa communio. Et qvia communio sanctorum externa reciprocam communionem reqvirit, i. e. mutuam datione & acceptionem Sacramentorum, consequens hinc est, negationem admissionis *ad nostra sacra*, & prohibitionem accessionis ad sacra aliorum, in effectu non nisi excommunicationem esse. Agit enim hîc Ecclesia adversus Ecclesiam eodem modo, qvo Respublica adversus Rempublicam, qvarum neutra superiorem agnoscit.

à sacramentorum participatione] non autem à communione audiendi verbum divinum. Hâc enim gratiâ etiam catechumeni gaudent, etsi ad communionem sacramentorum nondum admittantur.

Conscientia] Hoc verbum videtur referri debere ad excommunicationem canonis sive latæ sententiæ, de qvâ mox.

Major est] Major, uti Lutheri ætate usu & exercitio Pontificiorum invaluerat, in articulis Schmalcaldicis vocatur pœna civilis, non pertinens ad ministros Ecclesiæ tanqvam judices ordinarios. Propter qvod etsi reprehendat Lutherum Didacus Covarruvias *in relect. c. alma mater de sent. excomm. in 6. part. 1. n. 9.* negari tamen neqvit, non mansisse apud Pontificios excom-

excommunicationem in terminis censuræ Ecclesiasticæ, sed in civilem degenerasse pœnam, dum scilicet Pontifex per talem excommunicationem omnia societatis humanæ vincula, qvæ inter parentes & liberos, magistratum & subditos, Virum & Uxorem intercedunt, relaxat. In sensu enim Ecclesiastico & genuino major excommunicatio civili hâc communione non privat, sed tantùm sacra conversatione piorum. Et hæc summum futuri judicii præjudicium dicitur Tertulliano *apolog. c. 39.* si qvis ita deliqverit, ut à communicatione orationis & conventus & omnis sancti commercii relegetur.

ab omni actu legitimo separat] Excommunicatio, uti ante dixi, non tollit vincula officiorum. Spiritualis enim animæ pœna non dissolvere potest vincula, qvæ jus divinum, naturæ & gentium colligavérunt, sed illa tantùm, qvæ baptismi & sacramenti cœnæ communione contracta sunt. Qvod igitur per Ecclesiæ beneficium collatum non est, neq; auferri potest per censuram Ecclesiæ: Jus civitatis, commerciorum &c. per Ecclesiæ beneficium collatum non est. Ergo &c. Vid. Joh. Davenantius *qvæst. theol. 48.* Et hinc rectè colligunt nonnulli, in Reges & principes non competere, nisi excommunicationem minorem.

anathema appellatur] ἀνάθημα græcè, non ἀνάθεμα. Hoc enim est donarium, qvod consecratum numini in parietibus vel columnis templi ex lacunaribus suspendebatur, dictum ἀπὸ τῦ ἀναθῆναι i. e. à suspendendo, vel, si mavis, à seponendo, qvia nefas erat rem semel consecratam ad profanos usûs revocare. At ἀνάθημα apud gentiles dicebatur res sacra, & maximè homo sacer, qvi, qvoties imminentis iræ divinæ signa aderant, mitigandæ & avertendæ illius causâ vel voluntariè sese ad victimam offerebant, vel à populo universo ad hoc destinabantur. Etiam apud Hebræos חרם erat votum maximum, qvo res devota occidi & exscindi debebat, sicut legitur *Levit. 27, 28.* In sensu igitur ecclesiastico ἀνάθημα esse, significat excisioni atq; æternæ damnationi obnoxium esse, & hinc denotat excisionem hominis ex Ecclesiâ & à communione salutis. Cujacius *in c. 10. X. de judic.* majorem dicit esse coërcitionem anathematismi, qvàm excommunicationis; excommunicationem majorem separare à fraterna societate & consvetudine; minorem à Sacramentorum perceptione tantùm, non à consortio fratrum: at anathematismum rescindere & avellere ab ipso corpore Christi. Conf. Marc. Anton. de Dominis, *d. l. n. 16.*

Excom-

Excommunicationum aliæ sunt latæ sententiæ, aliæ ferendæ. Et latæ sententiæ est, cùm qvis sine facto judicis à jure excommunicatur.

§. 2. Rursus excommunicationum alia Canonis, alia Judicis. Canonis est, qva qvis ab ipso solùm Canone absq; judicis ministerio innodatur, qvæ etiam alio vocabulo *latæ sententiæ excommunicatio nuncupatur*. Sciendum est enim, complures esse casus, in qvibus adeò qvis delinqvere existimatur, ut nullâ expectatâ judicis pronunciatione ipso jure excommunicationis vinculis innodetur: qvod qvidem qvanqvam innumerabilibus propè exemplis declarari possit, unius tamen tantùm prosecutione contenti erimus.

c. si inimicus 11. qv. 3.

alia canonis, alia judicis] Hanc distinctionem planè rejicit Marcus Antonius de Dominis *l. 5. de Rep. Eccles. c. 9. n. 22.* Qvia enim excommunicatio fieri neqvit, nisi in foro Ecclesiæ externo; forum autem istud externum instrui neqvit, nisi adversus talem delinqventem, qvi Ecclesiæ apertè notus est, satis hinc cōstat, excommunicationis, qvæ ipso facto & latæ sententiæ dicitur, qvia in ignotum fertur, nullam planè esse in foro Ecclesiæ, vim & efficaciam. Ut maximè n. in conscientiâ suâ sentiat delinqvens, subjacere se pœnæ canonis, eamq; se commeruisse, ligamen tamen istud conscientiæ solum respicit tribunal divinum, nullatenus forum & tribunal Ecclesiasticum, qvamdiu ipse delinqvens Ecclesiæ fuerit ignotus. Et verò qvomodo Ecclesia in talem exeqvetur suam sententiam? qvomodo eum expelleret, qvomodo à conventibus sacris amovebit? qvomodo fidelium consortio privabit? de qvo, qvis fuerit, nihil omninò constat. Semper igitur in tali casu reqviritur sententia, & qvod à canone pronunciatur legaliter, id à judice pronunciari debet applicativè. Canon enim pœnam denunciat culpæ & delinqventibus in genere, judex verò personis in particulari, & hinc qvod lex sancit, homo homini in foro

ro externo pronunciare debet, qvandoqvidem & aliàs in omni delicto cauſæ cognitio præcedere debet, ut applicari qveat pœna. Solent vero Canoniſtæ pœnam Canonis ferè ex ipſo delinqventis judicio æſtimare. Volunt enim irregularem qvem cenſeri debere, qvoties ſpeculativè dubitat, an fuerit homicida, & ſic talem irregularitatem durare tamdiu, donec durat dubium; qvod ſi dubium expellatur, etiam irregularitatem ceſſare absq; aliâ novâ declaratione aut diſpenſatione. Thom. Hurtad. *tr.3 cap.1.reſolut.6. n.35.*

compiures eſſe casûs] Magnum in his caſibus & totâ hâc excommunicationis ſpecie latere papatûs arcanum putat M. Ant. de Dominis *d.l.* comparaſſe enim ſibi Pontifices hiſce terroribus & imaginariis atq; fictitiis Eccleſiæ ligamentis, exactiſsimam omnium obedientiam, & feciſſe, ut homines ab iis, qvæ Papa vetaret, penitus abſtinerent, metu ſc. excommunicationis ipſo facto ſibi imminentis.

Qvi Deo dicatos homines corporaliter offendunt, incidunt in excommunicationem latæ ſententiæ, à qva non poſſunt abſolvi, niſi per Papam. hoc dicit.

§. 3. Si qvis igitur [b] in clericos, regulares, monachos, profeſſos, vel novitios, vel converſos violentas & impias manus injecerit, ipſo jure Canonis incurret ſententiam, à qva præter qvàm à Romano Pontifice, vel ejus de latere legato [c], à qvoqvam abſolvi non poterit.

b *cap. nos dubiũ. ext. eod. c. ſi qvis ſuadente. 17. qu. 4.*

c *cap. ea noſcitur. cap. ad eminentiam. extm. eod.*

Si qvis igitur] Longam hîc incipit autor tractationem de percuſſione Clerici, & qvatenus percutiens excommunicationem ipſo facto incurrat, qvâ qvidem abſtinere potuiſſet, ſi qvidem compendium ſcribere conſtitutum fuerat. Sed enim ſolenne id eſt pontificiis, ut ſanctitatem ſuorum clericorum ubiq; deprædicent, ne chara capita, etſi meruerint maximè, unqvam violentur, & ne deficiat ullâ in parte regnum Anti Chriſti. Conqveritur hâc de re Natio Germanica in comitiis Noribergenſibus his verbis: So ein Pfaff oder andere geweihete Perſon er-

ſchlagen/wird nicht allein der Thäter verbannet / ſondern auch die Stadt interdiciret / und ſo lange interdict gehalten / auch kein Chriſtlich Werck vollbracht / biß der Thäter oder die Gemeine Abtrag thue. Sed & cadaver Clerici ſi qvis minus religiosè tractaverit, excommunicationem eum incurrere volunt. Bajard. *ad Jul. Clar. qv. 77. n. 16.*

vel ejus de latere legato] Qvis dicatur Legatus de latere, expoſitum eſt nobis ſupra lib. 1. tit. 27. Referunt tamē duodecim exceptiones, qvibus etiam per Epiſcopum aut Sacerdotem, taliter excommunicatus abſolvi poſſit, uti notat Petrus de Ferrar. *in pmx. tit. 4. n. 6.* imò hodiè ex bulla Cruciata, uti vocant, concludunt, omne peccatum, omnemq; cenſuram, ſummo licet Pontifici reſervatam, exceptâ duntaxat hæreſi, poſſe à confeſſore remitti, & validam etiam eſſe hujus abſolutionem, qvamvis illicitam, ſi vel maximè nulla præceſſerit ſatisfactio. Hurtad. *tr. 4. c. 8. reſol. 47. n. 580.*

Complices inferentium manus violentas clericis, pari pœnâ cum inferentibus puniuntur. h. d.

§. 4. Sed & ſi manus qvis violentas non injecerit, inferenti tamen vel author [d], vel fautor, vel adjutor fuerit, aut factum ratum habuerit, pari pœnâ illum plectendum Catholica ſanxit authoritas, eos etiam delinqventibus favere interpretata, qvi, cum poſſunt, manifeſto ſceleri deſinunt obviare.

d *cap. mulieris. in fin. extra eod. & cap. qvanta præſcriptionis. d. titul. & c. cum qvis. h. t.*

ſed etſi manus qvis violentas] Pari & majori etiam ſecuritate clericos ſuos munit Pontifex, qvam conſiliarios ſuos Imperator in *l. 5. C. ad L. Jul. Majeſt.* Sed nihilominus iſtam aſſertionem Canoniſtarum limitant Moraliſtæ, qvi volunt non incurrere excommunicationem eum, qvi parato occidere inimicum in Eccleſiâ conſulit, ut potius extra Eccleſiam occidat, etiamſi occiſus Clericus vel Cardinalis ſit, qvia ſcil. talis conſulens non influit in malitiam homicidii. Thom. Hurtad. *tr. 1. reſol. 17. n. 157.* Id ultimum qvam abſonum ſit, & à pietate Chriſtianâ alienum, pueri noſtri norunt & catechumeni. Alias autem etiam pueros

ante

ante pubertatis annos hâc censurâ ligari volunt, ut notat idem Hurtado *tr.4 c.8.resol.19.*

aut factum ratum habuerit] In delictis, si factum alienum ratum habitum est, nolunt Doctores ordinariam decernere pœnam probanti, sed mitius extra ordinem puniendum censent. Did. Covarruv. *in Clem.si furiosus part.2.§.1.n.5.* Jul.Clar. *§.fin.qvæst.87.* qvandoqvidem qvi ratum habet,neq; ipse suâ manu deliqvit, neq; causam sceleri dedit. Improbitas autem gaudii,qvod qvis ex alieno scelere capit,non obligat pœnâ sceleris. Vid. Anton. Matthæ. *de criminib.proleg.c.1.n.14.*

desinunt obviare] Etiamsi id ob timorem intermissum fuerit, uti extendit assertionem Martinus ab Azpilcuet. Navarr. *tom.3. cap. 24.n.21.* Durum est verò eâdem excommunicationis pœnâ hos teneri. Et idcircò verba hæc nonnulli interpretantur de illis, qvi ratione potestatis ad hoc tenentur,ut percutientem prohibeant. Aliàs verò omissio talis non ordinariam delicti meretur pœnam, sed extra ordinem & ex arbitrio judicis utplurimùm punitur.

Detinens, vel ducens clericos in vincula,incurrit excommunicationem latæ sententiæ,nisi faciat de voluntate suorum prælatorum.h.d.

§. 5. Interdum etiam si nullam corporis læsionem clericis qvis intulerit, excommunicationis tamen pœnam non evadet: utputa[e], si laicus in publica, vel privata custodia illos detinuerit, vel in vincula conjecerit,nisi tamen id de mandato faciat prælatorum, qvorum illi sunt jurisdictioni subjecti: tunc enim citra excommunicationis metum & capere clericos, & ad judicium violenter ducere laici poterunt: cùm hoc non ipsi,sed illi,qvorum authoritate hoc faciunt, agere videantur, dum tamen non amplùs

e *cap. nuper à nobis. extra. eod.tit.*

c.ut fama.§. Laici verò.h.t.

pliùs eorum se extendat violentia, qvàm defensio clericorum exigit.

privatâ custodiâ illos detinuerit] Potestas incarcerandi non competit privato *l. 2. Cod. de privat. carc. & l. 1. C. de coborat.* per rationem in *l. 13. ff. qvod met. caus. l. 176. ff. de R. J.* Petr. Gregor. *syntagm. l. 31. c. 33. n. 2.* Prosp. Farinac. *l. 1. tit. 4. qv. 27. n. 8.*

nisi tamen id de mandato faciat prælatorum] imò verò non necesse est, ut semper præcedat mandatum, sed si clericus in flagranti delicto inveniatur, potest judex secularis vel officialis ejus eum capere & judici suo præsentare. Anton. Gomez *tom. 3. resol. c. 9. n. 3.* qvemadmodum & aliàs captura facinorosorum promiscuè unicuiq; conceditur *l. 1. C. de fals. mon. l. 56. §. 1. ff. de furt.*

qvam defensio clericorum exigit] h. e. qvàm repugnantia & resistentia eorum exigit, dum scilicet trahi & duci ad judicem nolunt.

Si Abbas imperet laico, ut monachum etiam causâ disciplinæ verberet, uterqve incidit in excommunicationem: secùs autem, si imperet clerico ex causa necessitatis. h. d.

§. 6. Qvòd autem diximus, non facientes, sed eos, qvorum sit authoritate, qvid facere videri, absolutè non procedit. Nam [a] si laicus, qvi in Abbatis ipsius servitio commoratur, ejusdem jussu in clericum, vel conversum, vel monachum etiam subsistente causâ manus injecerit, tam qvi tales verberari præcipit, qvàm qvi mandato verberat alterius, excommunicationis sententiam non evadent. Nam si disciplinæ regularis gratiâ id faciendum sit, vel Abbas

a *cap. universitatis. extr. eod. tit.*

Digitized by Google

bas id per ſe ipſum faciet, vel ſi neceſſitas urgeat, per clericum, vel monachum id fieri jubebit.

tam qvi tales verberari præcipit] Prælati igitur, ſi clericos ſibi non ſubditos per perſonas, qvibus id non competit, percutiant, excommunicationis cenſuram incurrunt. Molin. *tr. 5. diſp. 51.*

Nam ſi diſciplinæ regularis gratia] Procedit ergò id qvod dixit, tantùm in iis, qvæ modicam coërcitionem reqvirunt. Qvod ſi gravius delictum fuerit, non peccabit Laicus, ſi ad mandatum prælati in Clericum animadvertat. Et ita hodiè obſervatur inter ipſos Pontificios, ut mandante Epiſcopo clerici à judicibus Laicis torqveantur. Jul. Clar. *ſentent. l. 5. §. f. q. 64. n. 25.*

Tam percutiens volentem clericum, qvàm clericus conſentiens, ſunt excommunicati. h. d.

§. 7. Volentem [b] qvoqve clericum ſi percuſſerit, nihilo minùs excommunicationis cenſuram incurret: ut reſponſum eſt de eo clerico, qvi cùm laico injuriam intuliſſet, volens ſecundum conſvetudinem patriæ pro injuria illata offenſo ſatisfacere, ſponte ſuâ fuſtium ſe ſubjecit percuſſionibus. Qvanqvam enim hæc manuum injectio non ſit violenta, tamen injurioſa videtur: & Canon reſpexit non tam favorem clerici ordinati, qvàm clericalis ordinis: unde hoc caſu tàm percutiens, qvàm ſeipſum percuſſionibus ſponte ſubjiciens excommunicationis ſententiâ innodabitur.

[b] *cap. continget interdū. extr. eod. tit.*

Digitized by Google

excommunicationis censuram incurret] Hoc non dicitur in *c. contigit 36. X. h. t.* Et contrariam sententiam ad eum textum defendit Augustinus Barbosa. Neq; enim ibi de percutiente agitur, ex cujus parte omninò requiritur, ut percussio sit violenta per *c. si quis suadente 17. qu. 4.* sed de clerico, qui seipsum percussionibus sponte subjicit.

secundum consuetudinem patriæ] Dira & sæva est hæc consuetudo, nō aliter injuriantem in gratiam recipere, nisi sponte se fustigationi subjecerit. Et ita tamen in Hispaniis aliquando observatum fuisse, ex inscriptione *d. c. 36.* quæ ad ArchiEpiscopum Bracarensem est, colligitur.

quam clericalis ordinis] Consuetudo tamen toti Clericali ordini poterit esse præjudicio, uti de Gallorum moribus fertur, quod apud eos Clerici à Laicis verberentur, nec tamen verberantes incidant in excommunicationem. Augustin. Barbos. *ad c. 24. n. 3. X. h. t.*

Ponit tres casus, in quibus percutiens clericos in Canonem lata sententia non incidit. h. d.

§. 8. Ex contrario accidit interdum, ut etiam pro violenta manuum injectione excommunicationi quis non subjiciatur: veluti [c] si clericum sibi manus inferentem ita quis in continenti vi repellat, ut læsionem inferat, aut in eum, quem cum uxore, matre, sorore, vel filia turpiter se gerentem invenerit, manus violentas injecerit. Idem statuitur [d] & de eo, qui illum percusserit, quem probabiliter ignorabat esse clericum.

c *cap. si verò, el 1. §. si verò. extra. eod.*

d *cap. si verò, el. 2. extra. eod. tit.*

Ex contrario] Novem ejusmodi casus exceptos refert Petrus de Ferrariis *in prax. tit. 4. n. 5.* idque mirum videri potest, quod exceptionem aliquam admittant adversus clericos, tàm chara Papæ capita.

velu-

Digitized by Google

veluti si clericum] Percutiens enim percutientem aut percutere volentem dicitur pro suâ defensione id fecisse, & tùm sufficere volunt insultum, aggressionem aut terrorem amorum. Obrecht *de defens. necess. c. 14. n. 57. 58.* Sed & pro defensione patris aut filii qvi percusserit Clericum, non incurrit sententiam excommunicationis. Philipp. Paschal. *de virib. patr. pot. part. 3. c. 6. n. 33.* Id verò valdè miror, jure pontificio adversus clericum defensionem fuisse permissam, præsertim cùm id ubiqve agatur, ut non salva & integra tantùm sit Clericorum conditio & status, sed etiam ut eminentior existat. Et qvæ ergo proportio erit inter percussionem Clerici & percussionem Laici? Si præsertim obtineat sententia, qvæ nunc passim propugnatur, licitè omitti defensionem sui, qvando invasor est persona publica, aut Reip. maximè utilis. Præter morem ergò benignius hîc est jus pontificium.

qvem cum uxore] vocabula hæc strictè accipi volunt Canonistæ, nec propterea excommunicationis pœnam evitare, qvi percusserit Clericum cum aviâ aut nepte repertum, qvod verba capituli ultra personas expressas non sint extendenda.

turpiter se gerentem] si videlicet invenerit in amplexibus, aut osculantem, aut aliàs in loco suspecto. Talia enim sufficere volunt ad excusationem percutientis. Sed mulieri tamen ipsi clericales amplexûs ferre nolenti certos posuêre limites, qvos si egressa fuerit, excommunicationis censuram incurrat. Hoc qvidem admittunt, licere mulieri clericum pudicitiam suam ipso facto tentantem percutere, secus tamen esse volunt, si eum Clericus solis verbis aggrediatur, tunc enim licere verbis tantùm repellere, nisi valdè molestus sit, ut mulier aliter se liberare neqveat. P. Laymannus *Theol. mor. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8.*

qvem probabiliter ignorabat] e. g. si percusserit Clericum, qvi clericali habitu non incedit, qvem propterea qvis pro non-Clerico habere potest. *c. 4. X. h. t.* ita etiam jure civili injuriarum non tenetur, qvi matronam meretricià veste incedentem appellavit. *l. 15. §. 15. ff. de injur.* peccat enim, qvæ alienâ veste utitur, & injuriæ sibi faciendæ causam præbet.

Interficientes clericos, qvi posthabito habitu committunt enormitates, non sunt excommunicati. b. d.

§. 9.

e *cap. cùm non ab homine, §. in articulo. extra. eod. tit.*

§. 9. Qvinimò[e] etsi occiderit qvis clericos, vel presbyteros, qvi contempto clericali habitu sceleribus sese immiscuerint, in odium clericalis excessus Canone latæ sententiæ minimè coërcebitur : frustrà enim Ecclesiæ implorat auxilium, qvi in ecclesiam ipsam committit[f].

f *cap. in audientia. §. ad hæc. extra eod.*

minimè coërcebitur] non tamen propterea evitat alias pœnas, cùm adhuc ut homicida puniri possit, qvisqvis aliqvem etiam maximè sceleratum occiderit.

frustra enim Ecclesiæ implorat auxilium] Hæc verba non satis cohærent prioribus; qvomodo enim implorare potest occisus auxilium? Dum igitur autor duo hîc capitula conjungit, *c. scil. 14. & 25. X. h. t.* non animadvertit rationem hanc *ex cap. 25.* peritam, competere clerico, qvi relicto habitu clericali injuriâ tantùm affectus est, non autem accommodari posse illi, qvi occisus est.

Qvi ratione officii, vel intuitu disciplinæ clericos percutiunt, non sunt excommunicati. h. d.

g *cap. cum voluntate. §. fin. extr. eod.*

§. 10. Item si qvi ratione[g] officii, qvod obtinent in Ecclesia, aut si clerici seniores, pueros, vel adolescentes in minoribus ordinibus constitutos divinum turbantes officium, vel etiam si qvi magisterii, vel prælationis obtentu subditos & scholares correctionis causâ percusserint, excommunicationis sententiam non incurrent. Qvod & de his intelligendum est, qvi aliqvos de familia sua, vel propinqvos inferiorum graduum simili modo, ut ab excessibus prohibeantur,

Digitized by Google

beantur, & ſcientiâ bonisq; moribus informentur, corrigendos duxerint,& aliis caſibus compluribus.

in minoribus ordinibus conſtitutos] Secus ergò erit, ubi prælatus eos,qvi in ſacris ſunt, verberaverit. Qvanqvam verò poteſtas percutiendi aut verberandi prælato non competat,ſi tamen is hanc ſibi poteſtatem aliqvando ſumpſerit,durum eſt,excommunicationem eum idcircò incurrere.

ſubditos & ſcholares] qvi clerici ſunt. In genere autem magiſtris levis tantùm caſtigatio conceſſa eſt,*l.5.in f.ff.ad L. Aqvil.*

inferiorum graduum] Pater igitur filium,qvi in ſacris eſt, caſtigare amplius neqvit, qvod videtur eſſe juri naturæ adverſum. Volunt qvidem Canoniſtæ, ordinem clericalem ſolvere poteſtatem patriam, qvod ſuo modo concedere poſſum, ſi præſertim id reſtringatur ad ſpiritualia. Aſcan. Clementin. *de patr.pot. c. ult. n. 64.* Sed vincula tamen naturalia, qvibus maximam partem ſubnixa eſt poteſtas caſtigandi, per ordinem clericalem ſolvi,nulla ratio perſvadet.Et in utramqve partem ſæpè diſputant Interpretes.vid.Paul.Laymann. *theol.mor.l.4.tr.5.p.2.c.5.n.9.*

Ex cauſa poteſt qvis abſolvi ab alio,qvàm ab Apoſtolico. h. d.

§. 11. Qvòd[a] autem ſuprà diximus,ab hac excommunicatione,ab alio,qvã ab Apoſtolico, aut ejus legato abſolvi neminem poſſe,non eſt perpetuum. Nam ſiqvis excommunicationis latæ ſententiæ vinculis innodatus , in mortis articulo conſtitutus reperiatur,aut capitales habeat inimicitias , aut alias juſtas excuſationes, ita ut ſine periculo Apoſtolico ſe neqveat conſpectui præſentare, licebit Diœceſano Epiſcopo,juramento ſecundum morem Eccleſiæ recepto,ſibi abſolutionis gratiam impertiri.

[a] *cap. qvamvis incidẽs. ext.eod.tit.*

c. de catero.

c. qvod de hiis. h.tit.

in mortis articulo constitutus] Generale hoc est, qvod excommunicatus etiam tali excommunicatione, cujus solutio soli Pontifici Rom. reservata est, absolvi in articulo mortis possit à qvovis inferiore, nec à diœcesano tantùm, sed urgente necessitate etiam à qvovis alio sacerdote, imò etiam à Laico, dummodo is habeat jurisdictionem Ecclesiasticam. Polyd. Rip. *de act. in mort. art. cap. 35. numer. 13.* imò volunt, posse aliqvem in articulo mortis etiam ab hæretico, schismatico, degradato & nominatim excommunicato absolvi, etiamsi tales jurisdictionem non habeant, habere enim eos usum jurisdictionis, qvem nec Papa qvidem, etiam de plenitudine potestatis impedire possit. Th. Hurtad. *tr. 5. resol. 67. n. 1522. seq.* ubi in *seq. resol. 68.* sollicitè distingvit inter articulum mortis & periculum mortis, & hinc conficit, in illo admitti talem absolutionem, non in hoc.

aut alias justas excusationes] qvæ variæ esse possunt, ut si domi uxorem habeat & liberos in summâ necessitate constitutos, si viæ obsessæ sint prædonibus &c.

juramento recepto] qvo promittit, se, qvam primùm impedimentum cessaverit, ad apostolicam sedem abire velle, non ut denuò absolvatur, sed ut mandata ipsius audiat & suscipiat.

Cessante causâ cessat effectus. h. d.

§. 12. Periculo [b] tamen & impedimento cessantibus, qvàm citò commodè poterunt, ad sedem Apostolicam se præsentabunt, mandatum illius super negociis, pro qvibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & prout justitia svadebit, satisfacturi: alioqvi si id facere contempserint, ne temerè & impunè censuræ Ecclesiasticæ illudatur, ipso jure in eandem sententiam récident: qvod generaliter constitutum est, qvotiescunqve legitimâ subsistente causâ, ab a-

[b] *capit. eos qvi. eod. tit. in 6.*

Digitized by Google

ab alio qvis, qvàm ab eo, à qvo aliàs de jure abſolvendus fuerat, abſolutionis beneficium conſecutus fuerit: & qvibusdam caſibus ſimilibus.

ipſo jure in eandem ſententiam recident] Sed profectò, ut aliqvis in morâ conſtituatur, videtur præcedere debere aliqva cauſæ cognitio, præſertim in pœnalibus, in qvibus etiam fatua cauſa à dolo excuſat. Qvid enim ſi impedimenta non omninò ceſſaverint, ſi alia nova oborta fuerint, ſi, ut commodius eſſet iter, comitem expectaverit abſolutus? Multa incidere poſſunt, propter qvæ ſententia invenire locum neqvit.

Si modica ſit illata injuria clerico, vel qvi intulit, non provecta ſit ætatis, poteſt Ordinarius abſolvere eum, qvi incidit in Canonem latæ ſententiæ. h. d.

§. 13. Item [c] ſi non enormis, ſed modica & levis injuria fuerit clericis irrogata, inferens per Epiſcopum abſolvi poterit. Item ætatis intuitu Juris rigor manſvetudine temperatur. Unde [d] ſi in pueritia conſtitutus in Canonē inciderit ſententiæ promulgatæ, ſive ante, ſive poſt pubertatem ſeſe abſolvi poſtulet, diœceſanus [e] Epiſcopus abſolutionis beneficium impertiri poterit.

c *cap. pervenit. ext. eod. tit.*

d *cap. fin. d. tit.*

e *cap. qvamvis antepen. extra. d. tit.*

ſed modica & levis injuria] Habet enim etiam propter levem admodum injuriam excommunicationis pœna locum, ut ſi qvis ſpuat in perſonam Clerici, aut ejus tangat veſtem. Franciſc. Marc. *deciſ. 819. part. 2.* aut ſi eum ex ſede ſuâ expellat, vel brachio parum reverenter trahat. Gregor. Sayr. *deciſ. 41. de ſent. excom.* Alii tamen non aliter excommunicationis hanc cenſuram admittunt, niſi injuria illata gravis fuerit, qvos refert & ſeqvitur Paulus Laymannus *Theol. moral. lib. 1. tr. 5. part. 2. c. 5. n. 5.*

per Episcopum absolvi poterit] Videtur tamen hæc facultas competere Episcopo non propter potestatem jurisdictionis, sed ex speciali Papæ concessione, uti non obscurè innuit *c. pervenit 17. X h.t.*

juris rigor mansvetudine temperatur] Temperamentum adhiberi debuisset in ipsâ irrogatione pœnæ, non demum in modo absolvendi. Sic enim & jura civilia ætatis habent rationem, ut qvanqvam doli jam capax fuerit impubes & crimen contrahere possit, commiseratione tamen ætatis mitius puniri debeat. *l. 37. ff. de minor. l. 108. ff. de R. J. l. 38. §. 4. ff. ad L. Jul. de adult.* Durum ergò erit, eandem excommunicationis pœnam puero decernere cum adulto. Rectiùs Sotus in *4. dub. 22. q. 1. art. 2. cas. 2. Si*, inqvit, *pueri clerici rixantes, etiam in Ecclesiâ se pugno percusserint mutnò, ut sanguinem è naribus vel è capite in parvâ copiâ emittant, nulla incodantur censurâ.*

Monachi, vel Moniales se invicem, vel conversos percutientes, sunt ab Abbate, vel Episcopo absolvendi. h.d.

§. 14. Monachi qvoqve, & alii Regulares qvomodocunqve[f] in claustro sese invicem percusserint, non ad Apostolicam sedem remittendi, sed secundum providentiam proprij Abbatis coërcendi erunt: qvòd si Abbas non sufficit, Episcopus adhibendus erit. Simile statuitur de monialibus[a]: nam si vel in se invicem, vel conversos, aut conversas suas, aut etiam in clericos violentas manus injecerint, ne contra muliebris sexus verecundiam, & regularis observantiæ decorem peregrinari compellantur, per Episcopum, in cujus diœcesi monasteria fuerint, absolutionem consequentur. Sunt & alii casus, qvibus ab alio

[f] *cap. canonica. ext. eod. tit.*

[a] *cap. de monialibus. ext. eod. tit.*

Digitized by Google

alio qvis,qvàm ab Apoſtolico, ab hac excommunicatione abſolvi poterit,ut ex ipſis Decretalium libris facilè apparere poteſt.

in clauſtro ſeſe invicem percuſſerint] Putavi ego, monachos numinis clementiam continuis orationibus propitiam reddere, & vitæ ſanctitate planè excellere,ita ut in perpetuâ & ſummâ divini numinis obſervantiâ,nullâ alimentorum,victûs,pecuniæ,honoris curâ detineantur,præſertim cum ſemetipſos ita extollere ſoleant,qvod curarum mundi & ſollicitudinum omniũ expertes ſint & vacui. At jam audio,etiam rixas & contentiones,imò verbera inter eos adinvicem reciprocari. Et tamen illi ſanctitate affectatâ ita tument,ut parum abſit, qvin rumpantur.

Epiſcopus adhibendus erit] id tamen fortè non habet locum,qvando monaſterium ab Epiſcopi inſpectione & poteſtate eſt exemptum,qvâ de re dixi ad *lib. 1. tit. 29.*

ne contra muliebris ſexûs verecundiam] at illæ verecundiam jam decoxérunt,dum violentas intulérunt manûs.

Sunt & alii caſus] Caſus illi omnes temperamentum aliqvod faciunt tyrannidis papalis. Fuit enim,uti ſupra dixi,excommunicationis hæc ſpecies inſigne inventum aulæ pontificiæ , & firmamentum tyrannidis Eccleſiaſticæ,qvo veluti terriculamento arctius inter ſe continerentur membra,& ut eo ſecurius agerent tyrannidis iſtius architecti, tot ſcilicet clericorum manipuli & cohortes.

Ex cauſa certis caſibus abſolutio poteſt delegari. h.d.

§. 15. His autem [b], qvibus id certis caſibus ex officio competit,non ſolùm per ſeipſos abſolvere , verùm etiam aliis,cùm expedire viderint, hujusmodi abſolutionem committere poterunt.

b *cap. fin. ext. de offic. ord. c. ſacro. ibi, alioqvin. h. t.*

hujusmodi abſolutionem committere poterunt] Uti jus pontificium ſemper æmulatur jura civilia,ita & in hâc materiâ, qvod

vi jurisdictionis Episcopalis competit, alteri qvoqve mandari posse, haud obscurè innuitur. Id tamen fortè nullibi satis explicatum est, num absolutio ab ejusmodi vinculo excommunicationis sit jurisdictionis, an minimè. Augustinus Barbosa affirmat *ad cap. fin. X. de offic. ord.* Sed vehementer obstat argumentum, qvod regulariter absolutio talis soli Pontifici sit reservata, ex qvo seqvitur, qvod si qvando Episcopo ea potestas competat, id fiat ex speciali Pontificis concessione, non vi jurisdictionis Episcopalis. Ad hoc argumentum respondet Barbosa, Episcopos in ejusmodi casibus adhuc ordinariam suam, non verò delegatam exercere potestatem, jure enim communi absolvere eos posse ab omni censurâ juris non reservatâ, sublatâ igitur reservatione regredi ad suam ordinariam potestatem, qvæ per reservationem erat impedita. Verum hæc responsio mihi admodum jejuna videtur. Sic enim etiam de jure civili dicere possem, magistratum in omnibus illis, qvæ specialiter concedi dicuntur, ordinariam suam & propriam exercere jurisdictionem, jure enim communi omnia posse, qvæ non fuerint exempta & à principe in specialem concessionem reservata; sublatâ igitur reservatione & exemptione, regredi ad suam ordinariam potestatem, qvæ per reservationem erat impedita. Utiqve enim, qvemadmodum princeps ex iis, qvæ ad magistratum spectare solent, potest qvid eximere, & specialiter tribuere, ut porrò non cuiqve magistratui, aut saltem non eo respectu, qvatenus magistratus est, competant, sed ei soli, cui nominatim concessum est, & qvatenus concessum est: ita Episcopum Romanum specialiter aliqva Episcopis concedere voluisse, ut non jure Episcopi haberent, sed ex speciali largitione, dubium non est. Et tale videtur esse potestas solvendi ab excommunicatione, de qvâ hactenus egimus.

Excommunicatio judicialis est, qvam infert judex, & cui causa committitur, omnia, qvæ causam contingunt, censentur permissa. h. d.

§. 16. Judicis, sive judicialis excommunicatio est, qvæ judicis ministerio infertur. Judicem autem hoc loco intelligimus, non solùm ordinarium, verùm etiam delegatum. Nam si cui [c] per Apostolicum causa etiam simpliciter delegetur, nec literæ commissionis de

[c] *cap. pastoralis. §. praterea. extra. de off. ordin.*

de excommunicatione qvicqvam contineant poterit nihilo minùs delegatus conceſſæ ſibi authoritatis ratione contumaces, ut ſuprà diximus, Eccleſiaſticâ, ſeveritate coërcere.

Judicis] Hæc demum vera eſt excommunicatio, qvippe qvæ cenſuram per ſententiam applicat ad certum individuum, uti ſupra expoſui.

non ſolum ordinarium] Plurima hîc ſunt notanda. *Primùm*, malè ſolis Epiſcopis poteſtatem hanc excommunicandi tribui, cùm ex inſtitutione omnibus miniſtris Eccleſiæ competat. Gerhard. *Loc. de miniſt. Eccleſ. c. 5. n. 231. Deinde* malè uni ordinario aut delegato tribui, cùm ad ejusmodi ſententiam reqviratur conſenſus plurium, tàm ob ſuperius qvàm certius judicium. Hülſemann. *in breviar. cap. 19. numer. 15. Tertiò* malè etiam ad ſolum ſtatum Eccleſiaſticum reſtringi iſtud judicium, cum ad totam Eccleſiam iſtud pertineat, nec ullo modo præteriri debeat conſenſus Domini territorialis. Etſi enim Laicus excommunicare propriè non poſſit, principi tamen competit externa poteſtas uti circa religionem, ita etiam circa cenſuram & diſciplinam Eccleſiaſticam, ut adeò ſine principis autoritate fieri excommunicatio hodiè non debeat. Conf. Marſil. Patavin. *in defenſor. pac. part. 2. c. 6.* Et hinc privtlegio ſingulari Franciæ nemo Officialium Regiorum excommunicari poteſt. Joh. Papon. *lib. 1. tit. 4. areſt. 9.* Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imp. l. 4. c. 21. Qvartò*, regulariter qvidem per ordinarium Eccleſiæ miniſtrum expediri excommunicationem, nec admitti ἀλλοτριεπισκοπίαν, dari tamem caſus aliqvos, qvibus etiam extraneos excommunicare licet, ut, qvando ab unâ particulari Eccleſiâ ad alias plures provocatur, ut: qvando Epiſcopus in aliqvâ Eccleſiâ eſt hæreticus, tùm extranei Epiſcopi non ſuos tantùm greges præſervare tenentur, ſed etiam greges vicinos fidei ſuæ domeſticos, ut perpetua harmonia inter partes integrantes totum homogeneum conſerveturr. Qvo caſu qvando extranei epiſcopi per excommunicationem hæreticum talem excludunt à cœtibus ſuis, etiam à cœtu totius Eccleſiæ orthodoxæ, conſeqventer etiam ejus Eccleſiæ, cui hæreticus præeſt, eum excludunt. Vid. Hülſeman. *de corrept. fratern. §. 17. n. 165. ſeq.*

poterit nihilominus delegatus] Excommunicatio magni-

gni est præjudicii, & major in ejus exercitio est adhibenda prudentia, qvàm in qvâvis aliâ coërcitione, qvæ aliàs jurisdictioni cohæret. Et hinc est, qvod plurium suffragia reqvirantur, ne qvis temerè ejiciatur, & à cœtu fidelium resecetur. Malè igitur Pontifex potestatem eam uni alicui committit. In Galliâ certè cum ArchiEpiscopus Rhemensis per libellos publicè affixos sub bullâ qvâdam Papæ qvendam nomine Wilhelmum Matro excommunicari fecisset, mulctâ pecuniariâ condemnatus fuit, ac præterea, ut prædictum Matro suis expensis absolvi faceret, comminatione additâ, nisi id faceret, immobilia ejus temporalia capi oportere. Qvod qvidem ex privilegio Franciæ decretum refert Joh. Papon. *l. 1. tit. 5. arrest. 11.*

Excommunicationis sententiam debet præcedere monitio: & debet ferri in scriptis, ita ut causam contineat. h. d.

§. 17. Qvoties autem causa suberit, ut judex subditum suum Ecclesiasticâ districtione coërceat (cùm medicinalis [d], non lethalis excommunicatio esse debeat) non aliter, qvàm competentibus præmissis monitionibus [e], ad hujusmodi sententiam descendet: qvam etiam de scripti recitatione proferet, ita ut causam, ob qvam profertur, expressè contineat, aliaq; observabit, qvæ tam generali, qvàm Lugdunensi concilio editis constitutionibus sunt comprehensa, earundem pœnis, si contrà fecerit, subjiciendus.

d *c. 1. & seqq. eod. tit. in 6.*

e *cap. sacro approbante. extr. eod. tit. c. Romana §. sed nec in specie. h. t. in 6.*

cum medicinalis] Finis enim excommunicationis non est perditio animæ, sed οἰκοδομὴ, confusio & conversio hominis peccatoris. Ex intentione igitur excommunicantis omnis excommunicatio debet esse medicinalis; ex accidenti autem fit peremptoria, & interneciva finaliter.

præ-

Digitized by Google

præmissis monitionibus] Monitiones istæ fieri debent personis præsentibus ut testibus *c.48.X.h.t.* Debent autem præcedere monitiones tres justis intervallis distinctæ, aut una pro omnibus *c.9. de sent. excom.in 6.* Did. Covarruv. *in c.alma mater,eod.§.9.n.5.* In definiendis istis intervallis parci nimium mihi videntur Canonistæ. Ita enim Elig. Bassæus *in florib. tit.Excommunicat.II.§.7. Quantum autem temporis spacium sit constituendum pro singulis monitionibus, colligi potest ex jure, constituendos duos solum esse dies pro singulis monitionibus, quamvis judex possit pro suâ prudentiâ intervallum ampliare vel restringere ad unum diem vel ad brevius tempus,si opus fuerit* &c. Illud addo, omissionem istarum monitionum sententiam non facere nullam. Vid.Covarruv. *d.l. n.7.*

de scripti recitatione] Sed si omittatur scriptura, sententia tamen propterea non est nulla, *arg.c.1.h.t.in 6.*Mart.Bonacin. *tom.3. disp.1. qv.5.punct.1.§.2.n.11.* Didac. Spino à Caceres *de testam.gloss.rubr.XI.part.n.6.* Gregorius Magnus tamen sententias ab Episcopis Hispanis suo ævo latas ideò irritas esse dicit, qvod legibus paritum non esset, qvæ sententias ex periculo & scripto recitari jubent. *lib.11. epist.54.*

ut causam] Omissio tamen causæ excommunicationem non vitiat. Didac. Spino *d.l. n.8.* Causæ autem & Merita, propter qvæ infligitur excommunicatio,sunt vitia scandalosa sive in doctrinâ sive in moribus. iisq; accedens pertinacia & incorrigibilitas. Successu temporis & papatu crescente ad privatas offensas,Episcopis,clericis,aut eorum ministris illatas extendi cœpit hæc censura, imò etiam, si eqves secularis Clerico peditì obviam factus, non illicò ad terram decidat, & galero de capite sublato sinceræ salutationis munus Clerico exhibeat, uti constituit concilium Matisconense *can.15.* Ita etiam ob furtum rei parvæ, ut damnum exile etiam jumentis & canibus Episcoporum datum,item,si qvis Romipetas ullâ ratione retineat & moretur in via, excommunicationis hoc fulmen evibratum fuit. Ut taceam, non mansisse inter homines hanc censuram,sed etiam adversus mures,sorices, locustas, aliasq; bestiolas frugiperdas, ut & picas, monedulas, etiam arbores & viridaria, usurpatam fuisse, qvâ de re consuli potest disqvisitio Barth. Chassanæi *consil.1.* Talem tamen excommunicationem,ut superstitiosam & blasphemam rejicit Leonh.Vairus *de fascin. l.2.c.11. in fin.*Conf. Navarr.*l.5.conf.57. tit.de sentent.excomm.* Marius Alterius *de excomm.disp.10. l.3. c.2.* it. gravamina nationis Germanicæ in Comitiis Noribergens.exhibita *§.25.26.27.*

qvæ tàm generali] intelligit *c.48. X.h.t. & c.1.h.t.in 6.*

Judex aliqvem excommunicans, in dubio censetur inferre majorem excommunicationem. h.d.

f *capit.pen. extra.eod.*

§. 18. Sed qværi poterit [f], si judex illa verborum formula usus fuerit, *Illum excommunico*, vel simili, qva de majori, vel minori excommunicatione qvicqvam non expresserit, utrâ magis qvis excommunicatus censeatur? Et responsum est, non tantùm minorem, sed etiam majorem censeri per Judicem illatam: qvam non modò à sacramentis, & fidelium participatione exclusio, sed alii præterea multi consequntur effectus.

c.decernimus & glossa h.t. in 6.

sed etiam majorem] Satis curvam hanc vocat regulam Decretistarum Marcus Ant. de Dominis *de Rep.Eccles.l.5.c.9.n.25.* & meritò ei præfert regulam juris, pœnas esse restringendas & favores ampliandos, præsertim, si ex leviori causâ excommunicatio facta fuerit. Qvod si conjunctim verba hæc inveniantur: *anathematizamus & excommunicamus*, volunt Canonistæ, per prius vocabulum excommunicationem majorem, per posterius, minorem significari. Martin. ab Azpilcuet. Navarr. *comment. de dat. & promiss. n.9.*

multi consequntur effectus] Utiqve multi & magni: Summum futuri judicii præjudicium est, inqvit Tertullianus *apol. c.39.* si qvis ita deliqverit, ut à communicatione orationis & conventus & omnis sancti commercii relegetur.

Communicans excommunicatis incidit in excommunicationem: & judices curare debent, qvòd excommunicati ab actis legitimis, & commercio aliorum abstineant. h.d.

§. 19. Qvo-

Digitized by Google

§. 19. Qvorum ille prætereundus non eſt, qvòd qvandiu de excommunicatorum abſolutione legitimè non conſtat, qvi cum ipſis communicaverint, ipſi qvoq; nullo obſtante privilegio, ipſo jure excommunicationem incurrunt, decretumq; eſt [a] propterea, ut ab Eccleſiaſticis judicibus ſeculares judices Canonica præmiſſa monitione Eccleſiaſtica cenſura compellantur, ut excommunicatos ab agendo, patrocinando, & teſtificando in ſuis curiis & judiciis repellant.

c. qvod in dubiis h. tit.

a *cap. decernimus eod. tit. in 6.*

qvi cum ipſis communicaverint] Poſt publicatam ſententiam excommunicati fugiendi ſunt, & veluti conſortio indigni prorſus vitandi. Id tamen nimium videtur, qvod nec orandum qvidem cum illis ſit, uti volunt *c. excommunicatos, cum duob. ſeq. 11. q. 3. c. 29. X. de ſent. excomm. c. 2. X. de except.* idemq; viſum Oſiandro, qvi ad *can. 10. apoſt.* hanc addit Principio: *Hic canon nimium rigidus eſt. Commercium enim familiare cum excommunicatis qvidem fugiendum, ne videamur eos pro veris & vivis Chriſti membris agnoſcere, ſed tamen qvandoq; neceſſe eſt, ut iis loqvamur, inprimis, cum eos admonemus, ut reſipiſcant & in viam redeant.* Et fatetur Franciſcus Longus à Coriolano *ad d. c. 10. apoſtol.* prohibitionem iſtam eſſe ex jure Eccleſiaſtico, nec tamen ſatisfacit ibi objectioni ex Navarro ſibi objectæ, qvod ſcil. conſortium in oratione utile eſſe qveat ad ſalutem excommunicati. Reſpondet, non licere, qvia prohibitum ſit; at hoc erat in qvæſtione, num juſtè prohibeatur. Dicet, illos, dum ſimul orant, non intendere ſpiritualiter promovere ipſum excommunicatum. At ponendum eſt, hoc ab eo intendi, qvi cum excommunicato orat. Add. Luther. vom Bann *in fin.* Sed & qvod civilem converſationem attinet, haud paulo leniores facti ſunt hodierni Pontificii. Concedunt enim in Germaniâ, Hungariâ, Transſylvania, Sveciâ &c. ubi Lutherana viget religio & Calviniana, poſſe haberi cum Lutheranis & Calvinianis commercium, non obſtante, qvod illi dicantur hæretici manifeſti

festi & publicè excommunicati. Vid. Missionarium Apostolicum Andreæ de Castellanâ *part.4. qvæs.1.2.*

nullo obstante privilegio] Qværit Covarruvias *in c. alma mater h.t.in 6.§.1.n.2.* utrum Pontifex Rom.possit alicui privilegium dare & jus communicandi cum excommunicatis,& negat, eo scil. sensu, ut communicans ex privilegio tali peccati culpam effugiat, immunem tamen fieri talem communicantem dicit à pœna, ne incidat in minorem excommunicationem, qvod negat hîc autor. Qværit porrò: num etiam Rom.Pontifex communicans cum excommunicato incidat in excommunicationem minorem? Atq; id qvidem cum Panormitano & aliis negat, eò qvod his casibus pœna excommunicationis minoris sit juris humani & positivi, nihilominus tamen peccare eum ait, qvippe qvod etiam jure positivo secundum vim directivam teneatur.

ipso jure excommunicationem incurrunt] Sollicitat hoc Marcus Ant. de Dominis *de Rep.Eccles.l.5.c.9.n.29.* & dicit,pœnam hanc jure Ecclesiastico constitutam esse comminatoriam tantùm & ferendæ sententiæ,non latæ. Nec placet etiam Cajetano,qvod excommunicationi innodentur, qvi cum excommunicatis communicant,cujus verba refert & adversus Ambrosium Compsæ atqve Sixtum Senensem defendit de Dominis *d.l.n.34.*

seculares judices] Dixi supra ad *tit.de procurator.§.Hi vero &c.* Pontificem hîc falcem mittere in alienam messem. Nec enim propterea, qvod ab Ecclesiâ qvis remotus est, etiam à judiciis repelli debet. Gentiles & publicani nullibi arcentur judiciis;excommunicati autem nobis esse debent ut gentiles & publicani. Ut taceam jam,nullibi Ecclesiæ datam esse potestatem in judicia secularia, nisi qvatenus monendo,hortando,svadendo officii sui memores facere tenetur judices.

ab agendo] Hoc fortasse sine ratione. Excommunicatus enim non amittit bona sua, ergò nec jus agendi. Actus secundus autem ideò injustè denegatur, qvia in judiciis non id agitur, ut familiaris ineatur conversatio,sed ut justum decernatur,qvod justum denegari neqvit excommunicato. Nec facit, qvod hâc ratione urgeri excommunicatum ad resipiscentiam posse,& facilius de reconciliatione Ecclesiæ cogitaturum contendas; posses enim in eum finem etiam fidiculas decernere,& qvibusvis cruciatibus ad resipiscentiam adigere excommunicatum. Uti verò hoc Ecclesiæ non convenit,

Digitized by Google

venit, ita nec illud. Et ſemper diſtincta inter ſe fuérunt judicium & Eccleſia.

Defectu, qvi obvenit mihi ex te, non potes uti contra me ad tuum commodum. hoc dicit.

§. 20. Dubitatum [b] tamen fuit, num is, qvi excommunicato in locutione, vel oratione ſcienter communicat, excommunicatum ipſum à judicio contra ſe inſtituendo ſummovere poſſit: cùm ille communionem hujusmodi contra eum replicet: & cùm is, qvi impetitur, à ſacramentorum perceptione ſit remotus, alius verò etiam à fidelium communione, replicatione minimè ſuffragante judicium procedere non poterit.

b *cap. 2. extr. de exception.*

judicium procedere non poterit] Communicando enim excommunicato qvis non poteſt eum ad judicia habilitare. Nec enim propter reum tantùm repellitur actor excommunicatus à judicio, ſed etiam propter judicem, imò propter ſe ipſum, ut eò citius pœnitentiam agat & redeat ad Eccleſiæ gremium. Obiter noto, intelligenda hæc eſſe de excommunicato majori excommunicatione. Qvi enim minori excommunicatione tantùm innodatus eſt, non prohibetur eſſe actor, Joh. Bapt. Vivianus *in rational. ad c. 2. X. de except.* qvemadmodum etiam non prohibetur accuſare. Cujac. *ibid.*

Excommunicato communicari non poteſt ante abſolutionem, etiamſi dederit cautionem juratoriam de parendo mandatis Eccleſiæ, & Epiſcopus ei communionem reddiderit, etiamſi morte præventus non potuerit abſolvi. hoc dicit.

§. 21. Nec [c] ideo magis agere volenti communicari poterit, qvòd ipſe ex conſvetudine de parendo man-

c *cap. cùm deſideret. & cap. à nobis. el 2. extra. eod. tit.*

datis Ecclesiæ juratoriam dederit cautionem, eiq; communionem Episcopus reddiderit, aut qvòd eos, cum qvibus participavit, postmodum impugnavit: nam nisi post juramentum præstitum secundum formam Ecclesiæ absolutus fuerit, nec cautio, nec perperam restituta communio qvicqvam proderit. Qvod ipsum obtinet[d] etiam, si pòst prædicta morte qvis præventus, absolutionis beneficium obtinere non potuerit: nec enim is, cui vivo non communicamus, defuncto communicabimus.

c.38.sacris.h.t.

d d.cap.à nobis. §. unde qvantumcunq;

ex consvetudine] Consvetudo hæc potius abrogari debuisset, qvia hâc ratione juramentum perperam & cum abusu admittitur. Aut si admittendum fuerit, communio nullatenus erit deneganda. Qvod si porrò Episcopus communionem excommunicato reddidit, uti *dicitur in textu*, qvid est, qvod eum à communione fidelium prohibeat? Per *redditionem* enim communionis intelligitur facta absolutio, aut si hæc facta non intelligitur, qvomodo reddi potest communio? Omninò pugnant redditam esse communionem, & tamen in communione non esse. Et qvid verò interest, si Episcopus dicat; *ego absolvo te*; aut si dicat: *ego restituo tibi communionem?* Nec enim solennitates, qvæ adhiberi solent, tanti valoris sunt, ut illis omissis absolutio verbis qvibuscunq; facta irrita putetur & invalida. Gravius adhuc est illud, qvod si moriatur talis, qvi juravit de emendandâ vitâ, cuiq; Episcopus communionem reddidit, qviq; excommunicatos, qvos antea fovit, nunc impugnavit ipse, qvod talis nihilominus pro excommunicato sit habendus. O iniqva mater Ecclesia, qvæ ista doces & profiteris!

Excommunicatus si ante mortem ostenderit signa pœnitentiæ, etiam mortuus potest absolvi. h.d.

§. 22. Planè[e] si de mortui pœnitentia per evidentia signa, dum viveret, constiterit, defuncto qvoq; absolu-

e cap. à nobis. el 2.ver.potest.extr.eod. tit. & in fin.

Digitized by Google

ſolutionis beneficium à proprio judice impendendum erit, hæredésqve ejus, ut pro ipſo ſatisfaciant, ſi ſponte nolint, Eccleſiaſtica cenſura compelli poterunt.

per evidentia ſigna] puta ſi de ſacerdote, à qvo abſolveretur, accerſendo cogitavit, ſi triſtitiæ doloriſqve ob graviſſimas noxas ſigna, argumentaqve clariſſima edidit, ſi DEUM, ſibi ut ignoſceret, precatus eſt &c: Vid. Gabr. Albaſpinæ *ad can. ult. Concil. Epaunenſ.*

defuncto qvoq;] Diſtingvunt abſolutionem, qvod alia ſit qvoad DEUM, alia qvoad nos. Talem, qvi verè contritus moritur, abſolutum eſſe dicunt qvoad DEUM, non autem qvoad nos, ſive qvoad Eccleſiam. Hanc igitur abſolutionem etiam mortuo eſſe impertiendam, ſaltem ideò, ne Eccleſiaſticis careat beneficiis *c. 28. X. h. t.* Polydor. Rip. *de act. in mort. art. c. 35.* Qvod ſi res rectè æſtimetur, non tàm abſolutio hæc erit dicenda, qvàm declaratio, defunctum in verâ reſipiſcentiâ diem ſuum obiiſſe, & hinc dignum fuiſſe, qvi excommunicationis vinculis liberari debuiſſet.

à proprio judice] Intereſt, an abſolutio facienda ſit in mortis articulo, an verò poſt mortem. Illic abſolvere poteſt qvilibet Sacerdos ſimplex. Hîc abſolutio reſervatur illi ſoli, qvi viventem extra mortis articulum conſtitutum abſolvere poteſt. Polyd. Rip. *d. l. n. 8.*

ut pro ipſo ſatisfaciant] Satisfactiones iſtas, uti in pontificiâ exiguntur Eccleſiâ, in ſatisfactionem & meritum Chriſti injurias eſſe, & hominibus ſimul impoſſibiles, oſtendi ſupr. *tit. de pœnitent.* Et tamen etiam heredes adiguntur, ut eas præſtent, ſicubi defunctus Clericorum poſtulata morte anteverterit Multum enim faciunt iſtæ ſatisfactiones ad εὐδαιμονίαν Clericorum.

Diffamato de excommunicatione non poſſumus communicare, niſi ſe purget, vel ad cautelam ſe faciat abſolvi: & toleratus ab Eccleſia non debet vitari, niſi in occulto. h. d.

§. 23.

a *cap. cùm desideras. § secundum. ext. eod. tit.*

§. 23. Sed [a] etsi qvi pro sacrilega manuum injectione in edictum excommunicationis incidit, denunciatus qvidem non sit, sed de patrato scelere publicâ laboret infamiâ, nemo sibi pari ratione communicare debet, nisi vel ad arbitrium Episcopi de hoc se purgaverit, vel ad cautelam absolutionis beneficium consequatur, nisi fortè [b] soli tibi de facinore constet: hoc enim casu, qvamdiu toleratur ab Ecclesia, privatim tantummodò à te vitandus erit, ut saltem verecundiæ rubore suffusus, pro latenti excessu satisfacere compellatur.

b *cap. cùm non ab homine. ext. eod. tit.*

communicare debet] Præter necessitatem recidit autor in materiam de percussione clericorum. Seqvitur autem ex antepositis, denunciationem non esse necessariam, sed eum, qvi percusit Clericum, à scientibus vitandum esse, qvia scilicet jure in excommunicationem incidit.

privatim tantummodo à te vitandus erit] Publicè igitur vitandus non est. Qvin imò de Sacerdote dicunt, si de tali percussore tantùm ex confessione compertum habeat, non debere eum vitare talem percussorem. Barbos. *ad c. 14. X. h. t.* Qvomodo autem sibi constabit illud, qvod supra cum Canonistis asseruit autor, & percussorem, & communicantes cum eo, ipso jure excommunicationem incurrere? Nullâ igitur opus erit denunciatione, nullâ causæ cognitione, nullâ sententiâ. Nec dici potest, qvod toleretur ab Ecclesiâ, qvi ipso jure, ipso facto ab eâ exclusus & rescissus est. Novissimè verò per decreta Synodi Constantiensis & Basileensis constitutum est contra Canones veteres, occultum excommunicatum nec secretò qvidem vitandum esse, imò nullum excommunicatum, etiamsi certus sim, excommunicatum eum esse, etiamsi hoc ex famâ publicâ aut duobus testibus probari possit, ante factam

Digitized by Google

factam denunciationem à me vitandum esse, nisi tàm notoriè excommunicatus sit, ut nullâ possit tergiversatione celari aut excusari. vid. Covarruv. *in c. alma mater p. 1. §. 2. n. 7. seq.* Per consequens non amplius ipso jure incurret in excommunicationem, qvi excommunicato communicat. Et hâc ratione ad saniorem sensum redactum est jus pontificium. Qvin & ipsa exceptio de notoriè excommunicato adhuc magis restringitur à Canonistis, & de solo percussore clerici explicatur, per ea, qvæ tradit Covarruvias *d. l.*

Participatio criminosa cum excommunicatis implicat participantem eadem excommunicatione. h. d.

§. 24. Sed multùm interest, qvaliter excommunicato communicatur: nam si qvidem crimini & criminoso communicarit qvis consilium, putà auxilium, vel favorem impendendo, vel fortè cum clericis ab Apostolico excommunicatis scienter [c] & sponte participaverit, & ipsos in officiis receperit, eadem excommunicationis sententia involvetur, qva illi ipsi sunt obstricti, qvibus cùm ita ab eo communicatum fuit. Cumq; ratione damnati criminis [d] in eum, qvi damnavit, delinqvere videatur, meritò ab eo, vel si videtur, ejus superiore juramento præstito, delicti tunc erit absolutio reqvirenda. Et idem statuetur, si qvi cum participibus suis excommunicati fuerint.

c. *cap. significavit nobis. ext. eod. tit.*

d *cap. super à nobis. §. in primo. extra. eod.*

c. 30. X. h. t.

nam si qvidem crimini] Qvinqve reqvirunt, ut qvis hoc casu in excommunicationem majorem incidat. 1. ut participatio fiat in crimine, postqvam criminosus excommunicationem contraxit, 2. ut participatio fiat in eodem crimine, propter qvod alter fuit excommunicatus.

catus. 3. ut scienter fiat communicatio. 4. ut principalis excommunicatus sit vitandus, imò ut etiam sit denunciatus. 5. ut cooperatio non usqve adeò levis sit. Aug. Barbos. *ad c. 29. n. 4. X. h. t.*

vel fortè cum clericis] Etiam hoc casu qvinqve requirunt. 1. ut participantes sint clerici, 2. ut scientes, 3. sponte, 4. in divinis & 5. cum excommunicatis à papâ participent. Barbos. *ad c. 18. n. 2. h. t.*

eâdem excommunicationis sententiâ] Regulariter minori tantùm excommunicatione innodatur, qvi communicat excommunicato. Sed hîc habet autor casûs exceptos, qvi satis duri sunt, sed à Papâ ita decisi.

meritò ab eo] Per consequens, qvi participat cum Clericis ab Apostolico h. e. papâ excommunicatis, à solo papa impetrare debet absolutionem.

si qvi cum participibus suis] Innocentius IV. & Gregorius X. noluêrunt talem excommunicationem decerni, nec permiserunt, communicantes excommunicatis, majore excommunicatione innodari, nisi post monitionem canonicam *c. statuimus 3. & c. constitutionem 9. h. t. in 6.* Reservata igitur videtur hæc formula, *Excommunico te cum tuis participibus*, soli Pontifici Rom.

Participatio cum excommunicato non criminosa, illigat participantem minori excommunicatione, à qva per Ordinarium absolvi potest. h. d.

[e] *cap. super à nobis. §. in secundo. extra. eod. tit.*

§. 25. Qvòd si aliter, putà [e] in choro, in mensa, in osculo, aut sermone excommunicato communicatum fuerit, tunc minor tantùm incurritur, & nulla interveniente juratoria cautione à proprio sacerdote, vel Episcopo absolutionis beneficium obtineri poterit: qvamvis enim & tunc non judicis, sed juris sententiâ excommunicato communicans sit illigatus, qvia tamen

men conditor Canonis ejus, absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso relaxandi facultatem aliis concessisse videtur.

absolutionis beneficium obtineri poterit] Uti faciles sunt Pontifices in excommunicando, ita faciles etiam sunt in absolvendo. Absolutio autem necessariò reqvirit præviam pœnitentiam. At olim non tàm facilè excommunicatis & pœnitentibus absolutio conferebatur. Neq; qvi ab Ecclesiæ communione separati erant, simul & semel jus integræ communionis reddebatur, sed successivè & partialiter ad rationem communionis sive minoris sive majoris. Minor sive minima omnium rerum societatem & communionem concedebat, si Eucharistiæ & oblationum usum potestatemq; removeas, major, qvæ omnium rerum usum & sic etiam Eucharistiæ admitteret. Sic etiam reconciliatio alia erat minor, qvâ pœnitentes absolvebantur & jus primæ communionis recuperabant, alia major, qvâ adipiscebantur jus communionis integrum & ad omnia simul sacramenta admittebantur. Gabr. Albaspinæus, *lib. 2. Obs. 32, 33.* Sic & de ministro reconciliante sive absolvente constitutum fuit *can. 32. Concil. Carthag. III.* ne presbyter inconsulto Episcopo reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo & necessitate cogente.

Communicans communicato in contemptum, incidit in majorem excommunicationem. b. d.

§. 26. Hoc tamen tunc obtinet, cùm non in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ cum excommunicatis qvis commercium habuerit: nam qvi contra prohibitionem sui præsulis excommunicatorum communioni sese ingesserit, anathemate feriendus erit. F *cap. fin. ext. de cler. excommun.* c. *qvod in dubiis. §. illi autem. h. t.*

Hoc tamen tunc obtinet] At omnis talis, qvi scienter cũ excommunicato cõmunicat, facit id in contemptum disciplinæ Ecclesiasticæ, qvia scit, cum eo non esse communicandũ. Sed videtur Pontifex tùm demum

demum contemptum punire voluiſſe, qvando acceſſerit prohibitio præſulis.

Si excommunicatus minori indureſcat, in ea poterit excommunicari majori. h. d.

c. qvod in dubiis. §. nullus a. h. t.

§. 27. Qvòd ſi ex locutione & aliis ſimilibus minori excommunicatione irretitus fortiùs indureſcat, poterit judex poſt Canonicam monitionem [a] etiam majori excommunicatione, & conſimili participantem illigare. Qvod & in ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis obſervandum erit.

a cap. conſtitutionem. eod. tit. in 6.

Qvod ſi ex locutione] Coincidit hic paragr. cum antecedente, in materiâ & caſu communi. Niſi dicere velis, reqviri hic monitionem canonicam, illìc ſimplicem prohibitionem. *At tùm iſta* oritur difficultas, qvorſum neceſſaria ſit monitio canonica, ſi *idem* obtineri poſſit effectus per ſimplicem prohibitionem.

Qvæ ſit monitio Canonica. h. d.

b d. cap. conſtitutionē. eod. tit. in 6.

§. 28. Tunc [b] autem Canonica cenſebitur eſſe monitio, ſi competentibus intervallis, atqve aliis ritè obſervatis eos, qvi monentur, exprimat nominatim.

Tunc autem canonica] Vid. qvæ dixi ſupra ad §. *qvotiès, hoc tit.*

exprimat nominatim] Qvid verò ſi id factum non fuerit? Reſpondet Martinus ad Azpilcueta Navarrus *in manual. c. 27. n. 4.* in terris illis, in qvibus id non faciunt judices, ſubditos non ſervare eorum præcepta, & uti illi ſint in poſſeſſione ferendi literas contra participantes ſine ſolennitate illorum jurium, ita iſtos eſſe in poſſeſſione non parendi illis, & non habendi ſe pro excommunicatis. Sed profecto πδηρόξυλον mihi videtur, ſubditum in poſſeſſione non parendi eſſe.

Igna-

Ignorantia excusat participantem cum excommunicato. h. d.

§. 29. Interdum [c] tn. excommunicato communicans neutrius excommunicationis vinculo obstringitur, ut accidit in eo, qvi cum illo conversatus fuerit, qvem excommunicatum probabiliter ignorabat.

c *can. excellentissimus. & seq. tit. 93.*

probabiliter ignorabat] qvia tùm caret dolo, qvi in delictis puniendis imprimis attenditur. Ad incurrendam tamen excommunicationem sufficere dicunt dolum præsumptum. Cels. Bargal. *de dol. l. 4. c. 7. n. 3.* qvod admodum durum est, eò qvod excommunicationis pœna per se gravis sit, ut minus proportionata videatur dolo præsumpto. Hunc enim mitius puniri debere tradit Farinac. *qvæst. 87. n. 4.* Andr. Tiraqvell. *de pœn. temp. caus. 15. n. 2.*

Episcopi debent propalare nomina excommunicatorum h. d.

§. 30. Unde ut excusationis causa omnibus auferatur, providere debent Episcopi [d], ut excommunicatorum omnium nomina tam suis parochianis, qvàm vicinis Episcopis pariter indicent, eaqve in celebri loco posita pro foribus Ecclesiæ cunctis convenientibus inculcent, ut hujusmodi adhibita diligentia excommunicatis Ecclesiasticus aditus adimatur.

d *can. cura sit. tit. 93.*

qvam vicinis Episcopis] Ita & olim observatum, uti patet ex Alexandri Episcopi Alexandrini epistolâ de Ario ad omnes universi Orbis Episcopos, ap. Socrat. *lib. 1. c. 3.* Add. Epiphan. *hæres. 69.* & Basil. *ep. 47. ad Athanasium.* Qvò pertinet Synodica Epistola Concilii Africani ad Cælestinum P R. qvæ habetur in fine Cod. Canon. Eccles. African. ubi ita scribunt Patres: *Deprecamur, ne deinceps ad vestras aures eos, qvi hinc veniunt, facilè admittatis, nec qvi à nobis excommunicati fuerint, in communionem velitis*

velitis deinceps excipere. Nam hoc quoque in Nicenâ synodo definitum facilè advertet venerabilitas tua. &c: Sic etiam nec absolvebantur publicè, neq; ad communionem admittebantur, qvi excommunicati fuerant, anteqvam relatio de pœnitentiâ ad populum facta fuisset, uti patet ex act. concil. Ephesin. ap. Peltanum *tom. 6. c. 13.* Baron. *ad ann. 432.* Hodiè verò jure Decretalium vitandi sunt excommunicati in omnibus provinciis, etsi excommunicationis sententia in una tantùm diœcesi promulgata fuerit. Et per hoc recessum fuisse ab antiqvo jure, in eoqve jura communia, qvæ per promulgationem demum legis obligationem inducunt, violata fuisse, agnoscit Pet. de Marca *de conc. sacerd. & imp. lib. 2. c. 15. n. 10.*

Omnes, qvi ante prolationem sententiæ tenebantur excommunicato communicare, tenentur etiam post. h. d.

c *can. qvoniã multos. 11. q. 3. & cap. inter alia. eo. tit. extr.*

§. 31. Uxores [c] qvoqve excommunicatorum, filii, servi ancillæ, rustici, servientes, & omnes qvi ante sententiæ prolationem excommunicati obsèqvio tenebantur familiariter adhærere, non solùm à communione excusantur: verùm etiam (præter qvàm [f] in criminibus) communicare tenentur, cùm sine illa debita præstare neqveant obsèqvia.

f *cap. si concubina. ext. eod. tit.*

communicare tenentur]Hinc ergò infertur, nõ incidere ipso jure in excommunicationẽ qvi excommunicato communicat, nisi dicere velis, ideò istos, qvos hìc enumerat, non incidere, qvia à Pontifice disertè eximantur, cui tn. reponim9, nõ fuisse in pontificis arbitrio qvicqvã hàcdere statuere, qvippe qvæ jure divino & naturali innititur, in qvod nulla est Pontifici potestas. Infertur hinc porrò, non competere in Reges nisi excommunicationem minorem. Major enim, qvæ Christianis interdicit libero ac voluntario commercio edendi, bibendi, conversandi cum excommunicato, in Regibus non magis habere potest locum, qvàm in conjugibus, ne reddant conjugale debitum, in filiis, ne parentibus officia debita præstent, in servis & subditis, ne dominis suis justa exhibeant. Proinde Leonem III. Imperatorem male Gregorius II. Papa communione piorum hoc papali more removit,

Digitized by Google

vit, ut indiceret Italis, ne ei aut tributum darent, neve obedirent. Sigon. *de Regn. Ital. lib. 3.* Qvo eodem modo etiam Gregorius VII. Henricum III. Imp. universi Imperii finibus exegit, subditos religione jurisjurandi solvit, & ne ullam Imperatori suo obedientiam præstarent, indixit. Hoc scilicet est illud fulmen, qvo in immensum potestatem suam auxit Jupiter Romanus. Sed qvod jamdiu contemptim habuérunt Reges Galliæ. Vid. Joh. Papon. *l. 1. tit. 5. arest. 27.* Tussan. Berchet. *in pio consil. sup. bull. pap. p. 141.* Atq; istam Gallorum sententiam magnâ cum παῤῥησίᾳ exponit Hincmarus Remensis *in Epist. ad Hadrianum II.* auctoritati scil. Ecclesiasticæ vel excommunicationibus locum esse non posse, cùm de re seculari agitur. Ipse de se addit: *Nescio qvomodo ipsius Regis, vel inter qvos habito, præsentiam, & communionem vel consortium valeam devitare, cùm Rex & habitantes mecum unà cum Rege non solum in paruciam, verùm & in civitatem meam sæpè conveniant.* Et porrò: *Ecclesiam & plebem mihi commissam deserere & aliorsum, ut mercenarius non valeo fugere, nec qvo extra regnum ejus fugiam, habeo.* Conf. Petr. de Marca *de concord. sacerd. & imp. lib. 4. c. 14. n. 1.*

Necessitas, vel simplicitas excusat à communione cum hæreticis. h. d.

§. 32. Mercatores [g] autem, & viatores, nisi aut creditores sint excommunicatorum, aut necessitatis immineat articulus, abstinere debent: sed si in terram [h] excommunicatorum devenerint, ubi vel non possint ab aliis emere, vel unde emant, non habeant, ab eisdem accipere poterunt: nec illos excommunicationis metus impediet. Prædicatores [i] qvoq;, præsertim qvi aliàs sustentari non possunt, ab excommunicatis, & alienorum bonorum detentoribus eleëmosynam licitè recipere possunt. Idem juris est de iis, qvi adeo sunt rudes, ut eorum consilio verisimiliter scelera perpetrari non possint: aut qvi cum

g *can. qvoniã multos. §. qvicunq;. 11. q. 3.*

h *cap. si vere. §. est autem. extr. eod. tit. c. inter alia. in fin. h. t.*

i *cap. cum voluntate. §. pen. ext. eod.*

iis

iis communicant, qvi communicant excommunicatis.

Mercatores autem & viatores] Vidit Gregorius VII. qvi telo hoc excommunicationis totum concussit terrarum orbem, & commerciis & ipsi generi humano pernitiosum esse, si excommunicatio per participationem nimium extendatur, & hinc igitur plurimas exceptiones facere coactus fuit, qvas Summistæ ad qvinq; capita revocant isto versu comprehensa:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Vid. Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 5. c. 9. n. 29.*

eleemosynam licitè recipere possunt] At verò illicitè acqvisita, qvæ obnoxia sunt restitutioni, ne in pauperes qvidem erogari possunt. Paul. Laymann. *theol. moral. l. 2. tr. 3. c. 6. n. 7.* tantum abest, ut de iisdem participare clericos deceat.

aut qvi cum iis communicant] ne processus fiat in infinitum, cum ita facilè excommunicationis labe inficí posset tota aliqva universitas.

Omnino coactus excommunicatis communicans non cadit in excommunicationem: secus, si qvis solùm metu communicet. h. d.

a *cap. sacris est canonibus. extra. de iis qvæ fi. vi, met. ve caus.*

§. 33. Sed an invitus [a] excommunicatis communicans excommunicationis labe inqvinetur, videamus: & si qvidem sit per coactionem astrictus, cùm magis hoc casu pati, qvàm agere videatur, excommunicatione non tenebitur. Aliud statuendum erit, si qvis per metum sit inductus: licet enim metus culpam minuat, qvia tamen eam non prorsus excludit, cùm nullius metus obtentu mortale peccatum

tum qvis incurrere debeat, excommunicationis pœnam non evadet.

per coactionem adstrictus] Differt actio violenta & metu peracta. Illius totum principium foris est, ita ut nihil per se ad id conferat agens, h.e. ut nihil ipsum actum adjuvet subjectum, sed habeat sese merè passivè. Hæc verò voluntatem minimè excludit, cum ipsum subjectum concurrat, eligendo minus malum, ut evitetur majus, ut proinde actus per talem metum causati, voluntarii sint & liberi. Spontaneum enim est, qvod eligimus vel simpliciter vel ob certum finem seu metu majoris mali.

cum nullius metus obtentu] Doctores variè torqventur circa intellectum hujus textus, ut videre licet apud Barbosam. Eos exagitat Marcus Antonius de Dominis *lib. 9. c. 5. n. 35.* cujus hîc aliqva verba adscribam: *Supponit Pontifex*, inqvit, *tanqvam concessum & indubitatum, qvod nemo roganti largiretur, nempe communicare cum excommunicatis ita semper esse peccatum mortale, ut nullo metu unqvam possit excusari, & tamen alia Decretales, etiam ipsorum horum tetrorum fulminum fabri Gregorii VII. & passim omnes Doctores pro fugiendâ fame, pro famulitio & similibus causis licere ajunt citra omne peccatum communicare cum excommunicatis etiam in divinis, & hoc non licebit, si qvis mortem intentet? Bone Deus, in qvam se formam non vertunt Protei nostri, qvid hîc non dicunt Canonistæ, qvid Theologi, ut veram esse doceant hanc decretalem? Frustra tandem omnes sudant, neq; hilum proficiunt, & longissimam molestissimamq; verè cæcorum vel andabatarum pugnam instituunt; qvod enim nullâ ratione defendi potest, id tamen invitâ minervâ defendere volunt, qvia cedere & manus dare dispudet.* Hactenus de Dominis. Subtilis tamen hîc est Barbosa, qvi rationem differentiæ se invenisse putat. *Qvando enim*, inqvit, *qvis propter necessitatem famis communicat cum excommunicato, ponitur circumstantia, qvæ tollit omninò ipsius actus malitiam.* (qvasi vero actus per se malus, qvalem hîc fingunt Canonistæ, per circumstantiam in genere licitorum poni possit) *qvia scil. intentio petentis alimenta ab excommunicato principaliter fertur secundum finem illum sublevandi famis necessitatem,* (at etiam hîc intentio agentis principaliter fertur ad conservationem vitæ) *petitq; ab excommunicato rem sibi debitam ab ipsa lege naturali* (at ita debet etiam vita conservari, qvæq; est necessitas evitandæ famis ad conservandam vitam, ea est necessitas & multo adhuc major evitandæ mortis præsentaneæ) *talisq; petitio est medium natura sua ordinatum ad propriæ*

vitæ conservationem (alimenta sunt medium naturâ suâ ordinatum, non petitio ab excommunicato, aut si hanc facis medium naturâ suâ ordinatum, non minus communicatio cum excommunicato tale medium facies, qvia petitio ab excommunicato non potest fieri sine communicatione cum eodem.)

Communicans excommunicato in convertendo, non est excommunicatus. hoc dicit.

b *cap. cum voluntate. ext. eod. tit.*

§. 34. Item cùm voluntate [b] & proposito maleficia distingvantur, excommunicationis sententiam non incurrit is, qvi excommunicato in his, qvæ ad absolutionem, vel aliàs ad salutem ejus pertinent, *in locutione participat*, licet & alia verba incidenter, ut apud eum magis proficiat, interponat.

vel aliàs ad salutem ejus pertinent] qvomodo vero hoc convenit cum illo, qvod aliàs statuit jus Canonicum, ne qvidem orandum esse cum excommunicatis? qvâ de re jam dixi supra *ad §. qvorum ille.*

Absolutio ab excommunicatione ad cautelam peti potest. h.d.

c *cap. 2. eod. tit. in 6.*

§. 35. Si qvis tamen [c] ex his dubitet, vel ex aliis, ne non judicis, vel Canonis sententia sit innodatus, sese per competentem judicem, juxta Innocentianarum constitutionum tenorem ad cautelam absolvi postulare poterit: qvod & is, qvi minori innodatus est excommunicationi, exeqvi poterit.

c. *duobus h.t.*

ne non judicis] qvomodo qvis dubitare possit, ne non judicis sententia innodatus sit, non video. Sententia enim semper certa est. nec vel propterea de eâ qvis dubitare poterit, qvia supra tit. de sentent. reqvisivit autor, ut de scripto recitaretur. Non ergo qvis dubitare potest, num condemnatus sit, aut si dubitet, facilè eâ de re certior reddi poterit.

Ex-

Digitized by Google

Excommunicationis absolutio non debet peti omisso medio, nisi in contrarium sit consvetudo. h. d.

§. 36. Sed hoc casu advertendum erit, ne omisso medio [d] ab eo, qvi tuus judex non sit, absolutionis beneficium postules. Pone enim, qvòd suffraganei cujusdam subditus, putà, Archidiaconus, excommunicationis in te tulit sententiam, non jam à Metropolitano, cùm nec excommunicantis judex sit, nec excommunicati, sed ab ipso suffraganeo absolutio petenda erit, nisi consvetudo [e] contrarium induxerit.

c. venerabilibus. h. t. in 6.

d *cap. dilecti. el 3. extra. de appellat. & cap. Romana. eod. tit. in 6.*

e *gloss. 2. cap. referente. extra. de prab.*

ne omisso medio] Rectè ab eo petitur absolutio, qvi innodavit. Illi enim causa cognita est, & qvousq; excommunicationis nexus durare debeat, omninò dijudicare poterit. Sed & contemptus subesse videtur, si ab alio petatur absolutio.

Sede vacante is absolvit, qvi habet Episcopalem jurisdictionem. h. d.

§. 37. Episcopali verò sede vacante [f], capitulum, seu is, ad qvem Episcopalis jurisdictio tunc temporis pertinere noscitur, his, qvibus posset Episcopus, si viveret, ab excommunicationis sententia, sive juris, sive hominis fuerit, absolutionis beneficium impertiri poterit: nisi ei fuerit ab Apostolica sede specialiter interdicta potestas.

f *cap. un. de major. & obedien. in 6.*

Episcopali verò sede vacante] absolvere ab executione est actus jurisdictionalis, qvalem sede vacante exercere potest capitulum, aut

alius, ad qvem tunc jurisdictio pertinet, qvalis est visitator, aut electus ad hoc per capitulum, vel aliqva particularis dignitas ex privilegio vel præscriptione. Joh Bapt. Vivian. *in rational. ad c. un. de major. & obed. in 6.*

specialiter interdicta potestas] qvia potestas absolvendi actus est jurisdictionalis, nec specialiter conceditur, malè interdicitur à pontifice, præsertim cum necessarium sit, ut etiam sede vacante absolutio excommunicatorum fieri qveat.

Superior de excommunicatione cognoscens, videns illam justam, debet excommunicatum ad inferiorem remittere, nisi is malitiosè differat absolvere: secus autem, si comperiat illam injustam: sed si dubitetur, honestè faciet, si remittet. h. d.

§. 38. Ubi verò superiori competit de excommunicatione cognoscere, si eam justam esse constiterit, veluti [a] cùm propter manifestum excessum est in aliqvem promulgata, superior judex, nisi sit in mora periculum, excommunicatum ad excommunicatorem prorsus remittere debet: nec eum absolvet, nisi excommunicator reqvisitus dolo illi absolutionis beneficium exhibere deneget. Si verò hujusmodi sententiam injustam esse constet, excommunicatus ad suum excommunicatorem neqvaqvam remittendus erit, sed sine difficultate debet absolvi. Qvòd si dubitetur, utrùm justa sit, vel injusta, superior illam tollere poterit: qvanqvam hoc casu honestiùs & convenientiùs egerit, si excommunicatori deferat.

[a] *cap. venerabilibus. §. sanè. eod. tit. in 6.*

Ubi

Ubi verò superiori] Synodus Nicena *can.V.* postqvam vetuerat, ne qvis Episcopus excommunicatum ab alio Episcopo, sive Clericum sive Laicum susciperet, provocationem nihilominus concedit excommunicato ad plurium Ecclesiarum cognitionem & decisionem, qvando è vestigio addit: *Sanè ne hoc aut incundiâ aliqvâ, aut contentione, ut fieri solet, injustè factum remedium non haberet, decernunt, per singulos annos in singulis provinciis iterum ab omnibus Episcopis concilia agi debere, & de hujusmodi negociis judicari, ut si fortè ab uno iniqvè aliqvid gestum est, à cæteris emendetur: si rectè, ut ab omnibus confirmetur.* Hinc provocationes à conciliis numero judicum minoribus ad concilia majora, à provincialibus ad nationalia, à nationalibus ad universalia. In Galliis introductæ sunt hoc casu appellationes, uti vocantur, ab abusu, qvibus adversus excommunicationes nullas aut temerarias Principum secularium præsidium imploratur. De earum justitiâ vid. Petr. de Marca *de concord. sacerd. & imp. lib. 4. c. 19. n. 5.*

nec eum absolvet] Si tamen id facit, absolutio tenet, licet forsitan sit injusta *c. 7. vers. Sanè h. t. in 6.*

Si verò hujusmodi] Refert Sixtus Senensis *lib. 6. bibl. annot. 71.* errorem qvorundam Scholasticorum asserentium, excommunicationem injustè latam nullius esse momenti nec proinde esse timendam. Istum ut refutet, distingvit cum Thoma Aqvin. inter culpam & pœnam, nullum innocentem posse ligari, sed in pœnis posse peccatores etiam ab injustis pastoribus, ex ira etiam & odio excommunicantibus ligari.

Ubi manifestum est delictum, non conceditur absolutio, nisi prævia cautione: alias, secus.

§. 39. Manifestum[b] autem excessum illum esse intelligemus, qvi vel per confessionem, vel probationem juridicè notus fuerit, vel si sit adeo res evidens, ut nulla possit tergiversatione celari. Qvo casu[c] non antè concedenda erit absolutio, qvàm idonea pro delicto præstetur satisfactio: cæterùm si de admisso dubi-

b *cap. cum olim. extrav. de verb. sig.*

c *cap. ex parte. in fin. de verb. signif. extra. c. solet. §. nisi cum. de sent. excom. in 6.*

dubitetur, ut ſententia relaxetur, ſufficiet, ſi de parendo mandatis Eccleſiæ legitimè cautum fuerit: qvanqvam ſi pro ſimplici contumacia excommunicatus, ſolam de ſtando juri cautionem exhibuerit, abſolvendus erit.

ut nullâ poſſit tergiverſatione] Statuunt Moraliſtæ hodierni, evidentiam facti non ſufficere, ut qvis ex infamiâ juris cenſeatur irregularis propriè, niſi ſententia juridica accedat, adeoq; id tantum dici notorium ad effectum irregularitatis, qvod facit notorietas juridica aut per ſententiam condemnatoriam, aut qvando delinqvens confeſſus eſt delictum in judicio. Evidentiam non ſufficere ideò, qvia aliqvâ tergiverſatione ſaltem apparente celari poteſt, hâc vel illâ excuſatione poſitâ. Vid. Thom. Hurtad. *tr. 1. reſol. 38. n. 387.*

præſtetur ſatisfactio] Satisfactionem pro peccatis à nobis ipſis præſtari non poſſe, abundè jam *lib. 2.* oſtendimus.

legitimè cautum fuerit] Volunt Canoniſtæ, etiam in mortis articulo excommunicato, anteqvam abſolvatur, de ſatisfaciendo ſatisdandum eſſe, aut ſi ſatisdatio ſit impoſſibilis, cautionem præſtandam vel realem per pignoris conſtitutionem, vel verbalem per juramentum, ita ut hoc ultimo caſu duo ab eo præſtanda ſint juramenta, prius qvod nec fidejuſſores reperire poſſit, nec bona habeat, qvæ obliget; poſterius, qvo pollicetur ſe facturum ſatis. Polyd. Rip. *de act. in mort. art. c. 35. n. 16. 17. 22.* Ecce verò, qvàm rigidè agunt cum morientium conſcientiis. DEO cùm ſatisfieri non poſſit, nihilominus juramento conſtringuntur conſcientiæ, qvod ſatisfacere velint.

Si pars ſe dicat poſt appellationem, vel aliàs nulliter fuiſſe excommunicatam, ſunt ſuper hoc partium admittendæ probationes, ut appareat, an qvis indigeat abſolutione. h. d.

§. 40. Multum etiam intererit, utrùm abſolutionis beneficium poſtulans, ſe poſt appellationem ad Rom.

Digitized by Google

Rom. Pontificem legitimè interpoſitam, vel aliàs nulliter excommunicatione innodatum conqveratur: an verò ſimpliciter injuſtè ſe proponat excommunicatum. In prima [d] enim ſpecie, ſi Epiſcopus ſit probare paratus, ſe in illum, ante qvàm vocem appellationis emitteret, ſententiam protuliſſe, ante qvàm decernatur aliqvid, utriusq; partis ſuper hoc probationes ſunt admittendæ: per qvas deniq; apparebit, an abſolutione indigeat conqverens, vel potiùs non ligatus ſit denuntiandus.

d *cap. cùm cõtingat. §. ad qvod extr. de offic. deleg.*

anteqvam decernatur aliqvid] Sed cur nõ abſolvi illicõ poterit ad cautelam, uti ſupra de dubitante dixit autor, qvod ad cautelam abſolvi poſſit, *§. ſi qvis tamen.* Abſolutio enim fieri poteſt etiam in eo caſu, qvo, excommunicatio num teneat, dubitatur, ut maximè ex poſt facto certum fiat, non tenuiſſe. Id obiter noto, in Galliis Curiarum ſecularium judiciis cognitionẽ qvandoq; ſubjici de excommunicatione factâ. Sic n. condemnatus fuit aliqvando Epiſcopus Cenomanenſis, ad effodiendum qvendam, qvem ipſius officialis, pendente appellatione ab ejus proceſſu, excommunicaverat, & ad eum abſolvendum atq; in terrâ ſanctâ ſepeliendum, referente Paponio *lib. 19. tit. 2. areſt. 12.*

Si qvis dicat ſe injuſtè excommunicatum, priùs eſt abſolvendus, ante qvàm ſint admittenda probationes ſuper juſtitia excommunicationis. h. d.

§. 41. Aliud [e] juris erit, cùm injuſtè ſe qvis excommunicatum aſſerit: tunc enim ſi Epiſcopus, ut oſtendat qvòd juſtè excommunicaverit, probationes ſuas admittri poſtulet, audiendus non erit: nam etſi conſtaret

e *d. cap. cùm contingat. §. verùm. extra. de offic. deleg. c. ſolet. de ſent. Excommun.*

Digitized by Google

ſtaret excommunicationis ſententiam juſtè promulgatam, nihilo minùs humiliter poſtulanti eſſet abſolutio impendenda: ideóqve hoc caſu protinus juxta formam Eccleſiæ congruentem abſolvendus erit, ut demum probationibus utriusq; partis admiſſis, utrùm juſtè, vel injuſtè qvis ligatus fuerit, decernatur.

nam etſi conſtaret] at ſi conſtet, injuſtè eſſe prolatam, h.e. in innocentem, non ābſolutione tùm indigeret conqverens, ſed potius non ligatus eſſet denunciandus, perinde ut in caſu antecedente. Eſſet igitur etiam hoc caſu expectandum, anteqvam decernatur aliqvid, donec utriusq; partis ſuper hoc probationes fuerint factæ.

utrum juſtè vel injuſtè] ne ſcil. ſi injuſtè *fuerit* excommunicatus, ſatisfactio ei imponatur, utve eo caſu excommunicator ad intereſſe condemnari qveat.

Innodatus pluribus non poteſt ab una tantùm excommunicatione abſolvi. Et, abſolutio ſurreptitia non tenet. h.d.

a *cap. cùm pro cauſa. extra. eod. tit.*

§. 42. Qvòd ſi qvis pluribus innodatus[a] excommunicationibus, etiam ex eodem facto deſcendentibus, de una tantùm cauſa velit ſatisfacere, communioni ob id reſtituendus non erit, nec per veritatis ſuppreſſionem extorta abſolutio ſibi qvicqvam proderit.[b]

b *cap. offic. in fin. extr. d. tit.*

Qvod ſi qvis pluribus] Patet hinc, qvam prompti ſint Pontificii ſuo excommunicationis fulmine, adeò ut propter unam eandemq; cauſam pluribus qvis innodari poſſit excommunicationibus. At qvi jam excommunicatus & Eccleſiaſtico corpore ſeparatus eſt, qvomodo de-

denuò ſeparari poterit,& qvidem ex eâdem causâ. Ut maximè enim plures excommunicatores ſtatuas,qvod & ipſum nimium eſt, qvorſum eorum qvisq; ſeorſim excommunicare debeat,nulla ratio apparet,niſi prioris aut primam excommunicationem non fuiſſe ſufficientem dixeris,hoc eſt,excommunicatum facias non-excommunicatum. Sed tenuiſſe tamen eam excommunicationem exinde patet, qvod & pro illâ ſatisfaciendum, & ab eâ abſolutio facienda ſit. Hunc nodum ut ſolvat Vivianus *in nation. lib. 1. tit. 40. in fin.* duplicem facit excommunicationis effectum,& dicit, ſecundam excommunicationem non habere effectum ponendi excommunicatum extra Eccleſiam,uti habet prima,ſed effectum retinendi extra Eccleſiam,donec etiam ab hâc abſolutio facta ſit. Et ideò ſtatuunt Canoniſtæ,poſſe ab unâ excommunicatione fieri abſolutionem, manente nihilominùs excommunicatione alterâ. Barboſ. *ad c. X. de offic. Ordinar.* Sed particulatim ita fieri neceſſe eſt abſolutionem,cum, ſi verè pœnitens ille fuerit,ſufficeret una generalis. Fundamentum ejus rei conſiſtit in ſolâ neceſſitate ſatisfaciendi,qvam fingunt,qvæqve propterea, qvod particulatim fieri poſſit,etiam particularem pariat abſolutionem.

Si Ordinarius ſciat per ſurreptionem impetratam ab Apoſtolica ſede abſolutionem, debet remittere perperam abſolutum ad ſedem Apoſtolicam: ſi verò hoc ſibi non conſtet.ſed ſuſpicetur,debet abſolutum cogere ad purgationem.h.d.

§. 43. Qvinimò ſi conſtiterit c, excommunicatum occultatis exceſſibus, pro qvibus in eum ſententia lata fuerit, excommunicationis ſuæ cauſam aliam prætendentem, ab Apoſtolica ſede abſolutionis beneficium impetraſſe, eundem debet Ordinarius Eccleſiaſtica cenſura compellere,ut cum literis ſuis rei veritatem continentibus ad ſedem Apoſtolicam redeat: ſi verò illud liqvidò non conſtiterit, eum tamen Ordinarius, qvòd veritatem confeſſus non fuerit,ſuſpectum habeat,ad purgationem præſtandam,qvòd verùm faſſus fuerit, compellet.

c *cap. expar. te tua. extr. de offi. ordi.*

Qvin imò si constiterit] Optimum huic rei remedium esset, si omitteret papa suam illam in Ecclesias sibi non subjectas invasionem, & suam tantùm curaret diœcesin. Sic enim Ordinarius qvisqve, qvid & circa excommunicationem & circa absolutionem statuendum esset, cum reliqvis Ecclesiæ suæ membris optimè decerneret. At cum ad apostolicam sedem trahi cœpérunt particularium omnium Ecclesiarum negocia, facta hinc est jurisdictionum confusio, qvæ sæpè ingentes excitat turbas, & Episcopi ordinarium munus multivariam pervertit. Breviter: tota excommunicationis materia in papatu multos imbibit errores & abusus, qvibus tollendis vix unus sufficit Lutherus.

Absolutus vi, vel metu, duplici excommuncatione innodatur. b. d.

c. unico. de his qvæ vi. in 6.

§. 44. Illud etiam admonendi sumus: qvòd licet vi, vel metu facta regulariter mero jure teneant: si qvis tamẽ ab excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententia, absolutionis, aut revocationis cujuscunqve beneficium per vim, vel metum extorserit, viribus omninò cariturum: qvin potiùs ne sine vindicta violentiæ crescat audacia, qvi absolutionem, vel revocationem vi, vel metu extorserit, qvasi propria confossus sagitta, iteratè excommunicationis sententiæ subjacebit.

Illud etiam admonendi sumus] Habet hîc casum, qvo non valet id, qvod metu factum est, cum regulariter gesta per metum teneant, & ut effectu suo destituantur, legitimâ ratione sint rescindenda. Sed qvia hîc scandalosum esset, si propter contumaciam excommunicato liceret in contemptum clavium & Ecclesiasticæ libertatis præjudicium vi extorqvere absolutionem, constitutum est, non tantùm, ut non teneat talis absolutio, sed etiam ut novam excommunicationem metum inferens ipso facto incurrat.

Excom-

Excommunicatus, cui Papa communicat, non propterea censetur absolutus, nisi Papa id exprimat. h.d.

§. 45. Novissimè [d] sciendum est, qvòd si Apostolicus etiam scienter excommunicato participet literis fortè cum salutationis alloqvio destinatis verbis [e], oscu-lo, seu alio qvovis modô, ipsum pro hoc absolvere nullâ ratione censetur, nisi forsitan exprimat, velle illum ex hoc pro absoluto haberi. HÆC de excommunicationis sententia delibasse sufficiat: nunc de interdicto Ecclesiastico & suspensione paucis dispiciamus.

[d] *clem. fin. eod. tit.*

[e] *e. si aliqvando. ext. eod. tit.*

Novissimè sciendum est] Bonum factum! qvod ad finem decurrit materia, præter necessitatem & compendii formam prolixissimè ab autore tractata. Finis autem, qvi hîc imponitur, insigne continet ἄξιωμα pontificis Romani. Nempe cum illi, qvi excommunicatis communicant, ipso jure excommunicationem incurrant, excipiendus est pontifex Rom. Qvare? qvia ille est supra jus. Posset autem aliqvis hanc rationem reddere, qvia, cum thesauri Ecclesiæ plenissimè apud Pontificem repositi sunt, si diis placet, videatur ille communicando absolutionem impertire. Sed negat hoc papa, fieri, nisi specialiter id expressum fuerit. Ecce verò qvantam habeat papa potestatem communicandi cum iis, qvi non amplius sunt in Ecclesiæ gremio, qvam nemo alius habet. Annon satius esset, ipsum etiam universalis Ecclesiæ pastorem, qvalem se fingit papa, abstinere ab tali communicatione, ut eo magis ad agnitionem sui & emendationem perveniat excommunicatus, neve qvi à corpore separatus est, cum capite retineat communionem. Vel hinc ergo intelligitur, qvam parum observent Pontifices fictitiam suam excommunicationem. Et vetus insuper hoc est eorum κερσοφύγεσον, ut se super omnia jura, civilia, Ecclesiastica & divina extollant.

nullâ ratione censetur] id inprimis factum propter communicationem cum Regibus & principibus, qvâ carere non potest pa-

pa. Ne igitur, si excommunicati illi fuerint, & papa nihilominus cum iis communicet, absolutio hinc facta censeatur, & satisfactio, qvæ utiqve regia esse debet, planè intermittatur, placuit, absolutos eos propterea nullâ ratione censeri. Totum igitur id fit propter satisfactionem, qvæ plerumq; Clericorum marsupiis proficua est.

DE ECCLESIASTICO INTERDICTO,

TITULUS XIIII.

Interdictum aliud juris, aliud judicis: qvæ distinctio exemplis declaratur. h. d.

§. 1. Habent Ecclesiastica interdicta cum excommunicatione multa communia: nam & illorum alia ipso jure inducuntur, alia Judicis sententia. Juris ipsius dispositione interdictum inducitur, veluti cùm civitas, vel universitas in electione [a] Romani Pontificis servanda non servaverit, aut in necem Cardinalis [b] aliqvid machinata fuerit, sive ab Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis aliqvid extorserit, aut usurariis [c] domos commodaverit. Item cùm in Ecclesia [d] sangvinis, vel humani seminis effusione polluta, aut simoniacè consecrata, celebrari jure vetatur.

[a] *cap. ubi periculũ. §. præterea. de elect. in 6.*
[b] *cap. felicis. de pœnis in 6.*
[c] *cap. 1. & seq. de usuris in 6.*
[d] *cap. is qvi de sentent. excom. in 6.*

Habent Ecclesiastica interdicta] Est hoc interdictum Ecclesiasticum multo abominabilius excommunicatione pontificiâ, nec usitatum id fuit in Ecclesiâ primâ, sed excogitatum demum post annum à Christo nato milleſimum, de cujus natalibus & extremâ injustitiâ præclarè agit Marcus Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 5. c. 9. n. 38. seqq.* Qvocirca necesse non est, ut in tyrannico hoc cogendi medio diu subsistamus.

alia

alia ipso jure inducuntur] Repeti & applicari hic possunt, qvæ de excommunicatione diximus *tit. antecedente.*

Celebrans in Ecclesia polluta, vel simoniacè consecrata, non incurrit irregularitatem: secus, si alia ratione violat interdictum. h. d.

§. 2. Est[e] autem inter hæc differentia non modica: nam si qvis in ea Ecclesia celebret, qvæ vel polluta sit, vel simoniacè consecrata, licet hoc temerariè faciat, nullum tamen ob id irregularitatis laqveum incurrit: is verò[f], qvi scienter celebrat in locis alia ratione interdicto suppositis, irregularitatem incurrit, à qva per alium, qvàm per Romanum Pontificem, liberari non poterit: nisi aliqvi super hoc privilegio, vel jure muniti fuerint.

[e] *cap. is qvi de sentent. excom. in 6.*

[f] *d. cap. is qvi. §. fin.*

Est autem inter hæc differentia] Totum hoc est ex jure Pontificio positivo, & qvidem recentiore, ut dixi, qvod plerumqve detestandam continet tyrannidem. Differentiæ autem hujus ratio non alia est, qvam qvod papa ita voluit, uti fatetur Vivianus. De irregularitate dicetur *sequente titulo.*

Qvid sit judiciale interdictum. h. d.

§. 3. Judicis sententiâ tunc inducitur interdictum, cùm competens judex ex aliqva causa terram, vel homines à divinis arcendos pronunciat ac præcipit.

terram vel homines] Est enim interdictum vel locale, qvod immediatè locum afficit, prohibendo, ne in eo sacræ functiones fiant, vel personale, qvod immediatè afficit personas, prohibendo, ne sacris participent. Interdum hæc conjunguntur, ut & locus & universitas interdicantur, qvod interdictum mixtum dicunt.

Interdictorum quædam generalia, quædam specialia. h. d.

§. 4. Rursus interdictum, qvod prolatione judicis inducitur, aliud est generale, aliud speciale. Generale interdictum est, non solùm cùm Regno & provinciæ, sed etiam cùm castro & villæ divinis interdicitur. Speciale est, cùm inter plures Ecclesias paucæ, vel una interdicitur.

cum regno & provinciæ] Solidè hanc interdicti speciem refutat M. A. de Dominis *d. l. n. 39*, ubi adpositè qværit, qvodnam Evangelium, qvæ scriptura doceat devianti à rectâ viâ homini per generalem divini cultûs subtractionem esse succurrendum. In seqventibus ostendit, propter principes interdictum hoc fuisse excogitatum, privari populum cœlesti pabulo, divino cultu, rebus sacris, ut is in suum principem concitetur, ut seditiones accendantur, ut rebelliones foveantur, ut cædibus via aperiatur. &c:

Interdicto loco principali censetur interdictus accessorius vicinus & contiguus: & dispositio judicis non debet posse reddi elusoria. h. d.

g *cap. si civitas. de sentent. excom. in 6.*

§. 5. Et si qvidem civitas, castrum, aut villa g generali subjiciatur interdicto, non solùm qvæ murorum ambitu continentur, censentur interdicto supposita, sed etiam illorum suburbia & ædificia * continentia: alioqvin si in illis locis posset licitè celebrari, Ecclesiastica censura facilè contemni posset. Eadem qvoqve ratione si specialiter Ecclesia sit interdicto supposita, nec in Capella ejus celebrari, nec in Cœmeterio eidem Ecclesiæ contigvis sepeliri poterit.

* contigua; fortè.

sepe-

ſepeliri poterit] Peſſima hæc eſt tyrannis, antiqvæ Eccleſiæ planè ignota & inaudita, privatione ſepulturæ cogere velle provinciam, aut populum, ita ut interdicto generali etiam infantibus & amentibus ſepultura negetur. P. Laymann. theol. moral. *l. 1. tr. 5. part. 4. c. 2. n. 3.*

Reſpectu perſonarum interdictum Eccleſiaſticum eſt ſtrictè interpretandum, & unus non poteſt pro delicto alterius excommunicari. h. d.

§. 6. At non, ſicuti in locis, ita & in perſonis lata ſit interpretatio: ideoq; [a], ſi ſententia interdicti proferatur in populum, clericus interdictus non intelligitur: nec econverſo: unde interdicto alterutro ad divina licitè alter admittitur. Sed & ſi propter delictum domini, (nam pro pecuniaria cauſa ſine ſpeciali ſedis Apoſtolicæ, & per patentes literas expreſſa licentia, interdicti ſententia ferri non poterit) vel rectoris civitas ſit interdicta, cives, qvi culpabiles non exiſtunt, alibi divinis licitè intereſſe poterunt, niſi cives qvoqve propter dominum, vel rectorem puniendum interdicti fuerint. Qvod qvidem in excommunicationis ſententia contingere non poterit: neq; enim pro peccato unius alius, putà ipſius familia, excommunicari poterit.

[a] *c. ſi ſententia. de ſenten. excom. in 6.*

At non ſicut in locis] Locale interdictum gravius eſt perſonali, qvia in illo virtualiter etiam perſonale includitur, non vice verſa. In interdicto igitur perſonali non prohibentur alii, qvi cives ſeu membra communitatis non ſunt; liberantur etiam interdicto illi, qvi domicilium mutant, incidunt in interdictum alii, qvi novi cives recipiuntur.

ſed

Digitized by Google

ſed & ſi propter delictum domini] Contra jus divinum & naturale eſt, ut propter delictum domini puniantur ſubditi. Vid. Hug.Grot. *de jur.bell.& pac.l.2.c.21.n.9.ſeqq.*

nam pro pecuniariâ causâ]Ergò non pro ſolis delictis,ſed etiam pecuniariis cauſis dominorum interdicta fiori poſſunt? Qvi verò fines erunt tandem tyrannidis papalis? Et qvæ verò tandem erit proportio propter pecuniarium debitum animæ periculum creare & ſacris interdicere?

civitas ſit interdicta] videntur hîc per civitatem non debere intelligi cives, qvorſum enim diceret in ſeqventibus, niſi cives qvoqve propter dominum interdicti fuerint,ſed hoc ita intelligi debet, qvod propter dominum interdictum ſit in eâ civitate ſacra celebrare,cives autem propterea non interdictos cenſeri,& hinc igitur alibi poſſe intereſſe ſacris. At verò qvid monſtri hoc eſt,intercludere ſacra totius civitatis propter dominum, & populum tamen ſacris non velle interdicere: lucem extingvere propter unum,& reliqvis tamen adſidentibus non velle offundere tenebras.

excommunicari poterit] cauſam exponit ipſe Pontifex in *c. Romana Eccleſia, de ſent. excomm. in 6.* qvod vitandum ſit periculum animarum, cum nonnunqvam contigerit innoxios hujusmodi ſententiâ irrotiri.At verò idem etiam periculum eſt in interdicto. Nec diffitetur id Paulus Laymannus *d. l. c. 1. n. 3.* ſed ait, id non per ſe fieri, ſed tantùm per accidens,qvia ſunt in loco. Dixerim ego vicisſim,hactenus nihil obſtare, qvin innocentes etiam excommunicari posſint per accidens, qvia ſunt in familiâ. Sed hoc eſt,qvod ſæpè dixi,malè ſibi cohærere dogmata papalia.

Interdicta universitate & ſinguli de universitate cenſentur interdicti,ne interdictum reddatur eluſorium. b.d.

§. 7. Item[b] cùm loci alicujus populus Eccleſiaſtico ſupponitur interdicto, ſingulares ex eo perſonæ, qvas interdictas eſſe conſtat,ne ſententia effectu careat,non debent alicubi,caſibus expreſsis à jure duntaxat exceptis, audire divina, vel Eccleſiaſtica recipere

b *c.ſi ſententia. §. cùm verò,de ſent. excom. in 6.*

Digitized by Google

pere ſacramenta: cùm divinorum auditio, & ſacramentorum perceptio populo, ut univerſis, non competat.

non debent alicubi] Extrema hæc eſt impietas & malitia, populum ab omni auditione verbi excludere. Si peccavit populus, Sacerdotum eſt, pro illo orare, illum docere, arguere, increpare &c. & tunc vel maximè Viri Eccleſiaſtici ſuas vires ac munus docendi, hortandi, monendi, orandi debent exercere. Qvod ſi innocens eſt populus, eò major eſt abominatio, propter unius delictum eum omnibus ſacris arcere.

Regulariter tempore interdicti poteſt qvis baptizari, chriſmari, & verbum divinum audire. h.d.

§. 8. Excepti [c] verò caſus ſunt: ſi qvi ad baptismi, chriſmatis, & pœnitentiæ ſacramentum, vel ad verbum divinum audiendum admitti velint, tam ſi infirmi ſint, qvàm ſi ſint in bona valetudine conſtituti. Qvod tamen in his, qvi interdicto cauſam dederunt, non obtinet indiſtinctè: ſed in eis Bonifacianæ [d] conſtitutionis forma obſervanda erit. Qvæ & alia qvædam interdicti tempore fieri benignè indulget, ut ex ipſius conſtitutionis perpenſo tenore facilè apparere poterit.

c *cap. reſponſo noſtro. ex. tra. de ſent. excom.*

d *cap. fin. de ſentent. excom. in 6.*

Excepti verò caſus ſunt] Senſit Bonifacius VIII. incommoda, qvæ ex interdictionibus ſacrorum provenire ſolent, ideoq; in qvibusdam temperare eas conatus eſt in *c. fin. de ſent. excomm. in 6.* melius feciſſet, ſi penitus earum uſum ſuſtuliſſet. Exceptio autem de baptiſmate parvulorum & pœnitentiâ morientium cuilibet interdicto apponi ſolet. Cujacius *ad t. tit. X. de ſponſal.*

Qvod tamen in his] Imò in his id omnium maximè obtine-

re deberet, si parati sint ad meliorem frugem redire & pœnitentiæ signa ediderint satis manifesta. Sed Canonistæ ubiq; satisfactionem aut saltem de eâ cautionem præviam reqvirunt, qvippe per qvam Ecclesia majores plerumq; colligit opes, ut lautius inde vivere possint Clerici.

Qvæ & alia qvædam] Non usq; qvaqve conveniunt Dd. qvæ interdicti tempore permittantur, qvæve prohibita sint. Secundum aliqvos conceditur Sacramentum confirmationis adultis, & similiter Sacramentum matrimonii, qvippe qvod legitimè tali tempore contrahi possit, sed benedictio nuptialis prohibetur. Panormitanus vero dubitat. Clericis qvoqve conceditur sepultura Ecclesiæ, it. ordinum collatio &c. Joh. Altenstaig. *in Lexic. voc. interdict.*

Tempore interdicti potest confici sacrum Chrisma, sed Unctio extrema, Ecclesiastica sepultura, & divinorum celebratio sunt prohibita, nisi concessa qvibusdam sint ex privilegio: & , violantes interdictum incurrunt excommunicationem, non obstantibus privilegiis. h.d.

[c] *cap. qvoniam in. de sentent. excom. in 6.*

§. 9. Velut [c] igitur interdicti tempore jure Chrismatis utimur unctione, sic licet regio sit interdicto suppositа, Chrisma die cœnæ Domini posse confici dubium esse non debet. Unctio autem extrema, & Ecclesiastica sepultura, & divinorum officiorum celebratio tempore generalis interdicti omnibus denegatur, nisi qvibusdam, qvibus id ex gratia certa servata forma conceditur: cæteri autem, sive clerici, sive laici, qvi interdictum violando nervum Ecclesiasticæ disciplinæ conantur infringere, qvibuscunqve privilegiis non obstantibus, sententiæ excommunicationis subjicientur: à qva per sedem duntaxat Apostolicam absolvi poterunt.

clem. 1. 2. 3. de sent. Excomm.

c. gravis. de sent. Excom. in Clem.

Velut

Digitized by Google

Velut igitur] De unctione chrismariâ, & confectione chrismatis *libr.2.* diximus, notavimusq; superstitiones, qvibus turget Ecclesia papalis.

nisi qvibusdam, qvibus id ex gratia] Talis gratia facta est Episcopis *per c. qvoniam, de privileg. in 6.* Ex qvo disqvirunt Canonistæ, utrum tempore interdicti Episcopi teneantur audire vel celebrare missam. Plurimi id negant, eò qvod nemo teneatur privilegio sibi concesso, ne ex gratia fiat onus, qvos refert & refutat Thom. Hurtado *tr.2. resolut.28.* Tam protervi scil. sunt qvidam inter pontificios, ut etiam obligationem hominis ad pietatem extenuent, & inter onera referant.

sententiæ excommunicationis] Interdictum minus qvid est excommunicatione, & assimilatur excommunicationi minori, qvæ à Sacramentis tantùm separat. Major autem excommunicatio separat etiam à communione fidelium. Tali igitur excommunicatione punit pontifex eos, qvi interdictum violant. Et hæc scil. est illa vis ἀναγκαστικὴ, qvâ in immensum suum auxit dominatum Pontifex Romanus.

Appellationis prætextus violatoribus interdicti minimè suffragatur. h. d.

§. 10. Nec aliqvid violatoribus proderit, qvòd appellasse, atq; ideo se interdicti sententia minimè teneri contendant: sicut enim post appellationem excommunicari non possunt, sic interdictum, cui ante appellationem eos constat esse suppositos, declinare neqveunt.

c. ad hæc qvoniam. de appel.

c. is cui in fine. de sent. excom. in 6.

qvod appellasse] Sententiam excommunicationis non suspendi per appellationem communiter statuunt Canonistæ *per c. 40. de sent. excomm. & c.29. eod. in 6. c.53. §.1. X. de appellat.* eò qvod sententia talis secum executionem trahat. Sed Accursius & ejus seqvaces contrarium tenent, qvippe qvod etiam aliàs sententia, qvæ secum trahit executionem, per appellationem suspenditur, uti fit in sententia capitali & ultimi supplicii, it. in sententiâ per qvam prælatus est depositus, *ad l. ult. C. si à non comp. jud.* præsertim cum per sententiam excommunicationis irreparabile gravamen in-

feratur. Istud Accursii argumentum ut solvat Sigism. Scaccia *de appellat. qv. 17. limitat. 22. n. 3.* præter rationes Panormitani, ad qvas remittit, specialem hanc dat, qvod sententiæ censurarum sint medicinales, & principaliter tendant ad corrigendum, prætextu igitur appellationis non esse impediendam correctionem. Sed enim seqveretur hinc, nullam sententiam, qvæ pœnam medicinalem & emendatoriam continet, per appellationem suspendi posse. Deinde nec nudam correctionem continet sententia excommunicationis, sed simul gravem pœnam, qvam meritò qvivis evitat vir bonus. Et qvia igitur ipsa æqvitas svadet, ut per appellationem audiatur gravatus, anteqvam executioni mandetur sententia sæpè injusta & iniqva, non satis consideratè composita sunt jura pontificia, qvæ appellatione non obstante executionem præcipiunt. Cæterùm appellationem istam hoc operari dicunt Canonistæ, qvod eximat appellantem à jurisdictione excommunicantis, & qvod judex ad qvem absolvere possit excommunicatum sine remissione ad judicem à qvo. Petr. Gregor. *de appell. l. 2. c. 14. n. 11.* At si exemptus est appellans jurisdictione excommunicantis, non poterit ab eo judice executio fieri; deinde satius esset, appellantem excommunicationi planè non innodare, qvàm injustè innodatum absolvere, præsertim cùm absolutio etiam sine appellatione impetrari potuit. Qvod si qvis ab interdicto appellaverit, hoc *consequi* eum dicit autor, non qvod interdictum suspendatur, sed qvod excommunicari deinceps pendente appellatione neqveat. Hinc ergò tantùm futurum malum evitatur per appellationem, non præsens & instans.

DE SUSPENSIONE,

TITULUS XV.

Suspensio est duplex, ut excommunicatio, & interdictum. b. d.

§. 1. Suspensio qvoq; alia est Canonis, alia judicis, sicuti excommunicatio, & interdictum. Canonis est, veluti cùm qvis ob simoniam, vel ob notoriam fornicationem, vel aliud crimen ipso jure à sui executione ordinis, vel officii arcetur.

Suspensio qvoq;] Suspensio definitur, qvod sit censura Ecclesiastica, qvâ Clerico ob delictum inhibetur à jure vel à judice exercitium ordinis,

Digitized by Google

dinis, officii vel beneficii ſui Eccleſiaſtici, ſive in totum, ſive in partem, ſive in perpetuum, ſive ad tempus. Suſpendere enim idem eſt, qvod jubere aliqvem abſtinere aut ad tempus ſubmovere, vel ut Ulpianus loqvitur in *l.1.§. 13.ff.de offic.praf.Urb.l.9.pr.ff.de pœn.* & Paulus in *l.45.ff.eod.* actu qvodam vel officio, arte, advocatione, negociatione, ſpectaculis &c. interdicere. Et qvidem ut plurimum fieri ſolet ſuſpenſio ad tempus aliqvod præfinitum. Qvæ enim in perpetuum fieri dicitur Canoniſtis, in effectu parum videtur diſtare à depoſitione, qvod etiam agnoſcit Henr. Zoëſ. *ad tit. X. de pœn. n. 6.* Imponitur aliqvando in puram criminis vindictam & tum pœna eſt, aliqvando propter ſolam contumaciam & ſub ratione medicinæ, ut qvis à peccato reſipiſcat, & tum cenſura eſt *c.20.X.de V.S.* & ibi Barboſa.

vel aliud crimen] Ita e. g. Clericus, qvi clandeſtinis intereſt conjugiis, per triennium ſuſpendi jubetur *c. fin. X. de clandeſtin. deſponſ.* ita qvoq; qvi literas falſavit, *c.tam literis X. de teſtib.* qvi à crapulâ & ebrietate non abſtinet *c.14.X.de vit. & honeſt. clericor.* qvi propter comeſſationes officio ſuo non fungitur, *c.9. X. de celebr. miſſ.* qvi in cauſa pecuniaria falſum teſtimonium dixit, *auth, presbyteri C. de Epiſc. & Cler.* qvi ad tabulas ludit, aut ludentibus inſpector eſt, aut ad ſpectacula ſpectandi gratiâ venit. *auth. interdicimus C.eod.* & ſimilia.

Ob mortale peccatum non notorium eſt qvis ſuſpenſus, qvoad ſeipſum, non qvoad alios. h. d.

§. 2. At ſi[a] crimen per ſententiam, vel per confeſſionem factam in jure, aut per rei ipſius evidentiam notorium non ſit: & ſi qvilibet pro mortali peccato, qvoad ſeipſum, ſit ſuſpenſus, qvoad alios tamen pro ſuſpenſo non habetur: ideoq; in officiis Eccleſiaſticis vitandus non erit.

[a] *cap.fin.ext. de cohabit. cleric.& mulier.*

pro ſuſpenſo non habetur] Suſpenſio proximum effectum habet abſtinentiam ab officio. At qvi non abſtinet, qvomodo ſuſpenſus dici poteſt. Certè nomen ei conveniet ſine re. Ideoq; ſi effectu non debet deſtitui talis ſuſpenſio, optimum erit, ut interveniat ſententia declaratoria. Suſpenſio enim non virtute clavium ligat, ſed eſt externa qvædam pœna, qvæ in tantum obligat, in qvantum externa eſt, cum Eccleſia ad occulta & ſecreta per

ta per disciplinam suam non penetret. M. A. de Dominis *de Rep. Eccles. l. 3. c. 9. n. 36.*

vitandus non erit]Non est qvæstio, utrum vitari ab aliis debeat, qvomodo enim vitari potest, de cujus crimine & suspensione non constat? sed utrum ipse abstinere debeat officio Ecclesiastico, qvod utiq; necesse est, si ipso jure fit suspensio. Disceptant autem adhuc Canonistæ, qvatenus vitari debeat suspensus, uti videre licet apud Thomam Hurtad. *tr. 1. resol. 25. §. 1. & 2.* qvi concludit ex constitutione Martini V. non debere vitari suspensum, nisi suspensio fuerit promulgata aut denunciata specialiter.

Qva sit suspensio judicii. h. d.

§. 3. Judicis suspensio est, ut cùm sententia qvis ab eadem executione ex causa removetur.

ab eâdem executione] ordinis scil. vel officii. Eam autem præcedere debet monitio. *c. 26. X. de appellat.*

Suspensio solùm ordinem & statum Ecclesiasticum respicit: &, privatio præsupponit habitum. h. d.

§. 4. Est autem suspensio (velut Ecclesiastica censura considerata) respectu qvodam, aliqvanto qvàm excommunicatio, vel interdictum, strictior: qvippe qvòd & excommunicatio, & interdictum non solùm clericos, verùm etiam laicos innectere possunt: at suspensio cum nihil aliud sit, qvàm inhabilitas qvædam ad exeqvendos ordines, & officia Ecclesiastica, nullos præter qvàm ipsos clericos attingere potest. Nec enim ulli ejus ordinis, vel officii, cujus est penitùs expers, administratio vetari & interdici potest.

velut Ecclesiastica censura] Censuram esse negat M. A. de Dominis *d. l.* Nos verò concedere possumus eo sensu, qvo dixi supr. *ad tit. 12.* interim tamen hoc rectè asserit de Dominis, qvod ex clavium potestate non decernatur suspensio.

qvam excommunicatio] Suspensionem, qvæ adversus ministrum Ecclesiasticum decernitur, esse vel ipsam excommunicationem, ut si

suspen-

Digitized by Google

ſuſpendatur ab officio & beneficio, ab ingreſſu Eccleſiæ & ab uſu conſortii fidelium, vel partem ejusdem excommunicationis, ut ſi ſuſpendatur ab ingreſſu Eccleſiæ, vel à divinis vel à ſynaxi vel ab adminiſtratione Eccleſiæ &c. contendit M.A. de Dominis *d.l.* Sed videtur ſuſpenſionis vocabulum laxius accipere. Propriè enim ſi ſumatur pro inhibitione officii ſui, diſtincta eſt ab excommunicatione cenſura.

præterqvam ipſos clericos] Poſſunt tamen etiam Laici ab officiis ſuis ſuſpendi aut à profeſſione ſuâ. Exempla ſunt in *l.9.ff. de pœn.l.7. §.20.ff. de interdict.& releg.l.3.C. ex qvib.cauſ.infam.l.5.ff.de decurion.l.1.§.13. ff.de offic.præf.urbi.*

Ingerens ſe divinis, incurrit irregularitatem. Et qvid ſit irregularitas.h.d.

§. 5. Cavebunt[a] igitur clerici, judices, & Eccleſiarum Prælati, ne pœnam hanc ſuſpenſionis incurrant, ſciturі, qvòdſi ea durante ſeſe divinis ingeſſerint (ſecundum Canonicarum ſanctionum tenorem & diſtinctionem) irregularitatis laqveo ſeſe involvent, à qvo interdum non, niſi per ſummum Pontificem, liberari poterunt. Eſt autem irregularitas, nota qvædam, ſeu Canonicum impedimentum, ex facto ſeu defectu proveniens, qvo qvis tam ad Eccleſiaſticos ordines promoveri, qvàm promotus in iisdem miniſtrare prohibetur: qvod qvaliter accidat, tam ſuprà ex primo libro, qvàm etiam ex variis Decretalium locis facile eſt legentibus cognoſcere.

a *cap.1. in fin. & cap.is cui. de ſenten.excom.in 6.*

Qvod ſi eâ durante] Volunt Canoniſtæ, infamatum infamiâ facti, ratione cujus ſuſpenditur ſuſpenſione facti, non eſſe irregularem, & ſacra adminiſtrare poſſe. Vid.Hurtad. *tr.1.reſol.36.& 38.* Statuit tamen Did.Covarruvias *in Clem. ſi furioſus p.1. §.1. n.6.* Clericum Sodomitam, etiamſi ſit occultus, ipſo facto eſſe ſuſpenſum, & ſi celebret, propriè eſſe irregularem. Adeò diſſentiunt inter ſe morum informatores.

non niſi per ſummum Pontificem] Etiam hoc intelligit Hurtado de irregularitate, qvam contrahunt juridicè convicti aut condemnati, qvia ſcil. facultas diſpenſandi non aliter competat Epiſcopis aliis, niſi res manſerit in foro conſcientiæ; ubi vero in foro externo res deciſa fuerit, non amplius Epiſcopi eſſe partes, ſed à Romano Pontifice diſpenſationem petendam eſſe. *reſol.39.*

Cano-

Canonicum impedimentum] Per hoc intelligenda est legalis qvædam seu canonica inhabilitas juris positivi Ecclesiastici. Alii enim impropriè etiã defectus qvosdam naturales irregularitatis nomine comprehendunt, sed qvi physicè potius qvam merè legaliter hominem reddunt sacri ordinis incapacem. Irregularitas autem non incurritur, nisi in casibus à jure expressis *c.18.de sent.excomm.in 6.*

Episcopi & superiores nunqvam incurrunt sententiam interdicti, vel suspensionis, ipso jure, nisi de ipsis expressa mentio habeatur. h.d.

b *cap. qvia periculosum. de sentent. excom. in 6.*

§. 6. Ea propter optima ratione Innocentiana [b] constitutione cautum est, ne Episcopi eorumq; superiores, ullius constitutionis, sententiæ, sive mandati occasione, interdicti vel suspensionis sententiam (nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur) ipso jure incurrant: esset enim hoc nimis periculosum, ob Pontificalis officii, qvod freqventer exercere compelluntur, executionem.

ne Episcopi] Episcopi, uti in aliis supra reliqvum clerum ἀναβεβήκασιν, ita etiam in censuris & pœnis. Et hos tamen, qvemadmodum vitæ puritate reliqvos omnes superare debent, ita ut in eâdem retineantur, nullis non censuris coërcere melius esset. Nec excusari hæc Innocentii constitutio ex eo potest, qvod Episcopi pontificale officium freqventer exercere compellantur, siqvidem satius esset interea officium ejusmodi intermittere, donec aliter provisum fuerit Ecclesiæ, qvàm cum ingenti scandalo pati, ut ab Episcopo notoriè Simoniaco aut fornicatore ordinentur presbyteri aut alia sacra peragantur.

FINIS

SYLLABUS

Eorum, qvæ in Dissertatione de Origine & Incrementis Juris Canonici continentur,

Numerus Romanus sive major paragraphum; barbarus verò sive minor paginam dicit.

Vocabuli Canonis significatio architectonica. I. 1.
— — — usus in aliis negociis. II. 1. &
--- --- --- -- -- significatio ecclesiastica. II. 1. & 2.
Libri Scripturæ canonici & apocryphi. III. IV. V. 2. 3.
Vocis Canonis ad decreta Conciliorum extensio. V. 3.
Decreta illa qvalem normam exhibeant. ibid.
Conciliorum autoritas. V. 3. & XLIV. 34.
Qvalis esse debeat & sit Ecclesiæ decisio. V. 3. 4. & XLIV. 34.
Juris Canonici Ortus & Appellationes. VI. 4. add. XXXIV. 26.
Qvalis ratio fuerit Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis respectu jurium. VII. 4. 5.
De Canonum, qvi Apostolici dicuntur, ætate, autore, autoritate & numero. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. 5. 6. 7. 8. 9. add. LXI. 49.
Constitutiones Apostolicæ dictæ. XIV. 9. 10.
De qvibusdam novis canonum collectionibus & codicibus. XV. 10. 11.
Codex Canonum Ecclesiæ universæ. XVI. 11. XIX. 14.
De canonum Græcorum Occidentalibus communicatorum versione Dionysii Exigui. XVII. XIIX. 11. 12. 13.
De aliis juris canonici accessionibus. XIX. 14.
Collatio legum & canonum sive Nomocanon Johannis Scholastici, Patriarchæ Constantinopolitani. XIX. 14. conf. XXIII. 16. 17.
De collectione qvadam canonum, qvæ in Hispania prodiit. XX. 14. 15.
Objectum juris Canonici olim tàm diffusum non fuisse, uti hodiè est, demonstratur. XXI. 15.
Qvomodo res habuerit se antiqvò tempore cum judiciis ecclesiasticis. ibid.
Initia potestatis pontificiæ. XXII. 15. 16.

Nomocanon Photii, Patriarchæ Constantinopolitani. XXIII. 16. XXIV. 18. XXXIV. XXXV. 27.

Qvomodo Nicolaus I. Pontifex Romanæ sedis potentiam augere studuerit. XXIV. 17.

De Isidori Mercatoris Collectione epistolarum decretalium. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. 18. 19. 20. 21. 22. it. XXXVI. 28. & LXII. 50.

Officium Magistratûs circa res commercales, & exempla qvædam, qvibus crimen stellionatûs in mercibus committitur. XXVI. 20.

Barbaries literaria & turpitudo Pontificum. XXVIII. 21. add. XLVIII. 38.

Collectio canonum Burchardi, Episcopi Wormacienſis. XXIX. 22.

De Gregorio VII. Papa, sive Hildebrando. XXXI. XXXII. 23. 24. 25.

Dictatûs ejusdem. XXXIII. 25. 26.

Dissensus Ecclesiarum Græcarum & Orientalium ab Occidentalibus circa primatum Episcopi Romani. XXXIV. 26. 27.

Nomocanon, & Decretum ac Panormia Ivonis. XXXV. 27. 28.

Concordia discordantium canonum Gratiani. XXXVI. 28. 29.

De Gratiani, Petri Lombardi, & Petri Comestoris natalibus. XXXVII. 29.

Gratiani volumen unde compositum & in qvas partes divisum sit. XXXIX. 29. add. XLII. 33.

De mutationibus & correctionibus legum & canonum. XXXVIII. 30.

Qvalem se gesserit Gratianus in componendo Decreto suo. XXXVIII. 30. XXXIX. 31. LXVI. 53.

Breviarium & interpretationes Aniani. XXXIX. 31.

Qvæ sit conditio voluminis Gratianéi qvoad probationes inde sumendas. ibid.

Gratiani usus in gymnasiis. XL. 31.

Num Eugenius III. Gratiani opus adprobârit & legendum publicis gymnasiis concesserit. ibid.

Utrûm vim legis habeant, qvæ Gratianéo operi inserta sunt. XL. -- XLVII. 31. -- 37. it. LXVI. 53. conf. LXIX. 56.

Qvot & qvæ constituantur species & ordines eorum, qvæ in decreto Gratiani habentur. XLII. seqq. 32. seqq.

Dicta Patrum num habeant vim Legis. XLIII. 33. 34.

Canones à Principe confirmati qvâ ratione recipiendi sint. XLIV. 34.

Epistolæ decretales & responsa Pontificum an habeant vim legis. XLIV. 34. 35.

Domi-

Dominatus Papæ universalis negatur. XLIV.35.
Autoritatis publicæ in Gratiano defectus. XLV.35.
De Gratiani testimonio historico. ibid.
De paleæ vocabulo & autoritate palearum. XLVI.35.36.37.
Leges civiles à Gratiano adductæ qvam habeant vim. XLVII.37.
De incrementis monarchiæ papalis per Gratianum ac Lombardum & barbarie in literis. XLVIII.38.
De Waldo & Waldensibus, it. Dominicanis & Franciscanis, iis oppositis. XLIX.38.39. jung. LXI.49.
Gratianus, Lombardus, Franciscus & Dominicus vocantur Apostoli Satanæ. XLIX.39.
De progressibus Decreti Gratiani, Decretistis, Juris Justinianéi in lucem revocatione & creandi Doctores in utroq; Jure consvetudine. L.39.
Constitutionum Juris Canonici forensium constructio. L.40.
Constitutionum collectiones qvinq; novæ. LI.LII.40.41.
Qvis primus commentariô illustraverit Decretum Gratiani. LI.41.
De compilatione & opere Decretalium Gregorii Noni. LII. LIII. 41.42.43.
Compositio Decretalium Bonifacii VIII. sive Sexti Libri Decretalium. LIV.43.
Bonifacii VIII. vitia. LIV.43.44.
Dissidia inter eum & Regem Galliæ circa superioritatem Papæ. LV.44.
Liber sextus Decretalium cur in Gallia receptus non sit. LV.44.45.
Encomium Regum Galliæ à contemptu Papæ & ejus Decretalium. LVI.45.
Translatio sedis pontificiæ Avenionem. LVII.45.46.
Constitutiones Clementinæ. LVII.46.
Extravagantes Johannis XXII. & Extravagantes communes. LVIII.46.47.
Collatio partium Juris Canonici cum partibus Juris Civilis. LIX.47.
Institutiones Juris Canonici & Liber Septimus Decretalium. ibid.
De glossis, commentariis & commentatoribus ad Jus Canonicum. LIX.47.48.
Unde jus canonicum in tantam excreverit molem. LX.48.49.
De juris canonici decrementis. LXI.seqq.49.seqq.
Causæ illorum decrementorum: I. dogmata de infallibilitate Papæ, ejusq; supra concilium autoritate. LXI.49.

II. Waldenſes. - - - - - }
III. Defenſor Pacis Marſilii. - - } ibid.
IV. Concilia Conſtantienſe & Baſileenſe. }
V. Oppugnationes Decretalium Iſidori. LXII. 50.
VI. Lutherus. LXIII. ſeqq. 50. ſeqq.
Verba Georgii Wicelii in *Via Regia*, & Johannis Geileri Keiſersbergii contra jus canonicum. LXIII. 51.
Juris pontificii, bullæ Leonis X. nec non librorum Eccii & Emſeri concrematio à Luthero facta. LXIV. 51. 52.
Lutheri ſuper combuſtione Juris pontificii oppugnatio & propugnatio. LXV. 52.
Conſtitutionum pontificalium cum nummis comparatio. LXV. 52. 53.
Qvalem utilitatem habeat Decretum Gratiani. LXVI. 53.
De uſu Decretalium, & de proceſſualibus earum præcipuè. LXVII. 53. 54.
Specialium circa proceſſum ordinationum in plerisq; Germaniæ provinciis uſus. LXVII. 54.
Sententia de toto jure canonico, qvale in ſe eſt, rectiùs abolendo, qvàm conſervando. ibid.
Legis, qvâ in Anglia cautum eſt, ne qvis ampliùs Juris can. Doctor creetur, citatio. ibid.
Ad qvid in Academiis Evangelicorum titulus Doctoris in utroq; Jure ſuſcipiatur, & ad qvid Decretalium profeſſio publica ſuſtineatur. LXVIII. 54. 55. 56.
Doctorum Juris Canonici præ Doctoribus Juris civ. prærogativa & ſeorſim fieri ſolita creatio apud Pontificies. LXVIII. 54.
De uſu & autoritate Juris Canonici apud Orthodoxos. LXVIII. 55.
Num inter Juris ſtudioſos eruditi nomen mereatur, qvi nullam Juris Canonici ſibi comparaverit ſcientiam. LXVIII. 56.
Doctura Juris Canonici num rectè tribuatur JCtis? LXIX. 56. 77.
Decretalium ſolarum *ἀυθεντία*. LXIX. 56.
Clauſula diſſertationis ex Henr. Cornelio Agrippa. LXX. 57. 58.

SE-

SERIES TITULORUM.

Libri Primi:

I.	De Jure Canonico.	pagina 1
II.	De Jure Divino, Consvetudine, & Constitutionibus.	4
III.	De Ecclesiasticis Constitutionibus.	11
IV.	De Jure Personarum.	24
V.	De Episcopis, & summo Pontifice.	26
VI.	De Electione.	34
VII.	Qvi eligere, eligive possunt.	41
VIII.	De Postulatione.	51
IX.	De Confirmatione Electionis.	61
X.	De Consecratione.	73
XI.	De Receptione, & Authoritate Pallii.	79
XII.	De Vita & Honestate Prælatorum.	83
XIII.	De Officio Archidiaconi.	91
XIV.	De Officio Archipresbyteri.	93
XV.	De Officio Vicarii.	96
XVI.	De Coadjutore.	98
XVII.	De Chorepiscoporum usu sublato.	101
XVIII.	De Translatione.	104
XIX.	De Renunciatione.	112
XX.	De Depositione, seu Degradatione.	116
XXI.	De Sacerdotibus in inferiori gradu constitutis.	132
XXII.	De Iis, qvi in sacris sunt constituti.	137
XXIII.	De Iis, qvi sunt in minoribus ordinibus constituti.	145
XXIV.	Communia tàm majorum, qvàm minorum ordinum.	150

XXV.	Qvi promoveri non possunt.	165
XXVI.	De Præbendis, & aliis beneficiis.	189
XXVII.	De Collationibus.	196
XXVIII.	De Institutionibus, & Jure Patronatûs.	241
XXIX.	De Clericis non residentibus.	263
XXX.	De Regularibus, ac Monachis.	270

LIBRI SECUNDI:

I.	De Rerum Divisione, atqve illarum administratione.	296
II.	De Sacramentis.	298
III.	De Baptismo, & ejus effectu.	309
IV.	De Sacramento Chrismatis.	330
V.	De Pœnitentiis, & Remissionibus.	339
VI.	De Eucharistia.	367
VII.	De Extrema Unctione.	381
VIII.	De Sacramento Ordinis.	384
IX	De Sacramento Matrimonii.	385
X.	De Sponsalibus.	387
XI.	De Nuptiis.	414
XII.	Qvæ Matrimonium impedire possunt.	426
XIII.	De Triplici Cognatione.	449
XIV.	De Clandestina Desponsatione.	467
XV.	Qvi matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.	471
XVI.	De Divortiis.	478
XVII.	De Rebus sacris, sanctis, & religiosis.	506
XVIII.	De construendis, consecrandis, & reparandis Ecclesiis, & Altaribus.	507
XIX.	De Unionibus Ecclesiarum.	528
XX.	De Immunitate Ecclesiarum, & Subjectione.	537

XXI.	De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.	552
XXII.	De Capellis Monachorum.	564
XXIII.	De Religiosis Domibus.	566
XXIV.	De Sepulturis.	571
XXV.	De Canonica Portione.	586
XXVI.	De Decimis.	598
XXVII.	De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.	615
XXVIII.	De Peculio Clericorum, Relictis, & Successionibus eorum.	634

LIBRI TERTII:

I.	De Judiciis, & illorum divisione.	642
II.	De Procuratoribus.	684
III.	De Pactis, & Transactionibus.	709
IV.	De Arbitris.	716
V.	De in jus vocando.	724
VI.	De Dolo, & Contumacia, & in possessionem missione.	737
VII.	De Libelli conceptione, & oblatione.	746
VIII.	De Exceptionibus, & Replicationibus.	752
IX.	De Mutuis Petitionibus.	773
X.	De Restitutione spoliatorum.	779
XI.	De Litis contestatione.	793
XII.	De Juramento calumniæ.	801
XIII.	Ut lite pendente nihil innovetur.	807
XIV.	De Probationibus.	809
XV.	De Sententiis, & Re judicata.	844
XVI.	De Executione Rei judicatæ.	858
XVII.	De Appellationibus.	864
XVIII.	De Restitutione in integrum.	895

LIBRI

SERIES TITULORUM

LIBRI QUARTI:

I.	De Accusationibus, Denunciationibus, & Inquisitionibus.	904
II.	De Duplici Purgatione.	911
III.	De Simonia.	913
IV.	De Hæreticis, & Schismaticis, & Apostatis.	938
V.	De Sortilegis, Maledicis, & Sacrilegis.	956
VI.	De Furtis.	966
VII.	De Usuris.	979
VIII.	De Adulteriis, & aliis conjunctionibus illicitis.	983
IX.	De Crimine Falsi.	993
X.	De Homicidio.	998
XI.	De Injuriis, & Damno dato.	1005
XII.	De Ecclesiasticis Censuris.	1011
XIII.	De Sententia Excommunicationis.	1013
XIV.	De Ecclesiastico Interdicto.	1060
XV.	De Suspensione.	1068

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM IN IPSO INSTITUTIONUM OPERE ET ADJECTIS NOTIS CONTENTORUM.

Numerus ſignat paginam: Litera T Textum: N Notas.

AARON.

Aaron ob imperfectionem ſacerdotii ſucceſſores ſuos habuit.372.N.

Non ſecundùm ordinem Aaronis, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech Chriſtus eſt Sacerdos.ibid.

ABBAS.

De abbatum exemptione.122.123. N. conf. 162.N.it.564 N.

Abbatum officiũ circa monachos. 291.T.

Unde, qvomodo & qvalis eligendus ſit abbas.292.T.

Abbates qvales aliqvando fuerint & etiamnum ſint perſonæ.292. N.

Abbas ut eligi qvis poſſit,expreſſa reqviritur profeſſio; eligere verò poteſt abbatem,qvi tacitè ſaltem profeſſus eſt. 293. N.

Abbas communiter dicitur, qvi præeſt monaſterio, & Græcis appellatur Archimandrita & Cœnobiarcha.532.N.

ABORTUS.

Abortûs procuratio qvomodo puniatur. 1003.T.1004.N.& qvomodo circa hoc delictum diſtingvatur. 1004. N.

Qvi abortui præter intentionẽ & planè imprudens occaſionem dedit,non punitur.1005.N.

Abortionis poculum reddi num poſſit licitum.1005. N.

ABSENS, ABSENTIA.

Abſens votum ſuum ad eligendum alterî demandare non poteſt in Gallia.43. N.

Ratio hujus rei. ibid.

Abſens legitimis cauſis impeditus votum ſuum electionis aliis de capitulo poteſt demandare.54. T.

De abſentia ſponſi.412.T.& N.

Abſentia regulariter per ſe ſola non excuſat,niſi talis fuerit,ut id,de qvo qværitur,veriſimiliter ad notitiam abſentis pervenire non potuerit. 473 N.

Abſentiæ cum morte æqviparatio. 675. T. & N.

ABSOLVERE,ABSOLUTIO.

Abſolutio ſive pœnitentia num ſacramentum ſit.301. 340. N.

Abſolutionem etiam ſub pœnitentia complectuntur Pontificii 340.365 N.

Plura vid. ſub voc.Pœnitentia.

Utrùm qvis posſit abſolvi à paſtore alieno. 353. N.

Abſolvere poſſunt Laici in caſu neceſſitatis. 355. N. conf. 1026. N.

Abſolvere à peccatis nihil aliud eſt, qvàm generalem doctrinam Evangelii in individuo applicare ad certam perſonam pœnitentem. 355. N.

Abſolvere ſolent Pontificii à futuris etiam peccatis adhuc perpetrandis & animo jam deſtinatis. 356. N.

Ad abſolutionis validitatem & efficaciam qvod reqviſitum commenti ſint Pontifices Romani, & qvâ ratione hi reſervata ſibi fecerint in abſolutionibus, & unde hoc introductum ſit. 358. N.

Chriſtus omnibus ex æqvo Apoſtolis poteſtatem à peccatis abſolvendi dedit, unde tyrannicum eſt, tales ſibi reſervare casûs, in qvibus nullus Sacerdos per verbum Dei verè abſolvere posſit. 358. N.

Totam abſolvendi poteſtatem qvomodo & qvàm benè temperent Pontificii ad modum jurisdictionis & poteſtatis civilis. 360. N.

Poteſt abſolvi, qvi propoſitum habuit confitendi, ſi ſævitiâ morbi non poteſt confiteri. 365. N.

De abſolutione morientium, *remiſſivè*. 365. N.

Abſolutione ab juramento illicito non eſt opus. 557. N.

Abſolvere, juxta Canoniſtas, omnis Sacerdos qvoslibet pœnitentes à qvibusvis peccatis & cenſuris in articulo mortis poteſt. 742. N. Conf. 1025. T. 1026. N. 1039. N.

Hoc etiam in Eccleſiis Lutheranis ita obſervatur, utcunqve excommunicatio aliàs, qvemadmodum & receptio, non niſi à Conſiſtoriis expediatur. ibid.

Abſolutio ab excommunicatione canonis. 1017. T. 1018. N. 1025. T. 1026. N. 1027. T. junct. 1028. N. 1028. 1029. T. 1029 1030. N.

Abſolutio ab excommunicatione Judicis. 1038. 1039. T. 1039. N. 1041. T. 1041. N. 1051. T. & N. 1052. N. & T. 1053. N. 1053. ſeq. T. 1055. T. & N. 1056. T. & N. & ſeqq.

Abſolutionem ab excommunicatione qvomodo diſtingvant. 1039 N.

Uti Pontificii faciles ſunt in excommunicando, ita faciles etiam ſunt in abſolvendo. 1043. N.

Abſolutio neceſſariò reqvirit præviam pœnitentiam. ibid.

Qvô pactô olim abſolutio collata fuerit. ibid.

Abſolutio olim publicè facta non eſt, neqve communio conceſſa iis, qvi excommunicati fuerant, anteqvàm relatio de pœnitentia ad populum facta fuiſſet. 1046. N.

Abſolutio ab excommunicatione ad cautelam. 1050. T.

Abſolvere ab executione eſt actus jurisdictionalis. 1051. 1052. N.

ABUSUS.

Abuſus appellationum in foro Eccleſiaſtico, *remiſſivè*. 33. & 34. N.

Digitized by Google

Abusus electionum & aliarum rerum apud Pontificios, *ex Georgio Wicelio*. 57. N.

Abusus provisionum, gratiarum expectativarum, &c. 210. 211. N.

Abusûs sacramentales in papatu, ut panis consecratus asservetur in ciborio & circumgestetur theatricâ pompâ, atqve adoretur, unde traxerint ortum. 376. N.

Abusûs Canonistarum, Papam Deum vocantium, infallibilitatem ei adscribentium, idemqve tribunal utriq; asserentium, emendatum iri, una omnium Germanonum de Concilio Tridentino fuit expectatio. 483. N.

In abusus valdè proni sunt pontificii circa festivitates suas. 527. N.

De abusu circa unionem & cumulationem beneficiorum. 531. N.

Abusus in procurationibus. 559. N.

Abusus bonorum ecclesiasticorum Pontificibus & aliis, omnia in suos erogantibus & profundentibus, freqvens & solennis. 638 639. N.

ACCEPTATIO.

An qvis per acceptationem & ratihabitionem collationis sibi factæ jus in beneficio collato acqvirat. 208. N.

Qvi absenti donationis causâ rem aliqvam mittit, pœnitere potest ante absentis acceptationem. 208. N.

ACCIDENS.

Accidens esse, & non inesse, ἀσύστατον est & contradictionem implicat, cùm inesse sit de essentia accidentis. 377. N.

ACCIPERE.

Qvædam honestè accipiuntur, qvæ inhoneste petuntur. 585. N.

ACCUSATIO, ACCUSATOR.

Utile est Reip. plures extare accusatores & criminum vindices. 81. N.

Mulierem, qvæ adulterium commisit cum papa, accusari posse asserunt JCti pontificii, licet papa ipse accusari neqveat. 185. N.

Accusatio matrimonii. vid. Conjugium.

Qvomodo per accusationem instituantur judicia criminalia. 904. T. 905. N.

Accusator olim in crimen subscripsit, & hæc subscriptio similitudine supplicii eum obstrinxit. 905. N.

Accusatore non indigent notoria. 916. T. & N.

Ad accusationem Simoniæ servi etiam adversum dominos & qvilibet criminosi admittuntur. 933. T.

Accusare dominos sub capitis supplicio prohibentur servi de jure civili, nisi in qvibusdam exceptis casibus. 933. N.

Accusare regulariter alium neqvit, qvi ipse in reatu est, donec aut absolutus fuerit, aut damnatus qvidem, sed salvâ libertate, civitate, existimatione. ibid.

Ad accusandum mulier in genere non admittitur facilè. 934. N.

Exceptiones. ibid.

Accusari in foro contentioso propter idem delictum potest, qvi absolutus est in foro pœnitentiali s. conscientiæ. 962. N.

ACOLUTHUS.

Qvis hic sit? 145. 146. T.

Digitized by Google

Acoluthi an & qvi olim fuerint. 147. 148. N.
Acoluthus Latinis non significat cereoferarium. 147. N.

ACTA.

Acta judicii à qvibus cõscribenda? 724. T.
Acta rectiùs universa cõscribũtur. 725. N.
Num acta ipse judex, præsertim si Notarius sit, possit conscribere, *remissivè*. ibid.

ACTIO, AGERE.

Actio ex constituto matrimonio. vid. conjugium.
Actio & causa differunt. 642. N.
Actione vel defensione per plures scissâ, incommodô afficitur adversarius. 685. N.
Agere antiqvitus alienô nomine non licuit, nisi pro populo, pro libertate, pro tutela. 684. N. add. 685. N.
Agere num possit filius fam. sine consensu patris. 686. 687. T. 687. 688. N.
Actiones utiles ex qva causa in dominum à procuratore transeant. 692. N.
Num actio detur ex pactis de jure canonico. 711. 712. N.
Actio expacto nunqvam datur ad pœnam, nisi sub pœna fuerit initum. 711. N. (747. N.
Actio absqve scriptura etiam edi potest.
Num necessarium sit, ut actionis nomen in libello exprimatur. 749. N.
Actio omnis denegatur excommunicato. 771. N.
Actio ab officio judicis distingvitur. 787. T. & N.
Actiones perpetuantur per litis contestationem. 798. T. 798. 799. N.
Actionum illarum species qvæ sint. 798. 799. N.
Qvæ actiones intereant morte Rei conventi, qvæ morte actoris, qvæ morte & interitu materiæ subjectæ, sive rei, cujus nomine qvid petitur. 798. 799. N.
Actiones semel judicio inclusæ, & post L. C. omissæ, intra 40. annos repeti possunt. 799. N.

ACTIO MORALIS ET CIVILIS.

Actiones hominum ex finibus debent judicari. 502. N.
Non ex omni actione Christi exemplum est capiendum, qvod imitari oporteat. 528. N.
Actio violenta & metu peracta qvomodo differat. 1049. N.

ACTOR.

Actoris contumacia major est, qvàm Rei; cùm actor agere non teneatur, reus verò citatus necessariò comparere debeat. 744. 745. N.
Actoris contumacis pœna. 745. N.
Actor qvando deficit in probationibus, ipsa actio perit, & reus absolvitur. 769. N.
Actor replicando Rei vices subit. 773. 796. N.
Actoris & Rei reconvenientis æqvalis debet esse conditio. 776. T.
Æqvalitas ista unde arcessatur. 776. N.
Actor à Reo probationes intentionis suæ exigere num possit. 813. N.
Num actor reo & reus actori edere instrumenta teneatur. 813. T. & N. & remissivè 814. N.

ACTUS.

Qvando æqvale jus qvælibet pars habet in

Digitized by Google

in actu, neutra pars ſine altera actum exercere poteſt. 198. N.

Actus poſterior ſemper vincit priorem in iis, qvæ ambulatoriam admittunt voluntatem. 678. N.

Actus prior, ſi validus ſit, ſemper vincit poſteriorem in iis, qvæ pœnitentiam non recipiunt, niſi uterq; ſimul conſiſtere valeat. ibid.

Actibus validis qvadrienniô præſcribitur contra minores & Eccleſias, actibus verò invalidis qvinqvenniô. 899. N.

Actûs voluntatis ab arbitrio humano pendent & imperio ſubjacent. 941. N.

In actûs interiores, ſi per ſe conſiderentur, ſine ulla relatione ad externos, Eccleſiam non habere poteſtatem, non malè ſtatuitur. 951. N.

Actus per ſe malus poni non poteſt per circumſtantiam in genere licitorum. 1049. N.

ADIAPHORUM.

Qvando Eccleſia rei adiaphoræ uſum ad hanc vel illam partem determinat, ritum ſimpliciter neceſſarium facere illa non poteſt, nec naturam rei adiaphoræ mutare. 377. N.

ADMINISTRATIO, ADMINISTRATOR.

Jus adminiſtrationis Epiſcopalis cohærere dicitur loco, jus dignitatis verò perſonæ. 164. N.

Generale axioma eſt, qvòd adminiſtratores apud judicem loci adminiſtrationis conveniri & ibi rationes reddere debeant. 178. N.

Adminiſtratores hoſpitalium qvæ facere debeant. 569. T. & N.

Qvilibet adminiſtrator rei alienæ rationem adminiſtrationis reddere tenetur. 569. N.

Nulli ejus ordinis vel officii, cujus penitùs expers eſt, vetari & interdici poteſt adminiſtratio. 1070. T.

ADOLESCENS.

Adoleſcentes inidonei non ſunt præficiendi Eccleſiæ. 59. N.

ADOPTIO.

Adoptio hodiè maximâ ex parte eſt abolita, & in divinis legibus nuptiarum prohibitivis nulla ejus fit mentio. 455. 456. N.

Adoptio impedit nuptias inter parentes ac liberos omnimodò: inter fratres eatenus, qvatenus capitis minutio non intervenit. 456. N.

ADULTERIUM.

De adulteriorum & ſtuprorum præ legitimo conjugio prærogativa apud pontificios. 184. 185. N.

Adulteriô ipſum matrimonii vinculum rumpitur, *contra Canoniſtas*. 411. 423. 438. 465. 486. 488. 497. N.

Si poſt adulterium compertum pars innocens adulteranti carnaliter ſe commiſcuerit, redintegratur vinculum matrimonii. 423. 465. 487 N.

Ratio hujus rei. 423. 487. N.

Adulterii pœna juxta Canoniſtas. 464. T. 465. N. 487. T. 488. N.

An adultero liceat novum matrimonium inire. 464. T. 465. N. 487. T. 488. 503. N.

Adulterium adulteriô compenſatur. 487. T. 488. N.

Mulier, cui adulterii occaſionem dedit maritus, excuſatur. 489. N.

Utrùm eô caſu, qvô, conjuge vivente, fides alteri data & adulterium cum ea com-

Digitized by Google

commiſſum fuit, adulterantes deinde copulari poſſint. 498.499.500.N.
Adulterium jure canonicô inter leviora aut minora crimina refertur, ſed jure civ. inter graviora & ſæviora. 983.N.
Adulterii appellatione generali qvid contineatur. 983.T.& N.
Adulterium committitur in nupta, in ſponſa, & in ſoluta. 984.N.
Adulterii deſcriptio. ibid.
Ejus pœnæ canonicæ. 983.T. 984.N.

ADVOCATUS.

Advocatus non poteſt eſſe judex in ea cauſa, in qva patrocinium præſtat vel præſtitit. 680.N.
Advocati juramentum. 805.N.
Advocatus num teſtis eſſe poſſit aut debeat in cauſa clientis 825.T.& N.

ÆDIFICATIO.

Ædificatione acqviritur jus patronatûs, & qvomodo? 241.243.T. 243.244.N.
Ædificatione jus patronatûs acqviritur, ſive ea ſit novi operis, ſive Eccleſiæ collapſæ & deſtructæ. 243.N.
Limitatur hoc. 243. 244. N.
Vocabula ædificationis & fundationis qvandoq; ita uſurpantur, ut alterum alterô includatur; utplurimùm tamen inter ſe diſtingvuntur. 244.N.
Plura vid. ſub voce Eccleſia.

ÆGROTANS.

Ægrotantes, qvi reſpondere pro ſe non poſſunt, ſi catechumeni, admittuntur ad baptiſmum, ſin gentiles, non item. 321.N.
Duo genera olim fuerunt eorum, qvi gravi morbô decumbentes baptizati ſunt, exindeq; clinici dicti. ibid.
Ægrotantes num procuratorem in judicium mittere teneantur. 737. N.

ÆQVIPOLLENS.

Æqvipollens qvi facit, videtur in finibus mandati perſtitiſſe. 229.N.
Per æqvipollens qvando impleri mandatum poſſit. 669.N.
Qvid dicatur æqvipollens intuitu mandati. ibid.

ÆSTIMATIO.

Æſtimatio litis ſignificat univerſum litis diſpendium, & qvicqvid in judicium deductum eſt. 855.N.
Æſtimatio impenſarum in curationem factarum & operarum amiſſarum, & amittendarum, in damno injuriâ dato. 1006.N.

ÆTAS.

De ætate eligendorum *non poteſt* certa regula tradi, & qvid hîc reſpiciendum ſit? 59.63.N.
In forma, juxta qvam eligendi ſunt miniſtri, nullam certæ ætatis mentionem facit Apoſtolus. 59.N.
Ætas 30. annorum generaliter ſelecta eſt, qvia ſolidæ ea ac perfectæ prudentiæ eſſe creditur. 59.N.
De ætate poſtulandorum. 63.T.& N.
De ætate presbyteri, diaconi & ſubdiaconi. 143. T.& N.
Apoſtoli non usq; adeò de ætate ſolliciti fuerunt, dum cætera adeſſent, qvæ Epiſcopatum decent. 143.N.
De ætate, qvâ prohibentur velari ſanctimoniales. 275. N.
Ætatem qvando ſupplere dicatur malitia in materia ſponſaliorum. 391.N.

Ætatis

Digitized by Google

Ætatis argumentum infallibile ex adſpectu non colligitur, ſed potiùs admittitur probatio in contrarium. 841. N.
Ætatis rationem jura habent. 1028. N.

AFFECTUS.

De affectu maritali ſemper præſumtio eſt propter ſponſalia antecedentia. 426. N.

AFFINITAS, AFFINIS.

Affinitas perfecta per concubitum demũ contrahitur, ſed per deſponſationem tamen incoatur. 393. 463. N.
Qvod ex affinitate incoata impedimentũ matrimonio naſcitur contrahendo, per diſpenſationem removeri à Principe poteſt, contractum verò jam matrimonium dirimere propterea non licet. ib.
Affinitas ſuperveniens dirimit ſponſalia. 407. T.
Affinitas qvid ſit, & unde dicta. 456. T. 464. N.
Affinitatis definitio clarior. 457. N.
Ad affinitatem qvalem Canoniſtæ reqvirant coitum? 457. N.
Impediendo matrimonio, ex cauſa affinitatis, qvævis illicita commixtio ſufficere putatur ab orthodoxis. 457. N.
Affinitas cõtrahitur tàm ex coitu damnato, qvàm juſtis nuptiis. 457. T. & N.
Affinitatis gradus. vid. Gradus.
Affines ab affinibus non generantur, ſed cauſa & fundamentum affinitatis in novis conſiſtit nuptiis. Sive: affinitas non propagatione, ſed duorum in carnem unam unione contrahitur. 459. N.
Affinitas ſimulacrum qvoddam videtur conſangvinitatis. ibid.
Affinitatis genera ſunt inventum juris pontificii. ibid.
De numero horum generum, niſi per canones definitus jam eſſet, dubitari adhuc non ſine ratione poſſet. ibid.
Affinitatem ultra tria genera extendi noluerunt Pontifices. ibid.
Cur ſecundum & tertium affinitatis genera ſint abrogata. ibid.
Qvia ſecundum & tertium genus affinitatis nuptiis ampliùs non eſt impedimento, hinc diſtinctio illa plurium affinitatis generum tantummodò propter canones antiqvos docendi & perſpicuitatis cauſâ toleratur, & cæteroqvi exiguus ejus eſt uſus. 461. N.
An in gradibus jure canonicô prohibitis Pontifex poſſit diſpenſare. ibid.
Affinitas inter conſangvineos uxoris & viri nulla contrahitur, propter qvam inter eos matrimonium debeat impediri. 463. T.
Exemplificatio, Ratio & Illuſtratio hujus rei. 464. T. & N.
Affinitas per fornicationem contracta nõ eſt cauſa privativa dirimens matrimonium jam contractum, ſed eſt cauſa negativa prohibens, ne inter tales exiſtere poſſit matrimonium. 467. N.

AGAPÆ.

Agapæ, qvas veteres Chriſtiani in Eccleſiis habuerunt, qvid fuerint. 540. N.
Hæ qvare poſteà templis ejectæ & tandem penitus ſublatæ ſint. ibid.
Ἀγάπας ſucceſſit mos eleemoſynas colligendi inter ſacra. ibid.

ἈΚΡΟΆΣΙΣ

Qvid fuerit? 342. N.

ALAPA.

Locô impositionis manuum abolitæ apud Pontificios in actu confirmationis cõfirmando levis infligitur alapa. 333.N.

ALERE, ALIMENTUM.

Unde alendus sit is, qvem Episcopus sine certo titulo ordinavit. 191.T. 194.N. 194. & 195.T. 195.N.

Alimenta ministris Ecclesiæ jure divinô & naturali debentur, & ideô nec privilegiô, nec consvetudine, nec præscriptione tolli possunt. 609.N.

Alimentorũ causa est favorabilis. 850. N.

Alimentorum denegatio à patria potestate liberat. 1001.T. 1002.N.

Alere liberos necesse patri est propter ipsam naturam. 1002. N. conf. 1049. 1050.N.

Alimentorum preciô libertas non redimitur. 1002.N.

ALIENATIO.

Alienatio qvædam est censûs impositio. 556. T.

Alienatio nulla potest fieri ab Episcopo sine solennitate. 557.T. & sine consensu Capituli. 615. 616. T. 621 N.

Alienatio rerum Ecclesiæ qvantis ambagibus hodiè expedienda sit, *remissivè*. 618.N.

Ad alienationem rerum ecclesiasticarum qvid reqviratur. 618.T.

Alienationis verbum qvid contineat autori. 619.T. & remissivè 621.N.

Alienationum rerum ecclesiasticarum prohibitiones non factæ sunt pro clericis contra Ecclesiam, sed pro Ecclesia contra clericos. 620.N.

Qvomodo hîc clericorum mores in diversa abierint. ibid.

Alienatio rerum Ecclesiæ qvibus casibus concessa sit Prælato. 622. T. & N. jung. seqq. T. & N.

Omnis generaliter alienatio judicii mutandi causâ facta utroq; jure prohibetur. 672. T.

Ut qvis teneatur edicto de alienatione judicii mutãdi causâ facta, sufficit possessionem tantùm transferri. 672.N.

ALLEGATIONES.

Si allegationibus juris renunciatum est, allegationes adhuc fieri possunt, renunciatione istâ non obstante. 828. N.

ALTARE.

Altaria super sepulchra Martyrum & Confessorum primùm erigi cœperunt, qvæ altaria MEMORIÆ dicta sunt. 80.N.

Ex altaribus, qvà talibus, nihil spiritui aut animæ accedit, unde spirituales res dici neqveunt. 297.N.

Nullus in Ecclesia primitiva altarium fuit usus. ibid. jung. 523. N.

Altare lapideum consecratum ita dicitur necessarium Becano, ut ne Pontifex qvidem dispensare possit. 500.N.

Sine omni altari celebrare gravissimum peccatum esse, superstitiosè dicitur. 509.N.

Altarium apud pontificios superstitiosa consecratio. 520. N. (523. T.

Altare qvando denuò debeat consecrari.

Ratio hujusmodi reconsecrationis. 525.N.

Qvid pro altaribus apud veteres Christianos usurpatum, qvæ altarium origo &

Digitized by Google

go & unde eorum appellatio primitùs nata sit.523.seq.N.
Altaris sigillum qvid? 524.N.
Altaria non debere consecrari, nisi in eo reliqviæ aliqvæ sint positæ, superstitiosum est.524.N.
Altarium superstitiosa multitudo. 524.N.

AMBITIO.

Qvomodo ab Aristotele definiatur? 168. N.
In modestè petente nulla notari poterit ambitio. 216.N.
Ambitio, luxus & divini muneris negligentia res secundas plerumq; solent comitari.616.N.

AMBROSIUS.

Ambrosius ne qvidem neophytus, nedum baptizatus, sed adhuc catechumenus à profana præfectura ad Episcopatum fuit evectus. Qvam electionem divinæ potiùs, qvàm humanæ jussioni tribuunt patres. 61. 161. N.

AMENS, AMENTIA.

Amens num possit baptizari.322. T. 323.N.
Amentia vera qvomodò definiatur & dividatur.322.323.N.

AMICABILIS COMPOSITIO.

Vid. Compositio amicabilis.

AMICITIA.

Amicitia dæmonum est infidelis & dolosa.958.T. 959.N.

AMORTIZATIO.

Jus amortizandi ad solum Regem pertinere, optimè in Gallia constitutum est. 549.N.
Hæc amortizatio tamen non eximit bona supremâ jurisdictione regiâ.ibid.

ANATHEMA, ANATHEMATISMUS.

Anathema qvandoq; denotat excommunicationem majorem.53.N.conf.1013.T.
Anathematismus & major excommunicatio sæpè distingvuntur.53.N.
Nimii sunt Pontificii circa anathematismos suos, nec tàm grave semper delictum præcessit, qvod fulmen ejusmodi mereatur.257.N.conf.538. N.
Anathema Græcè dicitur *ἀνάθημα*, non *ἀνάθημα*.1015.N.
Ἀνάθημα & *ἀναθῆναι*, à qvo *ἀνάθημα* dictum est, qvid significet. 1015.N.
Ἀνάθημα qvid gentilibus fuerit, & qvid in sensu ecclesiastico denotet. ibid.
Anathematismi major dicitur esse coërcitio, qvàm excommunicationis. ibid.

ANCILLA.

Utrùm is, qvi ancillam duxerit uxorem, possit ordinari? 181. T.182.183.N.
Cum ancilla s. serva nullum jure Romano erat matrimonium; qvod injurium videtur in genus humanum.182.N.

ANNATÆ.

Annatas & alias contributiones à Pontifice Rom. exigi solitas ex qvo fonte defendant nonnulli.614.N.
De annatis, *remissivè* 923.N.

ANNIVERSARIUM.

Significat hæc vox sacra illa, qvæ singulis annis statô die pro anima defuncti peragenda sunt.590.N.

ANNULUS.

Sine annuli traditione sponsalia non possunt dici imperfecta.389.
Sola annuli traditio, etiam ejus, qvi aliàs

ad constituenda sponsalia dari solet, non inducit sponsalia. ibid.
Annulus cum aliis, extra consensum, majoris tantùm certitudinis causâ adhibetur in sponsalibus. 390.N.

ANTIPAPATUS.

De hoc vid. 39.N.

ANTISTES.

Per antistitem qvis intelligendus in divisione Episcopatuum. 511.N.

APOSTASIA, APOSTATA.

Apostatæ qvi sint. 953.T.954.N.
Apostasiæ species. 953.954.T.954.955.N.
Apostatam & fugitivum qvomodo distingvant Canonistæ. 955.N.
Apostatarum pœna secundùm pontificios. 954.T.955.N.
Qvomodo Christiani veteres plexerint apostatas. 955.N.
Apostatarum alii sacrificati, alii thurificati, alii libellatici olim dicti. ibid.
Libellatici qvotuplices fuerint. 955.956.N.

APOSTOLI, s. LIBELLI DIMISSORII.

Hi intra dies 30. à lata sententia sunt petendi & exhibendi. 867.T.
Illi dies 30. incipiunt currere à die latæ sententiæ, ita ut etiam in eis contineantur decem dies, intra qvos appellatio interponi debet. 868.N.
Apostoli ab appellante instanter & sæpiùs petendi secundùm jus civile. 867.T.868.N.
Jus Canonicum decrevit sufficere, si per appellantem simul unô contextu apostoli instanter & sæpiùs postulentur. 868.N.conf.869.870.T.
De formula apostolos petendi instanter, instantiùs, instantissimè, vel sæpè, sæpiùs, sæpissimè. ibid.
Apostoli dicuntur literæ dimissoriæ, it. libelli dimissorii, qvòd per eos dimittitur causa ad judicem appellatum. ibid.
Apostoli qvid sint. ibid.
Apostoli dimissorii, reverentiales, testimoniales, refutatorii, & conventionales qvi sint. 868.869.N.
Etsi apostolorum oblatione partem prævenire debeat judex, si tamen hic cesset, partem ipsam petere apostolos & instare opórtet, nisi appellationem pro desetta haberi velit. 869.N.
Tempus triginta dierum & parti petenti apostolos, & judici eos concedenti est commune. 869.870.N.
Apostolos appellanti etiam non petenti offerre debet judex. 870.N.
Apostoli congruô locó & tempore debent peti. 870.T.871.N.
Apostoli in casu, qvô plures sunt judices, cur separatim petendi. 885.N.
Apostolorum petitionem ipsi appellationi inferere sufficit aliàs. ibid.

APOSTOLI CHRISTI.

Apostoli non divisérunt Imperium in provincias. 31.N.
Apostoli an Episcopatûs particulares habuerint, & à Petro consecrati sint. 75.N.conf.105.N.
Apostoli, qvatenus fundatam operâ suâ Ecclesiam verbi divini alimoniâ sustentârunt & disciplinæ virgâ rexerunt, ordinariorum omnium pastorum for-

Digitized by Google

formam ac primitivum exemplar expreſſerunt.133.N.add.335.N.

Qvòd Apoſtoli Epiſcoporum, & 72. ſecundi ordinis ſacerdotum figuram geſſerint, longè poſt Apoſtolorum tempora, & minùs ex vero excogitatũ fuit. ibid.

Omnes Apoſtoli æqvalem poteſtatem à Chriſto acceperunt.219.N.

APOSTOLICA SEDES.

Eccleſia Romana, aut potiùs papa, κατ' ἐξοχὴν vult dici ſedes apoſtolica.21.N. conf.32.N.

Qvælibet ſedes metropolitana & Epiſcopalis etiam olim dicta eſt ſedes apoſtolica. ibid.

APOSTOLICUS.

Per Apoſtolicum (ſc. Succeſſorem) κατ' ἐξοχὴν intelligunt Pontificem Romanum. 219.N.

Apoſtolici titulus Pontifici Romano falsò tribuitur. ibid.

Appellatio Apoſtolici non Epiſcopo tantũ Romano olim tributa fuit, ſed aliis etiam Epiſcopis, donec tandem ἀντωνυμικῶς Pontifici Rom. adhæſit. ibid.

APPELLATIO.

Vana & nimia eſt præſumptio Pontificum Romanorum, Appellationes ad ſedem ſuam fieri debere ab univerſis in toto terrarum orbe Eccleſiis.32.N.

De appellatione in univerſali Africæ concilio decretum prohibitivum.32. N.

De decreto hoc controverſia? ibid.& ſeq. N.

Sedes Romana etiam minorum clericorum appellationes acceptavit.33.N.

Nec jure appellatur ad ſedem Romanam ab extraneis Eccleſiis, nec utiliter. 33. N.conf.49.84.N.

Omiſsô & rejectô appellationum nomine, earum locô relationes & conſultationes ſubſtituit Petrus de Marca.33. N.

Refutatio ejus. ibid.

De appellationum in foro Eccleſiaſtico abuſu, *remiſſivè*.33. & 34.N.

Appellationes circa electionem qvando cœperint.66.N.

A Vicario Epiſcopi ad qvem appelletur. 98. N.

Qvòd ad appellationis auxilium litigator convolavit, ex eo judicem ſibi injuriam fieri minimè exiſtimare oportet. 681.N.

Appellatio non ad contumeliam judicis, ſed ad privilegium jurgantis inventa eſt. ibid.

Appellari ab ſententia arbitri neqvit, ſive æqvum, ſive iniqvum pronunciaverit. 717. N.

Ratio ibid.

Appellatio reducit cauſam in eum ſtatum, in qvo fuit lite jam conteſtatâ. 765.

Judicem, à qvo appellare non liceat, alius dare neqvit, niſi qvi ſummum tenet imperium.776.N.

Qvalis hôc modô dari poſſit. ibid.

Num in cauſa appellationis locum habeat juramentum calumniæ. 806. T. & N.

Appellationis judicium ſuper eadem lite, qvæ in prima inſtantia diſcuſſa fuit, inſtruitur.806.N.

Digitized by Google

In appellationis causa licet revocare confessionem, quam quis in prima instantia emisit. 812. N.

Appellatio à sententia, quæ nulla est, non est necessaria. 848. N. & T. it. 888. T. & N.

Appellatio post decem dies à lata sententia non admittitur. 855. T.

Ratio hujus. ibid.

Casûs, quibus decem dies elapsi non requiruntur. 856. N. 858. T. 859. N.

Appellari num possit ab executione. 858. T. 859. N.

Appellationis usus & definitio trigemina. 865. T. & N.

Appellatio vocatur injustæ sententiæ theriaca. 865. N.

Appellatio est vel judicialis, vel extrajudicialis 865. T.

Appellatio extrajudicialis quæ sit. ibid.

Appellari potest extra judicium; ut maximè lis nulla metuatur aut speretur, imò etiam in illis causis, ubi nemo est, qui litem intentat. Sufficit enim gravatum tantùm eum esse, qui appellat. 866. N.

Casus, ubi ante sententiam appellatur de jure civili. ibid.

Appellationes extrajudiciales solent dici provocationes. 866. T.

Appellationis judicialis divisio. 866. T.

Quomodo ante sententiam definitivam appelletur, & quomodo post eam. ib.

Appellationem jus civile non admittit ante sententiam definitivam, nisi gravamen inducatur irreparabile. 866. N.

